Uc 9164

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV
VLADISLAI IV
AD PACEM OLIVENSEM VSQVE
LIBRI IX
SEV

ANNALES

REGNANTE
IOANNE CASIMIRO,
POLONIARVM SVECIAEQVE REGE,
AB ANNO MDCXLVIII VSQVE AD ANNVM MDCLX

AVCTORE
LAVRENTIO IOANNE RVDAWSKI,
EQVITE POLONO,
CATHEDRALIS ECCLESIAE OLOMVCENSIS CANONICO, SACRAE CAESAREAE
MAIESTATIS AC SERENISSIMI LEOPOLDI GVILIELMI ARCHIDVCIS
AVSTRIAE CONSILIARIO.

EX MANV SCRIPTO
CELEBERRIMAE BIBLIOTHECAE ZALVSCIANAE
EDIDIT,
NOTAS, VBI OPVS VIDEBATVR, ET HISTORIAM IN COMPENDIO
AB ANNO MDCLX VSQVE AD ANNVM MDCLXVIII
ADIECIT AC PRAEFATVS EST
LAVRENTIVS MIZLERVS
PHILOS. ET MEDICINAE DOCTOR, IN SERENISSIMI REGIS POLONIARVM
AVLA CONSILIARIVS ET MEDICVS, ACADEM. MOGVNTINAE SCIENTIARVM
VTILIVM IN MEDICIS ET HISTORICIS SOCIVS ORDINARIVS, NEC NON SOCIETATIS
SCIENTIARVM MVS. IN GERMANIA SENIOR.

CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO.

VARSAVIAE ET LIPSIAE
ANNO MDCCLV
SVMPTIBVS MIZLERIANIS.

Ex
Bibliotheca Regia
Berolinensis

vHs 1285186

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO AVGVSTO TERTIO

DEI GRATIA
REGI POLONIARVM
MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE
PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KYIOVIAE
VOLHYNIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE
SMOLENSCIAE, SEVERIAE
CZERNICHOVIAEQVE:
NEC NON
HAEREDITARIO DVCI SAXONIAE
ET PRINCIPI ELECTORI
RELIQVA,

DEMISSISSIME HOS ANNALES
D. D. D
LAVRENTIVS MIZLERVS.

SERENISSIMO
AC POTENTISSIMO
DOMINO
AVGVSTO TERTIO
DEI GRATIA
REGI POLONIARVM
MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE
PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIOVIAE
VOLHYNIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE
SMOLENSCIAE, SEVERIAE
CZERNICHOVIAEQVE
NEC NON
HAEREDITARIO DVCI SAXONIAE
ET PRINCIPI ELECTORI
REGIO

SERENISSIME
AC POTENTISSIME REX,
PATRIAE PATER
AC DOMINE LONGE INDVLGENTISSIME,

Tanta TVA eſt, SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, *erga omnes, et TVOS in primis, clementia, benignitas atque indulgentia, tantaque erga literatos homines gratia, vt his fretus, annales* IOANNIS CASIMIRI, *infeliciſſimi quondam Poloniarum regis, ante oculos* REGIAE TVAE MAIESTATIS *ponere auſus ſim. Cumque vera regnorum hiſtoria prouidentiae diuinae ſit ſpeculum, idque regum intuitu non indignum, eo magis* REGIAM TVAM MAIESTA-

TEM *hoc opus, mirum prouidentiae diuinae, rempublicam Polonam attinentis, documentum, acceptum habituram confido. Grata infelicium, regis* CASIMIRI *temporibus, bellorum recordatio nunc omnibus Polonis esse debet, qui, sub* REGIAE TVAE MAIESTATIS *auspiciis, placidissima pace, qua maxime Polonia prae caeteris bonis opus habeat, tranquille fruuntur. Maxime iucunda certe lectio innumerabilium calamitatum, quibus ante seculum Polonia premebatur, omnibus regni proceribus, nobilibus subditisque accidet, cum nunc, sub felicissimo TVO regimine,* SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, *ab omnibus his malis se longe abesse felices laetique deprehendant. Maximam partem seruatae reipublicae, regnante* IOANNE CASIMIRO *septem ab hostibus, Suecis, Moscouitis, Tartaris, Cosacis, Prussis, Transyluanis et Valachis, temporis progressu misere laceratae, Polonia* AVGVSTISSIMAE AVSTRIACAE DOMVI *debet, quae* REGIAE TVAE MAIESTATI *tam arcte coniuncta est. Per eundem quoque nexum, accedente potentissima* AVGVSTISSIMAE *Russorum* IMPERATRICIS *amicitia, Polonia nunquam fuit ab omnibus exteris hostibus tutior firmiorque, quam nostris temporibus* REGIAE TVAE MAIESTATIS *cura studioque. Sed hoc non satis. Vix vllus regum Polonorum tam apte sciteque procerum discordiam, inueteratum reipublicae malum, singulari prudentia atque humanitate moderari, omniaque tranquilla seruare sciuit, quam TV,* SERENISSIME AC FELICISSIME REX. *Polonia etiam fructus felicissimi TVI regiminis,* SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, *re vera percipit, quae incolis aucta, iustitiaque recte administrata, maiora cepit incrementa. Artes, scientiae, ciuitates, commercia, magis magisque florere incipiunt, atque in primis musae Polonae, sub* REGIAE TVAE MAIESTATIS *vmbra, nouas acquirunt vires, atque ad studendum scribendumque fiunt alacriores, id quod omnibus temporibus signo fuit, singulari quodam ac salutari consilio rem publicam administrari. Recte inde omnes boni* AVGVSTVM TERTIVM *diuinitus Poloniae datum fuisse, summopere gaudent, quae* AMANTISSIMO ET LONGE INDVLGENTISSIMO PATRIAE PATRE, *ad benefaciendum tantum nato, maximis fortunis ornata fruitur. Hanc ob causam, caeterasque regias* MAIESTATIS TVAE *eximias virtutes, omnes salutem TVAM quam diutissimam,* SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, *a Deo ter optimo ardenter efflagitant ac precantur. In vnica enim* REGIAE TVAE MAIESTATIS *salute, vniuersae Poloniae salus, innumerabilium hominum felicitas, consistit, qui omnes quotidie vota pro integra* LONGE INDVLGENTISSIMI PATRIAE PATRIS *Nostri ad seros vsque annos salute nuncupamus. Caeterum et ego, singulari erga* REGIAM TVAM MAIESTATEM *pietate ductus, vt meis reipublicae Polonae litterariae inseruiendi conatibus indulgentissime annuere velis,* SERENISSIME AC POTENTISSIME REX, *supplex rogo, qui, quousque viuam, piis a Deo precibus* REGIAE TVAE MAIESTATIS SERENISSIMAEQVE DOMVS REGIAE *incolumitatem indesinenter efflagitabo, sicque emoriar*

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX,
PATRIAE PATER
AC DOMINE LONGE INDVLGENTISSIME,
REGIAE MAIESTATIS TVAE

longe submissus ac fidelissimus subditus

 LAVRENTIVS MIZLERVS.

PRIVILEGIVM

Sereniſſimi ac potentiſſimi Poloniae Regis, pro RVDAVSCII annalibus editore MIZLERO.

AVGVSTVS TERTIVS, DEI GRATIA, REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIIOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNICHOVIAEQVE: Nec non HAEREDITARIVS DVX SAXONIAE ET PRINCEPS ELECTOR, etc.

Significamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis. Cum generoſus LAVRENTIVS MIZLERVS de KOLOF, Philoſophiae et Medicinae Doctor, in aula Noſtra Conſiliarius et Medicus, Academiae Moguntinae ſcientiarum vtilium in medicis et hiſtoricis ſocius ordinarius, annales IOANNIS CASIMIRI, Poloniarum Regis, auctore RVDAVSCIO, Olomucenſi quondam canonico, in ſcientiarum in Polonia incrementum typis impreſſum euulgare in animum induxerit, NOBISQVE ſubmiſſe ſupplicauerit, vt euitando damna, quibus eum tam exteri, quam indigenae typographi et bibliopolae afficere poſſent, reimpreſſionem huius operis, tam in natura, quam etiam aliam in linguam translati ad certum temporis ſpatium inhibere dignaremur: Nos praefatae ſupplicationi, vti iuſtae, benigne annuentes, omnibus et ſingulis in regno et dominiis noſtris exiſtentibus, typographis et bibliopolis mandamus, ſerio inhibentes, ne praefatum opus, abſque conſenſu generoſi editoris, quocunque idiomate imprimere, vel reimprimere, nec non compendium inde confici curare, intra ſpatium viginti annorum audeant, ſub poena mille aureorum Hungaricorum, cuius ſummae dimidia pars auctori ad reſarcienda damna, ſi caſus exiſtat, altera pars dimidia, ad bona opera, ſecundum iudicium fori competentis adiudicanda, reimpreſſum vero hocce opus, in quacunque extra regnum typographia confiſcationi irreuocabili omnium exemplarium, ſi talia in regno et dominiis Noſtris inuenientur, ſubeſſe et praefato editori extradi debere, declaramus. In quorum fidem praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas ſigillo regni communiri iuſſimus. Datum VSCHOVAE die XXVI menſis Maii, anno Domini MDCCLV, regni vero Noſtri XXII anno.

AVGVSTVS REX.

Locus regni ſigilli maioris

ADALBERTVS RAKOWSKI,
S. Regiae Maieſt. et ſigilli maioris regni Secretarius.

Cancellariatu illuſtriſſimi atque excellentiſſimi Domini, IOANNIS comitis in Konskie et Bialaczow a Malachowice MALACHOWSKI, ſupremi regni cancellarii, Oſtrolencenſis etc. capitanei ſigillatum.

BENE-

BENEVOLO LECTORI AVCTOR SALVTEM.

Hiſtoriam Polonam, temporum elapſorum teſtem, veritatis lucem, memoriam vitae humanae, vetuſtatis nuntiam, vitae magiſtram, exhibeo tibi, candide et beneuole lector. Scio per experientiam omnium retro ſaeculorum, hiſtoricos plerumque culpari ab his, laudari ab illis, idem mihi quoque euenturum fore, certiſſime polliceor. Affectuum paſſiones in hunc aut illum proniores, id efficiunt, vt facilius hodie fabulas legas, quam hiſtorias, paſſim veritate vbique ſuppreſſa, quam in exilium pridem egit malitia humana, nouaque rebus nouo Calepino indidit vocabula. Dum ſuperbiam magnanimitatem, prodigalitatem liberalitatem, formidinem prudentiam, veritatem odium, appellauit. Nulli hodie vera loqui, vera ſcribere licet, dominantibus eam calami libertatem pro flagitio vlciſcentibus, quaſi vero, quod agere libuit, ſcribere non liceat. Falluntur vero vel maxime dominantes in hoc, quod putent, omnia ſibi et in omnes impune licere, nec vllum eſſe, qui delicta notet, aut errata illorum, vel in vmbra, obſeruet. Meminiſſe potius deberent, quod circa regem Phrygiae, Midam, contigiſſe fabuloſiſſime narrant veteres. Habuit hic rex aſininas aures, et dum ſemel a chirurgo tonderetur, habere animaduerſus eſt. Rogauit igitur et pecunia emit ſilentium apud hominem rex. Sed hic, cum diu ſecretum tenuiſſet, ſemel in campis vagus, impatientior arcani, inclinato ad arundinem ore: *arundo*, inquit, *audi, rex Midas habet aſininas aures*. Res mira, ſtatim hoc verbum ab arundine ad arundinem meare, et omnes clariſſime campos reſonare: *Rex Midas habet aures aſininas*. Geſta principum, ſiue bona, ſiue mala, velut in ſpeculo ſunt, omnibus patent, ab omnibus notantur. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, nec regum geſta in oculis vniuerſi orbis fulgentia. Sint ſaeua licet, ac omnino virtutum cultoribus infeſta haec tempora, quibus ſcribimus. Dicere ſiquidem verum aut ſcribere hodie capitale eſt, nec in ipſos modo auctores ſaepe ſaeuiunt principes, ſed et in libros illorum, delegato ignaris plerumque miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in foro exurantur. Ego his iam praecuſtoditus, nihilominus in arenam calumniarum deſcendo, exemplo aliorum, qui me anteceſſerunt, et adhuc ſubſequentur. Quod ſi poſſibile, admonitum candidum lectorem vellem, vt, ſepoſita caeca interim paſſione, hiſtoriam Polonam legat: rem certe deſidero, quae meo voto optari poteſt, haberi non poteſt. Vale interim amice lector, et memineris, nihil mirum eſſe, vnum diſplicere multis. Viennae Auſtriae, die 20 Septembris M.DC.LX.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

EDITOR.

Annales RVDAVSCII, regnante IOANNE CASIMIRO, Poloniae rege, quos praeterito anno in lucem edere typis impreſſos promiſi, oculis tuis nunc ſubiicio, beneuole lector. Varia habeo, quae dicam, tum quae Rudauſcii, tum quae meum qualemcunque attineant laborem. Rudauſcius vir integrae fidei, ſincerus et probus, ſcripſit eo tempore, quo omnia exactius ſcire potuit. Fuit enim anno MDCLVII iam eccleſiae cathedralis Varmienſis canonicus *), quadraginta circiter, quod a vero non abhorret, annos habens. Nullis igitur de rebus, niſi quae aetate ſua iam confirmata acciderunt, ſcripſit. Amor eius ſingularis erga veritatem, maxima hiſtoricorum laus, ex multis locis apparet, ideoque iure inter principes illis temporibus hiſtoriarum ſcriptores ponendus. His autem non obſtantibus, naeuis tamen non caret. In philoſophia enim, matheſi et ſaniori phyſica non fuit ſatis doctus, et hanc ob cauſam varia, temporum forte illorum errore, ſuperſtitioſe dixit, miracula et neſcio quae prodigia venditans. Cumque hiſtoricus omnino nullius partis eſſe debeat, Gallos, Suecos, nimium Rudauſcium fuiſſe Auſtriacum dicturos ſuſpicor, id quod lectoris iudicio diſcutiendum relinquo. Acerbius etiam ſaepe in populares ſuos ſcripſit, vtrum ad rem an falſo dixerit, huc iam non pertinet inquirere. Satis eſt, ea omnia ad noſtra non trahi poſſe tempora, neque etiam inueniri quenquam puto, qui pro maiorum ſuorum ante ſaeculum factis reſpondere poſſit aut velit, multo minus, qui male ferat, quoſdam maiorum ſuorum ante ſaeculum male feciſſe, id quod omnibus temporibus apud omnes gentes accidit. Opus ſuum Rudauſcius dedicauit auguſtiſſimo Romanorum imperatori LEOPOLDO primo, his expreſſis verbis: „*Auguſtiſſime imperator*, Trium„phales commodabis, vt ſpero, oculos homini vmbratico, vicini cognatique re„gis regnique Auſtriae Tuae ſuburbani, tragicos referenti caſus, et ab externa „dominantium ſcena venientem, regnorum Tuorum accolam, non grauate, vt „ſpero, in regiam Tuam admittes, Caeſarum regumque Phoenix, Auguſtiſſime „LEOPOLDE. Impendo Tibi, principi meo optimo, tributariam manum, manum „nulli vnquam hactenus, niſi Tibi ſoli a teneris deuotam, et cum conſpecto con„ſecratam ſole. Nec incomptam hanc Palladem meam auguſtis Tuis liminibus „caeſareis patieris excluſam, quin imo in hac exorientis felicitatis Tuae inaugura„tione

*) Hoc probat panegyricus, qui extat, ſubſequenti inſcriptione: *Iugubris panegyricus in ſolemnibus exequiis Auguſtiſſimi* FERDINANDI III *Romanorum imperatoris etc. pie ac religioſe ex hoc caduco imperio ad immortalitatem euolantis. Viennae Auſtriae* die 2 Aprilis A. MDCLVII LEOPOLDO, *Hungariae Bohemiaeque Regi, a Laur. Ioanne Rudawski, eccleſiae cathedralis Varmienſis canonico, dedicatus.*

„tione leges admirabilem rerum humanarum ſcenam, videbiſque virginem rem„publicam Polonam ciuium ſuorum diſſidiis peſſundatam, non gladio, Polonoſ„que per ſe ipſos, non per alios de culmine felicitatis cecidiſſe. Miraberis deinde „hoſtium celeritatem, obſtupeſces eorundem conſilia et arcana. Leges iterum „alibi mortuos homines Moſchos, longa deſidia imbelles, viuos, vt ſibi videban„tur, debellaſſe Lituanos. Tartaros, peruſtos ſole populos nudos ac inermes in „aciem prodiiſſe, arcubus ſagittiſque vſos, viciſſe aduerſariorum fulmina. Reco„gitabis anniuerſarios Auſtriae hoſtes Suecos per Tua felicia expulſos arma. Da„mnabis Tranſyluanorum ignauiam, extolles Tuorum virtutem Germanorum. „Haec ego Tibi prima ſpatia imperii ingredienti offero, vicinorum ludos augu„ſtiſſimis oculis Tuis ſiſto. Aliquid enim maius a fortuna et indole Tua expectat „Chriſtianus orbis, quam dederit ipſe Tibi. Laeta omnium de Te, Auguſtiſſime „LEOPOLDE, praeſagia Europae et omina ſunt, fore aliquando, vt in Auſtria„cos transferas, quod Ottomani, duobus abhinc et vltra ſaeculis ſucceſſiue poſſi„dent orientale imperium, atque ita manu altera orientem, altera occidentem, „contingas, ex Europa tranſiens in Aſiam, ex Aſia nauigans in Africam, vbi iam „ante ſaeculum Auſtriaci quoque numinis in glorioſiſſimo abauo fulgor reſplen„duit. Vibra tantum modo generoſe auguſti parentis Tui nondum bene abſter„ſum mucronem: quaere in ſacrilegis viſceribus innocuum Tuorum ſubditorum „ſanguinem. Cadant victimae Tuo ſanctiſſimo nomini barbarae illae gentes, quae „in ſua confidunt feritate. Vno verbo: diſſipa gentes, quae bella volunt. *Au„guſtiſſimae Maieſtatis Veſtrae*, humillimus et obſequentiſſimus ſeruus et ſubditus, „Laurentius Ioannes Rudawski.

Studio praetereo quae ad hanc dedicationem, tam quod ad ſtilum, quam quod ad ſenſum, dici poſſent. Inſerui hanc ob cauſam, vt Rudauſcium etiam ex dedicatione ad Romanorum imperatorem cognoſcas. Scriptura enim eſt animi character. Auctor licet in conſcribendis ſuis annalibus exactus eſſe videatur, in quibusdam tamen locis dormitauit, neque ſatis accurate ſcripſit. Haud enim facta mentione KORICYNII, quem p. 97 procancellarium regni memorauerat, ANDREAE TREBICIO, minus regni ſigillum collatum fuiſſe p. 124 dicit, qui ſcribere debuiſſet: Koricynium ſucceſſiſſe ANDREAE LESCINIO, ſupremo regni cancellario, qui archiepiſcopus Gneſnenſis factus, in Koricynii autem locum ſuffectum fuiſſe ANDREAM TREBICIVM. Regem in Lituaniam profectum p. 143 Varſauiam reducem non memorat. Legatos Polonos Stockholmiam veniſſe, exceptos a proceribus regni Sueciae magno cum applauſu p. 156 ſcribit, quos deinde p. 158 iterum inſulam Oelandiam praeteruectos nuntium Stockholmiam miſiſſe cum literis, qui adfuturos legatos nuntiaret, memoriae prodidit. NICOLAVM comitem OSTROROG p. 226 mortuum dicit, qui deinde dedita Varſauia Vitembergium, Sueciae belli ducem, captiuum Zamoſcium deduxit. NICOLAVM PRASMOVIVM ſupremum regni cancellarium p. 415, maiorem regni antea ſecretarium, ad tantam inopinato euectum dignitatem memorat; quam tamen antea p. 391, iam regni procancellarium, ſed non recte, dixerat. Prasmouius enim tempore comitiorum, anno 1658, primum regni cancellarius et tribus hebdomadis poſt ſupremus regni cancellarius a rege declaratus fuit. Haec autem nihil habere momenti videntur, cum ad res maioris ponderis diligentiam adhibuerit accuratiſſimam. Latinitatem Rudauſcii quod attinet, neque mala illa, neque optima, quamuis multa vocabula barbara, exceptis iis, quibus officia publica deſignantur, deleuerim, ſubſtituendo Latiniora. Stilum autem nullo modo mutare neque volui neque debui, reiectis tantum quibuſdam ſoloeciſmis obelo dignis. Maxima mea cura in hoc

 verſa-

verſabatur, vt ſcribendi errores, frequentiſſime a librario commiſſos, numerumque aliquot millium excedentes, corrigerem, quaeque Rudauſcius obſcurius pro exteris dixit, explicarem, quaedam etiam, minus recte dicta, refutarem. Sed tam magna fuit ſcribendi errorum copia, tam multae, quae ſenſum turbarent, falſae interpunctiones, vt nonnulla, quamuis omni adhibita diligentia, oculorum aciem effugerent, quae pauca lector beneuolus aequi bonique facere velit. Indicem confeci ſatis copioſum, atque ad vſum ita accommodatum, vt lector momento inuenire poſſit ea, quae deſiderat. In primis familiae, quae illis temporibus Polonae floruerunt, quae res geſtae ab iis fuere, quo tempore mortalitate interceptae, quos in officiis ſucceſſores habuere, ope huius indicis vno quaſi intuitu apparet. Vitio hoc iuſte datur Polonorum libris hiſtoricis, vt fere ad vnum omnes indicibus careant, quod magnum pro lectoribus incommodum, qui, his deficientibus, tempus, quaerendo certa loca, perdunt.

Quod ſupereſt, Rudauſcii hi annales manu ſcripti, venere ad manus conſanguinei Ludouici Rudawski, pro tunc ordinarii, conuentus, vt dicitur, cuſtodialis Cracouienſis praedicatoris generalis cum licentia ſuorum ſuperiorum, anno MDCCXX, die XI Auguſti. Ab illo donati celſiſſimo principi IOSEPHO LVBARTOWICZ CZARTORYSKI, vexillifero ſupremo M. D. Lituaniae, qui iterum IANVSSIO WISNIOWIECIO, palatino Cracouienſi, anno eodem die XXIV Auguſti, dono dedit. Inde caſu felici celeberrimae bibliothecae Zaluſcianae hoc apographum obuenit, ex qua ad procurandam hanc editionem accepi. Orbis litteratus ergo debet claſſicum hunc hiſtoriae Polonae ſcriptorem illuſtriſſimo comiti IOSEPHO ANDREAE ZALVSCIO, ſupremo regni referendario, qui magnum ſtudium omnemque operam in augendas in Polonia ſcientias glorioſe confert, mihi tantum laborem et ſumtus, quos in hanc editionem impendi. Vale beneuole lector, et ſi quid veri inde haurias, porro conatibus noſtris faue. Scribebam Varſauiae die XXIV Iunii, anno MDCCLV.

CATA-

CATALOGVS
LITERARVM IN POLONIA AMATORVM,
EORVMQVE
QVI VTILISSIMIS RVDAVSCII ANNALIBVS
SVBSCRIPSERVNT,
ORDINE ALPHABETICO.

ALOY (Illuſtris Dom. Ioannes Baptiſta) Sereniſſ. Reg. Poloni Conſiliarius belli etc.

ANKWICZ (Magnif. Dom. Stanislaus) Dapifer palatinatus Cracouienſis et iudex deputatus ad regni tribunal.

BENZMANN (nobiliſſ. Dom. Ioannes) ciuitatis Gedanenſis Secretarius.

BEYNER (Magnif. Dom. Antonius Ludouicus) Inciſor ducatus Samogitiae.

BIBLIOTHECA publica gymnaſii Elbingenſis.

BRAKENHAVSEN (Excellens ac ſpectatiſſimus Dom. Andreas Theodorus) Conſul ciuitatis Elbingenſis.

BVINICKI (Magnificus Dom. Ioannes) Dapifer Polocenſis.

CHREPTOWICZ (Magnif. Dom. Ioachim) Dapifer Nouogrodienſis.

CIESZKOWSKI (Reuerend. et perilluſtris Dom. Criſpinus) Canonicus cathedralis Leopolienſ.

DANIELEWICZ (magnif. Dom. Franciſcus) Capitaneus Plotelſcenſis.

GILLER (Nobiliſſimus Dom. N.) ciuitatis Torunenſis Secretarius.

IABLONOWSKI (Celſiſſimus princeps ac Dominus Ioſephus Alexander) Palatinus Nouogrodienſis.

IVNGSCHVLTZ (Excellens ac ſpectatiſſimus Dominus Ioannes Ferdinandus) Conſul ciuitatis Elbingenſis.

KALINOWSKI (Perilluſtris atque excellentiſſimus Dom. Ludouicus) Staroſta Winicenſis.

KINNER (b. m. lib. Baro de Scharfenſtein) quondam S. Caeſ. Mai. Miniſter reſidens Varſauiae.

KLEIN (Nobiliſſimus ac ſpectatiſſimus Dom. Iacobus Theodorus) primus ciuitatis Gedanenſis Secretarius, reg. Societatis ſcientiarum Londini nec non Bononienſis ſocius.

KOMOROWSKI (Reuerendus Dom. Ioſephus) Soc. I. Sacerdos.

KRENI (Reuerend. atque illuſtris Dom. Carolus) Canonicus Varſauienſis, conſiſtorii Varſauienſ. iudex ſurrogatus.

KRIES (Nobiliſſimus ac ſpectatiſſimus Dominus I. Albinus) gymnaſii Thorunenſis Profeſſor.

KROKISIVS (Excellens ac ſpectatiſſimus Dom. Ioannes) Conſul ciuitatis Marieburgenſis.

KVRNIEWICZ (generoſus Dom. Ioſephus) Regens caſtrenſis Vitepſcenſis.

LANGE (Magnificus ac ſpectatiſſimus Dom. D. Carolus Chriſtianus) Proconſul ciuitatis Elbingenſis.

LEVBNITZ (Illuſtris atque excellentiſſimus Dominus Antonius de) Sereniſſ. Reg. Poloniae camerae Praefectus, et vice-commiſſarius Gedani.

LEVSCHNER (Nobiliſſimus Dom. Chriſtoph. Erneſtus) ciuitatis Gedanenſis Secretarius.

LIPSKI (Illuſtris atque excellentiſſimus Dom. Thadaeus) caſtellani Lancicienſis filius, S. R. M. camerae Praefectus.

LISANSKI (Reuerendiſſ. Dom. Heraclius) Ord. S. Baſilii Generalis.

LVBIENSKI (Reuerendiſſ. atque illuſtriſſimus Dom. Vladislaus comes) regni Poloniae Notarius, Abbas Paradiſienſis etc.

MALACHOWSKI (Illuſtriſſimus atque excellentiſſimus Dominus Ioannes comes in Malachowice) ſupremus regni Poloniae Cancellarius.

MALACHOWSKI (Perilluſtris atque excellentiſſimus Dom. Nicolaus) ſupr. reg. Pol. cancellarii filius, Staroſta Opocinenſis.

MARYANSKI (Honoratus Ioſephus Ignatius) mercator Torunenſis.

MIKVLSKI (Reuerend. atque illuſtris Dom. Stephanus) Canonicus archicathedralis Leopolienſis.

MINASOWICZ (Reuerend. atque illuſtris Dom. Ignatius Petrus) Canonicus Varſauienſis, praepoſitus Brochowienſis.

MINASOWICZ (Nobiliſſimus Dom. Ioan. Epiphanius) S. R. M. Secretarius.

MÖLLER (Excellens ac ſpectatiſſimus Dominus Ioan. Iacobus) Conſul ciuitatis Elbingenſis.

NIEMIROWICZ (Illuſtriſſimus atque excellentiſſimus Dom. Ioannes Szczytt) Caſtellanus Liuoniae.

OEHMCHEN (Nobiliſſimus Dominus Ioannes Nicolaus) Secretarius ciuitatis Gedanenſis.

PAKOSZ (generoſiſſimus Dominus Antonius) Dapiferides Polocenſis.

PODOSKI (Illuſtriſſ. atque excellentiſſimus Dom. comes Iunoſza Ioſephus) M. D. Lituaniae culinae Praefectus.

PODOSKI (Reuerendiſſ. atque illuſtriſſimus Dominus Gabriel Ioannes comes Iunoſza) Sere-

Sereniſſimorum regiorum Poloniae principum Cancellarius, praepoſitus cathedralis Cracouienſis.

PRZEZDZIECKI (Illuſtriſſ. atque excellentiſſimus Dom. Antonius) M. D. Lituaniae Referendarius.

PRZYLVSKI (Reuerendiſſ. Dom. Ioannes) S. I. Reſident. Varſau. prouinciae Polonae ſuperior.

RADLINSKI (Reuerendiſſ. atque perilluſtris Dom. Iacobus Paulus) canonicor. regular. ord. Sti. Sepulcri Praepoſitus generalis infulatus.

RADZIVIL (Celſiſſimus princeps Stanislaus) Inciſor M. D. Lituaniae.

RADZIVIL (celſiſſimus princeps Vlricus) M. D. Lituaniae magnus ſtabuli praefectus.

RAMSEY (Nobiliſſimus Dom. Carolus Erneſtus) Secretarius ciuitatis Elbingenſis.

REYHER (Nobiliſſimus Dom. Georgius Adamus) Secretarius ciuitatis Torunenſis.

RHODE (Magnificus ac ſpectatiſſimus Dominus D. Henricus) Proconſul ciuitatis Elbingenſis.

RIHOVEI (Reuerend. Pater Michael) S. I. illuſtriſſ. regni ſupremi Referendarii theologus.

ROGGE (Excellens ac ſpectatiſſimus Dom. D. Samuel) Conſul ciuitatis Elbingenſis.

ROSCISZEWSKI (Reuerendus pater Franciſcus) S. I. Rector collegii Nouogrodienſis.

ROSENBERG (perilluſtris atque excellentiſſimus Dom. N. de) conſiliarius belli intimus Ser. reg. Poloniae etc.

RVDAWSKI (Reuerendus Dom. Lucas) S. I. Sacerdos, typographiae collegii S. I. vice-praefectus.

SCHRÖDER (Magnificus atque excellentiſſimus Dom. Chriſtianus Gabriel de) ciuitatis Gedanenſis conſul.

SIEFFERT (Nobiliſſimus Dominus Sigiſmundus Michael) Secretarius ciuitatis Elbingenſis.

SOBOLEWSKI (generoſiſſimus Dom. Matthias) Succamerarii Varſauienſis filius.

SOLTYK (Reuerendiſſ. atque illuſtriſſ. Dom. Caietanus Ignatius) Epiſcopus Emauſenſis, Coadiutor Epiſcopat. Kiiouienſis et Czernichouienſis.

STADNICKI (Magnificus Dominus N.) Vexillifer Grabowiecenſis.

STARZYNSKI (Perilluſtris atque excellentiſsimus Dominus Paulus) Staroſta Horodelſcenſis.

STEINHAVSER (illuſtris atque excellens Dom. Ioannes Beniamin) Conſiliarius et aſſeſſor camerae Sereniſſ. reg. Poloniae.

STOLTZ (nobilis Dom. Samuel Conradus) rei veredariae Praefectus et membrum ſecundi ordinis ciuitatis Elbingenſis.

SZEMBEK (illuſtriſsimus atque excellentiſsimus Dom. Franciſcus) Palatinus Liuoniae.

CATALOGVS RVDAVSCII ANNAL. SVBSCRIB.

SZEPING (illuſtris atque excellentiſſ. Dominus Dominicus) Generalis maior exercitus Polon.

SZYBINSKI (Reuerend. Dom. Alexander) ſcholarum piarum Rector Mederecenſis.

SZYDLOWSKI (Magnificus Dom. Theodorus) Iudex caſtrenſis Varſauienſis.

TOLKEMIT (Nobilis Dom. Carolus Fridericus) Patricius Elbingenſis.

TYSKIEWICZ (Magnificus Dominus Ioannes) Ciwun Vilnenſis, capitaneus Dubicenſis.

VNGER (Nobilis Dom. Ioannes) membrum ſecundi ordinis ciuitatis Elbingenſis.

WACHSSCHLAGER (Excellens ac ſpectatisſimus Dom. Georgius Daniel) Conſul Torunenſis.

WAHL (Nobiliſſimus Dom. Conſtantinus Ludouicus) ciuitatis Gedanenſ. Secretarius.

WIELOWIEYSKI (generoſiſſimus Dom. N.) Notarius caſtrenſis Cracouienſis.

WIENIAWSKI (Magnificus atque excellentiſſ. Dom. in Puslomi et Nawary Roch) Pincerna Premislienſis, militum tribunus et commendans legionis equitum regni clauae campeſtris.

ZABA (Magnificus Dom. Hieronimus Koſcieſza) Capitaneus Koſzauienſis.

ZABACKI (Magnificus Dom. Ioſephus) Subdapifer Nouogrodenſis.

ZALVSKI (illuſtriſſimus atque reuerendiſſimus Dom. Ioſephus Andreas comes) ſupremus Referendarius regni.

De exteris ſubſcriptoribus vix habeo, quod memorem. Nam praeter perilluſtrem atque excellentiſſimum Dominum CAROLVM de MILTITZ, Sereniſſ. Regis Polon. Elect. Saxoniae, camerae praefectum, et honoratum CRÖCKERI, bibliopolae Ienenſis viduam nemo ſubſcripſit. Exteri queruntur Polonos neque optimos exterorum libros emere, id quod tamen ab veritate abhorret, et Poloni meliori iure exteris obiiciunt, eos neque optimos Polonorum libros curare.

HISTO-

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV
LIBER I.

LIBRI PRIMI CAP. I.

SYNOPSIS.

Poloniae deſcribitur regnum, tum antiquae gentis recenſentur facta. Mentio ſit Stephani primi, eiusque memorantur virtutes regiae. In tranſitu recenſentur Sigismundi III infelicitas, atque Vladislai IV triumphi.

HIſtoriam noſtrae aetatis Polonam, non ementito poetarum, nec tumenti rhetorum ſtilo, ſed nudo geſtarum rerum deſcriptam charactere, poſteris traditurus, de motu ciuili, ſiue Coſacorum perduellium decennali bello, Mahometanorum ſocietate, ſcribere aggredior. Ampla eſt ſeges cui accingor, Coſacorum rebellium inprimis effrenata rabies, Tartarorum auxiliares copiae, caeſi integri exercitus, capti duces, collata toties iniquo marte ſigna, amiſſum pene totum vno, recuperatum vero altero anno potentiſſimum Poloniae regnum. Auulſa per Moſchos a corpore regni, cui male coaluerat, Lituania, erepta per Coſacos Ruſſia, direpta per Suecos Hungarosque Polonia, peſſundata per Brandenburgicum Boruſſia, occupata per Moſchum Liuonia, tentata per Polonos Pomerania, Marchia ac Transſiluania. Proemium.

Exacti hiſtoriam temporis tradidit PAVLVS PIASECKI, epiſcopus Praemislienſis, ſenator regni, a Stephano primo Polonorum rege in Vladislaum quartum: mihi a Io. Caſimiro, vltimo per matrem Iagellonide, principium et finis. Tres illi reges, vnus mihi cuius infeliciſſima tempora memorem: ille vniuerſae Europae, ego Poloniae miracula toti orbi ſcribo. Illi ab infula, mihi ab opere et materia dignitas ſit: vtrique in religionem aequalis amor, in patriam fides. Haec enim duo me adigunt, fides et pietas, vt loquar, vt ſcribam. Mentiantur exteri, imponant aduerſarii, nihil mihi tale obiici poteſt, qui ſacris iam pridem initiatus nec blandiri poſſum, nec aſſentiri cupio. In medio quoque vocationis meae poſitus, et vitae ſanctitatem profeſſus, nec reipublicae Polonae, aut partium vnquam implicitus curis, procul omni animi affectu geſta recenſeo, ne aut falſum dicam, aut vera omittam. Seruaui quantum potui et ordinem, temporum regionumque adieci deſcriptionem, ſcrutatus ſum conſilia, non adeo ſub profundo deſoſſa, aut in Sacrario abdita, addidi actus, appoſui rerum magnarum vna cum cauſis euentus, probaui et improbaui conſilia Auctoris mens. Hiſtoriae partes.

filia in rebus geſtis, modum dicti aut facti obſeruans. Hinc nihil mihi, homo caeterum vmbraticus, arrogo, opera et ſtylus mea ſunt, caetera actorum. Nullam a quopiam expecto mercedem, coelum mihi merces ſit, quod tribuat iuſtus remunerator Deus. Admonitos quoque velim lectores, qui hos labores ſua cura dignabuntur, vt qualem illi a me deſiderant animi affectum, talem et ipſi ad legendum afferant, ſepoſita interim ad tempus caeca plerumque in hanc aut illam partem factione. Tu nunc ſupreme rerum rector et arbiter, qui regna et imperia nutu gubernes, tu pacis, tu belli Deus, qui ſceptra de gente in gentem transfers, omnipotens ſuper omnia opera, et mirabilis in potentia tua, tu calamum, tu mentem meam moderare, vt feliciter tuo fauore inchoatos labores ad finem vſque deducere poſſim. Caeterum antequam deſtinatum mihi aggredi opus, deſcribenda primo ſtatim in limine, exterorum in gratiam, occurrit Polonia, tum quae regni vbertas, opulentia, vires, et maieſtas; repetendus deinde ſtatus, qualis ſub diuo fuerit Vladislao, quae prima Coſacis rebellandi initia, quae externorum in rempublicam factiones, ſtudia, ac demum aperta odia, quae Polonorum erga Io. Caſimirum fides, obedientia, et quale obſequium, quis in aduerſis amor et qualis fidelitas.

Poloniae deſcriptio.

Polonia igitur toto ſeptentrione prouinciarum vberrima, ingentibus terrarum ſpatiis, inter Balthicum et Euxinum porrigitur mare, bonitate ſoli praebens omnia affatim, quidquid ad opulentiam, commoditates, armorumque robur audeas deſiderare. Paſcit frugibus totius Balthici littoris, vbi ſteriles fundi, accolas Belgas, item Scotos, peruſtas ſole Hiſpanias, ipſam ſaepius Italiam, atque adeo orbis Deam Romam exitioſa liberat a fame. Plerosque ex his veſtit populos, ingenti lanae, lini, cannabis, coriorumque copia, boum armentis Germaniam replet, bellatoribus equos, vicinis maribus claſſes ſubminiſtrat [1]). E nemore Lituano aut Boruſſo nauigatur in Indias, ferro aut plumbo vbique pugnatur Polono [2]).

Geſta antiquae gentis Polonae.

Ipſos Polonos bellicoſiſſimos fuiſſe res eorum geſtae teſtantur, cum inter modica gentis ſuae initia, ferociſſimis colliſi populis, victores plerumque euaſerint [3]), ſuumque imperium a maris Balthici littoribus, ad ipſum vsque Euxinum armis propagarint. In vnum poſthac cum Lituanis corpus coaliti, domitis crucigerorum armis, qui vtramque hanc gentem, conſociatis Germanici imperii viribus, totos trecentos annos accerrime diuexarint. Almam pacem nacti, incognitum antehac ſibi bonum, ſiue otii dulcedine, ſiue proſpera fortuna emolliti, duras primum, quibus inuicti ſteterant, militiae ſuae leges aſpernati, mox multum de priſtina dimiſere ferocia. Poſt principum ſuorum genium ſequuti varia fuere fortitudinis fama, ſed temporum felicitas effecerat, vt in tranquillo imperii ſtatu, dum omnes commoda pacis auidius ſectantur, iam magis opibus, quam praeclare factis eſſent conſpicui, ſat habentes, a benigniſſimis, ne dicam molliſſimis principibus, immenſis in dies, et vſque etiam damnoſis augeri libertatum praerogatiuis. Vnde in immanem delapſi faſtum, obliti militiae, domi ciuilibus aeſtuare factionibus, foris hoſtium expoſiti iniuriis rorpere, aegre Moſchorum ſuſtinentes arma, longe lateque in Lituania graſſantia, ab altera vero parte, Crimaeis Tartarorum cohortibus [4]) Ruſſicas prouincias miſerrimum in modum dilacerantibus.

Tan-

1) In manuſcripto, haec verba, incuria, credo, atque ignorantia librarii, continentur: *boum armentis Germaniam replet, bellatores equis, ſubminiſtrat et in viciniam totis exercitibus claſſes*, quae cum inter ſe diſcrepantia ſint, mutanda duxi.

2) Auctoris tempore, quae de Polonia dixit, vera fuere et recta, nunc autem rerum facie mutata, non omnia ſine vlla exceptione credenda. Iam non Polonia claſſes vicinis ſubminiſtrat, hoc eſt, iam non exteris tam ſtupendam lignorum ad aedificandas naues copiam ſuppeditat, iam non amplius alios populos veſtit, ipſa veſtitur ab exteris, ſuas contemnens opes, peregrinas, increſcente luxu, appetens in haud leue rei domeſticae detrimentum. Qui rectam Poloniae eiusque diuitiarum cognitionem capere velit, legat. P. Gabr. Rzączynski S. I. Hiſt. nat. cur. Reg. Polon. vel huius libri recenſiones in prima et ſeq. part. Bibliothecae Varſauienſis Tom. I.

3) In codice, quo ex bibliotheca Zaluſciana vſus fui, *loco plerumque euaſerunt*, ſcriptum eſt *ſemper euaſerunt*, id quod Rudauſcio, hiſtoriarum Poloniae bene perito, minime imputandum, qui bene ſciuit veteres Polonos non ſemper victores euaſiſſe. Sed librarius vel alius credidit, magnam ſe rem feciſſe, ſi in gloriam gentis ſuae mentitus fuerit.

4) Pro verbo cohors ſemper in manuſcripto horda adhibitum, cum autem auctor non de hordis Tartarorum, id eſt, vaccis praegnantibus, ſed eorum militum cohortibus ſeu congregationibus, verba voluerit facere, vocabulo, hoc in ſenſu, barbaro malui abſtinere.

Encomium Stephani.

Tandem optimo reipublicae fato per electionem Stephanus Bathoreus dicitur Poloniae Rex, ingentis animi princeps atque indolis, regio digniſſimus faſtigio, virtute nulli heroum ſecundus, cuius magnanimae actiones tantum in animis incolarum valuerunt, vt omnes ſubito principis ſtimulati exemplo deteſtari ignauiam, luxum aſpernari, duci honeſtate, animos in praeclara aſſiurgere, nobilitate fortia confeſtim ſpirante conſilia, et intermortuae laudis flagrante deſiderio. His animis conuerſus in hoſtem, facile triumphantem de Lituania Moſchum, magnis vltum cladibus, continuis fractum victoriis, recuperata Liuonia, inque intima ſuarum compulſum ſolitudinum, ad pacis vſque redimendas coegit conditiones. Parte vero ab altera adeo Tartarorum infeſtam repreſſit audaciam, vt gens immaniſſima commouere ſe hoc imperante non auderet. Nouum Sarmatico orbi feliciſſimum iubar inuexiſſe viſus eſt, reſtituta genti armorum priſtina gloria, hoſtili vindicata iniuria, prolato in Lituaniam imperio, eiusque meliori per orbem aſſerta exiſtimatione, ſui vero nominis vera et ſincera in animis mortalium laude propagata. Tum ad ciuilis regiminis formam componendam conuerſo ſtudio, poſitus in inuidiis et liuore, Maieſtatem Regiam egregie tutatus eſt, exemplo omni futurus poſteritati, imperantis auctoritatem cum quantacunque populi libertate, dum adſint animus et prudentia, optime conuenire poſſe [5]). STEPHANVM ſequutus eſt SIGISMVNDVS eius nominis TERTIVS, Sueciae Rex, magis ſpectatus, pace, quam bello, princeps, quod inuitus ſemper geſſiſſe obſeruatus eſt, omne tempus fallere ſolitus inter Citharoedorum canentiumque choros, quod rariſſime principi, et non niſi in ſummo otio agenti concedunt politicorum leges [6]). Saltus enim regum, mors eſt non raro ſubditorum. Nota magis ſunt, quam vt meo calamo memorari queant, illuſtria Sigismundi III infelicitatis exempla. Amiſſa imprimis Suecia, nutantes toto biennio Poloni, Moſchorum imperium admiranda partum felicitate, ſtupenda amiſſum neſcio cuius ſocordia, auulſa deinde a corpore regni per Guſtauum Adolphum Liuonia, mox peſſundata per eundem Boruſſia, bini in Moldauia amiſſi exercitus, turbata per Osmanum Polonia, polluta decies et amplius per Tartarum Podolia, neglectae occaſiones ſubmouendae eorum damnoſae viciniae, cum ſaepius illi contra Ottomannum tumultuarentur, et ſe ſuaque certiſſimis vadibus offerrent [7]).

Sigismundi III infelicitas.

Sigismundo ſucceſſit Vladislaus, eiusdem promogenitus filius, Caroli archiducis Auſtriae Stiriaeque principis filia Anna natus princeps feliciſſimus, ſi per ipſos licuiſſet Polonos. Supplicem ille ad pedes Michaelem Federowitz, magnum Moſcouiae ducem, Aſtrachanenſem et caſanenſem regem potentiſſimum, veniamque iniuſti belli deprecantem habuit. Sola armorum oſtentatione ſuique nominis fama Amurathum orientis caeſarem terruit. Liberauit a

Vladislai triumphi.

5) STEPHANVS BATHOREVS certe et magnanimus et validus fuit rex, et longe clariora forte geſſiſſet facta, niſi immaturam mortem in magnum reipublicae damnum, dicunt ſcriptores, dato ei veneno, quod vix credendum, veriſimilius ex morbo acuto non recte a medicis tractato, obiiſſet. Anno enim aetatis quinquageſimo quarto, imperii autem vndecimo, die 12 Dec. A. 1586 viuere deſiit, nullis ex ANNA vxore Sigismundi I filia, relictis liberis. Caeterum STEPHANVS exemplo eſt, quam ſalutare ſit reipublicae, ſi rex prudentum, doctorum, et bene de patria ſentientium conſiliis vtatur. Omnia enim fere praeclara rex de magni illius ZAMOSCII tum belli ducis tum cancellarii ſupremi conſilio fecit, qui etiam, quantum fieri potuit, Polonorum regi conciliauit beneuolentiam, exceptis Zboroviis.

6) Male hic auctor politicorum leges, principi rariſſime et non niſi in ſummo otio agenti canentium choris intereſſe permittentes laudat. Primum non hominis vmbratici eſt definire, qua ratione princeps animum continuo reipublicae curis obrutum recreare debeat, deinde crebrior principis ad audiendos muſicos praeſentia non officit laudabili reipublicae gubernationi, id quod vel vnicum Regis Boruſſorum hodierni exemplum, non tantum muſicos ſaepius audientis, ſed et ſua ipſius manu quam abſolutiſſime tibiis transuerſis canentis, ſatis refutat.

7) Auctor quidem quae infeliciter geſſit SIGISMVNDVS III memorat facta, praeteriens ea, quae bene fecit, tam domi quam foris. Non ſua culpa Sigismundus Sueciae amiſit regnum, ſed religio in cauſa re vera erat. Ob ſpem enim regni Poloniae tempore obtinendi, principiis religionis catholicae ineunte aetate fuerat imbutus, id quod Suecorum ab eo alienauit animos. Inde bella cum GVSTAVO ADOLPHO, Sueciae rege, Sigismundi loco electo. Qui deinde in rebus ſtatus poloni verſatus, optime ſcit Poloniae reges non agere ſemper poſſe ſecundum neceſſitatem, ideo neque culpam malorum euentuum iis imputari debere. Exemplum eſt, vt vnicum tantum adferam, victoria Kirchholmenſis, qua vti melius Sigismundus potuiſſet, niſi Polonorum vetaſſet diſcordia. Sigismundus mortuus eſt ex apoplexia d. 30 Apr. A. 1632, anno aetatis ſexageſimo ſexto, imperii autem quadrageſimo quinto, relictis ex Anna coniuge, Caroli archiducis Auſtriae filia, Vladislao Sigismundo, ex altera autem coniuge Annae ſorore Conſtantia, Ioan. Caſimiro, Albrechto, Carolo Ferdinando, Alexandro Carolo et Anna Catharina.

Suecorum iugo Boruſſiam, liberaſſet et Liuoniam, ſi Poloni bellum magis ſecurum, quam incertam elegiſſent tranquillitatem, Deo quaſi ſic permittente, vt per incognitos Auſtriae hoſtes, et tunc in Polonia victores Suecos exagitaretur Germania, quos tunc vno praelio, ſi decertare voluiſſent, deleuiſſent Poloni. Altam deinde ſub hoc glorioſo principe quatuordecim annorum Polona nobilitas domi agebat pacem, et, vt in otio fieri videmus, in luxum opesque plerique immerſi, non pacem modo, ſed inuſitata et incognita quadam velut felicitate, fortunam caeterorum regnorum turbidam ſecure deſpiciebant, tacitoque ſaepe vacillantes reuulſos Europae cardines et aegre criminum poenarumque ſuſtinentes pondus mirabantur ſenſu: Sed non diuturnum tantae felicitatis habuit ſpectaculum orbis, Vladislao enim terris erepto, coelo recepto, tanquam iisdem fatis Polona ſuccubuiſſet felicitas, omnia in peius deinde ſublapſa ſunt, adeo fallax quies ſopore haud procul lethargico, mali ſemper neceſſe ſit praeſaga imminentis [8]).

LIB. I. CAPVT II.

SYNOPSIS.

Deſcribitur Boryſthenes fluuius, Boryſthenisque accolae Coſaci. Illorum prima initia et origo militiae. Fit deinde ad Chriſtianos principes adhortatio. Irritatus chmielnicius a czaplinio. Origo illorum litis, vna et malorum. Primus rebellis chmielnicius, cuius rebellionem auxit caeſus per eos dies crudeliſſime fuſtibus filius.

1648 Anno itaque milleſimo ſexcenteſimo octauo ſuper quadrageſimum, regni et ſimul felicitatis Vladislai decimo ſexto, primi omnium tumultuari coeperunt Boryſthenis fluuii accolae vulgo Coſaci dicti. Rem altius de famoſo Boryſthene fortitudineque Coſacorum in gratiam exterorum repeto. Boryſthenes ſeptentrionis fluuiorum celeberrimus, ex paludinoſis Moſcouiae emergens nemoribus, ab ipſo Smolenſco iam nauigabilis, ampliſſimas albae Ruſſiae emenſus prouincias, plurimis auctus fluuiis, magna vndarum mole tumidus, Kiouiam, famoſiſſimam quondam Ruſſorum alluit metropolim, inde in vaſtiſſimum camporum effuſus pelagum, qui Tartarorum iniuria nulli habitabiles, inter Ruſſiae, Daciae, Scythiaeque conterminas gentes, iam Tauricae Crimeae propior, quam a iuris Poloni diſterminat limite, in loca ſaxoſa, ac prominentibus ſcopulis aſpera, fremebundus inuehitur, per ea dum enititur, locorum iniuria putares irritatum, tanta vi ac vehementia diſruptis late rupibus, ſubruptis montium iugis, per ſaxeas, nec Nilianis diſpares, voluitur cataractas, et inde plurima aquarum effuſus mole, ac ſummo impatientique delapſus impetu, depreſſiores nactus locorum tractus, eos in multiplices ſcindit alueos, ac immenſa planitie inundata, magna fluuiorum multitudine, qui eo humiliorum locorum ſitu inuitati certatim vndique, qua ex numeroſis Moſchorum deſertis, qua ex vicinia confluunt Tartaria, inter reſtagnantia aquarum diluuia, ac multiuagos fluminum euripos mille molitur inſulas, mille circumfluos oſtendit abſconditque colles, vario inter paludinoſas voragines ludentis naturae artificio, ac diuerſo terrarum vndarumque ingenio, dum inſularum alias aſperari ſcopulis, alias denſiſſimis ſyluarum inumbrari, has laetis luxuriare paſcuis, plurimas ſterili cuneo, ac multa imperuias arundine ſqualere aſpicias. Paucae inter has dum commodiſſimo in modicos colles aſſurgunt ſitu, imperare caeteris illarumque aequiſſimo iure reginae eſſe videntur, in ſatis amplas porrectae planities, nec ſaxis aſperae, nec illuuiem metuentes, quanticunque capaces populi, vicinum, lacus Ilmani, rectius maris Euxini oſtium dixeris, deſpectant ſinum, ea locorum a naturali ſitu firmitate, vt paucis propugnantibus, nulla humana vi ſint expugnabiles, ea vndarum commoditate, vt totius orbis nauigia ſecuriſſima complecti poſſint ſtatione, eo demum naturae beneficio, vt nec famem, quae omnium quidquid ſub ſole firmum eſt, validiſſima eſt expugnatrix, adeo metuant, affluente a propinquo mari incredibili piſcium copia, quae dum ad illam dul-

Boryſthenis deſcriptio.

8) Vladislaus IV, felix ille Poloniae rex, de quo auctor quaedam infra memorat, diem obiit d. 20 Maji A. 1648, anno aetatis 53, imperii 16, nullis liberis relictis.

dulcium aquarum ingentem vim confertim admiranda properat multitudine, inter illos in- 1648
numeros inſularum euripos, capturam praebet toto terrarum orbe aeque facillimam ac copioſiſſimam. Sed quod rei caput eſt, cum per illud maris oſtium, Ilmanum nuncupatum, ſecuriſſimo nec minus commodo in ipſum Euxinum deſcenderis curſu, adeo prona et compendioſa in penetralia Turcici imperii, ipſamque vrbem Conſtantinopolim eſt nauigatio, vt ei fauentibus velis, vel remigum auxilio pauci admodum dies ſufficiant, nullis curſum intercipientibus inſularum, vel moleſtis promontoriorum obicibus, ſed aperto ac liberrimo mari, vnico a ſeptentrione ventorum flatu, in ipſam ferente Propontidem.

Stante Graecorum imperio, ſaepius hinc Ruſſorum populos claſsibus modicorum nauigiorum quinquaginta circiter virorum capacium, quales etiam nunc Coſacis conſtruere mos eſt, illas oras infeſtaſſe legimus. Redactis poſthac ſub Polonorum imperium Ruſsicis aliis prouinciis, Poloniae regem Boleslaum, Imperatori Graeco, Turcorum armis conflictato, ea ipſa nauigatione, auxilia magnamque commeatus vim ſubmiſiſſe Poloni annales prodiderunt. Ingruentibus poſthac in illam viciniam feralibus Tartarorum cohortibus, atque omnia longe lateque peſſundantibus, illa loca deſerta iacuere. Polonis non multum de poſſeſsione littorum maris ſollicitis, Tartaris etiam ſuo genio campeſtria ſectantibus, donec, cum illi nullum in penitioribus Ruſsiae praedandi finem facerent, aſsiduiſque incurſionibus miſeram gentem diuexarent, ex plebe Ruſsica incolarum aliqui, omni ſpoliati fortuna, nec vſquam tuto conſiſtentes, extrema inopia ac aſsiduo hoſtium conſpectu audentiores facti, cum praedandi vicisſim coiuiſſent ſocietatem, egregio auſu illa, de quibus agimus, inſedere loca, fabricatiſque ſubito opere nauiculis, qua piſcando, qua ex vicinis itidem praedas agendo Tartaris, vitam tolerare, mox rem etiam augere coeperunt, illa locorum opportunitate, atque lemborum beneficio, dum quo volunt ad praedas improuiſi aduolant ac reuolant, in ſuis luſtris tutiſsimi arridente ſucceſſu, non deficientibus ſociis, quorum aucti numero, dum iam tegi latibulis nec poſſunt nec volunt, ex caſibus creſcente audacia, locorumque agnita firmitate, praecipuam deligunt inſulam, ac ipſo firmiſſimam ſitu, additis operibus faciunt inexpugnabilem, iamque latrocinio in militiam conuerſo, bellorum illis arcem futuram. Tunc militares inter ſe dicere leges, munia belli partiri, ducem ſibi legere, omniaque ſecundum formam iuſti componere exercitus, quo freti vltro iam captatis occaſionibus excurrere in hoſticum, populari mapalia, ferro flamma itidem ſaeuire, ſed maxime redeuntes ex populatione Tartaros, circum fluuiorum praeſertim traiectus inuadere, ac ſaepiſsime magna ſpoliorum parte exuere, neque hoc contenti, ſed antiquorum Ruſſorum exemplo ſtruere claſſem exorſi, atque tentare maria auſi, cum ingenti praeda ditati inter ſuos populares comparuiſſent, exemplo plurimis fuere, eandem licentioſae militiae, qui ex nunc Coſacos ſe dici volebant, amplecti fortunam.

Coſacorum prima initia et origo militiae.

Repreſſo aliquantiſper tanta ratione impetu Tartarorum, ea potiſsimum Ruſsiae parte, quae Boryſtheni vicina eſt, multum Ruſsiae nobilitate fauente hominum coeptis, atque hac rerum occaſione, rurſum ſuas in illis locis, quae ad vaſtas iam recederant ſolitudines, reſtaurante fortunas, potentioribus praeſertim nouas illuc hominum deducentibus colonias, quas cum maxime Coſacorum illa impleret colluuies, ſuamque quaſi ſeorſiuam rempublicam ſparſim per illas Ruſsiae prouincias haberet, in tantum breui tempore aucti ſunt, vt cuiuis hoſtium formidabiles euaſerint. Maxime vero hominum enituit audacia, cum maritimis ineſcati ſpoliis non iam furtiuam exercere piraticam, ſed aliquot centenis lemborum comparatis, iuſta propemodum claſſe, omnia Euxini maris littora infeſtare, intercipere nauigia, vrbes diripere, inceptarent, eo ſaepius deducta re, vt dum vicina Conſtantinopoleos oppida eorum gemunt caedibus, colluceat incendiis, ille tam formidandus toti orbi tyrannus, a conſternata vrbe hoſtiles ignes aſpicere cogeretur, Turcica claſſe tanto ingenti nauigiorum ſubnixa numero, tanto bellico inſtructa apparatu, nunquam valente illorum repreſsiſſe aut caſtigaſſe ferociam, ſemper nimia locorum fortitudine in ſuo tuti Boryſthene, ſemper eximia opportunitate ad inferendas clades expediti. Quae cum ita ſint, profecto rem non ſine multiplici numinis prouidentia ſe habere agnoſcendum eſt, cum horum locorum, ſitus et omnigenae commoditatis intuitu, eam eſſe naturam voluerit, vt de induſtria facta eſſe videatur, ad refraenandam immenſam illam et tot regnis formidandam ottomanorum potentiam, cum in ipſis hoſtium haereant praecordiis, nullaque chriſtianorum principum cura conſeruantur, admirando ſuo conſilio, fecem populi, vagam hominum colluuiem ad ea tutanda deſtinauerit loca. Vnde ſi reges aliquando Poloniae, aliique principes, conuerſi in melius, fatorum malignitate ſapere voluerint, tutiſsime, nec minus facillime haec oppugnari

1648 barbaries atque lethali vulnere concidere posset 9). Consultius profecto et ipsa tunc Polona feciſſet reſpublica, ſi populos illos praeda toties ineſcatos, continuis extra occupaſſet bellis, expoſuiſſet periculis. Ita enim factum fuiſſet, vt Coſaci nunquam proritaſſent Polonos, quorum imperium agnoſcebant. Hoc vnicum arcanum contra Coſacos fuit, populos alioquin bellicoſiſſimos, haec vnica occulta vis, retinendi in obſequio et amore pronos ad rebellionem Ruſſos, et ſi caſus daretur nihil non auſuros. Docebat et ipſa experientia, non poſſe Coſacos bellicoſos torpere ac in otio viuere. Quotieſcunque enim aut combuſtis nauiculis, aut oppoſito exercitu prohibebantur a ducibus Poloniae tentare mare nigrum, toties dicto citius vlturi iniuriam, conſcripto in momento formidabili exercitu, Polonas adoriebantur vires, donec extructo magnis reipublicae impenſis Cudacenſi fortalitio, deletoque paulo poſt terno illorum potentiſſimo ſed rebelli exercitu, quieſcere ad tempus coacti ſunt, ſemper attamen infenſi Polonis propter ademptam praedandi licentiam. Erexit altius illorum offenſos in Polonos animos mandatum Vladislai regis, quo iubebantur paratis ſexcentis nauigiis Euxinum tentare mare, rectaque petere ipſam Conſtantinopolim, dum interim rex potentiſſimo ſtipatus exercitu terra properaret ad euertendam Ottomanorum monarchiam, quae toti orbi ſeruitutem minabatur, dum Venetam inuaderet rempublicam. Sed haec omnia contradicente Polona nobilitate, nullum alium habuere exitum, quam vt, facta ingenti acceſſione virium, augere noſtrum dedignati imperium, iuuare absque proprio ſanguinis diſpendio ſocios et amicos, ac de orbe chriſtiano optime meritos, noluerint Venetos, quin potius turpi, nec minus exitioſo quam aeternum pudendo conſilio, in proprium verterent iugulum Coſacos, aduerſarum rerum fideliſſimos ſemper contra quoſuis hoſtes milites, et quibus, ſi leue numeraueris ſtipendium fideliores non inuenies, praeſertim contra barbaros Ottomanos. Haec igitur arma, quae barbarorum cruori dedicata fuere, volentes experti tunc ſunt Poloni. Hinc enim mala vndequaque confluentia, hinc bellorum ciuilium protaſis, hinc prima mali labes, haec cauſa ſequentium malorum, et, vt propius radicem attingam, profunda Poloniae pax luxuriam pepererat, quam ſuperbia, contemptuſque numinis diuini excepit, his acceſſit ambitio, et inuidia procerum per magna auorum atauorumque trophaea pro nobilitate ſcilicet ſua magnos ſpiritus gerentium. Haec vitia perdidere rempublicam, et ſuper omnia diuina prouidentia, quae, vbi ſcelera noſtra vlciſci, fortunamque mutare conſtituit, prudentiam adimit, ac conſilia corrumpit. Eodem ferme fato Romana libertas, pari quoque ratione Carthaginis quondam cecidit maieſtas 10).

Chmielnicius irritatus a Koniecpolio Origo litis et malorum.

Accidit tunc et caſus mirabilis in priuati BOGUSLAI CHMIELNICII capite, qui diſpoſitam et ad rebellionem pronam tanto magis accendit Ruſſorum multitudinem. Praedium is habebat haud procul cherinio, quod vehementer Czaplinius, Koniecpolſcii miles et famulus ambigebat ab hero, acrius accuſato apud dominum Chmielnicio quaſi rebelli. Citatus a Koniecpolſcio Chmielnicius comparuit tradituſque vinculis diu haeſit in carcere, donec SOBIESCII Palatini Ruſſiae, aliorumque magnatum liberaretur intercesſione. Familiaris enim hic magnatibus fuit, ipſique VLADISLAO regi optime notus, ſcilicet cuius opera inſtante Ioanne TIEPOLI, legato Veneto, maritimam illam Coſacorum claſſem educere meditabatur VLADISLAVS, et eduxiſſet procul dubio, ſi tunc per ipſos licuiſſet Polonos. Ita eſt, bene coeptis aliquando male obſtare. Liberatus e vinculis Chmielnicius, iniuriaeque acceptae a Czapli-

9) De mortuis nil niſi bene, vt aiunt, dicendum, me autem, editorem Rudauſcii, reprehendet prudentum forte nemo, ſi male feram, eum dixiſſe, *ſi reges aliquando Poloniae conuerſi in melius fatorum malignitate ſapere voluerint*, quaſi homo vmbraticus melius regnandi conſilia, quam Poloniae reges, intellexerit. Ipſe etiam auctor contradicere ſibi videtur. Credidit enim Coſacos oppoſitum Chriſtianorum propugnaculum. Ineptum igitur fuiſſet, ſae potuiſſe fieri, ſi lethali vulnere a Polonis inflicto concidiſſet. Vmbratici homines ſaepiſſime in muſeo, nullo rerum vſu ſabacti, melius quam principes, quorum arcana conſilia neutiquam capiunt, ſapere ſibi videntur, et inde tantos vera eruditione indignos ſpiritus capiunt, vt reges nimis petulanter vituperare non dubitent.

10) Multi iam eodem fere verborum tenore interitum reipublicae Polonae praeſagire non dubitarunt, ſed ii forte fuere, qui non recte vires Poloniae abſconditas, exterorumque regum rationes politicas Poloniam attinentes intellexerunt. Deo gratiae agendae, quod huc vſque homines iſti fatidici falſo ſpiritu adflati vaticinati fuerint, velitque Deus vt eorum oracula nunquam impleantur. Ex inuidia quidem procerum multa in rempublicam manant mala, ſed ſi de interitu reipublicae ageretur, certo prompta inter eos ſperanda concordia.

Czaplinio nimium memor minabatur eidem, iamque ſui minime ſecurus caſſidem pileo abſcondebat, loricamque veſte ſuperinduta mentiebatur. Cum ecce quadam die inſperate ambo congrediuntur, priorque Czaplinius nudo aduolat ferro vultu minaci, quod Chmielnicii ſatis caſſide tecto allidit capiti, eluſo in hunc modum Chmielnicius ictu, vertit et ille in Czaplinium habenas, Czapliniique famulos, quos tres ſecum adduxerat, ſed illi fugam non pugnam animo voluentes victori euadunt Chmielnicio vna cum domino. Res relata Koniecpolſcio, qui inſtante Czaplinio, Chmielnicium, vt perduellem iterum in ius vocat ad ſuum tribunal, addit minas ni comparuerit. Aſt Chmielnicius edoctus de peſſimo Koniecpolſcii in ſe affectu, ac certiſſima, ſi comparuiſſet, nece, recta Crimum in Tartariam abiit, ibique ISLAN GEREI, magni Crimenſium Chani aduolutus pedibus miſericordiam orabat, et vt ſibi afflicto, totique Ruſſiae populo ſuccurreret, precabatur. Gratiſſima fuit Chano Chmielnicii in Koniecpolſcium quaerela, qui ſuperiori anno praedas agebat in Tartaria. Redux itaque in Ruſſiam cum certiſſima auxiliariorum ſpe, Chmielnicius auctor fuit Ruſſis, vt de libertate cogitarent. Igitur ſigno dato trecentis primum mox ſexcentis auctus piſcatoribus, diu veſanis mentibus agitatum contra Polonos rebellionis ſcelus, tandem ſecundo tempore, ab vltima illa ſeptemtrionis erupit ſpecula. Accendit vehementius furentis Chmielnicii paternum pectus fuſtibus crudeliſſime per eos dies, iuſſu Koniecpolſcii, poſt virgarum verbera, occiſus filius, parentis innocens victima, quam ferociae ſuae immolarat Czaplinius. Itaque non amplius gemitum tenens Chmielnicius ſollicitato libertatis ſpe populo Ruſſiae, ſpecieque religionis, cuius ſumma apud illum populum ratio ducitur, totam illam ad Boryſthenem oram ſuo exemplo commouit, nec cunctanter ad primos rebelles ab vrbibus caeteriſque Ruſſis deſcitum eſt. Aderat ipſe, toties ſeditionis fax, vmbraticuſque principio, mox iuſti exercitus dux Boguslaus Chmielnicki, exiguo oppido, vt creditum, in Ruſſia natus, in ſeditionem procliues animabat, in ſumma, ſaeuitia quaſi virtute vtebatur. Nam quid atrocius vno eius edicto, cum omnes, qui in Ruſſia forent Polonae gentis homines, ſummo ſcelere per ſummum nefas interfici iuſſit. Tum quidem domus nobilium, templa et arae, humana omnia atque diuina iura violata ſunt, atque hic terror vlteriorem ei aperiebat regionem. Caeterum is breui mangonum et laniſtarum dux, nouuſque Tamerlanus ſuorum Coſacorum ac gregariorum fauorem nactus, ad praecipua oppida Ruſſiae, non vno praetextu diuertit, magiſtratus hilariores monens, ne publicam libertatem religioniſque curam finerent prodi, peſſimis nobilium conſiliis, infeſtari Ruſſiam, meminiſſent ſe rege ſub vno, non ſub multorum tyrannide eſſe, plura his addita, quibus in miſericordiam Ruſſorum flectere animos, aut in metum. Cum his verbis incitatos videbat, quaſi familiarius agens, imperfectum aliquid inter ſuſpiria vel publice vel praecipuis in aurem loquebatur, vt pia ſollicitudine plura promittere videretur, quam quae auderet euulgare. Pergrate accipitur nuntius, auditaque communi omnium applauſu tuba, bellicum canens. Grates habitae Chmielnicio ex ſuſcepta cauſae protectione acclamatumque eſt vniuerſa in Ruſſia, Chmielnicium patriae patrem, religionis Graecoſchiſmaticae reſtauratorem, priſtinaeque libertatis eſſe aſſertorem. Tali ratione in apertum bellum rebellio ebulliit. Sic viro in omnes fraudes expedito dolus. Sic hamus ad capiendum populum. Sic cura triſti omnem nobilitatem exoſi ſunt publicae pacis turbatores Ruſſi, ſecuti canentem ſirenem Chmielnicium. In hunc modum animis iam armiſque paratos monet propediem ad vexillum et auxilium Ruſſorum adfuturos Tartaros, quos ille iam antea velut ad paratas epulas in Ruſſiam euocabat, cui prouinciae iam dudum, vt dixi, inhiabant Tartari. Oſtendebat e longinquo terram promiſſam et promittebat praedam fore victoribus. Haec tanta promiſſa, hae oblatae vires, haec verborum lenocinia, pronum iam ante totum in bellum rapuere Ruſſiae populum. Ita qua parte Circaſſiam deſertaque loca Polonia ſpectat exorta eſt ſeditio, vindicauitque ſe in libertatem gens fiſa loco, quae ſyluis circumaſperis Ponto Euxino tenui duntaxat freno, deſertiſque locis parte ab altera clauditur.

1648 Czaplinius Chmielnicii inſidiatur vitae.

Chmielnicius ſupplex in Tartariam abit.

Chmielnicius primus rebellis.

Chmielnicii filius fuſtibus caeditur et occiditur.

Chmielnicii edictum.

LIBRI I. CAPVT III

SYNOPSIS

Prima rebellium confoederatio circa Boryſthenem. Caeſus deinde ad aquas flauas Polonorum exercitus. Capti Saphieia, Czarnecius, Schembergius. Ipſe Potocius occumbit. Recenſetur ſecunda ad Corſunium pugna, vbi ambo capti fuerunt duces Poloni, vna cum Sieniauio et Odrzyuolſcio. Hinc rebellium animus audax et felix omen. Chmielnicius literis excuſat factum.

1648 Iam coaluerat ex fece vulgi, mangonibus et lixis Tartariſque Budziacenſibus adiunctis, non ante vnquam fortior in Polonam rempublicam factio, iam ſollicitatae vrbes, deſcripti milites, alto interea ſomno ſoporantibus Polonis, paene ſub ſignis erant, cum ecce prima ara, viris, locus Zaporchi dictus, ipſa natura munitiſſimus, circa fortunatas Boryſthenis vndas, placuit, vbi omnia vltra citraque, quidquid Polonum reperiebatur ferro et igne impune vaſtabant Coſaci, iamque morae impatiens Chmielnicki inſtantibus mangonibus ad aquas flauas, Polonorum certe ſanguine diſcolores, velut olim ad aquas ſextias fatales Theutonis, animoſe progreditur. Venienti obuius cum lecta veteranorum manu, Polonarumque legionum nucleo occurrit STEPHANVS de Potok POTOCKI ſupremi exercitus ducis filius, dura ſtatim belli expertus rudimenta, nec ſemper fortunam iuuenibus amicam. Militum Polonorum numerus, duce Stephano Czarnecki, non excedebat millia, duo vero Polonorum, tria Coſacorum ſub regimine Stanislai Schembergii commiſſarii erant, ſuffeciſſetque procul dubio audaci tironi tantilla ſuorum manus contra furioſum primum laniſtarum impetum, niſi dolo ſuperuenta fuiſſet neſcia fraudis Polona virtus. Suorum itaque fiſus millibus quinque ferebatur animoſe in hoſtem, iuuenta, nondum ſex ſupra viginti annos, attingente Potocius, neque mora primae laudi inhiantem iuuenem inter paluſtria barbari aggrediuntur loca, quibus dum ſtrenue reſiſtunt a fronte Poloni, ecce parte ab altera Punica fraude circumuenti a tergo, lecta ſcilicet ſuorum Coſacorum manu adoriuntur. Diuerſa hic omnium, quae vnquam accidere potuit, ciuilium armorum facies erat. Non praelio, nec aduerſis e caſtris, ſed iisdem e cubilibus, quos ſimul quieſcens dies, ſimul quietos nox vna habuerat, diſcedunt in partes, ingerunt a tergo tela, clamor, vulnera, caedes, ſanguis palam. Ita tunc bifariam exigua Polonorum diuiſa manus, inuictaque alias Potocii virtus fraude ſuccubuit. Militum pars ſacrilego deperit ferro, pars Tauricanos ſequi iuſſa Scythas. Ipſe Potocki Achillis aetate cadit ex vulnere. In hunc modum gladiatorio ſanguine illuſtri iuueni parentatum eſt, ita in caſſes inciderat fera. Haec tota clades parentis errori imputata eſt, qui praeuidere Chmielnicii incrementum debuiſſet, ſi Coſaci, quorum ſemper fluxa extitit fides, Chmielnicii, vt factum, ſequerentur ſigna. Satius feciſſet, et cum maiori prudentiae fama, ſi cautius proceſsiſſet, non nimium fidendo illis, quorum fides nulla eſt. Reges vero principesque vel hinc diſcant, nullius hoſtis tam exiguas vires eſſe, vt contemni debeant, habet et muſca ſplenem et formicae ſua bilis ineſt.

Prima confoederatio rebellium circa Boryſthenem d. 20 Martii

Caeſus ad aquas flauas Polonus exercitus.

Potocius occumbit d. 15 Aprilis.

capti Sapieha, Czarnecius, Schembergius.

Ab aquis flauis propius abeſt Corſunium Ruſſiae ſatis nobilis locus. Hic ſecunda bellonae procella deſaeuit, ipſo iam NICOLAO POTOCKI, cui ſaepe audacia in gloriam ceſſerat, MARTINOQVE KALINOVIO, Palatino Czernichouienſi, ducibus. Horum alter ſupremus exercituum, alter campeſtris dux, manus cum rebellibus conſerturi properabant Coſacis. His aderat ADAMVS HIERONYMVS comes de Granowo et Sklow SIENIAWSKI, vnus ex praecipuis Ruſſiae dynaſtis, ea expeditione voluntarius, caſtra metatoris paulo poſt functus officio. Chmielnicius audito magnis itineribus properare Potocium natura pugnae auidum, nihil haeret, eodem in loco caſtra ponit, ſatis fiſus loco, rareſcentibus ad primum diluculum vmbris, in aperto peti Polonos conſtituit Chmielnicius, at Potocius rariore Polono ſtipatus milite, negat hoſti campum, a duce WISNIOWIECIO promiſſa expectaturus ſubſidia, ita vsque in diem tertium dilata clades, quae Polonis tunc imminebat ceruicibus. Tertia luce haerenti dubioque Potocio quid facto opus, placuit cum toto exercitu paulatim retrogredi, non auſo ſigna cum hoſte conferre decretoria pugna. Retrogredienti, ſignis expanſis tympanisque

Secunda pugna ad Corſunium.

que pulſantibus, militari greſſu, exercitui via a Tartaris Coſacisque intercluditur, tigna et arbores circumplicant barbari, qua tranſitus erat Polonis: Milites Tartaros Coſacosque promiſcue pugnaturos per loca diſtribuit Chmielnicius. Polonis vltro progredi nitentibus iniqua omnia, per oppoſitos aggeres imperuia in plano via. Ita ad extremum, quod nemo ſe viſurum vnquam putauiſſet, Polonos, huc vsque ſemper victores [11]), et quod in bello praecipuum, veteranum militem, lectas legiones, quae praedam tot ſubditorum vehebant, quatuor equitum leuioris armaturae millia, duo cataphractorum, dico item peditum, vna cum ducibus ſuis, profligarunt Coſaci, victoriaque potita eſt gens, belli, vt creditum a Polonis, rudis, colendisque agris aſſueta antea magis quam armis: Quanquam et ipſe locus multum Chmielnicium iuuit ad victoriam, ſiquidem in mediam camporum vaſtitatem, vbi aquae nihil, lignorum et pabuli penitus nihil erat, iisdem ducibus ductus Polonorum exercitus hoſti vndique expoſitus fuit. Hunc ſine mora circumfuſi fregerunt Coſaci, iunctis viribus animisque cum Tartaris Budziacenſibus, et eorum duce Thohaibeio, quem Tartarorum rex Chmielnicio ſubmiſerat, commendaueratque, vt magni exercitus ducem, vt egregium bellatorem. Ita in modum grandinis atque nimborum denſa Tartarorum tela Polonos fuderunt, eoque modo turbatae cohortes miſerabili ſtrage deletae ſunt ſeptimo calend. Iunii, tertia ab oppugnatione caſtrorum luce, Polonis infelicisſima, iniqua certe numero, pugna, iniqua et loco. Caeterum conſulto ne an per errorem Potocius aridum inſederit locum multi dubitauere, ego tantum ducem conſulto egiſſe non mihi perſuadeo. Videbatur quidem circumſpectisſimus imperator et nullius artis bellicae rudis. Circumſtantiis omnibus accurate perpenſis, vix aliter meliusque reipublicae tunc conſulere potuiſſe, quam ſi ſtatim congrederetur cum hoſte, auitam maiorum obſeruans conſuetudinem. Hinc in apertum deſcenderat campum, quanquam prudentius feciſſet, ſi Coſacos ſolo tranſitu tunc prohibere contentus fuiſſet, donec interea expectata Wisniowiecii veniſſent ſubſidia. Reliquiae exercitus, quo quemque rapuit fuga, primo in proximos ſaltus, mox in Valachiam, Moldauiam, Bulgariamque diſtractae, vix nuntium tantae cladis retulerunt. Duces exercituum vna cum comite SIENIAVIO, aliisque regni proceribus multisque nobilibus in foedam Tartari ex compacto arctamque abduxerunt captiuitatem: Optimus reuera cicurandae Polonae in ſubditos ferocitatis modus, arcta Tartarorum ſequuta cuſtodia. Manſueſcit in vinculis apud hoſtem, quisquis liber, ferus et indomitus fuerat in ſubditos. Itaque hi exuti caſtris, caeteri autem fugati. Actum tunc procul dubio de Polona republica ſimul et libertate fuiſſet, niſi IEREMIAS MICHAEL KORYBVT dux in WISNIOWIECZ, terrarum Ruſſiae palatinus, alter Romanorum Marius, Polonae tunc contigiſſet reipublicae; ille auſus eſt cum rebellibus congredi ſtatim, militem ſex millium proprio allectum ſtipendio tenere in caſtris, ſed hoc imminentis mali leue fuit ſolatium, arduа ſiquidem res eſt, homini priuato ex penu ſuo diu ſuſtinere bellum. Coſaci itaque recentibus elati victoriis non ſegnius quam minati fuerunt, tripartito agmine, mira velocitate, occupatis itinerum compendiis, magna ſui parte fortunatas illas ad Boryſthenem Ruſſiae terras vno velut diluuio occuparunt. Magnum ducatum Lituaniae intrarunt, duce quodam nebulone Semiluna appellato. Alii Podoliam vaſtabant Poloniae prouinciam, ſceleratorum ſceleratiſſimo anteſignano dicto Krzywonos. Ipſe autem Chmielnicki, occupatis interea deditione ſine numero haud contemnendis Ruſſiae oppidis, ad album Ianum, vrbem Ruſſiae celebrem [12]), caſtra metatus eſt. Hac tam foeda clade exercitus Poloni accepta fama Ruſſi, altius ſuos erexerunt animos, ouanteſque hunc nuntium acceperunt. Vt propior itaque illis affulſit occaſio, non dubitauerunt vna cum caeteris in apertas erumpere ſeditiones. Vltro quidem inuitante Chmielnicki, qui miſſis aliquot Aſſauol, tribunos militum vocant, ſollicitauit ad apertam rebellionem Ruſſorum animos, illos nempe, quos nondum ad aperta adhuc eduxerat facinora, facileque perſuaſit, quod Lucanus ait, *quidquid multi peccant, inultum eſt.* In hunc modum inſtitutis ſuorum conſiliis Chmielnicki, defenſionis induta lorica, primaque belli mole obruta Polonia, in aulam delectos, et ad regem, cauſam iuſti, vt aſſerebat, belli, relaturos dimittit, addita eisdem ad Adamum de BRVSILOW KISIEL, palatinum tunc Braclauien-

1648

Caeſus iterum Polonorum exercitus. d. 26 Maji.

Semiluna Lituaniam, Krzywonos Podoliam deuaſtat.

Chmielnicii ad Kiſielium literae.

11) Neſcio qua ratione auctor dicere potuit: *Polonos huc vsque ſemper victores*, nonne ſupra nunc narrauit, Polonorum exercitum ad aquas flauas a Chmielnicio caeſum fuiſſe? Haud caſta forte librarii manus verbum *ſemper* adiecit, qui non ab honeſtate remotum putauit, in gentis ſuae gloriam mentiri.

12) a Ruſſis appellatur Bialacierkiew.

1648 clauiensem secretiori epistola, qua vehementissime conquaerebatur pro veteri sua cum eo consuetudine nobilium Polonorum effraenatam in subditos Cosacosque licentiam, ac dictu incredibilem eorundem tyrannidem, tantorum motuum subsequutaeque cladis causam fuisse. Addebat propriam quoque sibi, non ita pridem illatam iniuriam a Czaplinio, famulo Alexandri Koniecpolscii, supremi regni vexilliferi, defuncti exercituum generalis filii. Occisum clamitabat filium, vitae suae insidiatorem asserebat Czaplinium, erepta conquaerebatur bona, tandem precabatur, fauere vellet partibus afflictorum apud serenissimam maiestatem, totamque rempublicam, cum difficile sit viuere cum illis, qui modum nesciunt in imperio.

LIBRI I. CAPVT IV

SYNOPSIS

Regis Vladislai mors, quam comitata sunt prodigia. Eiusdem posthuma laus. Polonorum ex obitu regis moestitia. Varsauiae a primate regni indicitur conuocatio, cui adfuere variorum principum legati. Recensentur deinde totius conuocationis interregni acta. Cosacorum legatio et querelae. Polonorum responsum.

Mors Vladislai IV d. 20 Maji

Medio itaque Iulio Chmielnicii legati Varsauiam perueniunt, in itinere iam de regis certiores obitu, quippe qui XIII calend. Iunii Meritii in magno ducatu Lituaniae febri correptus maligna dirisque calculi tormentis paulatim consumptus iam antea, nonotandem, critico scilicet die in galli cantu iura mortalitatis exsoluerat, et ex caduco hoc ad beatorum procul dubio, omnibus munitus sacramentis, condito insuper testamento, regeque Sueciae Ioanne Casimiro Poloniae principe fratre suo nominato euolauit sedes, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, regnorum Poloniae decimo sexto, Sueciae decimo septimo anno. Mortem eius insperatam clara coelo terraque signa comitata sunt. Paulo enim postquam aegrotare coepit, visus est in coelo Varsauiensi cometes, initio non admodum illustris, sed qui subcrescente morbo per eadem incrementa lucem intenderet, donec verso in Sigismundi III a Vladislao erectum Colossum ferali crine, qua hora Vladislaus viuere, ille videri desiit. Nec illud admiratione caruit, visos tunc fuisse in aere duos equites secum decertantes, vnum hastatum, velitem alterum, fistulam ferream igniuomam oblongam gestantem, manifesti cruentique belli, manifestare vera cruentaque prodigia[13]). Corpus regis quarto ab obitu die loculo inclusum honorifice Meritio Varsauiam delatum est, comitantibus illud STANISLAO de Buzenin PSTROKONSKI episcopo chelmense, administratore abbatiae Tinecensis, altero Casimiro LEONE SAPIEHA, magni ducatus Lituaniae procancellario, Slominensi, Wolminensi, Luboszanensi capitaneo, vidua moesta operiente regina, quae tunc miris conflictata morbis Vilna Varsauiam recte redierat. Iuere deinde in occursum ferali pompa senatores, exceptumque perhonorifice cadauer in principe basilica, diuo Ioanni baptistae sacra, deposuerunt.

Vladislai laus posthuma.

Atque ita supremum diem impleuit Vladislaus a rebus feliciter gestis cognomento magnus. Decem illi bella pro patria atrocissima cum hostibus Poloniae fuerunt, quinque tantum triumphi. Basilium Szuiscium magnum Moschouiae ducem, vna cum Ioanne et Demetrio fratribus bellique duce incensore Sehino quis crederet ad incitas redactos? Patris Sigismundi III auspiciis vix primam aetatem egressus vicerat paene puer, victorique praemium, post captum vinctumque Szuiscium, et in triumpho Varsauiae ductum, vniuersa

13) Sacra me impedit christianum scriptura, vt omnia plane reiiciam prodigia, neque facultas nunc suppetit inquirendi, an eo tempore cometa in coelis apparuerit. Hoc certum esse videtur, vniuersi conditorem, ob vnius hominis licet regis mortem non mutare velle naturae, quas semel constituit sapientissime leges. Valde cauti in venditandis nostris temporibus prodigiis esse debemus, ni physicorum derisioni nos exponere velimus.

uersa cessit Moschouia, quippe ab ipsis Moschouiae proceribus ac populis in magnum ducem Moschouiae, Astrachanensem et Casanensem regem caeterarumque prouinciarum legitimum dominum, victor Vladislaus electus et pronuntiatus fuit. Sic molestum diuturnumque in Moschouia absoluerat bellum, et quid praemium videbatur, gradus fuit ad noui decoris auctoramentum [14]). Actum id sub annum domini millesimum sexcentesimum decimum. Non multo post potentem ac sexcentis hominum millibus superbum Osmanum Asiae tyrannum immanissimum, vniuersae Europae seruitutem minitantem, in ipso limine Poloniae, virtute ac felicitate sua oppressit, et ad pacem petendam coegit. Gesta haec anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo. VLADISLAO autem summi loco triumphi GREGORIVS sanctissimus eius nominis *decimus quintus* festum Polonis diem celebrare iussit. Tertium bellum feliciter cum rebellibus Suecis in Borussia victor gessit Vladislaus, paterno tandem iussu tantillum in Suecos arma suspendit, donec vel illi desiperent, vel iste sui iuris efficeretur imperator. Romam inde profectus Roma *magni*, viuente patre, attulit titulum, nec multo post, fatis functo Sigismundo III, liberis ordinum vtriusque gentis electus suffragiis in regem Poloniae inauguratur Cracouiae. Peracta coronatione statim castra moueri imperat, Moschouiamque ingreditur armata manu, itur per glaciem et niues, per rupes et aggeres oppositos, per angusta vallium, donec obsessum Smolensum teneret exercitus. Est autem Smolensum vrbs Moschis et Polonis contermina ad Borysthenem, natura pariter et arte munitissima, quodque claritudinem addit, turribus et vastissima arce famosa. Hanc anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo tertio Michael Federowicz, illegitimus Moschouiae dux oblata a Polonis pace spreta ruptis quatuordecim annorum induciis exercitu Moschouitico circumuallauerat, exoticisque artibus expugnare nitebatur scutum imperii Poloni, sed frustra. Cecidit in irritum totus quantus fuerat septem annorum apparatus, attrita Moschorum potentia, in nihilum tot nationum redactus exercitus, supplici ad pedes Federowicz miseretur Vladislaus, regum principumque volubilem altius considerans fortunam. Accidit haec Moschorum clades circa annum millesimum sexcentesimum trigesimum quartum. Eodem anno territus sola armorum ostentatione AMVRATHES, qui OSMANI patris ibat vltum iniurias, incensore quodam ABASSI Bassa nuncupato. Liberata tandem a diuturna Suecorum tyrannide Borussia, pulsus regnorum famelicus Gustauus Adolphus, Suecorum rebellis rex trans Albim et Salam fluuios, eoque modo restituta est Borussia diuitiis, amplitudini, fertilitati, commerciis, qualia et quanta fuerunt ante belli primordia. Septimum illi bellum cum rebellibus Cosacis pro patria fuit, de quibus simplici ouatione contentus, satis duxit inquiri in auctores scelerum, nec triumphare ex subditorum exhausto sanguine. Tria reliqua bella cum immanissimis Tartaris feliciter gessit, nec de iis vnquam triumphauit tanquam de praedonibus et publicis christianitatis latronibus. Magnum adhuc aliquid voluentem animo, medium inter arma, quibus tegi debuerat, decies victorem, quinquies triumphatorem, augustum Poloniae Regem, felicem Sarmatiae Monarcham, VLADISLAVM inquam magnum, insperata mors oppressit, ad cuius tunc tristem famam multi procerum Varsauiam metu et horrore perculsi confluxerant, aderat et ipse MATTHIAS LVBINSKI aetate grauis, quippe qui iam septuagesimum sextum excesserat annum, Archiepiscopus Gnesnensis, legatus natus, regni primas, ac primus princeps, cui soli tunc incumbit subire vices dirigendorum consiliorum extincto rege, ac expiatis sacris pro anima defuncti, cum senatoribus, qui in aula frequentes aderant, deliberatione instituta de prouidenda securitate interregni, publicari fecit, sub nominis sui titulo edictum, quo regis mortem, omnibus ordinibus regni denunciauit, eodemque edicto praefiniuerat diem, medium scilicet Iulium publico Varsauiae nobilium conuentui, *conuocationem ordinum* vocant, vbi de loco et die electionis noui regis designando deliberarent, ac prouiderent interim securitati publicae.

Vladislai mors publicatur nobilitati.

Varsauiae indicitur conuocationis dies

Iamque illuxerat conuocationis tempus, XVI scilicet Iulii dies, ad quam tota Europa lectissimi conuenerant regum principumque oratores, quos haud mora amplissimo regni

14) Moschi non aliam ob causam Vladislaum, illo tempore principem, magnum Moschouiae ducem eligerant, quam vt iratos Polonorum sibi placerent animos, simulque hac ratione pseudo Demetrii frangerent vires, ipsi autem interim, duobus inimicis antea vexati, se iterum recipe-rent, putantes, destructa prius pseudo Demetrii fortuna, se facilius deinde posse resistere Polonis, id quod etiam euentus comprobauit. Magis igitur fuit Moschorum stratagema, quam vt vera animorum intentione Vladislaum principem eligere voluerint.

1648 Poloniae ſenatui ſuo quemque ordine coram introductos, per vices et ſtata tempora excipere placuit. Redditae inprimis ſunt auguſtiſſimi FERDINANDI III Romanorum imperatoris, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiaeque regis ad rempublicam ſcriptae litterae, quarum haec eſt ſumma.

Variorum principum ad rempublicam Polonorum legati. Litterae Ferdinandi III Romanorum caeſaris.

Ferdinandus tertius Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, reliqua.

„Luctuoſum de obitu ſereniſſimi quondam VLADISLAI regis veſtri, conſobrini Noſtri „et Fratris amantiſſimi, glorioſae memoriae nuntium fama iam ante ad Nos pertulerat, „quam Nobis veſtra octaua proxime elapſi menſis datae traderentur. Iamque adeo hono„rabilem Noſtrum et ſacri Romani imperii fidelem dilectum Franciſcum de Liſola, conſi„liarium Noſtrum reſidentem in Poloniam deſtinaueramus, inclyti illius regni et magni „ducatus Lituaniae ſtatibus et ordinibus, quam ex acerbo illo caſu dolorem concepiſſe„mus, ſimulque quo ſtudio conſeruandae ac propagandae bonae vicinitatis, amicitiae et „foederum hactenus tam ſancte et religioſe cultorum teneremur, explicaturum, prout ex „eodem coram vberius poteritis percipere. Interim autem huic a maioribus hauſto tra„ditoque et proprio affectu Noſtro confirmato, adauctoque ſtudio erga inclytum illud tam „coniunctum Nobis regnum, inhaerentes, id vnice vouemus, vt prudentia veſtra talis in „defuncti optimi quondam regis locum propediem eligatur ſucceſſor, ex cuius virtute „non minus Nos et chriſtianus orbis vniuerſus praeſidii, quam illud regnum capiat ſo„latii. Qui diuturnam regno veſtro tranquillitatem optamus, ſingulosque veſtrum bene„uolentia et gratia noſtra caeſarea complectimur. Datum in arce Noſtra Lincenſi, altera „die menſis Iulii Anno M DC XLVIII. Regnorum Noſtrorum Romani XII, Hunga„riae XIII, Bohemiae XXI anno.

Sequenti mane chriſtianiſſimi Galliarum et Nouarrae regis, Ludouici XIV extraordinarius ad rempublicam Polonam legatus, illuſtriſſimus vicecomes Darpaion, nomine ſui potentiſſimi Europae regis ita perorauit:

Galliae regis legati ad ſenatum oratio.

„Illuſtriſſime princeps ac primas regni, Reuerendiſſimi et illuſtriſſimi Senatores et ordi„nes ſereniſſimae reipublicae et magni ducatus Lituaniae, Domini et amici obſeruandiſ„ſimi!

„Ad aſpectum huius auguſtae coronae horreſcit animus, atque in ſermone pene „abducitur locum admirationi ceſſurus, re vera cum video, quae memorantur de antiqua „illa Roma, vbi tot reges quot ſenatores videbantur. Hinc illud mihi contemplandum „occurrit, quantum fuiſſe illum neceſſe ſit, quem tam auguſtus ſenatus pro capite habe„bat, et qualem illum, quem tam egregius et auguſtus ſenatorum et nobilium coetus in „regem elegerat, ipſique libentiſſime parebat. Deſiit tamen, proh dolor, viuere magnus „ille Vladislaus IV, digniſſimus rex Poloniae et Sueciae, infidelium terror, chriſtianae fi„dei propugnaculum, fidiſſimus Galliarum amicus, noſtrique ordinis ſplendidum futu„rus ornamentum. Hinc luctus vniuerſo equitum ordini ſuboritur, hunc Polonia, hunc „Gallia, hunc omnes chriſtianiſſimi deflent, ipſimet deflendi. Soli Tartari laetantur, et „ſoli emolumenta capiunt. Aequum eſſet igitur, vt, quotquot ſumus chriſtiani, com„muni ſimul impetu in eos irruamus. Mentem ſequor chriſtianiſſimarum maieſtatum, „quae iuſſerant, vt offerrem illi magno heroi omnem illorum opem, ſi forte tranquillita„tem huius regni Tartari perturbarent, nec propenſiſſimus chriſtianiſſimarum maieſtatum „animus, illos paſſus fuiſſet limites, niſi ſibi eosdem praeſcripſiſſent prudentiae ſereniſ„ſimae huius reipublicae intuitu, quam probe norant, illius magni monarchae, ad ar„dua quaeque ſuſcipienda promptiſſimi principis molimina moderari, cuius quidem mors „inopinata hunc mihi praeripuit honorem. Licuiſſet mihi cum ordine regis mei domini „tenerrimos ſuae beneuolentiae affectus exhibere, quos Excellentiſſimus dominus legatus „vicecomes de Bregii vna mecum offerimus excellentiſſimis et reuerendiſſimis dominatio„nibus veſtris, atque ita expreſſis ſereniſſimarum maieſtatum mandatis ſatisfacimus, et in„timato mihi proprio ore, deſiderio huius tanti miniſtri eminentiſſimi cardinalis Mazza„rini, ſub cuius ductu feliciter adeo res Gallicanae geruntur: qui, quantum noſtri gene„roſiſſimi principes armis, tantum ipſe conſilio effecit, vt Monarcha noſter et foederatis „amandus et in tenera licet aetate hoſtibus tremendus habeatur, certus non poſſe ſe me-

lius

„lius de Gallia mereri, quam ſi tam generoſiſſimae et bellicoſiſſimae genti Polonae in„ſeruiat.„ 1648

Poſtera luce ſereniſſimae Chriſtinae Suecorum reginae ad Senatum datae redduntur literae, quarum haec ſumma erat:

„Nos CHRISTINA, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignata re„gina et princeps haereditaria, magna princeps Finlandiae etc. Reuerendiſſimis etc.

Chriſtinae Sueciae reginae ad ſenatum literae.

„Ex nupero obitu fratris et conſanguinei noſtri chariſſimi, ſereniſſimi quondam regis „veſtri Vladislai IV, glorioſiſſimae memoriae, in partem moeſtitiae ac doloris venimus „vobiſcum, quod tam ſubito e viuis ereptus ſit princeps arctiſſimo ſanguinis nexu et ami„citia nobis iunctiſſimus, tempore tum reipublicae veſtrae, tum orbi chriſtiano admodum „periculoſo, vt ſi vnquam tanti regis viſa fuiſſet vita vtilis ac neceſſaria, nunc certe vel ma„xime foret exoptanda. Condolemus itaque omnibus iis quorum intereſt, et inprimis reipu„blicae veſtrae, de amiſſo amico, et de amiſſo rege ſuo, atque ex animo precamur Deum, vt pro „ſua diuina benignitate et ſapientia, hanc orbis chriſtiani et reipublicae veſtrae iacturam reſar„ciat, acceptum vulnus ſanet, ac vobis de bono, felice et pacis ſtudioſo rege prouidendo, ami„citiam noſtram vobiſcum reddat firmiorem ac ſolidiorem, in commodum et ſecuritatem re„gni noſtri ac reipublicae veſtrae, totiuſque chriſtiani orbis nunc ſciſſi et periclitantis. „Haec recte reputantes et ſimul ponderantes quae ex noui regis veſtri electione commoda „et incommoda in rem vtriuſque gentis Noſtrae et communem chriſtianam reſultare queant, „poſtquam ad nos relatum ſit, vos breui conuenturos pro eligendo et in locum defuncti „ſubſtituendo rege, non potuimus intermittere, quin literis hiſce noſtris dolorem noſtrum „ex defuncti obitu communem conteſtaremur, et ſimul explicaremus, quam ſimus ſollicitae, „vt is apud vos ſuccedat, qui conſeruandis nobiſcum pactis et fouenda, firmanda, atque „augenda amicitia anteceſſori ſuo non cedat, ſed iisdem inſiſtendo veſtigiis, illum longe „ſuperet atque antecedat. Haud equidem Nobis animus eſt, commiſceri rebus ac conſiliis „veſtris, certe nihil actum iri, niſi ex vſu reipublicae veſtrae, ac chriſtianae et amicorum, „tum ad firmitudinem et augmentum pactorum et amicitiae ſuae nobiſcum. Tamen cum „vtriuſque noſtrum intereſit, quo animo affectuque is ſit qui de nouo fuerit electus, id in „primis monere aequum iudicauimus, et vti ſperamus, vobis ſuffragantibus, licebit, vt „in eligendo nouo rege veſtro, oculi atque animi in eum potiſſimum reflectantur, qui pa„cta noſtra die ſecunda Septembris ſtilo veteri a 1635 inita atque concluſa firmiter ſeruet, „quae ab hiſce aliena emendet, quae firmam plenamque amicitiam impediunt aut remoran„tur, abſtineat et reſignet. Quo caſu et vos et rex veſter ſentietis Nos ad omne amicitiae „officiique genus, vobiſcum ſincere colendum, intra amicos et vicinos veſtros, facile primo „loco futuras. Haec vt diligenter moneamus et ſtudioſe poſtulemus, impellit Nos ſalus vtriuſ„que regni diuturno bellorum aeſtu haud parum afflicti et attriti, quae reſtitui ac conſer„uari, niſi moderatis et pacificis conſiliis non poteſt. Poſtquam igitur, qui ad reipublicae „veſtrae faſtigium adſpirare poterunt, facile primi inter caeteros futuri videntur nuperri„mi defuncti regis veſtri, fratris noſtri agnati et conſanguinei chariſſimi, ſereniſſimi prin„cipes CASIMIRUS et CAROLUS FERDINANDUS. Horum cauſam et deſideria vobis „quam diligentiſſime commendamus, tum quod propinqui ſanguinis coniunctio Nobis „ſpem ingerat, coniunctionis animi, tum quod ipſorum virtutes Nobis vel maxime ſunt „laudatae, ad quas vbi veſtra prudentia, monita, et auctoritas acceſſerit, haudquaquam du„bitare debere credimus, quin et res veſtrae feliciter ſint ſucceſſurae, et amicitia Noſtra vo„biſcum firma et ſtabilis futura, breui augenda et perpetuanda. Has literas Noſtras exhi„bebit vobis ſecretarius Noſter Nobis ſincere fidelis, Nobilis LAURENTIUS CANTHER„STHREN, et, ſi opus fuerit, vberius explicabit. Diuinum numen votis conceptis vene„ramur, vt conſilia vobis ſalutaria ſubminiſtret, eaque ſuccedere faciat in rem veſtram, „chriſtianam vniuerſam. Hiſce vos diuinae protectioni commendamus et felicia quaeque „comprecamur. Dabantur in arce Noſtra regia Stockolmenſi, die 7 Julii, Ao. MDCXLVIII.

Veſtra bona amica et vicina
Chriſtina.

1648 Tum demum Sereniſſimi FRIDERICI VILHELMI Marchionis Brandenburgici in faciem reipublicae admiſſus legatus IOANNES ab OVERBACH ita nomine ſui domini dixit:

Oratio legati Electoris Brandenburgici.

„Cum nemo ſit Veſtrum, Excellentiſſimi Illuſtriſſimique domini, quem latere poſſit, ſuae „ſerenitatis electoralis tales eſſe cum regia d..no ſanguinis cognationiſque nexus, eas cum „reuerendiſſimis et illuſtriſſimis celſitudinibus dominationibuſque veſtris, affinitatis amici„tiaeque neceſſitudines, tantamque cum republica ſtatus rationum coniunctionem, vt quiſ„que alterius proſpera aduerſaque ad ſe pertinere merito reputet, vel nobis ſilentibus re„uerendiſſimae et illuſtriſſimae celſitudines DD. veſtrae animis praeconcipiunt, quantum ex „praematuro ſereniſſimi potentiſſimique Vladislai IV inuicti pacificique regis veſtri exceſſu „conceptum ſua ſerenitas premat corde dolorem. Et dolet quidem impenſe ſua ſerenitas „ob amiſſum regem optimum, patremque indulgentiſſimum, qui nunquam ab hoſte niſi „victor rediit, nunquam ciuem a ſe niſi victus dimittere ſuſtinuit, non ſolum reuerendiſſi„marum, illuſtriſſimarum celſitudinum, dominationumque veſtrarum, Domuſque ſuae ele„ctoralis, verum et vniuerſae reipubliae chriſtianae iacturam. Nec enim tam benigni „ſideris vires vno orbe, neque tanti capitis influxus, vnico ſereniſſimae huius reipublicae „corpore contineri poterant, quin ſeſe longe lateque exercerent. Quanta autem amiſſa „haec noſtra ſint bona, haud fas eſſe nobis reputamus, poſt tot principum erterorum pu„blicique luctus indicia, renouando dolorem latius diducere, cum et a malis noſtris remo„tiores id abunde vel exinde percipiant, dum florentem ad inuidiam orbis Poloniam, ſub „rege Vladislao, cum moderno calamitoſo orbitatis reipublicae ſtatu componunt. Contra„cto itaque ſermone ſolam magnam Vladislai mentem exercentis huius reipublicae mole pa„rem aſſerere audemus, ſiquidem eo ſubducto et ad ſuperos relato inclinari contrahique „ſummopere reipublicae corpus vidimus. Indulgendum hic eſſet dolori, niſi aliae quam „priuatorum publici luctus eſſent rationes, ibi enim ex ipſomet moerore moeroris quaerere „liceat ſolatia, hic autem amiſſo patre, quo ſaluti patriae conſulas, ſtupere pietatis eſt. Eſt „quod et hac ex parte ſereniſſimi Electoris animum angat, dum grauiſſimis ſacri Romani im„perii negotiis diſtentus pro charitate in patriam, proque primi proximique, expectati a „Rege, ſenatoris officii ratione, his rebus incertis, de ſalute patriae cum reuerendiſſimis „et illuſtriſſimis celſitudinibus dominationibuſque veſtris coram in medium conſulere non „poſſit. Nunc enim ſi vllo alio tempore, probandae ſuae ſerenitatis electoralis erga rem„publicam promptitudini ſuppeterent occaſiones, vbi reipublicae ordinis omnem ſub regi„bus diuiſam imperii vim, maieſtatemque ad ſe reductam habent, et conſortes quadante„nus facti diuinae poteſtatis, pro hoc auguſtiſſimo intemeratae libertatis tribunali, regium „de regibus ſummiſque poteſtatibus pleno iure exercent iudicium, ſimulque decernunt, „quid ex anteactis regum ſuorum irritum, quid vero in poſterum cynoſurae loco habere „velint, ac tandem ſtatuunt, cui quibuſue legibus ſeſe in obſequium tradant. Ne tamen „ſua ſerenitas electoralis deſerti penitus erga rempublicam domumque ſuam electoralem, ac „populos ſibi ſubiectos, officii argui poſſit, ſua quidem ducatuſque ſui poſtulata, ac gra„uamina cum reliquorum ordinum grauaminibus exigenda, reuerendiſſimis et illuſtriſſimis „celſitudinibus dominationibuſque veſtris quae offeremus, conſignata miſit. In primis au„tem haec reparandae reipublicae iacturae proponenda cenſuit remedia: vt compoſitis ex „aequo amore fraterno, quae rempublicam turbare poſſent, exortis, tam religionis, quam „ſtatus, diſſidiis, ſiquidem reuocare pianctu votiſque magnum Vladislaum non datur. Re„uerendiſſimae et illuſtriſſimae celſitudines dominationeſque veſtrae ſumant potius quam „quaerant principem, qui glorioſiſſimo diuo regi dignitatem iure naturae, ordine, vir„tutibus, arteque bellica ac meritis in rempublicam proximus ſit. Talem enim moderna „reipublicae fata ſtatuſque expoſcunt. Quod ipſum ſua ſerenitas electoralis vna cum re„uerendiſſimis celſiſſimiſque DD. VV. pro iure ſuffragii ſui vberius declaratura eſt.

„Vtque ſedandorum in libera capita furentis belli motuum, ad exemplum poten„tiſſimorum huius rebellis ſaeculi regum, eum ſtatuere velint modum, vt, aperto contra „perfidam nefario ſcelere rebellibus iunctam Tartarorum gentem, exercendae ferociae cam„po, parum ſupplicii de ſubditis ſumant, modo metum in multos protendant, idque ſatis „ſibi eſſe cenſeant. Caeteroquin, ſi intumeſcens ſucceſsibus turba reipublicae clementiam „aſpernata fuerit, debellandae eidem auxiliares copias ſubmittere, non detrectabit ſua ſe„renitas electoralis, Quoque ſereniſſima reſpublica, vndequaque ſecura, omnes vires eo „con-

„conuertere poſſit, ſi id reuerendiſſimis et illuſtriſſimis celſitudinibus DD. VV. gratum 1648
„fuerit, pro munere ſuo mediatorio nulli operae impenſaeque ſua ſerenitas parcet, quo
„cum ſereniſſima regnoque Sueciae, perpetua firmaque pax, primo quoque tempore coa„leſcat. Quod vero felix fauſtumque Vobis excellentiſſ. DD. reique publicae Chriſtianae
„ſit, precamur, ſuae ſerenitatis nomine, iterum iterumque, vt eligendus rex tot victoriis glo„riam gentis protendat, quod diebus praeſtitum electionis terminum deſiderio amoreque eius„dem, reuerendiſſimae illuſtriſſimaeque celſitudines veſtrae anteuertendum ſtatuerunt.„

Omnium vltimus VILHELMI KETLERI Curlandiae et Semigalliae ducis legatus, nomine ordinis equeſtris Curlandiae, ita dixit:

„Illuſtriſſime et reuerendiſſime princeps, prime princeps et primas regni, illuſtriſſimi et Oratio le„reuerendiſſimi domini ſenatores, illuſtriſſimi et illuſtres terrarum nuncii et ordines Dni, gati Cur„Dni, benigniſſimi et gratioſiſſimi, landiae du„cis.

„Si vnum id ſpectat ordo equeſtris Curlandiae et Semigalliae ducatus, quam ad„uerſo rerum humanarum fato, ſacra atque ſereniſſima regia maieſtas, Dominus Dominus
„Noſter clementiſſimus glorioſiſſimae memoriae praematura ſatis morte deceſſerit, ſumma
„benignitas regia et fortiſſima prouinciae noſtrae protectio penitus ſublata, funditusque
„ſubuerſa ſit, nullus par moeror, nullus par planctus dari poteſt. Malum patriae noſtrae,
„lacrimis maius eſſe vltro agnoſcimus, concidiſſe pene rempublicam noſtram, et ſpei pa„rum eſſe reliquum clamitamus, idque promptius et apertius, quam quisque de nobis
„praeſumeret, faſces reipublicae verſos eſſe humiliter dolemus atratam ſtatus faciem deplo„ramus, inclitoque ſenatui et ordinibus longo moerore feſſis, fidelia ordinis equeſtris ob„ſequia deferimus. Vix aliquem e regibus tam flagranti deſiderio celebratum confidimus.
„Idque reipublicae et coniunctis egregium, ſi modus adiiciatur. Non eadem ſummis re„bus publicis decora, quae modicis domibus et ciuitatibus conuenit ex recenti dolore lu„ctus, et ex moerore ſolatium abſcindenda triſtitia, referendi ad firmitudinem animi.
„Principes mortales, aeterna respublica eſt, repetenda ſolemnia, curaque ſolemnis rerum
„publicarum principes per ſuffragia creandi mos in inclito hoc regno obſeruetur, exigua
„felicitatis eius pars vigeat. Liberrime enim non ſine perenni gentis laude per vniuer„ſum depraedicatur orbem, quod ſobolem regiam in eiusmodi caſibus ſuperſtitem, ſalua ac
„illaeſa manente eligendi facultate liberrima, nunquam praeterierint, nec naturae ordinem
„ſeu cuiusque naſcendi ſortem, trepidante licet inter fratres reipublicae ab vtrinque vir„ture ad eminentiam fauore circa electionem, vnquam neglexerint, ſupplices audenter
„fundimus preces, vt ſummus rerum arbiter IEHOVA praeſentem electionis actum fe„licem et fauſtum eſſe iubeat, cordaque et conſilia vniuerſae reipublicae ad ſalutarem dirigat
„finem, vt maiorum more vnanimi voce, nemine contradicente, is eligatur, quem rex
„regum et dominus dominorum per naturae ordinem et regias virtutes ſceptro deſtinauit,
„quem totius reipublicae ſalus tanquam ſuprema lex vnice deſiderat et expoſcit.

„His humiliter vtinam et feliciter praemiſſis ad vrgentiſſima ordinis equeſtris deſi„deria pergendum nobis foret, niſi temporis ratio et reipublicae ſancitum ad praeſens pro„hiberent. Vnicum tamen in ſinum ſerenisſimae reipublicae omnino deponendum venit.
„Septimus nempe octogeſimus annus agitur, ex quo Liuonia inclito regno Poloniae ac ma„gno ducatui Lituaniae incorporata eſt. Intermedia pacta vtrinque conuenta integerrime
„obſeruata ſunt, niſi quod, neſcitur qua culpa quoue fato, indigenatus Noſter, vigore cu„ius beneficiorum ac dignitatum per regnum et magnum D. Lituaniae capaces huc vsque
„fuimus, et etiam nunc ſumus, in dubium quodam modo vocetur et Curlandi inter Li„uones non recenſeantur. Pactis tali ratione non nihil derogari cenſet vniuerſus ordo
„equeſtris, ideoque cuncta ad normam foederis reduci, et indigenatum conſeruari inſtan„ter ſollicitat. Et quidem per manifeſta indigenatus noſtri iura, vt ſerenisſimae reipu„blicae et vniuerſo orbi ex petitorio et profeſſorio tanto magis pateſcerent, typis excudi
„mandauimus, quae humiliter exhibemus et prudentiſſimo inclito ſenatus et ordinum iu„dicio intrepide ſubiicimus.

„Odia ſane reſtringenda ſunt, priuilegia et immunitates ampliationem requirunt,
„nec vllam ſtrictiorem admittunt interpretationem. Vnico verbulo ſecus acceptato, ve-

 „rendum

1648 „rendum ne totum infeliciter ruat. Libertatis modus imperationibus quamuis egregiis „placet, pacta tamen et societates fidisima Polonorum gens integerrime semper seruauit, „neque nos nostra abutimur libertate; quis exitus eos manserit qui victos pro alienigenis, „socios pro seruis habuerint, testantur historiae. Multo prudentius maiores vestri pleros„que populos regno non vnitos, eadem die hostes, ciues et indigenas habuerunt. Gens „nostra non armis, nec validior societate; sed solo reipublicae amore fidem ac fortitudi„nem illius secuta, se submisit. Terram nostram Lituaniae et Samogitiae pro antemu„rali semper stetisse ex bellis huc vsque gestis liquet. Nullum apud vos bellum geritur, „in quo nostrates se non sistant, in quo nomini vestro non litent sanguine suo. Mem„brum incliti huius corporis sumus, si non primarium, minimum tamen [15]).

Literae Scythae principis.

Ad extremum lecta THOHAIBEY Tartarorum principis pleno senatu scythica epistola eiusmodi tenoris:

„Serenissimo et excellentissimo christianorum et Poloniae regi Vladislao quarto Kuningeri „Thohaibey Budziacensium Tartarorum princeps salutem.

„Vltro et summa Vestrorum pertinacia, et superbo, legatis a nobis ad aulam ve„stram missis, dato responso, sedibus nostris exciti huc venimus, iussu sereniſſimi ac po„tentissimi imperatoris Domini nostri ISLAN GEREI, liberi Crimensium caeterarumque „Ordarum Hani, negatum legatis nostris, a vobis etiam inuitis repetituri stipendium. „Obuiam itaque Filio generalis venimus, ac vix visum profligauimus, deinde et ipsis du„cibus exercitus ad Corsunum occurrimus, eosdemque haud mora cepimus, captiuosque „imperatori nostro transmisimus, ita Cosaci nobis, nos Cosacis adiuncti ambo victores „extitimus. Igitur quo vos vestra vesania ac superbum responsum adduxerit, pensate, „nobis interea triumphantibus et vsque ad vestrum thronum regium vna cum Cosacis per„gentibus. Valete et nos propediem Varsauiae, vel si placet Cracouiae expectate.„ Haec summa literarum erat.

Legati Cosacorum.

Adfuit tandem et legatio ex castris Cosacorum, qui dicere iussi, quid tandem afferrent, offensas illi questusque suos, quos serenissimo defuncto regi offerre voluerant, senatui offerunt, horum hi potissimi erant:

Eorundem questus.

„I. Arendarii viros militares Cosacos in modum seruorum obedire cogunt.

„II. De pratis bonisque illorum in vniuersum omnibus ad libitum disponunt.

„III. Decimam partem omnium bonorum accipiunt.

„IV. Vxores Cosacorum similiter parentes aliosque propinquos ad rustica opera „necessitant, non obstante filii vel mariti militari seruitio.

„V. Centuriones, nec non tribuni, qui nos defendere deberent, peius adhuc op„primunt, iumenta pecudesque vna cum famulis suae faciunt subesse potestati.

„VI. Piscatum omnem in flumina negant, vulpem a singulis exigentes, in cuius „defectu arma capiunt, adeo ipsa elementa in nostra Russia tributo subiacent.

„VII. Praedam praeterea, si quae forte casu contigerit ex vicina Tartaria, in soli„dum sibi arrogant centuriones ac tribuni, gregem insuper haedorum, equarum, pecu„dum, vi extorquent.

„VIII. Leui de causa nostros incarcerant, incarceratosque tam diu detinent, do„nec decuplum soluat, quod si soluendo non est, perenne tribuni sit mancipium.

„IX. Mandatum regisque defuncti voluntas expressa fuit, vt numerus sex mil„lium nostrorum augeretur, quod commissarii nullatenus permiserunt, igitur et supplica„mus, vt duodecim millium numero augeamur.

„X. Sti-

15) Oratio non ad finem vsque hic fuit perscripta, et quaedam deficiunt, vel studio vel incuria etiam librarii omissa, non tanti tamen momenti, vt historiae filum abrumpant.

X. Stipendia insuper ab annis quinque iam elapsis non soluta. Religionis Graecoschismaticae immunitates saluas sibi conseruari petebant, restitui praeterea ecclesias, Lublinensem, Socalienſem, Vlodimirienſem, Crasnostauiensem, vna cum plerisque aliis in magno ducatu Lituaniae ad vnionem coactis. 1648

Haec Cosacorum legati afferebant, contra Poloni pro sexta die septembris suam commissionem differebant, elegitque senatus e medio sui ADAMUM de Bruselow KISIEL, Palatinum Braclauiensem, quem ipsa Cosacorum multitudo gratum habuit et desiderauit, non aliter quam olim seditiosa plebs Romana Menenium Agrippam [16]), tres reliquos equestris ordinis, FRANCISCUM DUBRAWSKI succamerarium Praemislienſem, ALEXANDRUM SIELSKI succamerarium Posnanienſen, THEODORUM OBUCHOWICZ succamerarium Mozerenſem; hos nullis satis certis mandatis firmatos Kiiouiam, citerioris Russiae metropolim ciuitatem, de foederibus mutuaque cum Cosacis tractaturos pace delegat senatus. Mandatorum autem nominatim a senatu acceptorum et in codicillis contractorum haec summa erat: Commissarii Polonorum ad Cosacos.

I. Captiuos omnes nobiles Polonos Cosaci dimittant.

II. Bellica instrumenta, quae hoc belli tempore acceperant, restituant.

III. Omne foedus, quod illis cum Tartaris intercesserat, eiurent, nouumque reipublicae sacramentum dicant, hac adiecta pacis conditione, nefas abhinc Cosacis esse cum exteris foedera et societates inire insćia republica.

IV. Excubias perpetuas in finibus contra Ottomanos agent, quod si respublica illorum vti voluerit opera, etiam contra Tartaros, alioſque finitimos hostes cum consensu tamen eiusdem excurrent, et sic diluent admissum crimen.

V. Cudacense fortalitium a Cosacis nequaquam violari debet, siue eorum opera vtetur respublica contra Tartaros, siue contra alios quosuis hostes.

VI. Auctores tumultuum huiusce belli incensores, Cosaci commissariorum extradent potestati, ex quorum nonnullis ibidem commissarii, ad exemplum caeterorum, vltionem exigent commissi flagitii, reliquos Varsauiam deducent.

VII. Regis defuncti literas, quas se habere iactitant Cosaci, repetent ab iisdem commissarii.

VIII. Stipendia reddita illis esse sub initio tumultus asserent, quare nihil in praesens interest reipublicae, perieritne illorum tumultu pecunia nec ne, quam deinde Polonorum spoliis abunde sibi resarciuerunt. Deinde postquam in obsequium reipublicae redierint post dictum sacramentum noua eis promittent stipendia. Libertates illorum ad proximam commisſionem restringit respublica, quod si non poterunt induci ad eandem disciplinam; etiam a Pereaslauiensi et Curicouiensi recedent commissione.

Ita sperabat respublica posse Cosacorum sine ferro et sanguine componi mentes, quas furor rapuerat, sed longe alium finem Poloniae fortitae sunt res.

LIBRI

16) qui dictus cognomine Lanatus. Dux a Romanis electus aduersus Sabinos, de iis triumphauit. Et cum plebs a patribus secessisset in Auentinum, quod tributum et militiam toleraret, nec reuocari posset, Agrippa apud eam verba faciens: humani artus, inquit, cum ventrem otiosum viderent, ab illo discordarunt, et suum illi ministerium negarunt. Cum eo pacto et ipsi quoque deficerent, intellexerunt, ventrem cibos aceeptos per omnia membra diuidere, et cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus et populus quasi vnum corpus discordia pereunt, concordia valent. Plura de hoc Volaterranus secutus Caecilium. Haec fabula et in rempublicam Polonam apte quadrat, in qua non solum artus a stomacho saepius dissentiunt, sed et ipsi mutuum sibi negant aliquoties ministerium.

LIBRI I. CAPVT V

SYNOPSIS

Pugna ad Conſtantinow ambigua. Iuramentum belli ducum Poloniae. Numerus et ordo commiſſariorum. Literae a ſenatu Polono Conſtantinopolim expeditae. Legatio Byzantini caeſaris ad Chanum Crimenſem. Mors crudelis Ibrahimii. Chani Crimenſis reſponſum Byzantino Caeſari. Poloni iterum cum Coſacis tractant, quorum tractatus pacis rumpit dux Viſnouiecius. Magnus belli motus contra rebelles. Eorundem ferocia et vbique ſaeuitia. Deſcribitur Polonorum exercitus, ac paulo poſt Pilauicenſis clades. Miſera Poloniae facies.

1648 Dum Varſauiae in conuocatione reſpublica tempus electionis noui regis, quartam octobris decernit, ac interim de ſecuritate regni prouidet, legionem peditum defuncti regis, ſemper regio aſſuetam lateri, nempe inuictum robur Germanorum, ad Conſtantinow, Ruſſiae ciuitatem, expedit, duce SAMUELE OSSINSKI, regiae cuſtodiae praefecto, qui paulo poſt, ſub huius anni exitum, immaturo fato concidit maximus heros. Huic adiuncti erant Palatini Kiiouienſis IANUSSII TYSZKIEWICZ mille ducenti equites, vna cum ducis Zaslauienſis Vladislai Dominici duobus millibus, Ducis itidem IEREMIAE MICHAELIS KORIBUT WISNIOWIECKI, millibus quatuor, atque haec tantilla hominum manus octo ſcilicet millium et ducentorum militum ſecuritati reipublicae videbatur ſufficere. Breui enim atrox certusque rumor de obitu regis regnum peruaſit vniuerſum, quo accepto ſtatim laeta confoederatis auguria et euentus rerum in ſpem felices ſunt, erectioreſque Coſaci haud ſegnius in viſcera regni pergunt duce Krzywonos appellato, quem ſuperius Podoliam vaſtaſſe memini. Is ſumma vſus celeritate ſexaginta agreſtium ſtipatus millibus, Chmielnicki ſilentio approbante crimen, Polonos Tireſia caeciores prope Conſtantinow ciuitatem ex improuiſo ferire conſilium iniit, ratus praecipuum belli momentum in primis ſuorum militum conatibus eſſe, vnde auidus gloriae, pugnae copiam depoſcebat, neque Poloni certamen detrectauerunt, quanquam et in hoſtico, et viribus imparem haberent exercitum. Itaque die vigeſima ſexta, Iulio Menſe, in Conſtantinouianis pugnatum eſt campis; acris acies fuit, non his languidius pro ſcelere, quam Polonis pro publica ſalute et patriae incolumitate certantibus. Incerta diu alea belli, in equitem eques, pedes in peditem, in phalangem phalanx, ala in alam, aequo velut marte conferri viſa. Praecipua tamen hoc in praelio Samuelis Oſſinski ac Conſtantini Giſii, regiarum legionum praefectorum virtus enituit, illi vbi inuehi hoſtem in Polonos audentius vident, nutare Polonorum veriti exercitum paulatim ad vicinam foſſam velut detrectantes pugnam, in qua hoſti ſtruxerant inſidias, dilabuntur. Coſaci ſequi audentius fugientibuſque inſtare rati, vt res erat, bello finem fore, ſi praelio vincerent. At vbi iam iuſto foſſae appropinquarunt interuallo, incidunt in caſſes, magnaque ſuorum illa parte accepta clade, imminente iam nocte retrocedunt. Nec ſenſim retrocedentes hoſtes, inclinante ad veſperam die, ſequutus eſt Polonus miles, ſeu fraudem ab hoſte, ſeu iam miſtum tenebris coelum pertimuit. Iamque, ſerius licet, tres a republica belli duces deſtinati, VLADISLAUS DOMINICUS dux in Oſtrog et Zaslaw, Palatinus Sendomirienſis, ALEXANDER a Koniecpole KONIECPOLSKI, ſupremus regni vexillifer, Pereslauienſis, Korſunenſis, Ploskirouienſis capitaneus, NICOLAUS comes OSTROROG, pocillator regni, cum auxiliaribus diuerſorum optimatum aduentabat copiis, quorum hic nomina numerumque referam:

Pugna ad Conſtantinow cum Coſacis ambigua.

Numerus Polonorum militum.

STANISLAI de Potok POTOCKI, palatini Podoliae, mille quingenti milites.

ADAMI de Bruſilow KISIEL, palatini Braclauienſis, turmae equitum duodecim.

STANISLAI WITOWSKI, Caſtellani Sendomirienſis ſexcenti equites.

ALEXANDRI a Koniecpole KONIECPOLSKI, vexilliferi regni, ſupremi defuncti exercituum ducis filii, quatuor hominum millia.

NICO-

NICOLAI comitis OSTROROG, pocillatoris regni, equitum millia duo. 1648

SAMVELIS CAROLI ducis KORECKI mille quingenti equites.

GEORGII LVBOMIRSKI comitis in Wisnitz generalis Cracouienſis, et STANISLAI comitis in Wisnitz LVBOMIRSKI, palatini Cracouienſis filii, cohortes duorum millium et quingentorum.

Capitanei Trembouolienſis de peruetuſta et nobiliſſima familia comitum FIRLEI, turmae equitum duodecim.

SIGISMVNDI comitis DENHOFI, palatini Siradienſis filii, Capitanei Socalienſis, cohortes ſclopigerorum Germanicae decem.

IACOBI comitis a Rozdrazew ROZDRAŻEWSKI Cunicenſis Capitanei deſultoriorum equitum, vulgo Dragonum, legio Germanica. Breuius itaque, quam dici poſſit, ſtetit in armis Polonorum iuſtus contra agreſtes rebelles, vt credebatur, exercitus. Praeter hos emeritorum, voluntarios vocant, ingens numerus, praeſidium haud leue, ſi caſus proſperi ſint, diſiecta militia, vbi bellum cunctatione tractatur. Ius imperandi penes omnes fuit, quod peſſimum, ſinguli imperare, nemo parere voluerat. Hinc omnes tribuni militum, belli duces, agebant centuriones tribunos, milites centuriones, gregarium promiſcue militem agebat nemo [17]).

Exacta quoque eſt a ſingulis ducibus belli, ſacramenti formula in hunc modum: Iuramentum belli ducum.

Ego N. iuro, quia exercitui mihi tradito fideliter praeero, et opera illius tantum ad reprimendas inuaſiones inimicorum hoſtiles vtar. Fines regni tutos pro viribus praeſtabo, dignitatem et ſecuritatem reipublicae, quantum potero, defendam, et ſi, quod Deus auertat, regnum ſeditio inuaſerit, nulli parti adhaerebo, damna incolis Ruſſiae, Podoliae, Volhyniae, nulla inferam, et ne a militibus meis inferantur, omni ratione prouidebo. Penſiones vero tam ab eccleſiaſticis, quam ab aliis perſonis quibusuis nullas omnino exigam, et ne milites mei exigant, ſtudebo. Sic me Deus adiuuet, et haec ſancta crux.

Commiſſariorum autem hic ordo erat.

Commiſſarii ſenatorii ordinis

Numerus et Ordo commiſſariorum.

IOANNES SIMON SZCZAWINSKI, palatinus Breſtenſis, Lancicienſis, Golubenſis capitaneus, tribunus cuiauienſium palatinatuum.

ADAMVS DE BRVSILOW KISIEL, Braclauienſis palatinus.

IANVSSIVS TYSKIEWICZ, Kiiouienſis palatinus.

IEREMIAS MICHAEL KORYBVT, dux in Wisniowiecz, terrarum Ruſſiae palatinus

STANISLAVS DE POTOK POTOCKI, Podoliae palatinus.

STANISLAVS WITOWSKI, Caſtellanus Sendomirienſis.

ANDREAS DE DAMBROWICZA FIRLEI, Caſtellanus Belzenſis.

ADAMVS STANISLAWSKI, Caſtellanus Halicenſis.

17) Quemadmodum belli temporibus magna militum praefectorum copia, eorumque diſſenſio, multa iam in perniciem reipublicae Polonae peperit mala, ſic temporibus pacis, nobilium multorum in mercatores et ciues licentia, mercaturae incrementum, verum reipublicae theſauri fontem, impedit.

1648 Commiſſarii equeſtris ordinis minoris Poloniae.

MICHAEL ZEBRZYDOWSKI, gladifer regni.

ALEXANDER LVBOMIERSKI, comes in Wisnicz, ſtabuli regni praefectus.

ADAMVS HIERONYMVS DE GRANOWO SIENIAWSKI, capitaneus Leopolienſis.

CONSTANTINVS COMES IN WISNICZ LVBOMIERSKI, Sandacenſis et Białocer Kieuienſis capitaneus.

ZBIGNEVS DE DAMBROWICZA FIRLEI, capitaneus Lublinenſis.

IOANNES DE POTOK POTOCKI, Succamerarius Halicenſis.

STANISLAVS DE DAMBROWICZA FIRLEI, Succamerarius Lublinenſis.

IANVS PRVSINOWSKI, Succamerarius tribunusque militum Belzenſis.

STANISLAVS CHRZASTOWSKI, ſubiudex generalis Cracouienſis.

Maioris Poloniae.

HIERONYMVS RADZIEIOWSKI, Lomzenſis capitaneus.

STANISLAVS DENHOF, Vielunenſis capitaneus.

ANDREAS DE GRVDNO GRVDZINSKI, Rozinenſis capitaneus.

IACOBVS COMES ROZRACZEWSKI, Kuninenſis capitaneus.

IOANNES GRZYBOWSKI, Varſauienſis capitaneus.

ALBERTVS WESEL, Roznanenſis Makouienſisque capitaneus.

SIGISMVNDVS DENHOF, Sokalienſis capitaneus.

ANDREAS DE OSSOW OSSOWSKI.

ALEXANDER DE KARCHOW KARCHOWSKI.

CHRISTOPHORVS DE ARCISZEW ARCISZEWSKI, praefectus militiae.

Magni ducatus Lituaniae.

CHRISTOPHORVS PAC, vexillifer Magni Ducatus Lituaniae.

IOANNES ZIENOWICZ, Marſchalcus Osmianenſis.

VINCENTIVS CORVINVS GASIEWSKI, dapum inciſor M.D.L.

BOGDANVS OGINSKI, vexillifer M.D.L.

Haec redegiſſe in ſeriem haud piguit, quo appareat quantum detrimenti cauſarint reipublicae, diuerſa ab inuicem, et plerumque ſuperba, ingenia, primoribus in Poloniae viris. Regere amant illi, non regi, cum tamen regi, non regere deberent. Hinc minorum nobilium vt et plebeiorum aut externorum regimen, exitiale, exoſum, et ſuſpectum illis, quo fit vt nihil virtuti plebeiae aut externorum concedant. Satius foret, ſi, cuiuscunque animo virtus ineſſet, ei plurimum tribueret respublica, ita enim nobilibus et plebeiis via ad dignitates promiſcue pateret, excitarenturque praeclariſſima ingenia, quae alias reipublicae negantur. Quanquam non nego primos ad rempublicam eſſe debere, quibus honeſtius genus eſt. Debetur enim maiorum illorum in rempublicam meritis aliquid, quorum etiam domeſtico exemplo ad bene agendum hi magis excitari creduntur. Haec in tranſitu dicta ſufficiant [18]).

Redeo

18) Niſi religioni hoc habuiſſem, auctorem noſtrum mutilatum edere, certe ea, quae hic Rudauſcius in populares ſuos acerbius dixit, potius omiſiſſem. Neſcio vtrum veritate fultus recte eo tempore primorum facta carpſerit auctor. Noſtris temporibus omnino falſum eſt *procerum ingenia plerumque eſſe ſuperba*. E contrario Poloniae optimates, iique qui ſcientiis bene imbuti liberaliterque educati, ſunt affabiles, gratioſi, humani atque adeo popularitate cari, vt vix ac ne vix quidem apud exteros, ſi Galliam excipias, optimates in tanta copia inuenias modeſtos atque humanitate plenos. Si quis autem eorum gratia abutatur, vel irritare illos velit, tunc non mirum ſi de conditione ſua glorientur, quae non hauſta ex vano. Nulli enim nobiles in tota Europa tanta gaudent libertate, priuilegiis atque immunitatibus, quam Poloni. Exteros quod attinet, verum eſt, per regni conſtitutiones omnem ad rempublicam aditum iis intercluſum eſſe, et Poloni, vt dicam, quod ſentiam, ſapienter pro conſeruanda libertate exteris aditum negarunt, quem ſemper, ſi ita videtur, donando ius indigenatus iterum aperire poſſunt.

Redeo ad commiſſariorum numerum ſane ſuperuacaneum. Hi enim dum vni ſubeſſe recuſant, natalium ſplendorem iactantes, in ſummum non raro adducunt rempublicam diſcrimen. Hinc inter duces rixae, in milite exorta confuſio, reipublicae iacturam, hoſtibus victoriam triumphumque perſaepe parit, et nunc de facto peperit. 1648

Literae a ſenatu Polono Conſtantinopolim expeditae.

Iisdem diebus literae a ſenatu Polono Conſtantinopolim miſſae ſunt, ad Byzantii imperatorem plenae quaerimoniis, quod ille contra iusiurandum pactaque cum Polonis ſtabilita, et aeterna colorata pace, Tartaros permiſiſſet Polonas infeſtare ditiones, Coſacos rebelles adiuuare, quibus reciproce aeternam ſocietatem Coſaci iurarunt. Hanc epiſtolam vt primum aiunt Byzantium peruenisſe, atque pleno ſenatu lectam fuiſſe, haud mora imperator memor ictorum cum Polonis foederum, Tartarorum Chano ſuo vaſallo imperat:

Foederi in primis renuntiet Coſacorum.

Non amplius Polonas infeſtet ditiones.

Exercituum captos duces Polonis reddat, (hoc enim etiam ſenatus in literis ſuis ad imperatorem ſcriptis adiecit) *aut captiuos imperatori conſtantinopolim ocius remittat.*

Legatio Byzantini caeſaris ad Chanum Crimenſem.

Sed haec epiſtola imperatoris a magno Chano nihili habita, nullum ſortita eſt effectum. Iterum ergo magni Chani agentem in aula Conſtantinopolitana degentem compellit, vrbe excedere iubet, eumque cum ſeueriori in Tartariam remittit vultu, iratus iuſſa ſua non audiri, et a magno Chano nihili haberi: Verum et is amplius in ottomanica non comparuit aula. Verſus inde in furias imperator decima octaua Iulii KAPIDIVM BASSAM cognomine KAPADZILAR CIHAIE portae miniſtrum in Tartariam expedit. Vade, inquit, captiuos duces Polonos Conſtantinopolim propediem reduc. Chanum mone, renuntiet tempeſtiue icto Coſacorum foederi, ni fecerit, arma mineris, Baſſae inſuper Syliſtrenſi nomine meo manda, ne audeat quenquam Polonum captiuum a Tartaris emere ſub poena colli, quin imo, vbi poterit, eosdem a Tartaris vi vindicet. Simile edictum imperatoris Conſtantinopoli, vrbe imperatoria, publicatum fuit, poſt quod vix tribus tantum ſuperſtes ſeptimanis imperator regnauit. Nona enim Auguſti IANITSCHARI, inſolens Praetorianorum militum genus, nouos motus Conſtantinopoli ciere coeperunt, actuque tragico imperatorem ſuum, exemplo infelicis patris Osmani ſtrangularunt, filium eius nomine SOLTANVM MECHMEDVM octo annorum puerum Auguſtum pronunciarunt, Veſirium occiderunt. Per ea tempora Kappidi Baſſa Kapadzilar Cihaie Conſtantinopolim reuerſus bello inteſtino laborantem inuenit patriam, iuſſusque coram nouo imperatore dicere legationem. ISLAN, inquit, GEREI, magnarum ordarum liber, vt ſe aſſerit, Chan Crimenſis, Cerhaſienſis, Nahaienſis, Petiorienſis, Szemenſis, Perecopenſis, tibi imperatori totius orientis, potentiſſimo Aſiae, Africae atque Americae nec non Europae monarchae inuictiſſimo ſalutem. Polonos duces negat ſuae ſubeſſe poteſtati, ſed Murſorum (nobiles ſuos Tartari ſic appellant) caetera ſilentio inuoluit. Murſos cum ſollicitaſſem, illi haud cunctabundi cathegorice reſponderunt, ſe non prius reddituros Polonos duces, antequam primi Poloni captiuos omnes reſtituant Tartaros. De Chano decernat imperator, aiebant, ad libitum. Haec legationis ſeries, et hic effectus fuit.

Eiusdem mors tragica.

Reſponſum a Chano Crimenſi.

Redeo

1648 Redeo ad Kiiouienſem commiſſionem a qua digreſſus ſum. Per ea ſiquidem tempora deſtinati commiſſarii Kiiouiae ſuam inchoauerunt functionem, de mutua inter Coſacos et Polonos, vt ſuperius dixi, tractaturi pace, cum ſub id fere tempus Dux WISNIOWIECKI, tam turpem et ſordidam pacem cum perduellibus omnino non probauerat, dextra, pleno Varſauiae ſenatu, admota capulo. Hic, inquit, oportet Coſacos Tartaroſque Ruſſia pellat. Ergo NIEMIEROW, proprium oppidum in Ruſſia ſitum intrare volens, a propriis prohibetur oppidanis. Factum re uera audax, raroque vſurpatum ab hoc gente, quibus vulgo anxium iudicium eſt, et ab omnibus imbellis timor. Tum vtrinque pugnatur, fit caedes ingens, tandemque victor dux ouans oppidum ingreditur, ſubditoſque omnes ad genua prouolutos veniamque deprecantes, miro tormentorum genere exactiſſime cruciari mandat, ſaepius illa geminans verba, lictor ita feri, vt ſe mori ſentiant. Aliis igitur oculos effodere, alios in cruces agere, multos gladio percutere iubet. Hoc audito Coſaci, reiectis foederibus, nouum cauſati vulnus, nouo extirpandum aiebant cauterio. Cauſa in ducem reiecta, auctorque ruptorum foederum ab eisdem Dux Wiſniowiecki omnino poſcebatur. Neque vero tantum fidei his coeptis tractatibus prudens ſenatus tribuit, quin omnimode munia belli remitteret, ſiue certus de rebellium contumacia, ſiue vti tunc fama ſpargebat, bellum contra Tartaros, publicam regni vlturus iniuriam, tacite apparabat, miles itaque ſumma celeritate conſcribebatur, diſtrictuum copiae expediebantur. Dux totius militiae VLADISLAVS DOMINICUS dux in OSTROG et ZASLAW, palatinus Sendomirienſis deſignatus princeps, opibus clarus, denique locus prope pagum GLINIANY, quarto a Leopoli lapide diſtans, exercitui electus eſt. In his motibus tunc regnum Poloniae erat, cum et ab altera parte non ſegnius coeptum bellum Coſaci inſtaurabant. Adeo laeta primordia raro ſequuntur exitus felices, quippe fama geritur bellum, quam primi caſus occupant. Ita illi, qui magnum Lituaniae intrarunt ducatum, duce nebulone Semiluna appellato, nihil niſi praedas et rapinas ſpirantes omnem pacem et foedera oderant, adeo ferro et igne in vlteriorem caeci ruebant Lituaniam, prouincias vrbibus, vrbes religione, religionem templis, templa aris, aras ſacerdotibus, ſacerdotes vita deſpoliantes. Sic non raro alius peccat, alius plectitur. Alter ſacrilegus Krzywonos barbaro et ipſe ſuccinctus exercitu, neſcius foederum BARUM, POLOMNE, OSTROG, CONSTANTINOW, et alia reipublicae praeſidia dicto citius expugnauit. Saeuientibus mirum in modum barbaris in ſacra, ſacerdotes, nobiles iudaeoſque, Ruſſia interim, quaſi prolatis iam ad Viſtulam vſque terminis, et antiquam aſſecuta limitem, triumphante. Dederant quippe ſeſe Barenſes ſcelerato duci, ſed quis ageret cum victoribus Coſacis lege, cum temperare ſuam ipſi nequeant victoriam ratione? Armati ergo Barenſes inermeſque iuxta trucidati ſunt, rapti ab vbere matrum infantes, adeo viliſſimo cuique creſcit audacia, cum ſe timeri ſentiat. Neque Polomne munitiſſimum Ruſſiae oppidum, alium habuit exitum, et hoc quidem paciſci volens, plus quam Saguntina rabie deletum eſt, tam foeda clade, vt miles, arma, furor, crudelitas, libido, ſacrilegia, et in vno compendio vniuerſa flagitia in exitium infelicis oppidi conſpiraſſe videantur, adeoque de Polomne veriſſima ſunt, quae de Cremona Tacitus: ſexaginta agreſtium millia irrupere, omnes ſine nomine, ſine tribu homines, calonum lixarumque amplior numerus et in libidinem et ſaeuitiam corruptior. Non aetas, non dignitas protegebat, quo minus ſtupra caedibus, caedes ſtupris miſcerentur. Senes, exactaque aetate ſanctiſſimas matronas milites ad praedam et in libidinem trahebant. Atrocius deinde ſaeuitum in mortuos, violata ſepulchra, effoſſa cadauera, nec hoc ſatis, ſcelere graſſabatur tyrannus in altaria et miniſtros Dei, monaſteria ſacrarumque reliquiarum mauſolea, capſae auro et lapillis pretioſae in praedam ſceleratis veniebant. Nudabantur monachi, flagellabantur, ac demum iugulabantur. Temerata eſt monialium caſtitas, horreſco referens, ipſae arae, in quas Deus homo vi ſacramenti euocari quotidie ſolitus, equorum praeſepia fuere, diſtributaque auena iumentis in ſancto ſanctorum ab arca foederis, vbi manna abſconditum. Eo procacitatis demum et proteruiae ventum erat, vt ipſe Deus, ſacra hoſtia, veſtigio hominis contereretur pabulumque fieret brutis panis, qui paſcit angelos. Denique quodcunque impietatis in Deum quodcunque in homines excogitari poteſt, Coſaci in Polonos, ſubditi in nobiles, ſchiſmatici in catholicos ſaeuiebant, ea crudelitate, vt bellum in Ottomanos geri haud iniuria diceres, dira re uera in dediticios clades, factum atrox, eoque imbelle magis, quod inermes et inulti cadebant [19]).

De pace agunt Poloni cum Coſacis Kiiouiae.

Ducis Wiſniowiecii factum.

Magnus belli motus contra rebelles.

Eorundem ferocia et vbique ſaeuitia.

Polomnienſis oppidi exitus.

Sub

19) Coſaci non tantam ſumſiſſent rabiem aduerſus Polonos, niſi dux Wiſniowiecki nimis durus, ne dicam, inhumanus in puniendis rebellibus ſubditis ſuis Niemirouiae fuiſſet, quod factum nos docet, et in bello humanitatem ſaeuitiae eſſe praeferendam.

Sub idem tempus literae ad ſenatum a commiſſariis perferuntur, quibus ſignificabant ſe re infecta vale Coſacis diviſſe, ac propediem futuros Varſauiae. Ergo reliqui procerum, qui adhuc reſtabant tanto celerius alacriuſque vnanimes armati, vno animo, non vno conſilio, vno tamen impetu, ambitione iam dudum deuoratam introiuere Ruſſiam, ſolo fulgore armorum, vt aſſerebant, territuri hoſtem, ac eundem in Tartariam profugum, etiam vltra Aſiae terminos proſequi animoſe minabantur, ſibique inuicem iam de felicis expeditionis euentu ſerio gratulabantur, parum memores illius vulgatae per orbem paroemiae: *ne canas triumphum ante obtentam victoriam.* Anxii inſuper de ſpoliis Tartariae, quaſi coelitum occupaſſent vota, praedas inter ſe cogitatione, non ſine aliquorum iurgio, temere diuidebant, mox ipſi praeda hoſti et luſus futuri. Aliter enim fortunae viſum eſt, optima Polonorum ſpolia in Coſacos transferre volenti. Ibat purpura et byſſo nitens, auroque fulgens Polonorum exercitus, vbique inſolentiae relinquens veſtigia, nequevero interea feriabantur Coſaci, qui iam ad Pilawice, paruum quidem Ruſſiae oppidum, ſed quod ad poſteros triumpho hoſtili Polonorumque fuga emerſit, caſtra promouerant. Neque mora a luſtratoribus Coſacis nuntiatur Chmielnicio, Polonos magno numero ſumptuque ingenti ſplendore galearum, plumis Chimaerarum, leonum, luporum et horrendis hiantium animalium formis, terribiles aduentare. Nec celer Chmielnicium nuntius fefellit. Poloni ſiquidem, contra omnes militiae regulas, quaeſito inani in praelium apparatu, criſtis comantibus galeas, phaleris praepeditis equis, thoracibus aheneis auro rutilantibus corruſcabant: nec hoc ſatis, dira quiſque in gloriam cupidine, qua detrectabat aemulum, pugnam depoſcebat. Ex aduerſo pugnatum ſaepius nulla magnificentia aſt maioribus virtute militari et gloria. Fuſus Polonorum exercitus ad Corſunum, qui ſe in praelium ſumptuoſe inſtruxerat velut ad nuptias. Denique hinc Graeca ſemper ſimplicitate pugnaſſe conſtat Macedones ſub Alexandro, illinc foemineo luxu imbelles Perſas, quod ſtatim memorabimus. Hoc nuntio Chmielnicki accepto, celerrime ſuorum collocat ordines. Dextrum cornu tuebatur KRZYWONOS, laeuum regebat SESQUIPELLIS, ipſe CHMIELNICKI montoſum paluſtremque nactus locum, Polonorum audacter opperiebatur aduentum, celeri ad Tartaros dimiſſo curſore, feſtinarent cum auxiliaribus copiis ocius ad praelium, ſcilicet hac in re Polonorum ſubodoratus conſilium, qui propter abſentiam Tartarorum haud mora, rem acie geri cum Coſacis expoſcebant, eratque vna omnium ſententia, Coſacos vno praelio vinci poſſe. Iamque nihil niſi arma vndique campis et ſigna Polonorum fulgebant, Polono milite flagitante praelium, quod vaferrimus hoſtis callide recuſauit munitionibus ſuis locoque paluſtri ſatis et tuto tectus. Igitur per tres continuos dies nihil niſi modica velitatione inter alarios dimicatum eſt haud iniquo ab vtrinque marte, donec quarto ab aduentu die, ſcilicet vndecimo calend. Octobris morae pertaeſi, proceres Poloni intempeſta nocte primo clam retrogedi auſi, montium inſidias amniumque cauſati iniurias, mox nuntio de Tartaris accepto, nemine perſequente receptui cecinerunt, commeatu omni bellicoſoque ingenti apparatu hoſti relicto: credo vt tanto facilius ferrent iter, ac eo expeditius vltimo tunc Ruſſiae dicerent vale. Potuerunt iure illo tempore exclamare: *Spes et fortuna valete.* Panico itaque timore quadraginta millium bellatorum exercitus (diviſſes Pyrrhi vel Antigoni pharetratos fuiſſe milites,) purpura auroque fulgentes, armis et opulentia graues, fugatus diſſipatuſque eſt. Illique Troes, illi heroes, qui ſoli coelum ſtellatum ſuſtinere videbantur, vix demum Varſauiae, alii Cracouiae, vltra viſtulam anhelantem recuperabant ſpiritum: adeo plus illi ſemper blanditur fortuna, qui minus ſuperbia ſe effert. Reliquis, qui adhuc reſtabant, Polonis hoc facto attonitis, qui inaſſuetam ſcilicet martialis fortunae ob longam pacem inſolentiam, qua publicis ad exteros, qua priuatis ad vicinos propinquoſque plenis lamentationibus et complorationibus miſſis literis conquaerebantur. Hinc virorum ſuſpiria, mulierum lamenta, hinc illae voces Vladislaum regem tunc ſerio complorantes audiebantur. Talis tunc apud Polonos, qualem vix vllus in ea gente meminit, rerum facies erat. Tota regio ſibi ipſi in circuitu inimica, ipſos denique vicinos agricolas, ad quos forte nonnulli refugium anhelabant, a dominis toties irritatos, in victoria crudele genus experti. Erant qui Vladislaum Dominicum ducem in Oſtrog et Zaslaw, palatinum Sendomirienſem, huius ſiniſtri euentus auctorem facerent, ſcilicet qui ſuaſu OSSOLINII Cancellarii, contradictores electioni Caſimirianae, potiſſimum Wiſniouiecium ducem, Carolinarum partium anteſignanum ea potiſſimum tunc ratione falleret, talique ſimulata fuga, quam longe ante praedixerat Varſauiae in regia cancellarius, eiusdem euerteret conſilia, mutaret propoſita. Nec parcum fuit conuiciis in ducem iaciendis vulgus, paſſim in belli duces, iniquum, ſolitumque ab euentu aeſtimare conſilia et virtutem.

1648

Commiſſionis exitus nullus.

Deſcriptio Poloni militis.

Coſacorum ordinata caſtra.

d. 21 Sept. Poloni retrocedunt.

Miſera Poloniae facies.

1648 Sed his minor adhibenda fides vel vno magnanimitatis indicio, qua principem natura dotauerat, potius inter proceres discordia, totius mali caput et origo fuit. Dum enim quisque suae legioni, quam ducebat, singularem honorem quaerit, omnes in discrimen adducit. Fortius tamen viduus peditatus pugnabat, et totum belli molem solus aliquot horis sustinuit duce Samuele OSSINSKI, viro militari. Nunquam ante hac vllo loco tantum virium Polonia, tantum dignitatis fortuna vidit. Centum millia curruum auro onustorum vehebantur [20]), militum, vt dixi, quadraginta, lixarum ducenta numerabantur millia, et erat dubio procul victoria Polonorum, si, quod turpissimum erat, dimicare ausi fuissent ii, qui spectare praelioque sese subducere denique fugere maluerunt. Puduit amplius imbelli Polonorum exercitui praeesse ducem Zaslauiensem, itaque ad maiores euocatus honores et titulos, palatinatum paulo post capessit Cracouiensem, vacuum morte Stanislai Comitis in Wisnicz palatini Cracouiensis, de cuius obitu fuse suo loco edisseram.

Spolia Polonorum Cosacis Tartarisque cedunt.

Dux Zaslauiensis fit Palatinus Cracouiensis.

LIBRI I. CAPVT VI

SYNOPSIS

Noui regis electio. Totius electionis acta. Cosacorum progressus. Vladislai IV. funus. Coronatio Ioannis Casimiri in regem Poloniae, eiusdemque cum Ludouica Maria sponsalia.

Electio noui regis.

Iamque appropinquauerat determinatus dies comitiorum nouum regem eligendorum, quarta scilicet mensis Octobris, timebanturque a multis Polonorum optimatum studia, tali casu in factiones itura, cum repente contrario effectu discussus timor, facti atrocitate omnium procerum horrescunt animi, vna omnibus desolatio est, hinc concordia inter miseros, hinc animorum optata tranquillitas, in summa omnes consternati videbantur primores, rati actum esse de republica, si tardarent eligere regem in quo vnica post Deum, diuosque tutelares Poloniae videbatur salus. Nec deerant, qui moestae ac viribus pene destitutae suaderent reginae, vt deserta Varsauia Gedanum potius peteret, instantibus caput suum subductura periculis, quoad subsidisset tempestas furioris popularis, ac propitiora fata regressum promitterent. Placuit reginae consilium, iamque serio de fuga cogitantem GEORGIVS COMES de TECZYN dux in Ossolin, sacri Romani imperii princeps, supremus regni cancellarius, in haec verba alloquitur: „Ne rebellibus regnum prodas regina. Quis enim deinde pro aris arma sumpturus est, si fugere ipsa perseueraueris. „Tuo metu caeteros praemonitura quid metuendum sit a rebellibus, haud dubie erecturis „altius supercilium. Dignitatis tuae praesentia hic opus est, aliter Varsauia contineri non „potest. Quid tandem times? nemo procerum, nemo nobilium quos hic Varsauiae con„gregatos ad regis sui electionem spectas, ex saniori populi parte nemo, vbi periclitari te „aspexerit, auxilium non expediet, salutemque suam Tuae non praeponet, quos omnes „pari metu fugitiua percelles, et ad resistendum ignauos efficies. Tanto in bellis momen„to est praesens maiestas, pro qua glorioſum sibi quisque ducit occumbere.

Regina Varsauiam relinquere cogitat.

Hoc ipsum disuadet Cancellarius. Eiusdem ad reginam verba.

Haud segniter hac voces a cancellario accepit regina: Vicerat pudor contemplationem periculi, sicque damnauerat omnimode abeundi consilia, optimatibus tumultuarie noui regis inchoantibus electionem, dubii quem tandem potissimum hoc tempore eligerent regem. Duo adhuc satis Vladislai defuncti regis superstites candidati, in oculis omnium votis-

20) Non hic, credo, aurum signatum vel cusum seu nummi intelligendi sunt, quod absurdum esse videtur, sed, prout supra auctor innuit, apparatus bellicus, equitum nobilium in primis, auro argentoque in vanum ornatus. Lixis autem annumerat omnes homines qui exercitum sequuti fuere, seruitii vel commercii causa. Neque ducenta millia calonum lixarumque fidem superant. Sciendum enim exercitum Polonum decem millium, militum nobilium plerumque sequi quadraginta millia vel quinquaginta calonum, id quod pessimum. Nam eiusmodi homines non tantum iisdem agricolas amicos afficiunt quam hostis damnis, sed et ipsi exercitui sunt impedimento.

votisque Polonorum ambo germani fratres, principes erant, qui sceptrum deposcerent. Alter IOANNES CASIMIRVS, Opolienſis et Ratiborienſis dux, Sueciae rex: CAROLVS FERDINANDVS alter, Vratislauienſis atque Plocenſis antiſtes, natu minor. Prior clarus militari scientia princeps, quippe qui ante annos sexdecim, prima belli rudimenta sub Vladislao fratre in Moscouia non infeliciter iecerat, inde per varios Europae tractus, toto decennio haud semper prosperam obierat peregrinationem, indeque peregrinus dictus, ac tunc in sacrum purpuratorum ab Innocentio X allectus collegium, Roma in Poloniam redierat, suae aetatis hic rationem haberi voluerat. Alter natu minor, Carolus Ferdinandus, Sigismundanae pietatis, et immortalitatis haeres, Vratislauienſis atque Plocenſis antiſtes, factionibus, vt in tali casu fieri solet, in dies praeualidus, liberam ordinum de se expectabat sententiam. Dum igitur de reconciliandis principum auersis fraternis animis serio senatus tractat, gnarus quam grauis Polonorum ceruicibus immineret Chmielnicius, Tartari dictu incredibilem nec sanguine partam in Tartariam auehunt praedam. Ipse Chmielnicki sollicitato in arma Byzantii imperatore, quem iurisiurandi tenaciorem inuenit, ducentis suorum armatorum stipatus millibus comite scelerum perfido Tohaibeio Tartarorum Budziacensium principe, in belli societatem assumpto, in ipsa viscera regni penetrat, siquidem nullum vallum, quod moraretur, habuit, nulla Belgarum fortalitia, non Pyrrheni montes nec Tyrrhenum mare, obstabant eunti, sed liberi patentesque campi, vsque ad ipsa vrbis Leopolienſis eum ducebant moenia. Sexta itaque die octobris coepta obsidio, viginti dierum spatio, miraculo simile, nullo defensam milite fatigabat Leopolim, cui tandem misertus, vti principi nunc Rusiae ciuitati, graui lytro a ciuibus accepto, ducentis nimirum millibus florenorum, vigesimo ab oppugnatione die, Zamoscium versus castra mouit. Arx est in confiniis Rusiae, nomen sortita ab eo, qui eam condidit. Is erat IOANNES ZAMOYSKI, regni Poloniae cancellarius, ac sub Stephano I, rege Poloniae, supremus exercituum dux. Oppidum quoque haud contemnendum in Polonia, eidem adiacet arci, muro, vallo, aggere et aqua contra Tartarorum subitos impetus satis munitum, sed quod diuturnam ferre non posset oppugnationem. Huc ergo vota, huc studia properabant Chmielnicii, qui, antequam obsidione oppidum cingeret, astu et dolo vsus, adhuc ex itinere humaniter salutatis Germanis, quos sexcentos, duce LVDOVICO WEIHER, capitaneo tunc Valecensi, paulo post Pomeraniae palatino, ibi fortuna incolarum casusque fortuitus incluserat, eorum impauidos nec seditiosos, misso cum literis caduceatore ad capitaneum, tentauit animos, dederent nempe arcem vna cum oppido, ipsique iunctis viribus, si saperent, Chmielnicii sequerentur signa, notis sibi itineribus praeeuntia, praemium fore, meliorem vitam in castris Chmielnicii, ac insuper praesens leue militare donarium, quinquaginta millia florenorum pollicebatur [21]). Ast irrita legatio. Non enim Veihero venalis fides erat. Vnde quos donis et promissis corrumpere non poterat, auidus imperii tyrannus, armis aggreditur, arctissime oppidum cingit obsidione, moenia sexaginta tormentorum reboantium sonitu, sine intermissione lacerat, aggeres demolitur, vallum iam superat, plenusque furoris huc atque illuc volitans suos animat, non amplius vnius horae opus extare asserens, quid victores morarentur in noctem victorias? Expugnatum iam a Krzywonos Cudacense fortalitium, caecos memorabat exercitus, captos duces, recuperatas prouincias. Facunda Ruthena saepius reiterabat voce, nunc iam nisi victoriae fructum restare, inde redintegrare assidua dissolutione verberationem, producere vallum, ruinam edere, parare muris superandis scalas manuales, iamque in procinctu erat expugnatio, cum ecce faustissimus et quasi coelo lapsus adest cum literis electi regis ad Chmielnicium nuntius. His rex Chmielnicio significabat, se vnanimi vtriusque gentis consensu in regem Poloniae electum, quem ipsemet Chmielnicki in literis ad senatum datis, priuatisque multoties scriptis ardentissime exposcebat. Sciret ergo et recognosceret superiorem magni Dei ministrum, nec amplius hostiliter per ditiones grassaretur Polonas aut de caetero suos affligeret subditos. Recederet Zamoscio, quod primum subiectionis documentum rex esse volebat. Relinqueret rapinas, quem sciebat militem non praedonem agere, nec barbarum se, sed christianum meminerit, esse. Clauam insuper cum vexillo, more Poloniae regibus vsitato, eidem tunc electus rex transmiserat, addita paterna adhortatione, vt cunctos infamiae, se ipsum morte eximeret. Nam in pace causas et merita spectari: Vbi ciuile bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere. Ad-

1648

Chmielnicius Leopolim obsidet. Ab eodem recedit lytro accepto. Zamoscium obsidet.

Literae electi regis ad Chmielnicium.

21) Hoc est 8333 imperiales, et 8 grossi saxonici.

1648 Adfuturos praeter ea monuit legatos, de mutua tractaturos pace, retrocederet ſolum modo tantiſper, nec vltra progredi praeſumeret in interiorem Poloniam, cuius tunc copiae vario dilapſae iam paulatim Lublino appropinquabant. Hac Chmielnicius lecta epiſtola, acceptata claua vna cum vexillo, oſculo inſuper cerae impreſſo, iubet illo ipſo inſtanti receptui canere, ſolo contentus lytro, viginti millium florenorum a ciuibus accepto, attonitis et in re tam ſubita ſtupentibus Tartaris, qui coenaturos ſe in oppido certo certius oppidanis promittebant. Verſis inde ſignis in Ruſſiam, decem a Zomoſcio leucis retrocedit, coeca prorſus caligine a Deo percuſſus, cui praecipua eſt cauſa regum. Sciſcitantibus ſubinde Tartaris, veritiſque inſidias, de Chmielnicii fide iam ſollicitis reſpondit: Regis ſe ſubditum miniſtrumque eſſe, ac proinde imperio eius morem haud cunctanter gerere: qui in tam horridis motibus et ſub ipſo fere reipublicae diſcriminis ictu, cum victor Chmielnicius ſtabat ad portas, certis conditionibus principi Carolo Ferdinando conceſſis, quinto decimo calendarum Decembris, vnanimi omnium ordinum conſenſu a LVCA de BNIN OPALINSKI Marſchalco regni, extra muros Varſauienſes, ſub dio, vt mos eſt gentis, in regem Poloniae, magnum ducem Lituaniae, caeterarumque prouinciarum principem nominatus eſt, proſequente tormentorum ac bombardarum vndequaque reſonantia.

Chmielnicius paret regiis mandatis et illico a Zamoſcio recedit.

d. 17 Nov. rex eligitur Ioan. Caſimirus.

Rem altius in gratiam externorum de transacta electionis ſolennitate repeto. Coaetaneus eſt naſcenti Polonorum regno, quanquam non nihil ſucceſſione aliquando interruptus, eligendorum regum inueteratus vſus, et hos quidem nemine nobilium contradicente eligere placuit, quod certe portento ſimile, vt tam diuerſa ab inuicem ingenia tandem vnum colliment ſcopum, in vnamque omnes coeant ſententiam. Hinc inquieta plerumque ſperantur comitia, hinc bellorum ciuilium verentur tumultus, multae praeter ea factiones, ac priuata nonnullorum odia. Et quanquam nos obices ſingularis Dei prouidentia a Polona auertat electione, verendum tamen aliquando, ne toties naufragium minitantia ſigna tandem ſubmergant reipublicae nauem nauclero carentem. Electuri regem in apertam planitiem patentemque campum procedunt Poloni, pariterque Lituani proceres, vbi ordinibus velut ad pugnam inſtitutis, de principe eligendo, integro ſex hebdomadarum ſpatio deliberant nobiles. Candidati deinde proponuntur a ſenatu, in quos, vt quisque amore aut odio fertur, ita non attenta naſcendi ſorte, non virtute principis, non periculo patriae, non parentis meritis, indignatur ſaepe ob id, quod nullius eſt momenti, alii falſa vanaque, veluti per ſomnium captantes verba, nec ſui ſatis compotes, ferueſcunt, ſubſanniunt, diceres in vnius inſani capite totam reipublicae conſiſtere felicitatem [22]), Variae deinde a ſenatu excipiuntur legationes diuerſorum Europae principum, ad extremum eligitur princeps. Ita denique peragitur electio.

Electio Poloniae regum.

Redeo ad electionem Ioannis Caſimiri, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarii regis, Poloniae principis, Opolienſis et Ratiborienſis ducis, a qua tantillum digreſſus ſum. Quarta itaque, vt ſuperius innui, indicta Octobris aduenerat dies, diuo Franciſco ſacra, res conſueto modo, niſi quod turbulento ordine, coeptae in aperto campo. Die deinde a confeſſu decimo IOANNES de TORRES Archiepiſcopus Adrianopolitanus, nomine ſummi pontificis Innocentii decimi ita ad rempublicam pleno ſenatu orſus eſt:

Oratio Ioan. de Torres nuntii apoſtolici ad ſenatum.

„Orbatam non parente minus, quam principe Vladislao, ex auguſtiſſima Iagellonum familia rege quarto, Polonam rempublicam, quemadmodum e ſublimi culmine Vaticani contemplatur oculus mundi vigilantisſimus Innocentius X, pontifex optimus maximus, ſic eiusdem non ſine condolentis animi ſenſu miſeratur orbitatem, Reuerendiſſimi,

22) Ob hanc vnicam cauſam in ſalutem regni Poloniae optandum ſed non proponendum eſt, vt reges haereditario iure, non per electionem ſuccederent. Sic enim funeſta illa bella defuncto Poloniarum rege ſemper exiſtentia ſecure euitarentur, neque tantae Poloniae inferrentur ruinae. Dices: Sic rebus ſtantibus timendum eſſe ne regum ambitione temporum ſucceſſu aurea illa Polonorum libertas plane abſumeretur, liberumque regnum in abſolutum paulatim transmutaretur. Reſpondeo: Sereniſſima respublica, quae maximam maieſtatis partem ſibi reſeruat, ſemper poteſt, ſi velit, atque in eo, tempeſtiue laboret, conuenientia inuenire media, quae reges ſuos intra iuſtos terminos cum honore et ſplendore contineant.

„ſimi, Illuſtriſſimi ac generoſi proceres. Et iuſto quidem dolore tantam reipublicae ve- 1648
„ſtrae miſeratur orbitatem amantiſſimus in terris mortalium parens. Quis enim parentis
„dolor eſſe poteſt iuſtior illo, quem vnicus erga dolentes filios exprimit amor? Menſis
„euoluitur prope ſextus ex quo luctuoſam dolet Polonia veſtra regis deſideratiſſimi iactu-
„ram, adeo, vt vniuerſum iam plane terrarum orbem longe lateque diffuſus peruaſerit do-
„lor, et omnem ad complorandam excitauerit hominum vniuerſalitatem. Nimirum non
„vnius Poloniae lacrimis defleri ſatis poterat extinctus Vladislaus rex, tota quanta quanta
„eſt ad herois tanti funus lacrimas ciere debuit vniuerſitas, vtpote quem rerum glorioſe
„geſtarum fama compleuerat viuens optatiſſimus princeps. Exuet illa tamen aliquando
„moerorem ſuum, nempe cum lugubrem Polonia deponet apparatum, nouo tandem
„creato et ad vacuum ſolium aſſumpto rege. Cuius in electionem quando iam propius in-
„tenti eſtis, atque ſtudioſius incumbitis vniuerſi et in vnum vota omnium ſine vlla diſcor-
„dantium animorum diſſenſione conſpirent, per me legatum ſuum viribus omnibus ad-
„hortatur vos, vnitatis ac pacis amator Innocentius. Etenim ſicut concordia res paruae
„creſcunt, ita ex oraculo veteri diſcordia vel maximae dilabuntur. Quam ob rem ne ve-
„ſtrae lapſum reipublicae, cuius amplitudo longe maxima eſt, inutilibus aliquando lacri-
„mis deplorare cogamini, vna inter ſe diſſidentium animorum diſcordia, regnorum vide-
„licet omnium atque rerumpublicarum barbara deuaſtatrix vitanda cumprimis eſt. Quam-
„diu totius bonum corporis partes caeterae ſpectant, altera nunquam ab altera ſeparatur,
„et ipſarum quippe ſeparatione totum ſubito dilabi corpus neceſſe eſt. Heroici vos, par-
„tes corporis grandes eſtis, quotquot hunc in locum electuri nouum regem conueniſtis,
„heroibus magnis non impares viri, ſi bonum commune ſpectatis omnes, priuatos longe
„reſpectus longe amouete, qui dum diſcordiam creant, totius omnino corporis, regni vi-
„delicet et reipublicae ruinam ineuitabilem trahunt. Illum praeter ea ſolio dignum veſtro
„cenſeatis virum, qui Polonae reipublicae curam ita gerat, vt grauiora interim fidei ca-
„tholicae negotia non omittat. Abſit hoc ab electoribus tantis, vt talem Poloniae ſuae
„principem imponant, qui reipublicae addictus totus, quod nationum etiam omnium et
„ſectarum eſt, catholicae curam rei aut modicam aut haberet omnino nullam. Religio-
„nis catholicae propugnaculum inſeparabile Polonia veſtra depraedicatur, at hoc tam
„diu verum erit, quam diu regem habebit catholicae fidei ſtudioſum. Qua igi-
„tur, et a tot ſaeculis ad haec vſque tempora vbique terrarum ac gentium deprae-
„dicatione claruiſtis adeo glorioſa, eiusdem ſitis ſtudioſi in poſterum, qua ratione re-
„tineatis, illamque vobis auctiorem facite tanti nominis gloriam, quam velut haereditariam
„a maioribus habuiſtis. Id autem cum ſancte praeſtiterint, ſemper tota plaudente commu-
„nitate catholica, qui veſtro ſederint in ſolio Iagellonii reges, cumque duos habeatis ex
„eodem ſanguine creatos principes, imperio digniſſimos ambo, alterutrum ex his eligendum
„vobis eſſe, dubitare nemo poteſt. Germina haec duo generoſa ſunt, SIGISMUNDI III
„regis olim veſtri. Et quantum per Deum immortalem in vtroque parentis inſtar apparet, e
„Suecia, regno ſuo euocatus ad regnum veſtrum, Suecos ſuos prae vobis non tantopere
„curae habitos a ſe videre potuit Sigiſmundus, quanquam vtrumque regnum complecti pote-
„rat plurium anima illa regnorum capax. Et amor in vos tantus optimi principis hoc a vo-
„bis impetrare non poterit, vt in filiis regni ſucceſſoribus adoretis genitorem regem? Ha-
„buiſtis paulo ante rerum cum virtute geſtarum fama glorioſiſſimum regem VLADISLAVM ex
„eadem familia principem feliciſſimae recordationis. Plorat adhuc Polona reſpublica tanti
„regis ereptum ſibi decus, nec a lacrimis illa facile temperabit, donec in alterutro e duobus fra-
„tribus videat ſibi reſtitutum Vladislaum regem. Eadem ſcilicet in vi cognoſcere eſt ſemi-
„na virtutis, quae in animis liberorum omnium ſeminauit Sigiſmundus parens. Et ne
„gratis haec dicere videar ad ſereniſſimae familiae commendationem, adeſſe rogo vos prin-
„cipes, caeterique nobiliſſimi proceres, ſi ferali fidere praelucentem Ottomanicam lunam,
„vobiſque periculoſius imminentem procul a Polonico coelo diſiectam non vidiſtis: Si re-
„cuperatam regno veſtro Smolenſcum arcem, eiusdem regni propugnaculum longo muni-
„tiſſimum iactare non poteſtis! adeo non vna victoriarum gloria formidabilis extitit Vla-
„dislaus. Quanto vero ſtudio rem catholicam vna cum Vladislao filio rege promouerit
„Sigiſmundus rex parens, quid attinet dicere? cum et id in oculis omnium fuerit et in
„omnium gentium luce collocatum, Fouerunt ipſi ſemper, neque enim hoc obuoluendum
„ſilentio eſt, regalique plane ſtudio fouerunt chriſtianae fidei promotores, gnari videlicet
„non exiguum reipublicae praeſidium comparari, ſi Chriſti fideles plurimum eorum ope-
„ra vterentur. Semper enim reipublicae fidelis eſt, quicunque fidelis Chriſto eſt. Venerabilis

1648 „proinde cleri atque ordinum religioſorum amantem regem eligendum, nemo non veſtrum „videt, ſi ſaluam omnes incolumemque rempublicam veſtram ſeruare velitis diu. Hi nempe „catholicam fidem intermiſſo nunquam labore propagant, ſcriptoque ſimul et verbo caeteros „iuuant praeſidiarios reipublicae veſtrae fideles. Pluribus proinde, apud vos, omni pru„dentia praecellentes viros, vti non eſt opus, ſapientibus quippe rem indicaſſe ſatis eſt. „Quare agite et iunctis in vnum ſuffragiis omni procul ablegata cordium diſſenſione pro „ea, qua poteſtis plurimum libertate, regem eligite, reipublicae Polonae ſalutarem, chri„ſtianae religionis amantem Iagellonicae familiae glorioſum. Dixi.

Ita Ioan. de Torres docte et eleganter. Dein porrexit ſummi Pontificis ad rem-
Innocentii X Pontificis ad rempublicam literae. publicam ſcriptas literas huiusmodi tenoris:

„Venerabilibus fratribus et dilectis filiis, nobilibus viris, archiepiſcopo Gneſ„nenſi Poloniae primati, et ſenatoribus regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae,

Innocentius Papa X.

„Venerabiles fratres et dilecti filii, nobiles viri, ſalutem et apoſtolicam benedictio„nem. Vladislaus rex, quem mortuum nunquam ſine dolore audiſſemus, nunc incom„modo plane reipublicae veſtrae tempore ereptus ingenti ac moleſto animi ſenſu ſollicitu„dines noſtras adauxit. Etenim nobiliſſimas aeque ac fortiſſimas gentes, quas pro vniuerſa „re chriſtiana, aſſiduo excubantes in ſinu apoſtolicae charitatis gerimus, rebellantibus Co„ſacis, irruentibus Tartaris, Turcis etiam in Chriſtianum nomen furentibus, capite in„tempeſtiue deſtitutas praecipue dolemus, eo praeſertim rege amiſſo, cuius ſpectata virtus „ac triumphalis gloria, ſolo nomine exterrendis hoſtibus, ac periculis omnibus propulſan„dis ſupereſſe poterat. Sed miſericordem Dominum rebus veſtris ac ſuae prorſus cauſae, „diuina ope adfuturum, plane confidimus nec dubitamus. Vos pro veſtra in patriam et „catholicam religionem pietate, omnia tali in re hoc interregni tempore et prudenter dire„cturos et ſtrenue adminiſtraturos fore. Nos certe, qui pio et de hac ſancta ſede optime „merito regi, vel priuatim vel in publico ſacello Pontificio adſtante apoſtolico ſenatu, et „praelatorum coetu omnia paternae charitatis officia perſoluimus, Deum pro iſtius regni „publico bono inceſſanter oramus, cuncta pro viribus ſemper praeſtituri, quibus intelligi „poſſit, quanto apoſtolicae dilectionis affectu Poloniae ac Lituaniae rempublicam amplecta„mur. Vobis, venerabiles fratres, nobiles viri, quorum ſingulare in hanc ſanctam ſe„dem ſtudium, etiam in literis veſtris eximie expreſſum agnoſcimus et diligimus, benedi„ctionem noſtram prorſus ex animo paterne impertimur. Datum Romae, apud ſanctam „Mariam maiorem, ſub annulo piſcatoris, die XXV Iulii MDCXXXXVIII. Pontificatus „noſtri anno quarto

Franciſcus Herlius.

Sequenti deinde mane aderat Chriſtianiſſimi Galliarum et Nauarrae regis Ludouici XIV extraordinarius ad rempublicam Polonam legatus, illuſtriſſimus vicecomes de Arpaion, qui nomine domini ſui ita dixit:

Galliae legati oratio ad ſenatum. „Qui ſibi proponeret ob oculos medio mari vi vndequaque ventorum vexatam, mi„nacique circumfluxu obſeſſam nauem, firmam tamen et immotam remanere; non mul„tum reuera abſimili cum Polona republica vteretur comparatione. Quotieſcunque enim „infenſiſſimi iſtius ſereniſſimae reipublicae hoſtes eam opprimere minati ſunt, licet am„pliſſimis exercitibus, vt populos terraſque ſuas in Poloniam deportaſſe viderentur, toties „dedecus et infamiam incurrerunt.

„Fremant quantumuis aduerſus ipſam Tartari, ipſiuſque ruinam quotidianis in„curſionibus meditentur, meditari tantum profecto potuerunt, labefactare nunquam: in„fideles rabiem ſuam in ipſius exitum cum ſuis infinitis legionibus abſorbere conentur, „tori poteſtati haec ſtabiliendae incumbant, veniant, vincentur: veſtrique ad extre„mum rebelles ſerio in dominos naturales inſurgant, veſtram aggrediantur auctori„tatem, ſalua ſemper et inconcuſſa permanebit. Etiamſi tamen talis hucuſque fuerit „ſtatus

„ſtatus veſtrae reipublicae, et veſtra virtute et ſingulari quadam prouidentia a Deo ſer- 1648
„uatus videatur, pro incerta rerum humanarum conditione, inter tot vobis ingruentes „hoſtes nihil negligendum exiſtimamus, ad quos ergo deprimendos, duo Vobis neceſſaria „iudicamus. Primo perfectiſſima illuſtriſſimae vtriuſque gentis reipublicae concordia et „vnio, promptiſſimaque noui regis electio, qui et fortitudine ſua et in armis tractandis „experientia excitatos tumultus poſſit componere, armorumque vi diſſipere. Omnia regna, „quae hoſtium machinationibus diuiſa vnquam fuere, eiuſdem periculi et ſalutis nobis prae„bent exempla, qui in his diſſenſionibus permanſere et in iiſdem ruinam experti: ſed qui „in praecipitium non inciderunt, oculos adaperuerunt, diſcriminis ſui cauſa derecta, ſpar„ſos ciues in vnum coegerunt, inimicorum inſidias merito irriſerunt, et ad priſtinam glo„riam denuo ſe euexerunt. Antiqua reipublicae fortuna cito inter ſua membra, ſacram „illam vnionem, ſolitorum triumphorum originem, enaſcituram, nobis iubet ſperare, nul„laſque in rege eligendo diſſidentias fore certiſſima argumenta ſuppeditat. Cum vobis, „excellentiſſimi Domini, in ſtirpe regia duo ſint principes, ambo ſtrenuiſſimi, ambo mi„randis, ſed differentibus dotibus adornati, ambo etiam reipublicae neceſſarii. Et ſicuti „Deus omnimode opera ſua patefacit, maxime tempore belli, huic primogenituram et „animum, milites et populos regendos conceſſit. Illius enim tyrocinia magni Vladislai „felicis memoriae fuere triumphi, in quibus ſanguinem ſuum primo reipublicae deuouit, „edidicit externorum regnorum mores, ritus, idiomata, rationes, ſecreta denique conſi„lia ad conſeruationem regnorum plane neceſſaria, et vt nullis deficeret, quibus reipublicae „fauoribus dignior efficeretur, praeripuit fratri ſuo naſcendi ordinem, quia ſemper, etiam „in libertate ſumma eligendi, primogenitura venerata eſt. His Deus ſereniſſimum princi„pem Caſimirum regem illuſtrauit, et ſereniſſimum principem Carolum tanta prudentia, pie„tate et deuotione adornauit, vt conſilia ſua auxiliaque diuina, veſtris viribus adiunctis, „ſicut Araon, fratris ſui et reipublicae triumphos acceleret et augeat. Inde eſt, excellen„tiſſimi domini, quod nomine chriſtianiſſimarum maieſtatum vobis CASIMIRUM regem „exoptamus, ne quis ſibi fingat, chriſtianiſſimas maieſtates propriae ſolum vel alterius „quam Poloniae vtilitati hiſce ſuis votis ſtudere. Tota Europa vidit quanta hucuſque ege„rimus fide cum noſtris foederatis. Batavi norunt, ſi poſt exhauſta nummorum et homi„num millia, penes nos aliquid remanſerit, quod gloriae ipſorum ſeruiret, nunquam „aliud in confoederatos moliti ſumus, aut aliud conſilium habuimus, quam reſtaurandi legi„timum principem ipſumque naturalibus ſuis ſubditis reſtituendi. Sueci et Haſſi noſtrae „confoederationis commoda libenter fatebuntur. Haec omnia iam vobis facile perſuade„bunt, quam multum nos confoederatis conſulamus, quanto opereque ipſorum gloriae „conſeruationi et incremento ſtudeamus. Itaque cum vehementiſſimus Gallorum inter „foederatos affectus et peculiaris erga veſtram ſereniſſimam rempublicam propenſio, „omnibus plane innoteſcat, nobis ab hoc ampliſſimo ſenatorum et nobilium coetu, li„ceat talium amicorum votis conſonum ſperare, liceat Caſimirum regem deſiderare, „qui hoſtium veſtrorum ambitionem non foueat, iſtudque Chriſtianorum omnium „propugnaculum integrum et illaeſum conſeruet et noſtras nationes, iam aliunde ani„morum ſimilitudine inter ſe conuenientes nouo perpetuoque foederis et amoris vin„culo melius adhuc coniungat. Dixi.

Aliquot deinde interpoſitis diebus legatus ſereniſſimae Sueciae deſignatae reginae Laurentius Cantherſthren in faciem admiſſus reipublicae, ita dominae ſuae nomine dixit:

„Celſiſſime princeps, reuerendiſſimi, illuſtriſſimi, reuerendi, illuſtres, et magni- Sueciae le-
„fici domini, ſereniſſimae huius reipublicae ſenatores, ordineſque regni, domini obſer- gati oratio.
„uandiſſimi.

„Sacra regia maieſtas, domina mea clementiſſima, celſitudinibus, excellentiis et „illuſtritatibus veſtris ſtudia et beneuolentiam ſuam promptiſſimo affectu defert, Deum „optimum maximum inſuper rogans, vt proſpera quaeque eiſdem largiri velit, faxitque vt „conſilia actioneſque earundem laetus ſemper conſequatur euentus. Sacram regiam maie„ſtatem ſummo dolore affecit, quod compererit fratrem conſanguineum et amicum ſuum „charisſimum, ſerenisſimum principem dominum VLADISLAUM *quartum* regem Polo„niae, gloria rerum geſtarum eximium, humanis rebus ereptum, ſupremam obiiſſe diem, „nec potuit quin hunc caſum ſerenisſimae huius reipublicae nomine grauiter ferat, optans,

1648 „vt ſtator rerum omnium Deus, pro bonitate ſua hanc orbitatem compenſare, feſſiſque „chriſtiani orbis rebus, pariter huic reipublicae ſalutaribus prouidiſque conſiliis, illuſtriſ„ſimarum et illuſtrium DD. VV. ſuccurrere velit, cumque perſpectum habeat ſacra regia „maieſtas, illuſtritatibus veſtris id in primis curae eſſe, praeſertim afflictis hoc tempore „Europae atque chriſtiani nominis rebus, vt amplisſimae huic reipublicae prouiſum tan„topere imperio digne conſulatur. Idcirco quamuis de ſollicitudine ſtudioque earundem „in eo, conſeruanda corroborandaque amicitia, pactorumque vi, quae inclita haec regna „coniungit, nullatenus dubitet S. R. M., verum ſibi perſuaſum habet, illuſtrisſimas „celſitudines veſtras, eandem continuare, propriamque et perpetuam hiſce regnis „facere velle, tam ob proprium ſuum intereſſe, denique mutuam horum regno„rum ſalutem, firmioremque amicitiam, atque omnibus, quibus coniunctioris amici„tiae nexus diſſolui ac interrumpi poſſet, ire obuiam. Operae pretium eſſe duxit S. R. M. „celſitudines veſtras amice beneuoleque commonere, vt in eligendo nouo rege, ea omnia „remoueant, atque praeſcindant, quae vel inimicitias excitare vel perennem inter vtroſque „reges regnaque amicitiam remorari poſſent. Quibus rite obſeruatis, prout celſitudines „veſtrae harum rerum momenta pro innata ſibi prudentia et aequanimitate, facile norint di„iudicare, non putat reticendum S. R. M. nemini ſe potius faſtigium in Polonia regium „exoptare, quam regis Sigiſmundi filiis ſerenisſimis principibus, domino Ioanni Caſimiro „et domino Carolo Ferdinando, quorum cauſam S. R. M. illuſtrisſimis DD. VV. commen„dare vult, tum quod propinqui ſanguinis coniunctio ſpem eidem ingeneret coniunctionis „animi, tum quod ipſorum virtutes S. R. Mti vel maxime ſint laudatae. Ad haec cum „ex poſtremorum pactorum praeſcripto vrſerit inſtiteritque diligentisſime illuſtrisſimus „Curlandiae dux, vt durantibus induciis tractatus pacis perpetuae reaſſumerentur, non erit „ab affectu et inclinatione S. R. Mtis alienum, ſi modo ſerenisſimae huic reipublicae ea„dem mens, idemque deſiderium fuerit, vt quam primum commiſſarii vtriuſque regni con„ueniant, eaſque ineant rationes, quibus pacem amicitiamque perpetuare aeternamque fa„cere poſſint, prout haec omnia binis hiſce literis vberius fuſiuſque ſunt expreſſa, quas ex „mandato dominae meae clementisſimae exhibeo, relaturus vt confido propediem reſpon„ſum expectationi S. R. Mtis amicitiaeque inclitorum regnorum congruentisſimum. De „caetero illuſtritatibus veſtris ſummas agens gratias pro tam benigne mihi indulta audientia, „earumdem me beneuolentiae fauorique impenſe commendo, id vnice rogans, vt ſi quae „noua mandata a domina mea clementisſima in poſterum accepero, liceat mihi eädem pro „ſumma humanitate veſtra, vel coram vel ſcripto inſinuare.

Haec redigiſſe in ordinem haud piguit, vt appareat quot Caſimirianae electioni ſubſcripſerint Europae principes, quid de illa tunc ſenſerint, quid ab illa expectauerint.

Redeo ad electum regem Ioannem Caſimirum qui proxima a publicatione die, metropolitanam ſancti Ioannis baptiſtae Varſauiae eccleſiam cum frequenti ſenatorum nobiliumque comitatu inuiſit, peractoque ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, regni primate primoque principe ſolenni ſacrificio, acceſſit ad altare maius, vbi illi decretum electionis in charta pergamena conſcriptum ab Archiepiſcopo traditum eſt, omnium procerum nobiliumque, qui electionis tam ſolenni actui aderant, praecipuorum ſubſcriptionibus et ſigillis munitum. Tandem poſtridie ſenatus in palatio regio congregatus legatis externorum principum reſponſa dedit, actis gratiis ſolennibus ſummo pontifici, regique chriſtianiſſimo, vtpote quorum deſideriis per Caſimirianam electionem ſatisfecerat respublica. Sueciae vero reginae his conceptis verbis reſcripſit ſenatus:

Poloniae ſenatorum ad Sueciae reginam literae.

Sereniſſima et potentiſſima Regina,

Domina et Vicina noſtra colendiſſima,

„Quam acerbum animi dolorem Maieſtati Veſtrae attulerit immatura et importuna „mors ſerenisſimi et potentisſimi regis Vladislai IV Domini noſtri clementisſimi facile „intelligimus, cum arctisſima ſanguinis vincula, quibus ille Maieſtati Veſtrae coniunctus „fuit, nobiscum reputamus. Si enim occaſui tanti regis longisſima vita ob raras virtutes „digni, indoluere, nullo ei ſanguine iuncti, fieri profecto non poteſt, quin Maieſtatem Ve„ſtram tam ſtricta conſanguinitate regi noſtro propinquam, ex morte eius grauisſimus do„lor

„lor non afficiat. Sed Maieſtatis Veſtrae luctus etiam vltra ſanguinis et fraternitatis termi- 1648
„nos diffunditur, cum M. V. gnara et bene conſcia, qualem et quantum regem respublica
„noſtra et vniuerſa chriſtiana amiſerit, vltroque pro ſua prudentia et optimo in rem chri„ſtianam animo compatitur. Multis quidem ſerenisſimus et potentisſimus rex noſter fle„bilis occidit, ſed nulli magis, quam regno huic, quod ſub felicisſimo ipſius imperio glo„ria, pace et omni tranquillitate efflоruerat. In tanto reipublicae noſtrae luctu magnum
„capimus ſolatium, quod Maieſtatem Veſtram doloris noſtri habeamus ſociam, vti per li„teras ſuas et magnificum dominum Laurentium Cantherſthren, ſecretarium ſuum, vber„rime id declarauit. Quo nomine Maieſtati Veſtrae maximas habemus gratias, Deumque
„precamur, vt tam funeſtos caſus a regia Maieſtatis Veſtrae domo auertat, eamque omni„bus deſideratis ſucceſſibus faciat perpetuo felicem et fortunatam. Quod vero attinet al„teram partem epiſtolae Maieſtatis Veſtrae, in qua M. V. poſt conteſtatum dolorem ſuum
„ex morte ſerenisſimi regis noſtri, ea, quae ſingulari ſua prouidentia vtrique regno et toti
„reipublicae Chriſtianae vtilia praeuidet, nobis exponit: Nimirum plurimum intereſſe,
„vt in eligendo nouo rege in eum conuerteremus oculos, isque in ſceptra Polonica ſucce„deret, qui pactorum initorum conſeruandorum et amicitiae perpetuo colendae eſſet ſtu„diosisſimus, et inſuper ea remoueret, quae his aduerſantur. Agnoſcimus in eo Maieſta„tis Veſtrae vere chriſtianum animum, hoc vnum exoptantem, vt pace perpetua inter haec
„duo regna ſtabilita, arma noſtra in communem potius chriſtiani nominis hoſtem vertan„tur, glorioſius et vtilius ibi exercenda. Itaque Maieſtati Veſtrae ſancte pollicemur rem„publicam noſtram nihil magis cupere, quam vt compoſitis et ſublatis armorum cauſis,
„aeterna et perpetua pax amicitiaque cum Maieſtate Veſtra et inter haec duo regna ſerue„tur. Quam ob rem in hiſce electionis comitiis, omnia conſtituta et prouiſa ſunt, quae
„tanti momenti negotio tractando et finiendo pacique perpetuae ineundae ſunt neceſſaria
„et conuenientia. Quod reliquum eſt, vel inde Maieſtati Veſtrae patebit, quanto respu„blica noſtra flagrat ſtudio perpetuae et illibatae amicitiae cum Maieſtate Veſtra colendae,
„quod in hiſce comitiis electionis noui regis primam et praecipuam rationem habuit, non
„modo communis commendationis, qua Maieſtas Veſtra ſerenisſimos duos fratres princi„pes commendauit, ſed etiam voluit, vt omnino voluntati Maieſtatis Veſtrae ſatisfieret,
„cum praecipue ſerenisſimum principem IOANNEM CASIMIRVM ſecundis literis di„gnum iudicauit, qui regium apud nos decus capeſſeret. Speramus itaque id curae Ma„ieſtatis Veſtrae gratum, tum vtrique regno fore ſalutare, quod toto corde orantes Deum,
„Maieſtati Veſtrae felix et diuturnum imperium precamur, paratisſimaque ſtudia et offi„cia noſtra deferimus. Varſauiae d. 28 Nouembris 1648.

Extat et alterum literarum ad Sueciae reginam exemplum ſequenti fere die ad eandem ex occaſione renouandorum foederum his conceptis verbis ſcriptum:

Aliae Poloniae ſenatorum ad Sueciae reginam literae.

Sereniſſima et potentiſſima Regina,

Domina et Vicina noſtra colendiſſima,

„Notum perſpectumque eſt reipublicae noſtrae ſtudium et cura illuſtrisſimi Cur„landiae ducis, vt durantibus induciis tractatus pacis inter ſerenisſimum regem, rempubli„cam regnumque Poloniae et Maieſtatem Veſtram reaſſumatur. Id enim viuente adhuc
„ſerenisſimo rege noſtro egit, perſpexitque, cum ſerenisſimum olim regem noſtrum, tum
„vniuerſam rempublicam noſtram pacis cupidam id optare, vt ſublatis belli cauſis
„perpetua pax et amicitia cum Maieſtate Veſtra redintegretur. Qua de re cum Maieſtas
„Veſtra literis ſuis nos compellat, eſt quod ſperemus, inclinatis iam vtrinque ad pacem per„petuam animis, Deum communia iſta vota noſtra felici euentu cumulaturum. Mediatores
„quod attinet, illi quidem pactis nominati ſunt, quos compellatos et rogatos affuturos
„operamque piam et ſalutarem, hac in re vtrique regno nauaturos non dubitamus. Cae„terum cum ſerenisſimus Britanniae rex, domeſtico bello impeditus adeſſe non poſſit, quo„niam placet Maieſtati Veſtrae in eius locum ſubrogari rempublicam Venetam et nos liben„ter in eam conſentimus. Optauiſſemus quidem congreſſum hunc Francofurti ad Ode„ram haberi, multasque et iuſtas cauſas huius noſtri deſiderii habuimus, ſed vicit auctori„tas Maieſtatis Veſtrae, vt in Lubecam conſentiamus, illuc commiſſarios noſtros ablega„turi quam primum a mediatoribus de tempore facti erimus certiores, qua de re mentem

 „illorum

1648 „illorum expiſcari non omittemus, certe idem facturam Maieſtatem Veſtram, vt quam pri-
„mum coadunato commiſſariorum noſtrorum congreſſu, negotium hoc vtrique regno deſi-
„deratum ex dignitate et emolumento vtriuſque gentis perficiatur. Illud Maieſtati Veſtrae
„iterato pollicemur, rempublicam, vti hactenus inita foedera religioſe coluit, ita perpe-
„tuae cum Maieſtate Veſtra amicitiae cupidisſimam eſſe, totumque id in hiſce comitiis pro-
„uidiſſe et ſtatuiſſe, quod paci perpetuae conciliandae vtile et neceſſarium iudicauit.
„Quod vberius Maieſtati Veſtrae referet magnificus ac generoſus Dominus Laurentius Can-
„therſthren, Maieſtatis Veſtrae Secretarius. Nos felicisſimos quoque et deſideratisſimos
„rerum ſucceſſus Maieſtati Veſtrae a Deo precati, noſtra officia promptisſima deferimus.

Tum demum ſenatus ſubſcripſit acta electionis, in quibus conuentus terrarum
d. 15 Dec. ſingulares ad XVIII calendas Ianuarii, comitia vero coronandi regis Cracouiae celebranda
d. 17 Ian. ad XVI calendas Februarii indicebantur.

Lituanorum contra Coſacos victoria nobilis.

Tenebrante veſpera nuntiatur regi Lituanos circa Pinſcum Ruſſiae ciuitatem, et Olykam, ducis Radiuili oppidum, viginti millia Coſacorum proſtrauiſſe redacto in cineres Pinſco, quae iam dudum vulcano conſecrata erat ciuitas, ipſoque nebulone SEMILVNA, ductore exercitus occiſo, qui in primo agmine fortiter dimicans quaſi imperator, occiſus eſt. Atque haec prima fuit de ſacrilegis in M.D. Lituaniae vltio. Huic ſcelerato alter a Chmielnicio tyrannus, homo ſine nomine, ſine tribu, NIEBABA [23]) dictus, ſubſtituitur. Sed et hic vltrices breui Lituanorum expertus manus, palo affixus, non vt miles, ſed vt ſceleratus latro, debitas poenas luit. Hunc ſequutus eſt paulo poſt, pari affectus ſupplicio GLOWACKI, nobilis, vt creditur, Polonus, ſed qui turpisſima rebellionis noxa omnem exuerat nobilitatem. His tandem ſuffectus *Sesquipellis*. Res notatione digna eſt, Lituanos in hanc vsque diem fortuna vſos meliori, ſemper proſtrauiſſe Coſacos minori exercitu. Haec in Lituania geſta, duce IANVSSIO RADIVILIO, S. R. imperii principe, adhuc ante regis electionem.

Vix electo Polonorum regi ſtatim ſine nomine futura praedicunt Chaldaei diuerſarum gentium. Inter caetera illud prognoſticon fuit ex Gallia transmiſſum regi, huiusmodi tenoris: *Duodecim imperabis annis et ſemper in armis.*

Alii hunc vltimum regem Polonorum in quo mutaretur regnum, ex Kochanouii Poloni deſignabant vaticinio. Eruebant et antiqua de rege peregrino oracula, quae nulli niſi ſoli applicabant Ioanni Caſimiro. Addebant: Male affectus a Polonis, fore vt alicuius ſicarii caderet manu duodecimo imperii anno. Fuere et alia quae ſtudio ego omitto [24]).

Cudacenſe fortalitium per Coſacos euertitur.

Interea ad Boryſthenem cudacenſe captum refertur fortalitium. Arx eſt CVDACVM, qua parte Boryſthenes pontum Euxinum ſubit, genio loci praeualida, fluuioque Dnieſto dominans praedae cohibendae, quae per excurſiones Coſacorum in dominia Ottomanica ſolita fieri, ſtatio opportuna, praeſidio quadringentorum militum firma. Caſtellum procurabat GRODZICZKI, emeritus miles et veteranus. Huc ſe recipit rebellium audacia. Poſt octauum a prima obſidione diem, vallis in foſſam productis, murum contingebant Coſaci, mox ſuffoſſo cuniculo diruendum, cum obſeſſi deſperato penitus ſubſidio in deditionem inclinant. Nec multo poſt egreſſus tympaniſta, veniam colloquii petit et impetrat. Summa petitionis fuit vita et libertas, reliqua victoris arbitrario permittebantur.

23) BABA ſignificat in lingua Polona, vetulam, et NIEBABA non vetulam. Nomen KRZYWONOS, quod ſupra occurebat, deſignat curuum naſum, Germanice, Krummnaſe.

24) Aſtrologica iſta ſapientia pene ſemper futilis deprehenditur, et niſi aſtronomi, ſeu potius aſtrologi, ſatis prudentes ſint, vt generalia tantum, quae facile euenire poſſunt, praedicant, nunquam non fallunt, experientia teſte. Futura certo certiora praedicere non hominum eſt, probabiliter autem vaticinari omnium rerum vſu ſubactorum prudentum, nulla in medium adhibita aſtrologia. Sic iſti, qui de Ioanne Caſimiro rege hic vaticinati ſunt, omnes mendaces extiterunt. Quod ſi praedixiſſent illo tempore, Caſimirum, abdicato ſe ſua ſponte regno, abbatem ſani S. Germani in Gallia moriturum, tunc et ego aſtrologos crederem vates.

tur. Acceptam habet ſesquipellis, id mangonum duci nomen, ſub ea lege deditionem. 1648
Fit interea tumultuaria laniſtarum in caſtellum irruptio, non ſeruata militi et oppidanis fides, ſternunt ferro obuios lixae, centuriones fune reuincti, traducuntur in ſeruitutem. Hic Cudacenſis fortalitii finis. Quanti momenti Polonis arx iſta fuerit, vel ſola hoſtium confeſſione conſtat, qui liberum tranſitum ad depopulandam Thraciae oram, Cudaco in poteſtatem redacto, ſe habere iactabant. Adeo ligo et pala, vt arcem extruunt, ita deſtruunt quoque.

Sed regem altior cura premebat, quos tandem ſumma cum poteſtate legatos ad rebellem mitteret Chmielnicium, paulatim in pacem flexum, et cauſam populi iam per commiſerationem apud nouum agentem regem. Remoram ergo quandam Coſacis iniicere placuit. Lecti attamen tractatum pacem oratores a rege, ADAMVS de Bruſilow KISIEL, palatinus Braclauienſis, ALBERTVS MIASTKOWSKI, Succamerarius Leopolienſis, viri illuſtres. Hi ſtatim primis diebus Decembris iter ſuum aggreſſi, non niſi circa finem decurrentis anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi octaui, Peraslauiae in vlteriori Ruſſia, receptum a rege et republica mandatum perſequi aſſerunt, ſuſpenſis ab vtrinque armis.

Gerhardus Dönhof et Zbigneus Firlei moriuntur.

Per idem tempus GERHARDVS Comes a DÖNHOFF, palatinus Pomeraniae, belli et pacis artibus aeque inſtitutus, poſt nauatam diu regi et reipublicae operam, defenſum Torunium, fractos Suecos, pace Boruſſiae procurata, bina recenter in Gallias ad Ludouicum XIV, Galliae et Nauarrae regem potentiſſimum functus legatione, moritur. Palatinatum rex bene de republica merito, ob ſeruatum Zamoiſcium, Lodouico Weiher, capitaneo confert Valecenſi. Paulo poſt diem obiit ſupremam Varſauiae ZBIGNEVS, comes de Dombrouicza FIRLEI, Lublinenſis gubernator, principe Firleiorum familia in Polonia natus, palatini Sendomirienſis, magni quondam ſenatoris, magnus filius.

Altero deinde poſt diſceſſum Varſauia legatorum die, ſuper funeris pompa diſceptatum eſt, cuius corpus huc vſque a medio Iunio Varſauiae in principe baſilica diu Ioanni baptiſtae ſacrata depoſitum, ſuprema expectabat funeralia. Deinde de coronationis ſolennitatibus, cum diuerſis rex egit perſonis. Neque mora, ſecunda anni ſubſequentis 1649
milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi noni, Ianuarii die (quae mortalis et vltima vitae accidit Zbigneo comiti Firlei, capitaneo Lublinenſi, viro in republica magno) rex numeroſo multorum ſenatorum nobiliumque ſtipatus agmine, Varſauia Cracouiam, praemiſſo ante aliquot dies fratris funere, ſuum regale auſpicatur iter. Primo tamen Czenſtochouiam diuertit, veneraturus locum miraculoſa diuae virginis imagine famoſum, ac tandem decima quarta eiusdem menſis circa horam vigeſimam ſecundam per portam Florianam dictam, ea magnificentia vrbem ingreſſus eſt, vt triumphum potius quam ingreſſum diceres. Praecedebant in primis inter feſtiuos tubarum et tympanorum clangores, tormentorumque ac bombardarum ſonitus ciuitatis Cracouienſis variorumque optimatum cohortes, quas ſequebantur nuntii terreſtres, immixti magno nobilium iuuenum globo ſuperbe ornatorum. Modico ab his diuortio vltra ſexcenti, capitanei, caſtellani, palatini et alii, ſuo quisque ordine equitabant, horum agmen claudebant abbates, praelati ac reliqui eccleſiaſticae praeeminentiae homines. Immediate regem ipſum epiſcopi, STANISLAVS a Buzenin PSTROKONSKI, epiſcopus Chelmenſis, adminiſtrator abbatiae Tynecenſis, ANDREAS de Leszno LESZYNSKI, Culmenſis et Pomeſaniae epiſcopus, procancellarius regni, GEORGIVS TYSKIEWICZ, epiſcopus Samogitiae, PAVLVS PIASECKI Praemisliensis epiſcopus, adminiſtrator abbatiae clarae tumbae, ANDREAS SZOLDRSKI, Poſnanienſis epiſcopus, NICOLAVS ALBERTVS de Olexow GNIEWOSZ, Vladislauienſis et Pomeraniae epiſcopus, PETRVS GEMBICKI Cracouienſis antiſtes, dux Seueriae, MATTHIAS LVBINSKI, archiepiſcopus Gneſnenſis, legatus natus, regni primas ac primus princeps, vna cum Mareſchalcis vtriusque gentis, Luca de Bnin OPALINSKI, regni ſupremo, IOANNE ANTONIO TYSKIEWICZ ac ADAMO in Czasnicki KAZANOWSKI praecedebant. Tum demum rex ipſe albo ſublimis equo, Gallico indutus cernebatur habitu. Ingreſſo regi prima ſtatio in principe baſilica fuit, primaque regem in vrbe ſalutauit eccleſia proloquente clero. Deinde poſt decantatum diui Ambroſii et Auguſtini hymnum mille ex cera facibus illuſtrantibus noctem, ſecedit in regale palatium princeps,

1649 hunc ſequutae confuſae acclamantium voces, quadraginta tormenta bellica ex muris diſploſa, omnis artificii ignibus tota nocte micantibus.

Funus Vladislai IV.

Poſtera dies, haec fuit decima calendis Februarii, ceſſit iuſtis perſoluendis VLADISLAO regi. Summo itaque mane proceſſit lugubris pompa praeeuntibus longo ordine monachorum ſacerdotumque agminibus, ipſum feretrum auro textis periſtromatis, coronis, ſceptris ab aliis inſigniis regiis ſuperimpoſitis opertum. Antecedebant epiſcopi Chelmenſis, Culmenſis et Pomeſaniae, Samogitiae, Praemislienſis, Posnanienſis, Cuiauienſis, Cracouienſis, vna cum archiepiſcopo Gneſnenſe, et nuntio apoſtolico, Ioanne de Torres, archiepiſcopo Adrianopolitano. Feretrum ipſum ſequebatur rex cum turba ſenatorum, nobiliumque, animo lugubriore quam veſte. A lateribus ſtipatores regii, inuerſis vti aſſolet incomptisque ſignis ac reliquis triſtitiae imitamentis. Hos praecedebant equites, vexilla omnium prouinciarum ferentes, in quibus regni ſingularumque eius dynaſtiarum inſignia opere Phrygio artificioſe intexta cernebantur. Hac exequiali pompa illatum eſt corpus Vladislai in diui Stanislai principem regum baſilicam. Iuſta deinde illi perſoluebantur a magnis, pompa et luctu, nedum ſolius Cracouiae, Europae vrbibus, vbique Vladislao ponentibus mauſolea: Queis vita ipſius continebatur: Vt puer laborum aſſuetudine in bellum inſtitutus: Vt adoleuiſſet in caſtris: Vt non poſuiſſet arma niſi poſt debellatos hoſtes: Vt perennis in ſenectam laboris: Vt parto demum regno, vita illi pacifica et manſueta, voto ſuorum breuior. Haec de Vladislao vrbium regina Roma, haec Mantua Carpetanorum, Hiſpaniae regum faſtus, tantumque extinctum Europae dolebant regem. Iuſtis perſolutis rex fratris corpus, prope Caeciliae reginae auguſtisſimae [25]), quondam coniugis Vladislai depoſuit tumulum, corpus inquam regis illius, cui certatim virtutes merebant omnes, prae caeteris liberalitas. Saepius omnium prodigus, ſi quem petentem agnouerat, adeo, vt quandoque per profligatos profuſione immenſa obuentus, deſideraret ipſa in victum alimenta, quae a familiaribus mutuari cogebatur, in anteceſſum largita, vnde viueret. Vnus illi fuerat a venere naeuus, regibus noxa leuior. Hinc ad Ararim Ligerimque Galliae, breues et infauſti populo Polono quaeſiti ad breue tempus amores, ſpreto auguſtae domus connubio [26]). Quanquam hoc connubium nemini tunc Gallia, niſi DOMINICO RONCALLIO Italo, Varmienſi adſcribit canonico, qui regi Polono, vt eximiae venuſtatis virginem commendauerat, corruptus a Cardinali MAZZARINO, Gallicarum rerum tunc arbitro, aureo monili, quod ille poſtea amicis Romae oſtentabat, praemium decepti Poloni regis. Caeterum aula excedere iuſſus RONCALLIVS, reginae beneficio vixit Romae, primo vt miniſter, mox vt exul, reſignato paulo poſt canonicatu Varmienſi in perſonam meam. Plura de tanto adiicerem rege niſi vitam eius in memoriales digeſtam libros ſcripſiſſet ante me WASSENBERGIVS, et nouiſſime PIASECIVS [27]). Regina huic coniugis tam luctuoſae non aderat ſolennitati, febri enim huc vſque detenta Varſauiae decumbebat.

Poſtquam

25) CAECILIA RENATA fuit imperatoris FERDINANDI II filia, quam VLADISLAVS IV rex A. 1637, d. 12 Sept. Varſauiae in matrimonium accepit. Vidit ex ea principem SIGISMVNDVM CASIMIRVM filium vnicum Vladislaus pater, A. 1640 d. 1 Aprilis, qui aetatis anno octauo d. 9 Aug. A. 1647 luctuoſius patri, quam Polonis, mortuus eſt.

26) Vladislaus nempe LVDOVICAM MARIAM, ducis Mantuae CAROLI filiam, quae in Gallia nata atque educata fuerat, vxorem ſibi d. 10 Martii anni 1646 Varſauiae adiunxit, ex qua, biennio matrimonii elapſo, nullos reliquit liberos, quaeque fratri IOAN. CASIMIRO, ſequenti Poloniarum regi, deinde nupſit.

27) EVERHARDVS WASSENBERGIVS, Embricenſis, S. R. M. Hiſtoriographus, ſcripſit: Geſtorum Vladislai IV, Pol. et Sueciae regis, libros, quos partes appellat, duos. Prima pars principem, altera regem panegyrice repraeſentat. Prodiit in lucem Waſſenbergii hiſtoria Vladislai IV, Gedani typis Hunefeldianis A. 1641 in 4to, duo alphabeta et vndecim philuras in ſe continens, rerum geſta a pueritia Vladislai ad annum vſque 1640, exponens. PIASECII liber ita inſcriptus eſt: Chronica geſtorum in Europa ſingularium, a Paulo Piaſecio, epiſcopo Praemislienſi, accurate ac fideliter conſcripta. Ad vtilitatem publicam diuulgata et typis expreſſa. Cracouiae in officina typographica Franciſci Caeſarii. A. D. 1645. in folio, tria alphabetha et octo philuras in ſe continens. Liber rarus, multa exponens ſingularia, Vladislai IV autem hiſtoriam non omni ex parte abſoluens. Piaſecius enim annum 1643 tantum attingit, dicens de Vladislao IV circa finem chronicorum: *In comitiis a. c. 1643 Varſauiae celebratis, poſt multos timores, ne rei nouitas libertatibus gentis derogaret, pro ſoluendis regis debitis priuatis, liberaliora tributa publica fuerunt decreta.* Caeterum eleganter ſcripſit etiam hiſtoriam Vladislai IV STANISLAUS KOBIERZYCKI palatinus Pomeraniae, cuius pars prima edita eſt Gedani a. 1655 in 4to.

1649 Poſtquam Vladislao parentauerunt Poloni, Ioanni Caſimiro renouatur fidei ſacramentum, itumque eſt a naeniis ad plauſus et gaudia, praeparabanturque omnia feſtiuae coronationi ſeruientia, ad quam tota Polonia, tota fere Europa, principes, comites nobileſque affluebant. Prius tamen ceremoniam omnibus regibus Poloniae ante quam coronentur viſitatam, vt conficeret, rheda vectus eſt, ad locum martyrii ſancti Stanislai in Rupella, vbi nimirum ille ſanctus dum ſacra perageret, a rege Poloniae Boleslao audace, anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo nono octauo idus Maii fuit trucidatus. Infelix facti memoria et ſumma ingloria gentis. Inde pedes ad aliam aedem eiuſdem ſancti in arce regia ſitam, iuit, cuius redeuntis veſtigia concurſus populi frequens, laeta paſſim excipiebat acclamatione.

Ioanni Caſimiro renouatur fidei ſacramentum.

Altera die ad ſolennia coronationis proceſſum eſt. Tum MATTHIAS LUBINSKI, Gneſnenſis archiepiſcopus, pontificaliter indutus, cum diuerſis epiſcopis, abbatibus infulatis et toto clero ad palatium regium proceſſit. Quo, cum epiſcopis ſolis ingreſſus, regem, per Mareſchalcum interim ſandaliis, tunica, chirothecis, alba Dalmatica pallioque veſtitum, inter regni primores ſtantem, aqua luſtrali aſperſit, tum acceptum inter epiſcopos Cracouienſem et Cuiauienſem medium, praeferentibus ſenatoribus, quibus hoc officii eſt, coronam, ſceptrum, pomum aureum, et gladium euaginatum, ad diui Stanislai baſilicam ſolenni proceſſione deduxit. Ibi poſtquam regalia, qui ea portabant ſenatores, in altare depoſuerant, rex e concepta formula, iuramentum de ſeruandis et manutenendis iuribus, priuilegiis, libertatibus eccleſiaſticis et ſecularibus, priuatis et publicis, regni et magni ducatus Lituaniae praeſtat in hanc formam:

Coronatio Ioan. Caſimiri.

Ego IOANNES CASIMIRVS, electus rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, Czernichouiaeque: nec non Sueco rum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius rex, per omnes regni ordines, vtriuſque gentis, tam Polonae quam Lituanae, caeterarumque prouinciarum regno Poloniae magnoque ducatui Lituaniae annexarum et incorporatarum communi conſenſu libere electus, ſpondeo ac ſancte iuro Deo omnipotenti, ad haec ſancta Ieſu Chriſti euangelia, quod omnia iura, libertates, immunitates, priuilegia, publica et priuata, iuri communi vtriuſque gentis, tum et prouinciarum annexarum, et libertatibus non contraria, eccleſiaſtica et ſaecularia, eccleſiis catholicis Romanis, principibus, baronibus, nobilibus, ciuibus, incolis et quibuslibet perſonis, cuiuſcunque ſtatus et conditionis exiſtentibus, per diuos praedeceſſores meos reges, et quoſcunque principes regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae, Vladislaum ſecundum, Iagellonis filium, Caſimirum tertium Iagellonidem, Ioannem Albertum, Alexandrum Sigiſmundum primum, Sigiſmundum ſecundum Auguſtum, Henricum, Stephanum, Sigiſmundum tertium, Vladislaum quartum, piae memoriae parentem et fratrem, reges Poloniae et magnos duces Lituaniae, iuſte et legitime, data, conceſſa, emanata et donota, ab omnibuſque ordinibus tempore interregni ſtatuta atque ſancita, mihi oblata, tum pacta conuenta per oratores meos cum ordinibus regni et magni ducatus Lituaniae et prouinciarum annexarum inita, manutenebo, obſeruabo, cuſtodiam et adimplebo, in omnibus conditionibus articulis et punctis in eiſdem expreſſis. Pacem quoque et tranquillitatem inter diſſidentes de religione Chriſtianae tuebor, manutenebo, nec vllo modo, vel iurisdictione Noſtra, vel officiorum Noſtrorum et ſtatuum quorumuis auctoritate, quenquam affici opprimique cauſa religionis permittam, nec ipſe efficiam, nec opprimam, ac ea quae in electione Noſtra Varſauienſi conſtituta ſunt, et quae in conuentione coronationis Noſtrae conſtituentur, manutenebo, iiſque ſatisfaciam. Omnia illicite a regno, magnoque ducatu Lituaniae, vel dominiis eorundem quocunque modo alienata, vel bello, vel quouis alio modo diſtracta, ad proprietatem eiuſdem regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, non minuam, ſed defendam et dilatabo. Iuſtitiam omnibus incolis regni, iuxta iura publica in omnibus dominiis cuſtodiam, abſque omnibus dilationibus et prorogationibus adminiſtrabo, nullo quorumuis reſpectu habito, et ſi quod abſit in aliquibus iuramentum meum violauero, nullam mihi incolae regni, omniumque dominiorum vniuscuiuſque gentis obedientiam praeſtare debebunt, immo

Regis Poloniae iuramentum.

1649 ipſo facto eos ab omni fide, obedientia regi debita liberos facio, abſolutionemque nullam ab hoc meo iuramento a quoque petam, neque vltro oblatam ſuſcipiam. Sic me Deus adiuuet et haec ſancta Chriſti euangelia.

Poloniae regum inaugurationis ſolennia.

Dalmatica deinde et pluuiali exuebatur. Tum ab archiepiſcopo Gneſnenſi oleo ſancto in regem vnctus Poloniae, gubernaculis regni praeficiebatur. Sacris deinde operabatur archiepiſcopus. Poſt cantatam epiſtolam nudum ex altari regi porrexit enſem, haec intonando verba: *accipe gladium in defenſionem ſanctae Dei eccleſiae et vindictam malefactorum.* Lateri deinde accinxit. Rex acceptum Deo exercituum dicat. Infertur altari mucro factus per oblationem ſacer. Inde diadema illi impoſuit in haec verba: *accipe coronam regni, ſanctitatis gloriam et honorem, et opus fortitudinis.* Aureo deinde pomo ſiniſtram, dextram vero ſceptro impleuit in haec verba: *accipe virgam virtutis atque veritatis*, quibus ſolita ſolennitate peractis, rex panem et vinum ſub offertorio obtulit, et pacem, vt dicitur, exoſculatus ſacro ſanctum Chriſti corpus accepit. Tum demum abſoluto ſacro in regio auorum ſolio reclinatum ſalutauit primum archiepiſcopus, votumque nuncupauit in haec verba: *in hoc regni ſolio confirmet Te Deus, ſede et retine modo locum Tibi a Deo delegatum.* Exordiebatur tandem diui Ambroſii et Auguſtini triumphalem hymnum, ſequuti optimatum applauſus, populique acclamatio ingens. Sparſa deinde miſſilia in vulgus, nummi pars aurei, pars argentei. Parte ab vtraque numiſmatis erumpebat fracta e nube manus, paruam ſerulam mobilem alphabeticam tenens in haec verba: *compactum eſt deſuper.* Ex aduerſo altera manus manipulum graminum ſeu frugum biſarium ſtemma regis oſtentans cum corona regali, in haec verba: *Dominus aſſumpſit me.*

Ita IOANNES CASIMIRUS per diuinum chriſma inauguratus ſacerque factus eſt Poloniae rex ac magnus Lituaniae dux. Inclinata ad veſperam die inauguratus in regiam redit. Praeferebant coronam IEREM. MICHAEL KORYBUT WISNIOWIECKI, dux in Lubne, palatinus terrarum Ruſſiae, pomum aureum, STANISLAUS WITOWSKI, Sendomirienſis Caſtellanus, nudum enſem, MICHAEL ZEBRZYDOWSKI, gladifer regni. Vbi in regiam ventum, exutus regio habitu, veteri patrum accubuit ſolio, cibumque cepit. Inſtabant gradibus inferiores, ſuo quiſque ordine, ſenatores. Peracto poſthac prandio rex ad forum ciuitatis deſcendit, et in theatro ante palatium praetorium ſuperbo apparatu ornato conſiſtens, ſubiectionis iusiurandum ac ſimul honoraria munifica a conſulibus et ſenatu [28]) ciuitatis accepit, ibidemque dextra gladium euaginatum, ſiniſtra pomum aureum tenens, aliquot optime de republica meritos, ad equeſtris ordinis dignitatem euexit, mox pro corona galeam, pro toga baltheum, pro ſceptro ſumpturus gladium. Publicata quoque eſt generalis confirmatio iurium huiuſmodi tenoris:

Confirmatio iurium Poloniae.

Nos IOANNES CASIMIRUS Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Kiiouiae, Volhiniae, Podlachiae, Liuoniae, Smolenſciae, Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius rex. Significamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis. Cum nihil in terris beatius mortalibus contingere poſſit, praeter dulcem libertatis vſum, iuribus et ſacroſanctis legum ſancitis ſtabilitum et confirmatum, ideo nihil vnquam glorioſius reges ac principes praeſtare poſſunt, quam populos ſibi ſubiectos circa priſcam conſeruare libertatem, et ita regere, vt Salua Maieſtate libertas, tum legum et priuilegiorum momenta nullum patiantur diſpendium. Quare poſteaquam fauentibus ſuperis, ſceptra regni huius ineliti per liberam ampliſſimorum ipſius ordinum electionem et ſolennem in baſilica Cracouienſi, ritu veteri catholico, per reuerendiſſimum dominum archiepiſcopum Gneſnenſem regni primatem, inaugurationem feliciter capeſſiuimus: primum praecipuumque id in voto habemus, vt propenſis in Nos vniuerſae reipublicae ſtudiis, quibus raro concordiae exemplo, nemine contradicente, et omnibus conſentientibus in regem electi et renunciati ſumus, reciprocam voluntatis Noſtrae conteſtemur gratitudinem, debitoque effectu ea omnia adimpleamus, quae circa actum tam electio-

28) Melius auctor dixiſſet: a conſulibus et magiſtratu. Vnum enim tantum eſſe in Polonia, regni nempe ſenatum, dicunt illuſtriſſimi regni ſenatores, qui hoc honoris nomen magiſtratibus in Polonia omnibus negant iure.

electionis quam coronationis Noſtrae ſolenni iureiurando ex formula veterum pactorum iuriumque ſpopondimus. Et licet quidem nullis literarum monumentis tanta inſit fides, quantam pectori Noſtro regia virtus et innatus erga communem hanc patriam inſeripſit amor, tamen ne quid a veteri eius inſtituto laudabilique ſerenisſimorum anteceſſorum Noſtrorum exemplo in Nobis deſiderari videatur, et ſcripto id ſanciamus caueamusque, quod re ipſa ſanctisſime obſeruare, tueri et manutenere volumus. Ea de cauſa Noſtra ſponte, et animo deliberato ſequutique morem et conſuetudinem DD. anteceſſorum Noſtrorum Poloniae regum et magnorum ducum Lituaniae, omnia priuilegia, donationes, inſcriptiones, aduitalitates, libertates, praerogatiuas, ac immunitates regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Kiiouiae, Volhiniae, Podlachiae, Liuoniaeque: Vt et in ſpecie ducalis Pruſſiae, in caſum conſolidationis feudi, quo nomine confirmationem Noſtram ad normam a diuis praedeceſſoribus Noſtris editam ex cancellaria Noſtra extradere, et conſtitutionibus modernorum comitiorum inſerere iuſſimus; ac aliarum prouinciarum iis annexarum, coniunctim aut ſeparatim ipſis conceſſas: eccleſiaſticas et ſaeculares, tam publicarum quam priuatarum perſonarum, cuiuscunque ſtatus, conditionis atque ſexus exiſtentium, ciuitatumque et locorum quorumcunque per anteceſſores Noſtros reges Poloniae, et magnos duces Lituaniae, ac terrarum iis coniunctarum, reges, principes, duces ac dominos, tam in toto quam in parte, praeſertim vero Caſimirum magnum, Ludouicum, Vladislaum ſecundum, Iagellonem dictum, fratresque eius Vitoldum et Sigismundum, magnos duces Lituaniae: Vladislaum tertium, Caſimirum tertium, Iagellonis filios, Ioannem, Albertum, Alexandrum, Sigismundum primum, Sigismundum ſecundum Auguſtum, Henricum, Stephanum ac Sigismundum tertium et Vladislaum quartum, Dominos parentem et fratrem Noſtrum deſideratiſſimos, reges Poloniae et magnos duces Lituaniae, ac etiam per magiſtros Pruſſiae, atque archiepiſcopos, epiſcopos, magiſtros, praeceptores antiquos Liuoniae, nouiſſime vero poſt recuperatam Liuoniam per regem Stephanum, nec non duces, principes ac dominos terrarum Ruſſiae et Maſouiae iuſte et legitime conceſſas et emanatas, ac iuri communi vtriuſque gentis non contrarias: Et item iura, leges, ſtatuta, conſtitutiones, iudicia tribunalis vltimae inſtantiae, ac decreta, libertates et immunitates in conuentibus regni generalibus quibuslibet, ordinationeſque latas atque ſancitas, nominatim autem libertates et leges in conuentu electionis Henrici regis, ac in conuentu Andreouienſi et coronatione regis Stephani, conſtitutionemque de iudiciis tribunalis in conuentu Varſauienſi, et conſtitutiones in coronatione diuae memoriae parentis Noſtri laudatas, ac denique leges et conſtitutiones in praeſenti conuentu coronationis Noſtrae ſancitas, aut quae adhuc ſancientur et Nobis exhibebuntur, ita tamen, vt nec ſpecialitas generalitati, nec generalitas ſpecialitati deroget. Tum etiam conditiones per oratores Noſtros cum ordinibus ſancitas, in omnibus earum articulis, punctis, clauſulis, conditionibus approbandas, roborandas, duximus, approbamuſque roboramus, confirmamus, per praeſentes literas Noſtras. Decernentes illas et illa omnia, quae ſuperius commemorata ſunt, perpetuae indubiae ac inuiolabilis firmitatis robur obtinere debere, recipimusque ſpondemus, et regio noſtro verbo pollicemur, illas in praedictis earum punctis, articulis, clauſulis, conditionibus, firmiter, inconcuſſe, inuiolabiliter, tenere, obſeruare, implere et exequi, ac omnibus et ſingulis, ex iis ſatisfacere cum effectu, et teneri, obſeruari et exequi facere. Item pollicemur, recipimus ac ſpondemus, quod omnia per hoſtes finitimos iniuſte a regno, magnoque ducatu Lituaniae et dominiis earundem, quocunque modo occupata, vel bello vel quouis alio modo diſtracta ad proprietatem et vnionem eiusdem regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, aggregabimus, neque fines regni et ducatus Lituaniae, tum et prouinciarum illis annexarum minuemus, ſed pro viribus Noſtris proferemus et dilatabimus. Quod ſi aliquid contra libertates et immunitates, iura, priuilegia praedicti regni et magni ducatus Lituaniae ac caeterarum prouinciarum iis annexarum fecerimus, non ſeruantes, quod abſit, aliquid illorum in toto vel in parte, id totum irritum et inane, nulliuſque momenti fore decernimus et pronuntiamus. Quod vero ſupra hiſce literis priuilegia, libertates eccleſiaſticas cum caeteris confirmauerimus, in iuramentoque Noſtro eccleſias catholicas Romanas nominauerimus, id nihil omnibus eccleſiis Graecis et priuilegiis earundem obeſſe debet: Imo easdem in ſuo robore conſeruamus, nec non et iuramenti huius articulo neutiquam derogare volumus. Quod videlicet pacem et tranquillitatem inter diſſidentes de religione tuebimur et manutenebimus, quam inconcuſſe, firmiter ac inuiolabiliter, et cum effectu. Nos obſeruaturos promittimus ac

1649 ſpondemus. Iura quoque terrarum Pruſſiae, ſpecialiter vero indigenatus, in omnibus manutenebimus, et in ſuo robore conſeruabimus, vacantiasque omnes in terris praedictis iuxta tenorem iurium terrarum praedictarum et conſtitutionem anni milleſimi ſexcenteſimi, quadrageſimi ſeptimi, indigenis terrarum Pruſſiae conferemus, et articulum de diſtribuendis vacantiis, pactis conuentis felicis electionis noſtrae inſertam, ſpeciali iuri terrarum Pruſſiae derogare non debere declaramus. Dantes inſuper poteſtatem Cancellario et Vicecancellario regni, vt has literas confirmationis generalis, iurium, priuilegiorum et libertatum regni et magni ducatus Lituaniae, ac terrarum iis annexarum, authentice ſub regni ſigillo, ordinibus, terris ac ſubditis Noſtris, qui eas requirent, non expectato alio mandato Noſtro, vterque vel alter eorum extradant. In cuius rei fidem, literas haſce manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillumque regni iis appendi iuſſimus. Datum Cracouiae, die vigeſima tertia menſis Ianuarii. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono.

Solennitatibus coronationis peractis, more maiorum, generalia ordinum comitia ibidem rex inchoauerat, in quibus nihil niſi de praeſidio reipublicae toto tempore diſputatum fuit, publicataque ordinibus regni et magni ducatus Lituaniae regis coronati denunciatio tali edicto:

Denunciatio regis coronati.

Denunciatio regis coronati

IOANNIS CASIMIRI.

IOANNES CASIMIRVS Dei gratia, Rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gotorum, Vandalorumque haereditarius Rex.

Omnibus in vniuerſum regni noſtri ducibus, principibus, comitibus, baronibus, ſpiritualibus et ſaecularibus, archiepiſcopis, epiſcopis, palatinis, caſtellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus iudicibus, ac eorum vices gerentibus: Tum proconſulibus, conſulibus, ac quibusuis aliis regni Noſtri magiſtratibus, aut eorum loca tenentibus, caeteriſque cuiuscunque conditionis hominibus, ad quorum notitiam hae Noſtrae peruenerint literae ſincere et fideliter Nobis dilectis, gratiam Noſtram regiam. Sincere et fideliter Nobis dilecti, Vobis per ſummam fatorum inclementiam, difficillimo reipublicae tempore ſereniſſimus rex frater Noſter, diuae olim memoriae Vladislaus quartus terris ereptus caeloque aſſertus eſt. Magnum hac in parte regni totius Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, erga Iagellonianum ſanguinem Noſtrum agnouimus propenſionis et gratitudinis argumentum, quod de communi conſenſu ſummaque omnium ordinum concordia Nobis deferre ineliti regni iſtius diadema voluerint. Hinc poſteaquam fauentibus ſuperis, liberiſque vniuerſae reipublicae ſuffragiis, more ac inſtituto maiorum in comitiis electionis Varſauiae, menſe Nouembri, anni proxime elapſi, rite peractis, electi et renunciati eſſemus, et praeſtito ibidem a Nobis in eccleſia collegiata diui Ioannis Baptiſtae ſolenni iuramento, publicum electionis diploma et decretum accepiſſemus, reliquum Nobis erat, vt ad praefixum tempus inaugurationis Noſtrae Cracouiam iter maturaremus, quo Deo iuuante decima quinta Ianuarii ſolenni ritu ſereniſſimo Fratri Noſtro exequiis, primo die dominico, qui erat decimus ſeptimus Ianuarii, in baſilica diui Stanislai arcis Cracouienſis, praemiſſo et praeſtito prius ante altare maius, in manibus reuerendiſſimi Domini MATTHIAE LVBINSKI, archiepiſcopi Gneſnenſis, primatis, primique principis regni, ex concepta formula de ſeruandis et manutenendis iuribus, priuilegiis, libertatibus eccleſiaſticis et ſaecularibus, priuatis et publicis, regni et magni ducatus Lituaniae, iuramento, Sacro oleo vncti, et regio diademate, quo reges Poloniae ab antiquiſſimo tempore coronari ſolent, ritu catholico Romano, aſſiſtente nuntio apoſtolico, adſtante et inſpectante ſenatu, terrarumque nuntiis, ac plurimis dignitariis, officialibus et incolis regni, et magni ducatus Lituaniae, ab eodem reuerendiſſimo archiepiſcopo regni inſigniti et coronati ſumus. Qua quidem coronatione et inauguratione Noſtra, rite ac legitime peracta, iam quod Nobis et reipublicae, vniuerſoque orbi Chriſtiano fauſtum ac ſalutare ſit, Deo auſpice, gubernacula regni capeſſiuimus, et nos regimini populorum diuinitus tradito accinximus, recepto a praeſentibus dominis ſenatoribus, aliisque dignitariis et officialibus

libus regni et magni ducatus Lituaniae, tum et a ciuitate Cracouienſi, compluribuſque 1649
aliis, fidelitatis iuramento. Quod ad notitiam omnium et ſingulorum deducendo, ſinceritates et fidelitates Veſtras, quarum inter eſt, hortamur, illiſque mandamus, vt hanc inaugurationem Noſtram, libertatumque ac iurium factam a Nobis confirmationem, publice in ciuitatibus, oppidis, parochiis, et villis, diebus forenſibus aut ſolennioribus, per praecones, literarumque harum in locis publicis affixionem denuntiari ac publicari, et in acta publica referri curent et faciant. Quod autem reliquum eſt, ſinceritates et fidelitates Veſtrae, intermiſſa tempore interregni officia ac munera ſua praeſtito prius quam primum iuramento, reſumant, iudicia tam terreſtria, quam caſtrenſia, capitanealia cauſarum tam iudiciorum quam officiorum: tribunalis itidem regni ordinaria, ac etiam ciuilia et alia quaelibet, auctoritate et ſub nomine Noſtro ac titulo exerceant, omniaque ea, quae vel legum praeſcripto, vel de more ac conſuetudine ad illarum officia pertinent, iam facere incipiant et exequantur, dentque operam, ne ius et iuſtitia, quae regnorum ſumma praeſidia ſunt, et firmamenta, diutius intermiſſa iaceant atque negligentur, pro gratia Noſtra, officiorum ſuorum debito. Datum Crocouiae in comitiis felicis coronationis Noſtrae. Die prima menſis Februarii, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono. Regnorum Noſtrorum Poloniae et Sueciae primo anno.

Georgius de Tęczyn Oſſolinski,

Supremus regni cancellarius,

Ad mandatum S. R. M. proprium.

His tandem finitis, Rex Varſauiam citatis decurrit equis, viduam reginam inuiſit, ac viribus deſtitutam, nec non languentem conſolatur. Expediuerat tunc quoque Cracouia Romam, patrem IOANNEM MAMBRETUM, Societatis Ieſu religioſum, ad ſummum pontificem *Innocentium decimum*, pro apoſtolica diſpenſatione, vt, ea ſcilicet obtenta, libere et cum apoſtolica benedictione LUDOVICAM MARIAM de Gonzaga, principem Mantuae et Montisferrati, ducem Niuernenſium etc. Vladislai quarti fratris coniugem, Poloniae viduam reginam ſibi in thori regnique conſortem adſciſcere poſſet. Quo aſſenſu celeriter obtento rex primis Maii diebus, palam ad ipſa vincula matrimonii, abſque omni pompa et faſtu proceſſit. Nec deerant tunc in Polona aula, qui dictis et ſcriptis tale regi diſuaderent matrimonium, volitabantque per eos dies ſparſae in vrbe et regia chartulae, quarum haec ſumma: CASIMIRUS *rex germana ſorore natus, germani coniugi copulatus, nunquam erit fortunatus.* Accedebant variorum de prole medicorum iudicia, audiebanturque regis Vladislai aliquando quaerelae, incuſantis reginam, vt ſterilem et male ſanam. Aetas praeter ea altius conſiderantibus occurrebat, quippe quae iam tunc quadrageſimum ſecundum exceſſerat annum. In ſumma, nemo erat qui non diſuaderet hymenaeum, excepto ſenatu, cui duas poſthac alere reginas, graue tunc viſum fuit [29]). Sed nec ſenatus regem cogere potuit compellereque inuitum, potius Galli oratoris Baronis BRESSII incantamenta, quibus ille faſcinauerat regis animum, in Gallos, etiam hoſtes, pronum.

Sponſalia regis Caſimiri cum Ludouica Maria.

29) Haec forte non ſola cauſa fuit. In regno enim libera electione gaudente reipublicae parum intereſt, vtrum regina foecunda an ſterilis ſit. Potius caſus poſterior Polonos a timore, ne rex regni ſucceſſorem ſubminiſtret tempore, liberauit. De nulla enim re in Polonia magis ſunt ſolliciti, quam de libera regis electione, omneſque fere Poloniarum reges a Stephano ad Auguſtum II vſque, auguſtae memoriae, in hanc inciderunt ſuſpicionem, vt clam de ſucceſſore regni determinando laborent, nullo ſaepius ei dato loco.

LIBRI I. CAPVT VII

SYNOPSIS

Puncta Cosacorum regi transmissa. Nouum iterum contra Cosacos bellum restaurant Poloni. Ad zbarauium castra promouent, ibidemque a Cosacis obsidentur. Rex succurrit obsessis, mox ipsemet ad Zborouium a Cosacis Tartarisque obsidetur. Eiusdemque ad Tartarum literae et responsum, colloquium Tartarum inter et Polonum. Fit pax inter vtrumque, ac mox mediante Tartaro regi reconciliantur Cosaci. Eorum ad regia castra aduentus. Chmielnicii oratio, ac tandem pax Polonos inter et Cosacos.

1649 Interea sollicito regi diu expectatae a commissariis redduntur literae, de rerum exitu regem admonentes, vnicum a sua Maiestate anxie literis precati, ne insolentia Polonorum militum peccaret in foedera. Pacis autem leges has potissimum transmiserunt.

Puncta Cosacorum regi transmissa.

I. *Cosacos nolle aliam in Russia pati religionem, praeter Graecoschismaticam et Romano catholicam.*

II. *Libertates antiquas Russis Polona renouaret respublica.*

III. *Palatinus, Castellanus ac Capitaneus Kiouienſis secta schismatici perpetuis temporibus essent.*

IV. *Metropolitae Kiouienſi locum inter senatores regni ecclesiasticos rex decerneret.*

V. *Iudaei, vna cum patribus societatis, vniuersa Russia excederent.*

VI. *Czaplinski, auctorem priuatae Chmielnicii iniuriae Cosacis extraderet respublica.*

VII. *Cosacorum quadraginta millia perpetuis temporibus essent, iique non a republica, sed a solo regio dependerent nutu.*

VIII. *Amnestiam denique omnium criminum respublica probaret.*

Horruere Poloni proceres, quadraginta millium audito exercitu. Neque mora ab optata pace penitus diuertunt animos. Accedebant priuata quorundam studia, bello propagando idonea. Vnde opere cum Chmielnicio infecto, legati Poloni in aulam redeunt, aegre ferentes, ruptum a Polonis militibus armistitium, qui sub id tempus tractatum, inscio rege, commodam nacti occasionem, variis in locis, videlicet circa Barum et Ostropol Cosacos per mapalia distributos, nihilque tale subuerentes, cruento fuderunt praelio. Ocius ergo in bellum arma parari rex iubet, et instruitur expedite nouus exercitus. Huic praerant belli duces: ANDREAS de Dąmbrowicza FIRLEI Castellanus Belzensis, et pari imperio STANISLAUS LANCKORONSKI Castellanus Kamenecensis, NICOLAUS itidem comes OSTROROG pocillator regni. His adiuncti a republica turbarum aeoli commissarii, viri illustres, IEREMIAS KORYBUT, dux in Wisniowiec, terrarum Russiae palatinus, ALEXANDER a Koniecpole KONIECPOLSKI, supremus regni vexillifer, ADAMUS HIERONYMUS de Granowo SIENIAWSKI, capitaneus Leopolienſis, qui supe-

Nouum bellum contra Cosacos apparant Poloni.

superiori bello ad Corsunum captus, graui lytro, ducentorum scilicet millium florenorum 30), pristinam haud ita pridem libertatem a Tartaris redemerat. Aderat et DEMETRIUS, dux in Zbarasz WISNIOWIECKI, immaturus equidem miles, quippe qui nondum decimum sextum excesserat annum, caeterum paternae gloriae haeres, heroicarum patrui virtutum aemulus, magni parentis magna progenies, primum martis ingressus campum, innocuum sanguinem pro patria obtulit, martique sacrauerat. Adeo vbique scintillat adamas, et resplendet aurum, nec imbellem progenerant aquilae columbam. Numerosiores praeterea quotidie accedebant aliorum primorum copiae: IACOBI comitis ROZRAZEWSKI, Castellani Calissienſis, IOANNIS comitis ZAMOYSKI Capitanei Calisienſis, MARCI SOBIESKI, Crasnostauienſis capitanei, multorumque aliorum sponte opem extremum fere spiritum ducenti patriae ferentium, quorum exercitui rex breui se vires suas coniuncturum cum vniuersa nobilitate, quam mandatis interea temporis, haud mature vocauerat, pollicebatur. Vltimus hic erat extinguendi incendii modus. His sic dispositis, copiisque instructis, Maio mense, Olyka egressi Poloni, Rusiam iam tandem tertio armati ingrediuntur, amissas haud ita pridem recuperaturi sedes. Quo tempore Maxin Krzywonos, crudelis tyrannus, lethali traiectus ad BARUM plumbo, foetidam exantlat animam, fatoque suo sistitur, vbi haud ita pridem commiserat scelus, crimini et poenae sic idem ei locus erat, malorum fomite relicto filio. Caeterum nimis facinoroso duci fortuna clemens fuit. 1649

Interea Chmielnicius sub id tempus, viuo Czaplinio, non Dei, non hominum memor Czaplinii duxit vxorem. Tum primum dolo et astu a Polonis, post reiecta foedera se circumuentum aduertens furenti similis arma capit, breui Polonorum vindicaturus insidias ac ferro vlturus, bis iam a Polonis ruptum armistitium: clementia indignos iactitans videri, qui sanctitatem induciarum bis polluere ausi essent. In summa quasi desperatis rebus legatos in Tartariam ad magnum Chanum supplices mittit, vna cum valde officiosa epistola. Veni, inquit, ipse, vt auxiliator, vt protector, vt caput. Quid moraris, breui triumphaturus in foro Cracouiae. Referunt alii, ipsum Chmielnicium supplicem pedibus magni Tartarorum Chani aduolutum, auxiliares petiisse copias, fidumque per omnia Achatem 31), bis sclopi ictu, sub Zamoscio traiectum THOHAIBEIUM in Tartariam ea reduxisse occasione, qui haud multo post ibidem fato functus est. Quidquid sit, care reuera constitit regi et reipublicae, id quodcunque fuit ad Barum Ostropolumque victoriae, quod fieri amat in bellis ciuilibus, quorum exitus luctuosi. Quocunque inclinet fortuna, resurget ex funere breui rediuiua rebellio post cladem fortior. Chmielnicii in Polonos vindicta.

Maio itaque, vt dixi, mense, OLYKA egressi Poloni MEDZIBOZE perueniunt, collectisque in vnum viribus ad CONSTANTINOW iterum veniunt, ibique habito veteranorum circulo, sententiam singulorum exquirebant, quid facto opus, an progredi praestaret, an haerere? si progredi, num Kamenecum in Podoliam, num Czarnostroum? si haerere vnde victualia conquirenda? dissonae a multis in hac proposita materia excipiebantur voces, Camenecum alii, alii Ostroum, alii Zbarazium ire exercitui suadebant. Contra alii praestolari hostem ad muros aiebant Constantinouianos. Volutatis his inter se rationibus, tandem Zbarazium versus castra moueri pronuntiant belli duces. Est autem Zbarazium Volhiniae haud ignobile oppidum, ducum quondam Zbaraziorum haereditas, quae nunc vna cum deuolutis aliis plerisque Russiae oppidis Ducum Wisniowieciorum paret imperio. Parte ab vna alluitur stagno, ab altera nullis munita moeniis, solo superbit ducalis palatii mole.

Trigesima itaque mensis sextilis die Zbarazium perueniunt Poloni, Zbarazianam stationem, tempestatem orientis fugientes pro portu habituri. Breui enim aduolant Harpyiae, armorum strepitu excitae aues. Adsunt irritati Cosaci, solo primo impetu sistuntur vallo. Experti tunc credo Poloni, fortiores illos esse qui hosti vallum, vel moenia, quam qui pectora obiiciunt. Poloni ad Zbarazium castra locant.

Castra

30) Hoc est 33333 sic dictorum seu nummorum argenteorum, thalerorum, florenorum Germanicorum 50, 000.

31) ACHATES, fidus fuerat comes AENEAE, a solitudine dictus, quae principum comes esse solet.

1649 Polonorum obsidio.

Castra itaque eo in loco Chmielnicius metatur, ratus per aliquot tantum horarum spatium sibi cum Polonis esse negotium. Qua spe vti ambitiosa frustratus, cum cerneret Polonos strenue fortiterque pugnare duce IEREMIA WISNIOWECIO, qui pridie obsidionis ad castra venerat, tandem arctiori adhuc castra Polonorum cingit obsidione. Dederent sibi haud mora Poloni, Wisniowiecium ducem, quem etiam vltra alpes persequi minabatur, reliquos Polonos, solis exceptis WISNIOWIECIO ac ALEXANDRO KONIECPOLSKI, regni vexillifero, deditionis aequa ab eis lege accepta, liberos abire iureiurando pollicebatur. Admonebat insuper, prospicerent saluti suae, quamdiu liceret, si extrema expectaueritis, inquit, extrema feretis, vtraque instant vobis. Puduit militem Polonum, esse diutius imbellem duce leone, Wisniowiecio, Polonorum Mario, Russorum Hercule. Vnde risu excepta Chmielnicii legatio, nihil constantes tunc mouit milites, qui in omnem obfirmati casum, non deditionem sed mortem aut victoriam meditabant r, Chmielnicio a longe stupente, qui Polonos subinde aliquoties iam a se victos, nondum viciſse, deiectos, nondum cecidisse mirabatur. Igitur oppugnationem antecedentibus fere saeculis inauditam adornat. Ibant captiui Poloni, ad longam alligati perticam, sacculis arena repletis e collo pendentibus, horum globo mixta erat lecta Cosacorum manus. Cosacos sequebantur instar falcati currus ligneae machinae dictu incredibiles, in quibus exercitatissimi itidem latitabant chmielniciani. Dixissis equum Troianum reuixisse. Hae machinae vbi paulatim appropinquauerant Polonorum vallo, Parisios visu reddebant. Clamor deinde hostium incognitus, plurima reboantia tormenta ad terrorem disposita a tribus castrorum partibus. Densa vndique vibrata tela, creber impetus, omnia denique extrema visebantur. Quos tamen, numero licet impares, maiore sui fiducia, eruptione ex castris facta Poloni saepe, multis prostratis, recedere reliquos machinas deserere cogebant. Vnde glandibus glandes, globos globis, tonitrua tonitruis vindicauere. Addita a Polonis resina et pix, omnisque artificii ignes, qui Cosacorum interulas incendebant. Hos Cosaci, non artificiales, sed magicas dixere flammas. Hic vbi intentionem suam fortitudine Wisniowecii sisti aduertit Chmielnicius, spe iam erecta, quodammodo deiectus, plenus irarum, quod tantilla Polonorum manus, victoriosum eius huc vsque moraretur exercitum. Tum circumcirca obequitans castra suos animat. Irent animose in hostes, quos toties iam lepores in proelio experti essent, neque paterentur tantillam hostium manum vniuerso victori Cosacorum illudere exercitui. Confido, inquit, vestrae virtuti commilitones: Pugnate fortiter: Trium horarum labore victores vos faciatis! Et praecedens aciem in munitiones primus assiliit. Sequebantur suum ducem Cosaci, sed nec tunc quidem secundo euentu. Tanta enim erat ducis Wisniowiecii fama, vt vel solo ipsius nomine consternarentur hostes. Haud minor obsessorum audacia, hi impares licet Cosacis Tartarisque, proelium extra vallum saepe ausi, saepe victores, raro victi fuerunt, non alias ab hoste fortius, non dimicatum pertinacius. Claruere inter regios Ieremias Michael Korybut, dux in Wisniowiec, terrarum Russiae palatinus, Andreas de Dąmbrowicza Firlei, Castellanus Belzensis, Stanislaus Lanckoronski, Castellanus Camenecensis, Alexander Koniecpolski, vexillifer regni, Nicolaus comes Ostrorog pocillator regni. Horum omnium exequias celebrare statuebant Cosaci.

Legationes ad Moschum et Transyluanum.

Dum haec circa Zbarazium aguntur, rex prudenti interea vsus consilio, omni abiecta mora, extra ordinem legatione renouat foedus cum Transyluano, GEORGIO RAGOTZI, magnoque Moschouiae duce, secretam cum Chmielnicio armorum auersurus vtriusque societatem. Legatus ad Transyluanum, IOANNES comes a Pieskowa skala WIELOPOLSKI, Biecensis capitaneus, Vielicensium et Bochnensium salinarum administrator. Ad Moschum BOLESLAVS CIEKLINSKI, Czechouiensis Castellanus. Dein ducibus sui exercitus imperat, vt coadunato exercitu hostem aggrediantur, neque tempus rei bene gerendae omittant, quaestione in consilio sanctiori proposita, quid potius, hosti ne occurrere, an praestolari noua de exercitu? Multi Sacrum Regis capur, tam manifesto negabant obiectare periculo. Caeterum praeualuit in contrarium dicta sententia: Remedium restinguendis bellis ciuilibus optimum esse regis praesentiam. Hoc, ipsa ratio Maiestatis conuincit, probantque in dies euentus, nunquam maiore rebellium mentes concuti metu, quam vbi poenae reposcendae instare regem audiunt, quod ex charactere desuper impresso factum nemo ambigit. Ire igitur regem et opponere Maiestatem debere, cessuris haud dubio rebellibus, vbi principem longa experientia eundemque seueritatis et munificentiae summum vidissent.

Per

1649 Lubomirscii Palatini Cracouiensis mors, aliorumque virorum in Polonia illustrium.

Per idem tempus plenus dierum et in rempublicam meritorum excedit STANISLAVS comes in Wisnicz LVBOMIRSKI, Palatinus Cracouiensis. Vir prosapia illustris, bellica virtute et gaza summe valens. Hunc in variis expeditionibus exacti temporis annales memorant cum laude, qualem per ea tempora vix meruit alter, vnde illustre illius nomen memorabile est. Debita illi celebris ad Choeimum de ottomanis victoria, semper deinde magnis in Polonia fulsit honoribus. Paulo enim post palatinus terrarum Russiae, tandem Cracouiensis designatus palatinus, optimus patriae ciuis dici meruit. Rex palatinatum Dominico duci Zaslauiensi, vt superius innui, palatino Sendomirienſi confert. Palatinum vero Sendomirienſem ANDREAM FIRLEI, Castellanum Belzenſem, ac sui exercitus ducem designat. Mortem LVBOMIRSCII multi anteceſſerant illustres in republica viri, SAMVEL, vt superius memini, OSSINSKI, regis custodiae, quam corporis vocant, praefectus. Hic Varsauiae militari correptus morbo, paucis post diebus fato functus est, heros maximus. Nec multo post excessit Cracouiae plenus dierum et bonorum operum STANISLAVS ZADORSKI regi a poculis, vir magnae probitatis: Vita illi innocens et caelebs, vnde magna apud homines laus, maxima, quod in Deo vixit, florens et candens lilium inter spinas, hoc est, homo incorruptus in aula. Parentauerat sibi ipsi ante funus, posueratque tumulum in diui Martini Varsauiae Augustana ecclesia. Eodem mense occubuit Cracouiae PETRVS LASCZ, excubiarum contra Tartaros praefectus, postquam magna laude insenuisset bellis. Iisdem fere diebus moritur STANISLAVS RAKOWSKI, abbas Plocensis, vir summa in Deum pietate eximius, reginaeque scientiarum eloquentiae sui temporis facile princeps. Luctuosa prae caeteris accidit mors IANVSSII TYSKIEWICZ, palatini Kiiouiensis. Hic dum se Cracouia in castra recipit haud procul Lublino valetudine aduersa in transitu premitur et extinguitur: Vir erat prosapia illustris, magnae in bello experientiae, pauperum pater et miserorum adiutor. Palatinatum Kiiouiensem rex Adamo de Brusilow Kisiel, palatino confert Braclauiensi. Braclauiensi vero palatinatu Stanislaum insignit Lanckoronski, Castellanum Camenecensem, alterum sui exercitus ducem. Eadem circa tempora mortalitatem expleuit PAVLUS PIASECKI, episcopus Praemislienſis, administrator abbatiae clarae tumbae, senator regni, prosapia illustris, doctrina et rerum experientia inter paucos. Liberales artes et scientias, vt professus a teneris, vt literatos amauerit, immensa in rempublicam charitate docemur historiarum monumentis, quae accurate edidit, a *Stephano primo* in *Vladislai quarti* extrema. Externi acceptam illi gratiam referunt gestorum in Europa singularium, nec parce laudant, quanquam nihil indigus est externae laudis, qui sibi ipse praeco est, seu vitam spectes, seu quos scripsit libros. Tersa illi loquutio et Latina, stilus facilis, sed parum in augustam regnatricem Austriacam domum, quam antistitem concedebat, vehementior. Caeterum dum acrius vitia quorundam Poloniae procerum calamo perstringit, vir historicus mendacii reprehenditur. Et sic apud plerosque Polonos pro gratia subiit iniuriam communem, historicis omnibus apud illam gentem mercedem [32]).

Nec multo post excedit extrema iam senecta decrepitus ABRAHAMVS WOYNA, episcopus Vilnensis; illi ortus ex illustri apud Lituanos gente, episcopum agens, probitate et innocentia corruscans, fide incorrupta, regibus succeſſiue Sigismundo tertio et Vladislao quarto praebuit operam. Horum morte vacuas dignitates rex ita distribuit: Praemislienſem episcopatum ZAMOSCIO, episcopo Valachiae, ordinis praedicatorum familiae S. Dominici, contulit: Episcopatum Vilnensem GEORGIO TYSKIEWICZ, Samogitiae

32) Nunc quidem tempora sunt in melius mutata, et si quis generatim diceret Polonos erga literatos et historicos ingratos, a veritate aberraret. Nulla quidem, homo vel natio, maiori notari potest infamia, quam si eam ingratam diceres, in quo vitio, secundum Ciceronem, nihil mali non inest, vel Ausonio teste, ingrato homine terra nil peius creat. Iniuria certe fit generosae nationi Polonae, si quis eam generatim erga literatos ingratam appellaret. Sunt enim multi adhuc in Polonia proceres nobilesque, qui ipsi bene literati viros eruditos in honore habent, multi etiam alii, qui, licet ipsi ob alia negotia literis non adeo possint incumbere, scientiarum tamen pretium recte aestimare didicerunt, atque adeo viros probos, veritatem recte scribentes, defendunt et protegunt. Et si quidam speciem prae se ferant, animi ingrati, magis forte supina illa in Polonia consueta incuria in causa est, quam re vera ingratus animus, quem nullus meorum vellem habeat Polonorum. Dixeris enim maledicta cuncta, cum hominem ingratum dixeris.

1649 mogitiae epiſcopo, Samogitiae vero PARCZEWSKI, Smolenſcenſi antiſtiti, denique Smolenſcenſem, referendario magni ducatus Lituaniae FRANCISCO DOLMAT ISAYKOWSKI, Vilnenſi praepoſito. In hunc modum domi diſpoſitis rebus, propinquo iam tandem incendio rex expergefactus binas monitorias ad Chmielnicium praemiſit literas: Dolere ſe, ait, quod a ſeditione minime diſcederet: Sibi quidem ſeuere animaduertendi facultatem non deeſſe, malle tamen Coſacos clementia quam armis vincere: Hortari itaque, a propoſito ſuo deſiſterent, arma ponerent, vnionem Tartarorum diſſoluerent: Totum illud, quod illos offenderet, ſibi aperirent, ſi ſecuriora conſilia ſequi vellent, ſecus non defore ſibi vlciſcendi remedia, malle tamen ipſorum parcatur proli, parcatur vxoribus. Quae ſuperbia ruſticorum! qui proſperitatem ſuam non capientes, contemni poſſe in perſona legati regem ſibi perſuadebant. Itaque RAPHAELEM SNIAROWSKI regis legatum, contra ius gentium non gladio, vt militem, nec ſecuri, vt victimam, ſed runcina, vt arborem percutiunt. Iuſtus inde regi in Chmielnicium dolor ex violato iure gentium.

Regis contra Chmielnicium expeditio.

Igitur nulla interpoſita mora ab Hymenaeo in bellum proficiſcitur rex, iubet in proximam diem parata eſſe omnia, ſequi iuſſo exercitu. Ipſe non alio, quam cohortis excubiarum, praeſidio antecedit, immemor circumlatae illius per orbem paroemiae: *Parum tutam eſſe maieſtatem ſine viribus*, quod paulo poſt expertus eſt. Die deinde diuo Ioanni Baptiſtae ſacra, expeditioni determinata, Varſauia mouet. Adiuncti comites in viam ADAMVS de Bruſilow KISIEL, palatinus Kiiouienſis, STANISLAVS de Potok POTOCKI, palatinus Podoliae, CHRISTOPHORVS KONIECPOLSKI, Palatinus Belzenſis, STANISLAVS WITOWSKI, Sendomirienſis Caſtellanus, GEORGIVS dux in Oſſolin comes in Tęczyn OSSOLINSKI, Sacri Romani imperii princeps, regni cancellarius, CASIMIRVS LEO SAPIEHA, vicecancellarius magni ducatus Lituaniae, ANDREAS a magna Konczyce MNISZEK, culinae regni praefectus, THOMAS LEZYNSKI abbas Wachocenſis, ſupremus theſauri notarius, GEORGIVS LVBOMIRSKI, comes in Wisnicz, generalis Cracouienſis, Sac. Rom. imperii princeps, comes in Leszno LESCZYNSKI, generalis maioris Poloniae praefectus, SAMVEL CAROLVS dux KORECKI, IOANNES comes ZAMOYSKI, Caluſſienſis capitaneus, SIGISMVNDVS comes DÖNHOF, Sokalienſis praefectus, HIERONYMVS item RADZIEIOWSKI, Lomzenſis, IOANNES SOBIESKI, Iaccorouienſis, BALDVINVS comes Tęczyn OSSOLINSKI, Stobnicenſis, GREGORIVS RZECZYCKI Vrzędouienſis capitanei. Stipabat nobilium turba haud infrequens, rarus miles. Reginae ANDREAM comitem de Leszno LESCZYNSKI, culmenſem et Pomeſaniae epiſcopum, procancellarium regni, admouet, STANISLAVM item comitem de Dąmbrowicza FIRLEI, Succamerarium Lublinenſem.

Varſauia diſcedenti largitur benedictionem in principe baſilica diuo Ioanni Baptiſtae ſacra, IOANNES de TORRES, archiepiſcopus Adrianopolitanus, nuntius apoſtolicus, vexillumque ac mucronem de more benedicit, tum felicem bono omine apprecatur victoriam. Exin deſcenſus fit ad viſtulae ripam. Aſcendit rex cum regina, Caroloque Ferdinando, Opolienſi et Ratiborienſi duce, fratre vnico, praetoriam nauem. Dum vela in altum dantur, moeſta aſpicit regina, Osieckum, ANDREAE a magna Konczyce MNISZEK, culinae regni praefecti capitaneatum, quarto a Varſauia lapide deducit Dominum eundemque et regem. Tertia deinde luce inter ſuſpiria et lacrimas ambo digrediuntur, dextram implicabat dextrae alter ab inuicem, itum dein in amplexus, datoque oſculo fratri valedictum. Tum ſublimis equo CASIMIRVS, celeri ſonipede reginae ſubducitur oculis. Ita demum digreſſi, ille ad caſtra, haec Varſauiam honorifice deducta, a CAROLO FERDINANDO, Poloniae Sueciaeque principe.

Intra decimam itaque a profectione Varſauienſi diem Lublinum, ſolenni militari pompa a nobilitate et multitudine illius exceptus palatinatus, ingreſſus eſt. Eodem enim fere tempore venit Lublinum IOANNES CANTARINUS, S. Marci procurator, Venetae reipublicae legatus. Is feruentiſſimis votis, ardentiſſimiſque deſideriis regi et reipublicae perſuadere conabatur, vt domeſticis ſedatis tumultibus adiuuarent Poloni Venetam rempublicam, Thraciae bellum inferentes, multiſque exemplis Turcam haud difficili modo ſuperari poſſe oſtendit. Sed fruſtra talia memorabat Polonis alio tunc intentis. Interea dum ad Zbarazium incerto marte de ſumma rerum agitur, atrox certuſque rumor in Ruſſia ſubortus vlteriorem breui peruadit Poloniam, magnum Tartarorum Chanum, cen-

centum millibus bellatorum ſuperbum, ineunte Iulio, vaſtiſſimos Podoliae inuaſiſſe campos, ac ſe breui Coſacorum coniunćturum copiis. Quam famam adeo rex non neglexit, vt ad eius primum et inſperatum nuntium, Lublino ſtatim omni abiecta mora, paruo licet adhuc fultus exercitu, nec comparentibus ſperatis ſubſidiis, ſexto decimo calendis Auguſti proficiſceretur, vbi quindecim circiter abſumſerat dies. Antequam autem ſe vlteriori accingeret expeditioni GEORGIUM de Tęczyn OSSOLINSKI, S. R. I. principem, regni cancellarium, exercitus ſe comitantis locum tenentem generalem conſtituit. Sequenti die Craſnoſtauum ventum, vbi omnibus viribus in vnum collectis, magnis quotidie itineribus rex caſtra Socalium verſus promouebat, excipiendo per interualla hinc et inde aduenientes ſuppetias. Illud vnicum regem anxium faciebat, quod miſſi in omnes partes varii exploratores nihil certi de hoſte afferebant, nec ii, qui magno pretio, ſpreto ſalutis periculo penetrandi ad caſtra obſeſſorum emtam operam locabant, reuertebantur, nihil omnino ab exercitu obſeſſo adlabente notitiae. Socalii igitur indicitur mora, anxia diu mente regis, quam in partem iret, haereretne Socalium inter et Leopolim, an recta pergeret Zbarazium. Ancipitem et adhuc dubium regem ad vlteriorem optimates accendunt profectionem. Tepeſcere rege coram, ſubditorum rebellium animos, qui e longinquo feruent, molliri in eius conſpectu ferocitatem veneratione aut metu, ſibi perſuadebant. Satis eſt, inquit cancellarius, o rex, ſi minari perſeueres, oſtentesque pauliſper armatum exercitum, tantum vt timor poenitentiam ciuitatum acceleret, a quibus propediem expecta legatos. His perſuaſionibus allectus rex, ſuppletis nouo milite praeſidiariae cohortis militibus propere Taporoſum mouet, cui appropinquanti quidam ſtrenuus miles, IOANNES SKRZETUSKI, ab obſeſſi exercitus ducibus literas attulit, ſtrictam Mutinenſem obſidionem, Peruſinam famam, aliarumque rerum bellicarum inopiam ſignificantes, regiam maieſtatem, vt opem feſtinaret, obteſtantibus, periculum eſſe in mora, cum puluis deficeret tormentarius, globi ferrei, artificiique ignes. Tum vero iam quam celerrime et quam proximis itineribus, quanquam nec tunc quidem adhuc in iuſtum exercitum coaluerunt vires regiae, in ſubſidium deplorati prope exercitus properare viſum, ea tamen via electa, qua aduenientes a Leopoli cohortes regem aſſequi, et commeatus ab eadem ciuitate reficiendo militi, praeſertim pediti poſſet ſuppeditari. Promota itaque caſtra verſus oppidum Bialocamenum, vbi ob iniurias coeli quatriduum conſumptum non ſine regis ingenti ſollicitudine, quod de hoſte nihil ſciebatur. Quamuis enim non deerant, qui ſpreto ſalutis periculo, ex caſtris regiis excurrendo, interciperent captiuos, ſed quia ex illis, nec de potentia hoſtili, nec de conſilio quidquam perfecti intelligi potuit, in eadem de hoſte ignorantia, vt ante, rex verſabatur. Ea enim Chmielnicius vſus eſt arte, quod, excitis in auxilium ſuum ingentibus, nec vnquam viſis Tartaricis copiis, quibus vna cum Coſacorum iunctis legionibus regium exercitum obſederat, ita in officio continuit ſuorum mangonum exercitum, vt nullam inde excurſionem, tanquam ipſe obſidione cingeretur, permitteret, ſed quidquid ad vſum poſcebat exercitus in caſtra illorum inferri fecerat. Progredienti decima tertia Auguſti cum exercitu a Zloczeuo regi, occurrunt cohortes palatini Cracouienſis, captiuumque Tartarum adducunt, a quo illud tantum exploratum, adeſſe Chanum Crimenſem in exercitu Coſacorum, caeterum quod hoſtis conſilium fuerit, quis exercitus Poloni ad Zbarazium ſtatus nihil certi ab eo intellectum. Progrediebatur nihilominus eo die exercitus, conſpicua ſane acie, quam rex ipſe, vt et aliis diebus, admiratione ſuſpenſis militibus ſolebat inſtruere.

1649 d. 17 Iulii rex Lublino mouet Socalium, inde Zborouium.

Hoc ordine cum ea die inceſſiſſet exercitus, rex inclinante ad veſperam die, medio a Zborouio milliari, ſex circiter leucis ab hoſte diſtante loco ſubſiſtit. Caſtra metabatur Arciſzeuius emeritus Batauorum in India miles, tormentorum tum in Polonia praefectus, illi in ſubſidium datus Sigiſmundus Przyiemski, dignoſcendo loci genio praemiſſus Marcus Gdeſzynius veteranus centurio, huic additae ſunt aliquot leuioris armaturae cohortes, cauſa explorandi hoſtem. Reuerſus paulo poſt Gdeſzynius officio ſuo haud probe defunctus, retulit regi, ſe ad trium milliarium ſpatium omnia loca circum circa perluſtraſſe, ſed ne veſtigium quidem hoſtis reperiſſe. Illuxerat dies decima quinta Auguſti, dies, inquam, ſacra triumphanti coelorum reginae, Tartaris funeſta, luctuoſa Polonis, neutris laetitiam paritura, cum ecce caſtrorum excubitores, viſis aliquot anteceſſoribus Tartaricis, nuntiant regi, adeſſe hoſtem, non cum toto, vt ipſi rebantur exercitu, ſed valida eius parte venientem. Quo accepto nuntio minime perterrefactus rex, aduocatis illico ſuorum laborum ſociis, peritiſſimis in arte bellandi militibus,

1649 de operiendo hoſte conſilium init. Partem exercitus, qui paludoſum tramitem ſuperauerat, contra aduentantium hoſtium impetus munit. Sed vaferrimus et velociſſimus hoſtis, non armis, non ſarcinis, grauis, aut vllis impedimentis onuſtus, ſemperque ſumma celeritate bellare ſolitus, tum quoque ea vſus haud multum moratus, quinque milliaribus hac nocte confectis, cum centum millibus Tartarorum, et quinquaginta ſelectiſſimi peditatus Coſacorum regi occurrit, ſubſequentibus aliis centum quinquaginta millibus Coſacorum, qui ea ipſa veſperaſcente die ante regis comparuerunt caſtra. Poſtquam itaque propius acceſſit hoſtis, quinquaginta millia ſuorum in alteram partem paludoſae viae, ad circumuenienda Polonorum terga deſtinat, centum vero millia a fronte regis locat, vt ſic vtrinque exercitum regium premeret. Regis exercitus ſexdecim leuioris armaturae alariorum millibus, cataphractis ſex, ſclopigerorum quatuor, peditum octo conſtabat millibus. Hoſtilis in immenſum creſcebat, adeo multi, alibi potentes, domi fiunt imbecilles. Memorant, antequam pugnae copiam feciſſet rex, hoſtiſque in conſpectum veniſſet, Chmielnicio incuſſum timorem hunc in modum fuiſſe: Fecialis regio iuſſu diris deuotum, impium et perduelle Chmielnicii caput, venale, literis ad Coſacos datis, propoſuit, decem aureorum millibus debitis percuſſori. Audiit Chmielnicii miles praeconis voce poſitum ſub haſta ducis ſui caput, vnde Chmielnicio metus et rara poſtmodum in milite ſuo fiducia, cum venum ibat. Antequam igitur, vt dixi, in conſpectum veniſſet hoſtis, a tergo nimirum ex altera parte, limoſae illius viae, ſupra quam Polonorum currus arctiſſimo agmine tranſitum praeſtolantes conſtiterant, oritur tumultus et diſſoni clamores, quibus permota pars illa exercitus, quae nondum tranſierat, vertit ſe in hoſtem cum ſuis centurionibus et tribunis militum. Ibi, neſcitur quo errore, cohortes Polonae longe a curribus et oppido, iam milite firmato, abductae, deſerto inſuper peditatu, ad arcendum tranſitu hoſtem, ſupra limoſum tramitem relicto, quem protegere debuerant, praebuerunt occaſionem et delendo illi peditatui et ſuae cladi, quam acceperant. Periere enim tunc BALDUINUS comes de Tęczyn OSSOLINSKI, magni cancellarii ex fratre nepos, FELIX TYSKIEWICIUS, palatini Breſtenſis filius, GREGORIUS RZECYCKI, capitaneus Vrzędouienſis, praeter alios viros inſigniores. Minor tamen fuit quam pro tumultu caedes. Computatis enim etiam vilioribus capitibus, non amplius ex Polonis in ea parte paludoſi tramitis, quam mille deſiderati. Reliqui quibus fortuna belli tunc pepercit, inter currus ſe recipiendo obuerſi in hoſtem, cum fortiter repulerunt, et poſtmodo ſuperato difficili illo tramite, regi ſe et reliquo exercitui aſſociarunt, amota omni pridiana quaeſtione et altercatione, quam Samuel Korycki, Vladislai Dominici ducis in Oſtrog et Zaslaw palatini Cracouienſis cohortium generalis praefectus cum regiis inſtituerat, nollens ingredi regia caſtra abſque ſpeciali ducis ſui mandato, quem hucuſque operiebatur futurum in exercitu regis. Dum ita res in illa parte agitur, interea pedetentim aduerſis ſignis regio appropinquabant conſpectui Coſaci Tartarique bipartito agmine, quo latiori terrore Polonorum exiguum obruerent exercitum. Acceſſit inconditus clamor ſe ad victoriam mutuo inuitantium. Cum his primus omnium manus conſeruit Samuel Korecki, diu fortiſſimus vir hoſtilem ſuſtinuit impetum, tandem infinita ac diſſona obrutus multitudine, ſenſim pugnando tamen verſus regia caſtra ſigna mouit, hoſte pertinaciter eius ſubſequente veſtigia. Tota itaque dies decima quinta Auguſti, inter timorem, mutuamque exacta eſt caedem. Poſt proelii aeſtum inter nuda cadauera inuenta foemina, corpore ingens, quae mentita ſexum ſub virili habitu diu ſuſtinuerat pugnam, donec inter confertos hoſtes tandem occumberet. Interea centum et quinquaginta Caſacorum millia, quae aduentabant, Tartaris nouas laturi ſuppetias, e longinquo exercitum et caſtra regia circumdando, formam obſidionis oſtentabant.

Regis ad Zborouium obſidio, et numerus hoſtium.

Polonorum clades.

Caeterum Tartaro ad caſtra recepto, rex cum ſenatu praeſente, caſtrenſi more in equis deliberat, quid facto opus ſit? Spectata tanta multitudine hoſtium, trecenta millia ſuperantium, praeter alium exercitum hoſtilem, qui regium ad Zbarazium iam ſemiſepultum obſidebat exercitum. Verſabatur ante oculos periculum, ne et iſte exercitus vna cum rege clauderetur obſidione, circumfuſis iam vndique hoſtium copiis, ad ferendam vero obſidionem nec locus munitus, nec abundantia victualium, nec ſpes alicuius auxilii aderat. Nec vanus timor, niſi velut miraculo Deus defenſorem ſe regis oſtenderet, quo momento deſperata omnia credebantur. Chmielnicio commeatus et annona et amica a tergo, cui inſederat, regio. Regi in contrarium omnia vertebantur. Hinc victualium difficilior ratio, et quae a gregario milite longinquis et periculoſis populationibus quae rebantur.

Varia-

1649 Variabant in hoc deſperato rerum articulo procerum ſententiae: quidam prudenter regem facturum dicebant, ſi fugam adornaret in Poloniam: Parum diſtare a captiuitate innocentem principem: Nihil mitius ſperandum a furentibus, quam inſignem aliquam ſui contumeliam, aut certe mortem: Denique non opus eſſe, ſacrum caput offerre euidenti ruinae, cum adhuc Polonia pateat a tergo, exceptura infelices tutiſſimo ad tempus hoſpitio. Quidam adhuc fortioribus conſiliis regis obfirmabant animum. Sperneret ſonoras barbarorum et inanes minas; plus illic ferocitatis quam virtutis aſpici: Imbelles, inermesque Tartaros, ceſſuros ſtatim more gentis, vbi ferrum virtutemque vincentium, toties ante fuſi, agnouiſſent: Etiam in multis legionibus paucos eſſe, qui proelia profligarent: Regiae multum inde acceſſurum gloriae, quod modica manu myriades hominum profligaſſet: Auſuros ſe tentaturosque extrema pro ſalute regis: Fortunam et Deum adfore conatibus meliorem cauſam tutantibus. In ſumma diſſonae a multis audiebantur voces, fere tamen ab omnibus in eam itum eſt ſententiam: Aut principem abducendum clandeſtine eſſe, aut Chanum Crimenſem blandiori epiſtola demulcendum, ſimulque a ſocietate Coſacorum variis pollicitationibus abſtrahendum. Cancellarius, vero cum neque clandeſtinum modum abducendi principis neque expectandi ſubſidii, vllam viam rationemque inueniri poſſe aſſeruiſſet, omnem ſpem ſalutis a prouidentia Dei et a fortitudine optimorum belli virorum petendam eſſe dixit. Hoc eſt conglobato exercitu vi perrumpere viamque moliri per calcatum hoſtem, aut ſi ſic fata ferrent glorioſe morituros, caetera Deo committenda. Interim non abs re putauit, literis compellare Chanum, non tamen eiuſmodi tenoris, qui indignitatem aliquam, quaſi iam victi principis, prae ſe ferrent. Itaque poſtquam rex fugam deteſtatus et abominatus, hanc vltimam ſecutus eſt ſententiam. Demandauit ſupremo Cancellario, vt eas literas ad Chanum mitteret, quas ipſe regentem cancellariae haud mora infra ſcripti tenoris exarari iuſſit.

Varia Polonorum conſilia.

Cancellarii ſententia.

IOANNES CASIMIRVS, *Dei gratia Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Kioiouiae, Volhiniae, Smolenſciae, Czernichouiae, Curlandiae, Pomeraniae, Caſſubiorum &c. nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius rex,*

Magnarum Hordarum libero Chano, ISLAN GEREIO, *Cerkaſſienſi, Nahaienſi, Petiorenſi, Szemenſi, Perecopenſi, Crimenſi &c.* amico et fratri Noſtro ſalutem.

Literae Polonorum regis ad Chanum Crimenſem.

Cum ſciamus *Te* memorem eſſe beneficiorum, a fratre Noſtro ſereniſſimo et potentiſſimo Domino, Domino *Vladislao quarto*, olim Poloniae rege, coeleſti iam regno fruente, acceptorum: Qui *Te* benigne tractauit, incolumem ſeruauit, libertate donauit, quam, nactus hoc imperium, quod nunc tenes, adeptus es: Miramur, quod, cum memor ſis tantae ſereniſſimi ac potentiſſimi Vladislai quarti, fratris Noſtri, erga *Te* beneficentiae, cum *Nos* venimus ad ſedandos motus imperii Noſtri, aſſociaſti *Te* huic rebelli Noſtro, et contra exercitum Noſtrum arma ſumſiſti, licet nullo tuo ſolatio et fructu. Speramus enim quod neque poſtmodum Deus conatus *Tuos* proſperabit. Nihilominus polliceri *Tibi* amicitiam Noſtram et reuocare *Tibi* in memoriam beneficia fratris Noſtri cenſuimus. Nunc amicitiam Noſtram *Tibi* offerimus et vtrinque illam florere cupimus. Datum in caſtris ad Zborou, die decima quinta Auguſti, anno a natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, regnorum Noſtrorum Poloniae primo, Sueciae ſecundo anno.

Has literas, vno captiuorum accito, ea lege illum rex ad ſuos dimiſit, vt Chano illas traderet, ratus praecipitatam hoſtium inſaniam non poſtulare vltra lenta remedia. Reliquum quod ſuperfuit noctis, inſomnis. Sub dio transegit, nec in molli ſtrato, ſed terra, ad excitatum a miniſtris ignem, pugnando pariter et imperando laſſus decubuit. Pars exercitus circa regem ſuum armata egit, pars interea iuſſu eiuſdem, radiante luna tumultuario opere foſſam et vallum prae caſtris excitat, iis locis, vbi operae ſufficere non poterant, curribus oppletis. Prima deinde luce exanimes fere omnes conſpiciebantur

1649 Poloni, cum ecce vergente in meridiem sole Tartarorum rex vni vicissim ex Polonis, quos habebat captiuos, literas ad Polonum regem deferendas in hunc modum scriptas tradit:

Dei gratia felicissimus et serenissimus Islan Gerei, Chan IOANNI CASIMIRO, Fratri Nostro charissimo, Excellentissimo, Poloniarum Regi, salutem.

Literae Tartari ad regem Polonum.

Fateor *Maiestatis Vestrae regiae* domus ante paucos annos, amplissime in me collata beneficia. Causas initae cum Cosacis societatis, irruptionisque in amplissimas Maiestatis Tuae ditiones, non alias esse coniiciat, quam ipsam taciturnitatem reipublicae, me, meosque bellicosos aspernantis populos. Veni itaque animo hybernandi in Poloniam. Sed quia oblatam amicitiam et fraternitatem a Maiestate Vestra mihi aspernari non licet, ideo ad eandem stabiliendam ac corroborandam necesse iudico, vt ante omnia Maiestas Vestra magnum suum deputet Vesirium, qui vna cum meo Vesirio colloquium fidum et fraternum habeat, nos ad pristinam amicitiam et fraternitatem reuocet.

Huic epistolae adiuncti fuerunt Chmielnicii codicilli, magna cum submissione animi ad regem scripti, per occasionem literarum regis, ante aliquot dies, vt superius innui, per fecialem ad castra Cosacorum missarum, quibus rex Chmielnicium rebellem et perfidum declarabat, abrogans illi imperium, in exercitum Cosacorum datum, Cosacos insuper monens, ne Chmielnicii amplius obtemperarent mandatis, sed huic obedirent, quem rex illis literis suis publicis praeficiebat. Literarum Chmielnicii hic erat tenor:

Sereniſſime ac potentiſſime Rex,

Domine ac benefactor clementiſſime,

Chmielnicius regni scribit.

Deum testor me semper extitisse humillimum *Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae*, Domini mei clementissimi, mancipium, et ab ipsis quasi incunabilis ad hanc vsque canitiem aetatis, nullam vnquam contra *Maiestatem Vestram* rebellionem aut cogitasse aut suscepisse, quin imo meum fidele obsequium, vna cum piae memoriae parente meo Michaele Chmielnicki vicecapitaneo Czechrynensi omnibus patuit. Quandoquidem in obsequiis diui *Sigismundi, Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae.* Glorioſissimi genitoris, vniuersae reipublicae, in proelio prope Czeczoram commisso occubuit, ego vero captus biennali detentus sum carcere. Recuperata per Dei voluntatem libertate semel inscriptus militiae reipublicae fideliter seruiui. Et nunc Deum ipsum testor, libenter abstinerem a profusione sanguinis Christiani; Quia vero *Sacra Regia Maiestas Vestra*, bis literis suis, me humillimum mancipium suum, rebellem appellat, quod procul a mea exulat mente, et maleuolae potius inimicorum meorum traductionis nomen meretur. Velit hoc Sacra Regia Maiestas Vestra, Dominus meus clementissimus, ad trutinam regii iudicii et clementiae examinare, mihique benignam praebere aurem, testantibus vel ipsis magnatibus lateri *Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae* assidentibus, quantum iniuriarum a magnificis tenutariis partium nostrarum sustulerim. Quare nulla elatus superbia, sed infinitis coactus miseriis, oppressus, et omnibus bonis patriis spoliatus, confugi ad pedes magni Chan Crimensis, vt illo duce, gratiae et clementiae *Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae* possem restitui. Id quia factum est, cum innocenti multarum animarum interitu, supremus rerum arbiter iudicet Deus, quorum causa factum est. Ego vero vel minimo nutui *Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae*, Domini mei clementissimi, contrarius viuere recuso. Et etiam constituto recens exercitus Cosacorum nouo duci ZABVSKI cedere paratus sum, consignata ei claua et vexillo militari, quo nunc ex gratia Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae fruor, dummodo securus sim de clementia *Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae*, et quod sub illius patrocinio tute secureque degere possim. Datum in castris sub Zborow, die decima sexta Augusti, milleſimo sexcenteſimo quadrageſimo nono.

Colloquium inter Tartarum et Polonum.

Vtrisque his literis lectis, rex literis Chani Crimensis respondit: Deputaturum se cancellarium, illique commissurum, vt loco aliquo inter vtraque castra medio cum Vesirio Chani commode colloquatur. Vespera appetente nuntiant vigiles castrorum, Vesirium Crimen-

Crimensem in campo adesse, cancellarium praestolantem. Tunc cancellarius tandem castris egressus inter innumerabiles hominum cateruas, longe a loco congressus consistentes, octo e suis comitibus assumtis, in vallem planam ad eum descendit. Ibi dicta in primis mutuo salute, Cancellarius, quidnam Domini sui adferret nomine, Vesirium blande interrogat. Paucis respondit Vesirius: Se ab Chano Crimensi Domino suo missum esse cum testificatione beneuolentiae et amicitiae fraternae erga Regem, ad quam eum inuitarent vetera beneficia regiae domus. Hinc ad vlteriores inter Cancellarium et Vesirium ventum. Cancellario intentius adnitente, vt mentem Vesirii altius introspicere posset, quidnam sub specie amicitiae Dominus eius vellet. Postquam vero intellexit, non amplius peti, quam stipendium militare antiquitus a regibus Poloniae Chanis Crimensibus dari solitum, et praeterea gratiam regiam Cosacis. Pollicitus Cancellarius totum, quod audiuerat regi se fideliter relaturum, curaturumque vt amicitia et fraternitas inter hos principes redintegretur. Pacti inuicem postera luce se redituros, coeptum colloquium continuaturos, amice ad castra sua digrediuntur. Interea Vesirius tam ad Cosacos quam ad Tartaros, oppidum Zborow incessanter oppugnantes, nuntium celerrime dimittit, eosque minis interpositis monet, vt illico ab oppugnatione oppidi desisterent, munitiones desererent, Tartari vero campo cederent. Sic tractatum illa die Vesirium inter et Cancellarium de tota belli mole, negotium. 1649

Secundus iterum cum Vesirio Cancellarii conuentus.

Altero mane videlicet decima septima Augusti prodierant iterum in campum Cancellarius et Vesirius, inter ingentes ab vtrinque effusas copias, mutuaque peracta salutatione, tandem in has pacis conuenere leges:

Fit pax inter Tartarum et Polonum.

I. *Ab hac hora sit inter regem* IOANNEM CASIMIRVM, *eiusque successores reges Poloniae*, et ISLAN GEREIVM, *Tartarorum regem, eiusque familiam Gereiam amicitia et fraternitas in perpetuum.*

II. *Rex Poloniae ex libertate et munificentia sua dabit in posterum stipendium ordinarium Tartarorum Chano, quotannis nonaginta millia florenorum, Polonae monetae, quod ipse per legatos suos petet, missos Camenecum in Podoliam. Caeterum nunc duorum annorum debitam summam Tartaro regi remittet ad eiusdem castra Polonus rex.*

III. *Rex vicissim Tartarorum erit obstrictus adesse Polono regi cum omnibus suis copiis contra quemuis hostem.*

IV. *Non amplius licitum erit, vel vni equiti Tartarico, hostili animo ingredi viciniora regis Poloniae.*

V. *A castris Zbarazensibus obsessis confestim tam Tartaricas quam Cosacorum copias absoluet, illumque exercitum ad castra sacrae regiae maiestatis, vel quocunque rex iusserit, transeuntem minime infestabit.*

VI. *Ex ditionibus sacrae regiae maiestatis, sine vlla mora Tartaricos exercitus et quidquid est Turcarum Vromelienſium educet, et ad illorum sedes relegabit.*

VII. *Rex Poloniae, in gratiam Tartarorum Chani, exercitum Cosacorum Zaporouienſium, humiliter veniam rebellionis petentem et scelus suum deprecantem, a crimine praedicto absoluit, et in gratiam regiam recipit.*

Horum pactorum conuentorum obsidem, illustrem aliquem in aula virum Tartarus flagitabat, datusque est illi pro pignore fidei quoadusque pecunia non persolueretur, SIGISMVNDVS comes a DÖNHOFF, palatini Siradienſis filius, Socalienſis gubernator, magni cancellarii gener. Nec abscessere Tartari donec in castris stipulata, ex viatico militum ipsiusque regis, pecunia numeraretur. Rem altius de stipendio Tartaris dari solito in gratiam externorum repeto. Grauissima olim bella cum Russis, Lituanis, Pruthenisque

1649 que a Polonis gesta plerique cum fide memorant auctores, quibus cum viribus aliquando impares essent Poloni, extremae Europae homines ex Asia venientes in auxilium vocarunt, que Ponticum angulum, hoc est Trapezunticum imperium, claris vrbibus frequens, coloniam Genuensium ante, sub annum verbi incarnati millesimum quadringentesimum quinquagesimum quintum inuaserunt, occupataque a Mahomete Constantinopoli, facile fuit, vt angusto superato freto Pontum illi possiderent. Hos igitur Maeotidem incolentes paludem, Tartaros inquam, foedissimum mortalium genus, in auxilium accersérant Poloni, hac pacta conditione:

Tartarum Polono regi arma et omnem exercitum contra quemuis hostem subministraturum.

Polonum regem nonaginta millia florenorum in singulos annos bona fide pensurum.

Ita specie libertatis mutuata seruitus. Vnde patet olim Tartaris gratuitam fuisse factam largitionem, quae hodie malignitate temporum et belli calamitate transiit iam in necessitatem. Quanquam nec his contenti Tartari saepius Polonas infestant ditiones, eademque velocitate insequuntur Polonos et fugiunt, deserta et humano cultu vacua magis incolentes loca, quam vrbes aut opulentos agros, quibus abundat Pontica tellus, quondam Ouidii celebris carminibus. Asiae insuper et Europae Turcarum imperatoris custodes sunt. Dicti Tartari a fluuio TATAR, qui magnam partem illius regionis alluit. Sordidi victu vt et amictu, solo Hypace victitantes, quae herba in se dulcis, duodecim dies sitim et famem arcere dicitur [33]). Quinque sagittis quisque praeliatur, certos esse, quis miretur, ictus. Haec sola genti arma sunt, id vnum ab infantia studium [34]). Cibum puero negat mater, nisi quem, ipsa monstrante, tetigerit scopum.

Ita Tartarorum rex monetae deae gratiis allectus, leniora spirare coepit. Ita contumaciam exuerat mollita Chmielnicii ferocitas. Ita parua pecuniae summa, quies Poloniae, et aeterna, vt credebatur, cum Tartarorum Chano stabilita concordia, seu tunc Cosacos Tartari seu deceperunt Cosaci Tartaros, quod postea a variis dictum et creditum varie. Digrediuntur interea Cancellarius et Vesirius cum applausu et laetitia totius exercitus, mandans Cancellarius Chmielnicio, qui Vesirium comitatus eo aduenerat, vt intra duas horas mitteret aliquos ex suis ad regem, nomine exercitus Zaporouiensis petendae veniae causa, quod ille mox executus est. Aduenientes itaque in castra regia, qui a Chmielnicio missi erant, ducebantur inter densa agmina militum in amplissimum tentorium ad regem, pro maiestate sedentem, in cuius conspectum postquam venerunt, procidentes in terram, crimen totius exercitus cum lacrimis confessi sunt, veniamque orando, supplicem libellum nomine totius exercitus regi porrexere: quibus cancellarius nomine regis in hunc modum respondit: Regem pro innata clementia ab effusione sanguinis humani abhorrere, ex multis causis, hinc praecipue, quod Dei omnipotentis imago in homine crudeliter laceratur et perit. Vnde non modo bellis ciuilibus, pernicioſa regnorum peste, abstinendum, sed et quaerenda sedulo omnis ratio, quo concordes vna viuant regnicolae, obliterandam memoriam facti, si fide posthac et obsequio admissum diluent crimen, fidemque nouo sacramento adstringent. Abdicarent factiones et praua consilia, ea conditione, vita illis et omnis libertas salua sunto. Hanc esse clementissimi principis voluntatem. Veniret interea supplex Chmielnicki veneraturus regem, ob quem vnum plures populi instar hostiarum mactati, vnus priuatam iniuriam publice vltus est, vnus vicit, vnus partes inclinauit. Nec segnius, quam promiserant legati, aderat sequenti mane, pensato iam

33) Non herba est qua vescuntur in casu necessitatis Tartari, sed radix valde crassa, dulcis et tertiam vlnae partem longa, pastinacae species, quae neque inuenitur vbique, nunc Tartaris ignota quamplurimis. Ipse enim fui apud Tartarorum Chani legatum Varsauiae praeterito anno, comitiorum tempore, praesentem, cui, vt et omnibus, qui cum eo erant, Tartaris, et herba Hypaces, me interrogante, et haec radix erant ignotae. Herba quae ipsis medicinae loco familiaris est, appellatur Hyndipa ab eis, hoc est Endiuia, cichorei species, prout ex suppeditata mihi descriptione intellexi.

34) Iam non sagittis tantum in bello vtuntur Tartari, sed et bombardis etiam, intus sulcatis, quas a Turcis et Persis acquirunt, elegan-ter, vt vidi, fabricatis.

iam coeptorum suorum dedecore Chmielnicki, qui inter densos militum ordines ad regis admissus conspectum, vno genu procumbens in terram, vultuque elato, post officiosae demissionis venerationem haec verba locutus est: Multi anni sunt, sereniſſime et potentiſſime Rex, Domine, Domine noster clementiſſime, vel quod mauis et mereris, optime princeps, vel quod MAIESTATI TUAE potius conuenit, mitiſſime populorum Tuorum pater Casimire, Domine noster clementiſſime, multi, inquam, anni sunt, ex quibus scire potuisti, quonam furiosa et occulta omnium pene Poloniae procerum in nos fideles subditos Tuos vergerent consilia. Hi omnimode maiorum nostrorum priuilegia polluere, Cosacos Zaporouianos, non iam pro milite MAIESTATIS VESTRAE, sed pro propriis quisque mancipiis reputare. Mahometanos sacrificulos sacris nostris praeficere, in comitiis liberam vocem nobis poscentibus, austero vultu toties recusare, inscio MAIESTATIS VESTRAE praedecessore sereniſſimo fratre Vladislao felicis memoriae quarto, Domino nostro clementiſſimo, Poloni impune praesumebant nobiles, vt omittam stupra, caedes, iniurias, omnia denique extrema, nobis ab eisdem illata. Indulge libertati sermonis, regum augustiſſime, propitias aures Tuas non fraudabimus rationibus, quibus adacti sumus ad intensiorem vitae curam. Quisquis autem nostrum contra hos tales ad ius prouocabat, vel generalium ordinum expectabat decretum, in instanti gladio premebatur. Ad vltimum patientia nostra diuturnitati succubuit. Igitur amicitiam cum exteris contraximus, illorum potiſſimum opera hoc tempore contra nobiles vsi. Quis autem damnare potest, quod vitae fortunaeque praesidium quaesiuerimus, quarum amore eriam ferae ad vltima compelluntur. Nam et viliſſimum animal, si vexetur, contra insurgit. Ferrum ergo in Maiestatem Vestram stringere nequaquam animus erat, tanquam in innocuum principem, Dominumque nostrum clementiſſimum. Illos solummodo persequi conabamur, qui Cosacos peius angue execrabantur, peius mancipiis opprimebant. Haec pathetice Chmielnicius. Dein regi porrexit supplicem libellum, quo cancellarius accepto in haec verba confestim, nomine regis, Chmielnicio pacis pronuntiauit conditiones:

1649 Chmielnicii ad regia castra aduentus. Eiusdem ad regem verba.

I. *Campo absistant Cosaci, postquam petitam humillime a rege impetrauerint veniam.* Pax Cosacos et Polonos inter.

II. *Circa antiquas libertates, immunitates, praerogatiuas, priuilegia, sacra regia maiestas conseruare perpetuis temporibus Cosacos Zaporouianos, regia pollicetur fide, eisque super hoc nouum diploma largitur.*

III. *Numerum quadraginta millium selectiorum Cosacorum approbat.*

IV. *Bona Czechryn ducibus Cosacorum prepetuis temporibus assignat.*

V. *Sit vtrinque perpetua obliuio et amnestia omnium eorum, quae ab initio horum motuum quocunque loco, modoue, ab vna vel altera parte, vltro citroque hostiliter facta sunt, ita vt nec eorum nec vllius rei causa vel praetextu, alter alteri posthac quidquam hostilitatis, aut inimicitiae, molestiae vel impedimenti, quoad personas, statum, bona, vel securitatem per se vel per alios, clam aut palam, directe vel indirecte specie iuris aut via facti, in regno aut vspiam extra illud inferat, vel inferri faciat aut patiatur.*

VI. *Cosacorum statiua, seorsim a Polonis erunt.*

VII. *Iudaeos omnes, tenutarios, Russia excedere promittit.*

VIII. *Palatinus Kiouiensis ac Castellanus secta erunt schismatici.*

IX. *Metropolitae Kiouiensi schismatico, locum inter senatores ecclesiasticos assignat, medium inter Chelmensem et Kiouiensem Episcopos.*

X. *Ecclesias Vlodomiriensem, Crasnostauiensem, Lublinensem, Socaliensem, schismaticis restituit.*

Hic primus belli ciuilis parum expectatus desit turbo, eoque modo Zborouiensis finita est expeditio.

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS
LIBER SECVNDVS.

LIB. II CAPVT I.

SYNOPSIS

Centuriata Poloniae deſcribuntur comitia. Recenſentur deinde odia inter Wisniowiecium ducem, et cancellarium Oſſolinium. Pacta approbata Zborouiana a nobilitate. Fit militum Polonorum Lublini confoederatio, ſed vano effectu. Interim Chmielnicius Coſacis Pereaslauiae indicit comitia. Tartarorum legatum rex Varſauiae audit, ſimiliter et magni ducis Moſchouiae legationem ſumtuoſam. Moriuntur clari in republica viri.

1649 Rex voti reus clarum montem inuiſit.

Ineunte Septembri menſe rex, ſopita Coſacorum vtcunque rebellione, mercatus a Tartaris pacem, et ita amiſſa, vt videbatur, recuperata Ruſſia, Varſauiam triumphalis ingreditur, regina ipſi duorum dierum itinere obuiam prodeunte, qua comite recta clarum montem profectus, locum, diuae virginis imagine ex antiquo celebrem, veneraturus inuiſit. Nuncupatis apud coeleſtem virginem votis, iterum Varſauiam reuertitur.

Moritur Andreas Firlei, palatinus Sendomirienſis.

Exeunte Octobri fato functus eſt ANDREAS comes de Dąmbrowicza FIRLEI, palatinus Sendomirienſis, ſupremus ad Zbarazium exercitus regii praefectus, ſexagenario maior, Vir, ſi religionem excipias, natalibus inter regni primores, fortuna inter principes, arte militari inter paucos numerandus. Illum mors indebita a Zbarazio reducem ſuſtulit, ſuone an alieno fato incertum. Fuere qui crederent aemulatione, aut per inuidiam veneno ſublatum. Optimum belli ducem et ſtrenuum militem ad Zbarazium egit. Rex palatinatum confert VLADISLAO Marchioni in Mirow MYSZKOWSKI, Grodnicenſi capitaneo.

Comitiorum in Polonia deſcriptio.

Sub finem huius anni comitia Poloniae ordinum generalia Varſauiam conuocantur. His antequam accingar, non erit abs re, neque ſuſcepta narratione procul, de comitiis dicere, vt ſolent conuocari in Polonia, re plerumque exteris ignota. Coaetaneus eſt naſcenti Polonorum regno comitiorum generalium vſus. Ea ſaepius conuocare, Polonae ſcripſerunt leges; biennio non niſi, ſeu decurrente duorum annorum periodo, antiqua Caſimiriana ſanxerunt ſtatuta. Quanquam melius conſuleretur Poloniae infrequentia comitiorum, legumque ſancitis, quae eo facilius obſeruarentur. Legum mole obruitur populus Polonus, creſcunt in immenſum rabulae. In ſumma, legibus laborare dici poteſt Polonia perinde ac malis. Hinc vtraque tuetur legibus pars, eademque per leges amittit, pauper actor et reus. Aduocatis interea implentur ciuitates, aut notariis, deterrimo hominum genere, cui, velut hirudinibus, populi ſudor et ſanguis vita ſunt [35]). Concesſio comitiorum, non primorum, non regis, ſed totius reipublicae eſt. Vrgentibus tamen regni negotiis, non obſtante in contrarium lege, nec attento bienni tempore, conuocantur comitia. Vidimus per aetatem noſtram vno eodemque anno, poſt exceſſum Vladislai IV, quatuor generalia conuocata ordinum comitia. Nec hoc mirum. Semper enim

35) Scilicet rabulis, praeuaricatoribus, cauſſidicis, de quibus auctori ſermo eſt. Caeterum ſcimus omnes, ſinceros cauſarum patronos tam vtiles eſſe in republica, quam neceſſarios atque honorabiles.

enim ſingulis interregnis eadem temporum redit fatalitas, haecque comitia ſub diplomate 1649
regio duodecim ante hebdomadis respublica vniuerſae indicit nobilitati, per iurisdictiones, territoria, ſingulosque capitaneatus, diploma regium viris circumferentibus ad id officium deſtinatis. Quo accepto diplomate, illius prouinciae palatinus vel caſtellanus, ſex ante generalia comitia hebdomadis, priuata comitiola, prouincilia dicunt, nobilibus indicit. Dicta die conueniunt omnes praeſcripto et deſignato loco, compilantque promiſcue, vt quemque contingit, quaeſtus ordinis ſui, quibus diſcutiendis legi ſolent per ordines, qui in mundum redigant, reiiciantque, ſi quid ſuperfluum. Hinc ad comitia generalia delegantur per ſuffragia duo potiores oratores, qui congeſta ex prouinciis priuatim inter ſe conferunt pro munere accepto. Hi ſplendido comitatu, auro, argento, et ſerico intertextis veſtimentis paſſim in luxum diffuſis Varſauiam conueniunt, quem locum haud dudum Sigismundana ex re bonoque publico elegit prouidentia, tanquam conuocando citius ex tota gente concilio aptiſſimum et omnibus commodiſſimum, hodie regum Poloniae commoratione nobilitatum. Totus deinde ille conuentus trium ordinum eſt. Hinc diuiſio in tres ordines fieri ſolita, queis nomen rex ſenatoresque clerus, et tertius ordo, quem nobiles conſtituunt. Nec valent politicae leges, niſi in quas trium ordinum conſenſus eſt. Neque ſufficit regis ſenatusque arbitrium, absque tertio tumultuario nobilium conſenſu. Inchoata comitia a publicis Deo incipiunt praemiſſis ſupplicationibus. Tum ordinum oratores, ſeu nuntii terrarum, regem pro maieſtate ſedentem, trina praemiſſa veneratione de more ſalutant, peracta ſalutatione ad conclaue commune in palatio regio redeunt, in quo poſtera die, vnum, qui conuentui praeſideat, mareſchalcum ordinum vocant, eligunt. Mittuntur deinde perſaepe oratores ordinum, a tertio ordine ad regem ſenatumque, et viciſſim a rege et ſenatu ad tertium ordinem. Quanquam totas ſex illi hebdomadas meris inſumunt perorationibus, mutuisque altercationibus, adeo vt ſcholam potius quam conuentum diceres, paſſimque multorum in republica ſtudiis priuatae res officiunt, ſex hebdomadum elapſa periodo, omnes ordinum oratores ducenti circiter, ad regis ſenatusque admittuntur conclaue [36]). Ibi communicatis plerumque ſententiis et in vnum collectis de bono publico pleno ore diſputant. Liberum vnicuique oratori, fantem alterum oratorem, moleſta interpellare voce, verbis caſtigare, ſaepiusque ſimplicem ac regiis moleſtam auribus illam vocem repetere: Non conſentio, quia nobilis ſum. Hinc ſub praetextu nobilitatis fit, vt integra non raro comitia ſola hac ſolenni turbentur voce: *non conſentio* (nie poswalam) neque ad fauſtum deducantur exitum, ſummo et inexplicabili cum regis dolore, quem ſaepius inſomnem in multam noctem protrahunt altercantes oratores.

Comitiorum ſancita circa tributa vel maxime verſari ſolent, quae in maxima publicorum vectigalium tenuitate ſaepius indulgere neceſſe eſt. Agrarias nuncupant contributiones, has ipſa plebs ruſtica, inter mille alias ſuppeditat aerumnas, moleſtiſſimum ſane miſeris agricolis tributi genus, nec vsque adeo, ob non integram priuatorum hac in re fidem, in publicum lucroſum, ideoque in immenſum iam, exigentibus bellorum ſumtibus, multiplicari ſolitum. Compendioſiores, ac magis aequas inire vectigalium rationes ſaepius tentatum eſt, aſt nunquam felici ſucceſſu, obſtante partim immenſa nobilium immunitate, ſed ea magis incredibili atque admiranda eorum plerorumque, quibus publicas aerarii attigi licuit rationes, rapacitate. Neque primorum duntaxat ea eſt licentia, idem licet eorum clientibus, vel familiaribus carioribus, qui iis admouentur negotiis, vnde egregio dilati quaeſtu inuicem prodeſſe poſſent, dum et horum interceptiones optimatum legantur patrocinio. Proceres vero, ſi quid in comitiis nobilium moliatur vulgus, illorum intercedendi miſcendique omnia, tuti ſunt poteſtate. Proinde nihil tam ſanctum vel inuiolabile illis eſt, nihil adeo legum munitum praeſidio, aut ipſa iurisiurandi religione tutum, quod rapacisſimas effugiat manus, nullo mortalium ſerio damna publica vindican-

36) Nunquam palatinatuum et diſtrictuum legati ſeu nuntii omnes Varſauiam ad comitia veniunt. Comitiola enim plura ſemper ſine effectu, intercedente nobilis cuiusdam, bona poſſidentis, ſolenni interdictione, *non conſentio*, celebrantur, ex qua deinde prouincia nuntii Varſauiae non comparent comitiorum tempore, quae his non obſtantibus biennio elapſo die lunae poſt feſtum S. Michaelis incipiunt. Adponimus in exterorum gratiam numerum nuntiorum expreſſum vna cum locis vbi comitiola inſtituuntur.

1649 dicante, tanquam amplisſimae interſit libertatis, hoc etiam impune licere, imo cautius prouidere aerario vel ſeueriores expenſi flagitare rationes, multo magis ſane, in publicae ſalutis conſtituere ſecuritatem, immaneſque meliori modo ac ratione ſubleuare neceſſitates, ingens libertatis non patiatur amor, quem eo maxime debilitari exiſtimant, ſi quid vltro, ſponte, ac maturo in publicam vtilitatem contulerint iudicio. Decipi, illudi, circumueniri, per omnes fraudes et dolos, expilari gaudent. Vnde aerarii cura apud Polonos nulla eſt, nec ius regium, apud illos populum cogit ad tributa, ſed neruus imperii, id eſt, aerarium immediate poteſtati ſubeſt reipublicae. Hanc arbitram rerum et ſuorum regum, vniuerſa agnoſcit Polonia, vnoque hoc iure publice omnibus coeptis conſiliis viribuſque moderatur nobilitas. Hinc eſt, quod reges Poloniae, aliquid erogaturi in principes filios 1649
emendicare prius apud rempublicam coguntur, antequam decem aureorum millia, nam plura vix permittit nobilitas, annui reditus pro illis a republica impetrent. Praeſcia ſiquidem mali nobilitas, duris legibus regiam ſtrinxit et coarctauit maieſtatem, et hoc pro ſummo apud ſe reputans arcano. Immemor quoque beneficii a SIGISMUNDO AUGUSTO conceſſi, qui primus circa annum 1572 moriens teſtamento Polonis libertatem, ſeu potius effrenam legauit licentiam, cum antea reges Poloni Domini et legitimi regni haeredes et dici et haberi volebant. Sed neque reſpublica Polona verae reipublicae nunc quoque meretur nomen, quae ſumma omnipotentis hucuſque ſubſtitit prouidentia, vel, vt res eſt, miraculo 37). Longe enim diſpari modo et ratione a caeteris regitur. Arcana apud illos nulla, conſilia quoque et artes imperatoriae omnibus notae. Leges ergo illorum et iura quae decernunt, conſtitutiones vocant. Pariſiis in Gallia publice venales habui, eaſdem quoque Byzantii venditas fuiſſe compertum habui. In his conſtitutionibus continentur regni opes publicae, tributa, neceſſitates, pericula imminentia. Scriptus praeterea numerus ciuium in armis, qui reipublicae ſocii, qui inimici. Immo non raro regiae domus arcana, amicorum conſilia, miniſteria quoque diuulgantur militum. Ita ſecreti nihil in Polonia eſt. Olim nomen Deae, quam pro patrona colebat reſpublica Romana, ſummo ſtudio celatum, vix paucis patribus notum fuit, ne ſi quis id hoſtis reſciſceret, ſpe praemiorum ſeducta euocaretur ex vrbe. Eodem hodie modo, at accuratius multo cauent reliqui principes, ne arcana reipublicae reuelentur iis, quibus illa non eſt commiſſa, quod in Polona republica experiri diuinum factum non hominum eſſet.

Redeo itaque ad praeſentia comitia, a quibus tantillum digreſſus ſum. Sub finem Nouembris rex indicta Varſauiae omnibus ordinibus celebrat comitia, in quibus ſalus vniuerſae inerat reipublicae. Aderat et Ieremias Michael Korybut dux in Wiſnowiecz, terrarum Ruſſiae palatinus, cui moenibus Varſauiae imminenti dat ſe obuiam populus in occurſum effuſus, applauſuque ingenti excipit, quem procurandae libertatis cauſa veniſſe rumor erat. Stipat conferta nobilitas, dumque in abdito haberi ſtudet, perſtrepit ad aulae fores, circumfuſa omnium ordinum multitudo, premit veſtibulum, nota promiſcue gens et ignota, vt non longe eſſet ſpectantibus a regia principis dignitas. Obluctabatur ipſe non ignauis regni primoribus, et potiſſimum cancellario diſplicere applauſus votaque populi, praecipue cum in publicum dantur et rege coram. Non ante principi maior auctoritas erga popolum fuit, nemo anteceſſit apud nobilium ordinem gratia et fauore. Clero ingens erga ipſum veneratio et affectus. Religione clerus, quam ſumme coluit, mouebatur, populus herois fama, magnanimitate et largitionibus ordo nobilium. Forte melius dixerim, gratiam omnium promeritum principem, odio implacabili in cancellarium, quem omnes oderant. Hinc palam dictus, Ruſſiae tutelaris Deus, ara ſalutis, flagellum ſectae Graecoſchiſmaticae, orthodoxae fidei aſſertor. Hinc cancellarii in principem odia, penes quem cum rerum arbitria eſſent et poſſeſſio omnium, dolebat, poſſidere principem corda hominum et affectus, ex quibus ruinam ſibi aliquando fore praeſagiebat. Quacunque tandem ex cauſa, nemini dum dubium erat, odia intercedere maxima inter cancellarium et principem. Accedebat innata principis humanitas, ingenium in omnia flecti capax, loquendi et promendae libertas ſententiae, quae etſi viro principe digna ſunt, parum in aula vſurpantur. Hinc cancellario ira et metus, quo factum, vt nullo aulici fauoris praeſidio princeps vna virtutis fama niteretur. Odia inter ducem Wiſniowiecium et cancellarium Oſſolinium.

Exacto tandem octo, quod raro accidit hebdomadum ſpatio, poſt diſſonas nobilium voces, itum tandem in vnam ſententiam communibus tertii ordinis votis, vtriuſque gentis, Polonae ſcilicet et Lituanae, articulorumque conſcriptorum haec ſumma fuit:

37) Quis politicorum, rerum ſtatum recte intelligentium, credet, Polonam rempublicam miraculo vel ſingulari prae caeteris regnis prouidentia diuina huc vſque ſubſtitiſſe? Magni illi egregii politici Poloni nos docent, principum regumque vicinorum inter ſe aemulationem fortius quam centum loca munita magnumque exercitum libertatem reipublicae Polonae defendere, quorum quam maxime intereſt, vt Polonia maneat Polonia, hoc eſt, vt viribus ſuis haud vti, aliisque regnis timorem inferre nullo modo poſſit. Caeterum ſub ſenſus cadit, Poloniam, neque monarchiam neque rempublicam vero in ſenſu nominari poſſe, quia maieſtas inter ſereniſſimum regem et rempublicam diuiſa. Imperium ergo in Polonia eſt monarchico ariſtocraticum.

In maiori Polonia.

Palatinatus Poſnanienſis et Caliſſienſis comitiola ſimul celebrant SRZEDZIAE, eligunt nuntios 12
Palatinatus Siradienſis SZADKII, eligit nuntios 4
Terra Vielunenſis VIELVNII eligit nuntios 2
Palatinatus Lancicienſis LANCICII eligit nuntios 4
Palatinatus Breſcenſis Cuiauienſis, et Inouladislauienſis ſimul RADZIEIOWII eligunt nuntios 4
Terra Dobrinſenſis LIPNII eligit nuntios 2
Palatinatus Plocenſis RACIONSII eligit nuntios 4
Palatinatus Maſouienſis in decem diuiditur terras, quarum vnaquaeque comitiola ſeparatim celebrat, nempe CZERSCII, VARSAVIAE, WIZNII, WYSOGRODSCII, ZACROCZYMII, CIECHANOVII, LOMSII, ROZANII, LIWII, et NVRSII, eligens vnaquaeque duos nuntios, ſimul: 20
Palatinatus Rauenſis in tres diuiſus terras, tribus locis, SOCHACZEWII, RAVAE, et GOMBINII comitiolis celebratis, eligit nuntios 6
Palatinatus Pruſſiae tres, Culmenſis KOWALOVII, Mariaeburgenſis SZTVMII, Pomeraniae STARGARDII nuntios eligunt, quorum numerus regni legibus non determinatus. Celebratis tribus his locis comitiolis, de nouo alterna vice MARIAEBURGI et GRAUDENTII comitiolum inſtituunt generale, id quod non fit, vno ex tribus praecedentibus comitiolis infructuoſe peracto. Legati igitur ſeu nuntii, ex maiori Polonia, exceptis iis, qui ex Pruſſia Poloniea mittuntur, veniunt ad comitia generalia. ——
Summa 58.

In minori Polonia.

Palatinatus Cracouienſis PROSEWICII eligit nuntios. 6
Principatus Oswiecimenſis ZATORII eligit nuntios 2
Palatinatus Sandomirienſis OPATOVII eligit nuntios 7
Palatinatus Lublinenſis LVBLINII eligit nuntios 3
Palatinatus Podlachiae in tres terras diuiſus, DROHICYNII, MIELNICII, BRANSCII, eligit nuntios 6
Palatinatus Ruſſiae WISNII eligit nuntios 6
Terra Halicenſis, HALICII eligit nuntios, antequam WISNII comitiola celebrantur, qui deinde cum inſtructionibus Wisnium veniunt.
Terra Chelmenſis CHELMII eligit nuntios 2
Palatinatus Belcenſis BELSCII eligit nuntios 4
Palatinatus Podoliae CAMENECI eligit nuntios 6
Palatinatus Kiiouienſis ZYTOMIRII eligit nuntios 6
Palatinatus Volhyniae eligit nuntios alternatim LVTSCII et VLOCIMIRII 6
Palatinatus Braclauienſis VINNICII eligit nuntios 6
Palatinatus Czerniechouienſis VLOCIMIRII eligit nuntios 4
Summa 70.

In Lituania.

Palatinatus Vilnenſis, in quinque diſtrictus (powiatow) diuiſus, quinque locis, VILNAE, OSMIANACI, LIDZII, WILKOMIRII, et BRASLAVIAE eligit nuntios 10
Palatinatus Trocenſis, in quatuor diſtrictus diuiſus, quatuor locis TROCII, GRODNAE, KOWNII, PONIEWIESII eligit nuntios 8
Principatus Samogitiae ROSIENII eligit nuntios 2
Palatinatus Smolenſcenſis et diſtrictus Starodubowenſis, Vilnae eligunt nuntios 4
Palatinatus Polocenſis POLOCII eligit nuntios 2
Palatinatus Nouogrodenſis in tres diuiſus diſtrictus, tribus locis NOVOGROCII, SLONIMII, WOLKOWISCII, eligit nuntios 6
Palatinatus Vitepſcenſis WITEPSCII et ORSIE eligit nuntios 4
Palatinatus Breſcenſis BRESCII et PINSCII eligit nuntios 4
Palatinatus Mſcislauienſis MSCISLAVII eligit nuntios 2
Palatinatus Minſcenſis in tres diſtrictus diuiſus, tribus locis MINSCII, MOZYRII, et ROHACEWII eligit nuntios 6
Palatinatus Liuoniae DVNEBVRGI eligit duos nuntios, Rex autem ex Polonia duos, et ex Lithuania duos deſignat 6
54

Omnium ergo nuntiorum Summa eſt 182.

1649 Finis comitiorum, in quibus pacta Zborouiana cum Tartaris et Cosacis approbantur.

I. *Crimen esse abhinc Polonum militem, vltra fines Poloniae progredi.*

II. *Tota aestate in castris, hyeme in hybernis, vicini semper Vkrainae commorabuntur milites.*

III. *Praefectis militum ad Corsunum, Leopolim, Zamoiscium, Camenecum, Cudacense fortalitium, Zbaraz et Zborow, stipendia merentibus viritim numerabit respublica in singulos menses Lublini in commissione pecuniam, si post praedabitur miles reste puniatur.*

IV. *Pacta conuenta cum Tartaris et Cosacis in totum approbantur.*

V. *Serenissimo Carolo Ferdinando, Poloniae Sueciaeque principi, pactis electionis insistens rex, eidem abbatiam Mogilensem in praesens decernit.*

VI. *Commissio rei monetariae proximis diebus Maii habenda.*

VII. *Conuentus Lubeci cum corona Sueciae de mutuis foederibus, aeternaque stabilienda concordia habebitur. Eo modo finita sunt comitia.*

Moritur Adamus Kazanouius curiae Mareschalcus.

Exeunte Decembri fati legem impleuit ADAMVS in Czasniki KAZANOWSKI, curiae regni Mareschalcus. Illum longus et inueteratus morbus afflixerat, vsque in vitae taedium, quam expleuit tandem Varsauiae, vrbe regia, prole orbus. SLVSCZANKA ipsius vxor, palatini Trocensis filia pro dignitate funus duxit fleuitque maritum, coniugalibus imitamentis accurate defuncta. Rara erat, viuente marito, matrimonii charitas, ex defectu sobolis et continuo Mareschalci morbo: Eius tamen insperatum a moriente experta est amorem. Ita ludit in humanis diuina potentia rebus. Sunt qui memoria tenent Kazanowski, primo in tenui admodum fortuna capitaneatum defuncto patre Bossouiensem tenuisse, inde gratia et fauore regis Vladislai, quo regnante summa rerum arbitria tenebat Kazanouius, ad castellaniatum promotus Sendomiriensem, ex Castellano curiae regni Mareschalcus regisque minister factus. Haec fortuna, haec virtus Kazanouii. Nam et virtute tulit tanta honorum fastigia. Nec sic satisfactum cui primis fortunae initiis arcta erat familia, in tantam postea opulentiam creuit, vt non viderit ante Kazanouium Polonia, non post visura sit in priuato homine tantam penum. Feuda magni obuentus possidebat, ast praecipue illi diuitiae in numerato erant, vt stupori haud immerito locus sit, quodammodo factum, vt priuatus homo in tantam amplitudinem euaserit.

Clauditur annus discors per seditiones, plenus variis casibus, praeliis infaustus, et sparsa vbique mortis imagine horrendus, qui continuata duorum annorum rebellione desolauit Poloniam, caede, incendio et ruina. Nam et victores velut Cadmea victoria eo bello exhausti.

1650 Moritur Nicolaus Danielowicz regni thesaurarius.

Primis deinde subsequentis anni iubilaei diebus expleuit mortalitatem NICOLAVS de Zurow DANIELOWICZ, supremus regni thesauri praefectus, vir magnae auctoritatis et aestimationis, potens gaza plurimumque valens auctoritate. Lublini sepultus in magnifico patrum Societatis Iesu templo, scilicet vt quorum in viuis erat benefactor, mortuus fieret socius.

Lucas Opalinski minor, et Georgius Lubomirski maior fiunt

Per ea tempora quoque regni Mareschalcus maior LVCAS de Bnin OPALINSKI, iam fere octuagenarius, aulae impatiens, non procul vrbe regia secesserat, paulatimque ingrauescente indies valetudine per senectam vix sui compos serio agitare coepit, vt tanto citius suprema componeret, et quam rerum molem diutius sustinere pro dignitate haud posset, mature voluit transferre in *Lucam* de Bnin OPALINSKI, succamerarium Posnanensem, germanum palatini Posnanensis fratrem, nepotem suum. Atque ita *Lucas* de Bnin OPALINSKI Succamerarius Posnanensis, minor regni in locum Adami Kazanowski, maior vero, defuncti palatini Cracouiensis primogenitus, capitaneus Cracouiensis, GEORGIVS comes in Wisnicz LVBOMIRSKI, Romana tum in vrbe degens, in locum abdicati Opalinski succedit, maiorisque regni Mareschalci titulo condecoratur. Thesauro quoque praeficitur BOGVSLAVS comes in Leszno LESCZYNSKI generalis maioris Poloniae, simulque praefectura Szamborienſi a rege donatur. Toto posthac mense Baccho litatum est, militibus interea temporis Lublini aliquid noui molientibus. Quos seu reipublicae amor, odia vero in regem, seu studium in res suas agebant, incertum est. Causa tumultus, stipendii, vt asserebant, tenuitas. Hinc propter paucos nummos, nouae timebantur a furente milite seditiones, nisi auctoritate sua dux Wisniowiecki interceſſisset, eodemque momento oppressisset, quo exarserat seditio. Adeo militiae labor stipendiique tenuitas, militem non raro in aduersa agunt consilia. Militiam enim, inquit Tacitus, ipsam grauem et infructuosam, denis in diem assibus, animam et corpus aestimari. Quippe nulli magis laborum suorum memores sunt, quam milites, qui cum loca, vel conspecta sociorum vulnera in memoriam saepe reducant, facile in tumultum concitantur, cum stipendia suis laboribus minora animaduertant. Primis deinde martii diebus Lublini, in frequenti militum conuentu, assignati a republica ad soluenda militum stipendia, IEREMIAS MICHAEL KORYBVT WISNIOWIECKI, terrarum Russiae palatinus, cui ob eximia ipsius in rempublicam merita, illustrissimorum maiorum, pace et bello fortium virorum, rediuiuam imaginem, perpetuum inseruiendi patriae studium, exercitus administrationem, regimen et supremam directionem, quoad videlicet supremus dux exercituum NICOLAVS POTOCKI in pristinam se non asseruisset libertatem, rex in generalibus ordinum comitiis contulerat, alter STANISLAVS LANCKORONSKI palatinus Braclauiensis, campestris dux, STANISLAVS item WITOWSKI, Sendomirienſis, ZBIGNEVS GORAYSKI Chelmensis Castellani, BOGVSLAVS comes LESCZYNSKI, thesauri regni praefectus, multi praeterea ex equestri ordine commissarii, primis, vt dixi, Martii diebus, Lublini incipiunt commissionem, vix non cruentam exitu. Dum enim commissarii ob infamiam horrendae in subditos lanienae milites in ius vocabant, illi econtra amnestiam. Scelerum ab eis flagitabant, remque tanti momenti paulo tardius componerent commissarii, milites, subscriptis in circulum suorum nominibus, ciuile machinantur bellum. Immo parum abfuit, quin non darent praecipites, more Pragensium confoederatorum, ex aula vrbis commissarios in patentem plateam. Tota deinde quadragesima varie disceptatum, tandem militum est assensum postulatis. Amnestia concessa, stipendiaque soluta. Ita nouo hoc aureo vinculo arctius obligata est militum fides.

1650 regni Mareschalci. Militum Polonorum confoederatio Lublini.

Indixerat quoque eius anni exoriente Martio, dubiis adhuc pacem inter et bellum Cosacorum animis, Chmielnicius publica Russis, et nunquam antea fieri solita, ad instar Poloniae, Pereaslauiae in vlteriori Russia habenda comitia, quibus praeerat ADAMVS KISIEL, palatinus Kiiouiensis, vir primae inter illos auctoritatis et praeeminentiae, omniumque rerum arbiter, senator regni, pestifera schismaticorum lue a teneris imbutus, a Polonis ob nimiam cum Cosacis familiaritatem semper pro suspecto habitus, illisque ideo infensus, quia suspectus. Caeterum quid actum, et concluſum sit in illis comitiis, arctum de eo illi fecerunt silentium, numerum tantum Cosacorum ad calculum redactum Chmielnicius regi sequenti transmiserat mense. Iisdem fere diebus magni Chani Tartarorum ISLAN GEREI legatus varsauiam venit, promissum a Polonis repetiturus stipendium, magnificeque a rege habitus, in Tartariam breui dimissus est. Aderant haud multo post magni ducis Moschouiae legati, PVSKIN GAVERLO et GAVERLOWICZ, inter tubarum, tympanorumque clangores, et nitrati pulueris resonantiam Varsauiam introducti. Familia illis ampla satis fuerat, ast incomta et rudis. Consilia tamen acuta Graecumque redolentia ingenium genti barbarae [38], et omnino experti latinitatis. Quippe quae non modo literas, sed ne prima quidem nouit elementa, vt portento haud absimile videri possit, viros

Cosacorum comitia Pereaslauiae.

Tartarorum Chani ad regem Polonum legatus. Moschorum legati.

38) Quantum miraretur Rudauscius a mortuis excitatus videns Moschos nostris temporibus comtos, literatos, elegantes. Quantum stuperet eandem gentem, cui Vladislaus IV leges imposuit, Poloniae nunc dare leges posse. Iniuria nunc esset Moschos barbaros dicere, qui multis in rebus Polonos, vt ad veritatem dicam, superant, ante Petri magni imperatoris tempora respectu eruditionis caeterarum Europae gentium pro barbaris habiti. Sed quid in causa magni huius incrementi est? Exteri variarum artium ac scientiarum bene gnari magno numero in Moschouiam ab imperatore Petro magno atque imperatricibus deducti praemiisque inuitati. Moschouia exemplo sit Polono vulgo imperito, quod tantas de exterorum increscente in Polonia numero vltro citroque habet querimonias, haud capiens, quam salutaris Poloniae sit exterorum factus manu labor, quos si omnes repente perderet, magnam ea certe sa-

1650 ros literarum rudes, ſolo naturae genio, ſummum rerum apicem aſſequi. Hi ad regis admiſſi conſpectum, literas magni ducis attulerunt, plenas officii et humanitatis. Tandem dicere palam iuſſi, quid aliud adferrent, pacem ne an bellum? Nihil in praeſens intereſt, reſpondent legati, ſecretiori tempori hanc rem concedimus. Tertio deinde die, habito ſecreto cum Polonis proceribus, qui in aula aderant, conuentu, rem altius repetunt. Bella geſta cum Polonis enumerant, victorias Polonorum ingeminant, haec denique, Deo ſic tunc volente, aiebant, peccatis Moſchorum ita merentibus. Nunc iam ſtare fortiter ipſum a partibus Moſchorum diuinum numen, peccatorum a Polonis vindictam repoſcentibus: Quare niſi Poloni Smolenſcum, vrbem munitiſſimam Moſchouiae confinem, vltro dederent, vna cum ducatibus Seueriae et Czernichouiae, a Moſchouia haud pridem per Vladislaum auulſos; eos inſuper, qui magno duci Moſchouiae, ſcriptis ad eum interregni tempore literis, titulos debitos denegarunt, poena afficerent capitali, illosque omnes in vniuerſum, qui Moſchos barbaros ſcriptis ſuis nominarunt, punirent, non eſſe, quod dulcedinem otii ſibi imaginarentur Poloni. Vbi igitur hos propoſitos arEorum poſtulata.
ticulos regi aiunt relatos fuiſſe, reſponſum a rege breui accipiunt Moſchi: Pacem et bel
Regis Poloniarum reſponſum.
lum penes Moſchos eſſe, vindictam ruptorum foederum penes ſolum Deum, cuius ſaepius iam vltrices manus experti ſunt Moſchi. Seueriam, Czernichouiam, Smolenſcum, ſanguine genuino, antecedentium Poloniae regum partas prouincias, non niſi ſanguine Poloniae exhauſto, non eſſe ſpem Moſchorum vnquam ſubeſſe dominatui. Poenam capitalem quod attinet, regem non poſſe in caput aduertere nobilis, multo minus Wisniowiecii, reliquorumque primorum, reſponſum eſt, nec non rempublicam, quam iidem, de quorum agitur ſupplicio, conſtituunt optimates. Sic ab vtrinque diſceſſum eſt. Tandem duo ad magnum ducem Moſchouiae pro finali deciſione ab vtrinque leguntur delegati.
Rex legatum mittit in Moſchouiam.
Ex Polonis BARTLINSKI, hoc munus in ſe ſuſcepit, regis ac reipublicae mandata, ad magnum ducem Moſchouiae in Moſchouiam ferens, vna cum Moſcho, recta Moſchuam, illorum metropolim, ducentis quadraginta diſtantem a Varſauia Germanicis milliaribus, proficiſcitur. A cuius profectionis, die ſcilicet tertia, nuntius Moſchorum, Goniec, vocant, ad Moſchos in Polonia praeſentes, Varſauiam venit. Is nullam ad regem attulerat literam, nullum humanitatis officium, cum hac ſola in ſpeciem venit notitia, magni ducis vxorem filiam peperiſſe, in cuius gratiam laeta gratulationis, paſſimque ludicra Moſchi prodidere ſigna. Quid autem ſub praetextu regiae infantis, Moſchorum legatis calidus attulerit celerque nuntius, diu haeſit incompertum, donec rediret BARTLINSKI, qui benigna ſatis fraternaque a magno Moſchouiae duce paulo poſt attulit reſponſa. Occaſio itaque huius belli ex ſola inſcriptione literarum, quas magnus dux Moſchouiae a duce Wisniowiecio, interregni tempore, vt ſuperius dixi, acceperat affectato vacuas titulo. Quis credat ex cauſa ſyllabae bellum Moſchos affectaſſe? Quanquam hoc non ſyllabae, ſed inueterato potius Moſchorum in Polonos odio prudentiores attribuebant. Nullum ſiquidem fretum, nullus euripus, tantes tamque varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes habet et aeſtus Moſchorum ingenium. Ita Moſchi vltra minas tunc non ſaeuiere, ſaeuituri poſt annis ſequentibus.

Moritur Andreas Szoldrski, epiſcopus Poſnanienſis.
Iisdem diebus extremum diem clauſit ANDREAS SZOLDRSKI, epiſcopus Posnanienſis, vir integerrimus, ſereniſſimi olim diuae memoriae Vladislai IV Poloniae adhuc principis cancellarius, nec multo poſt Vladislao in regem electo, ab eodem primo referendarius regni, Praemislienſis deinde antiſtes, mortuo tandem HENRICO FIRLEI viro immortali, in locum eius ſuffectus Posnanienſis deſignatus epiſcopus ſenatorque regni. Huic defuncto ſucceſſit CASIMIRVS dux CZARTORYSKI, canonicus Cracouienſis, vir in ſacris concionibus multum eruditione eloquioque excellens, et qui ſolo probitatis doctrinaeque ſplendore, viam ſibi ad ſummos honores per clariſſimas laudum ſemitas aperuit. Anteceſſerat autem epiſcopum Posnanienſem idus circa Februarii IOANNES comes in Sklow SIENIAWSKI, capitaneus Leopolienſis, praecipuus Ruſſiae, vt ſuperius innui, dynaſta, quem mors demetiit in debito flore iuuentae, et prima virtute illuſtrem. Eo fatis

ceret iacturam. Omnes fere Europae principes prudenter exteros praemiis ac priuilegiis inuitant, gratique hoſpitio excipiunt, Polonia ſine hoc feliciter ſatis magnum exterorum acquirit numerum, qui maior adhuc eſſet, ſi praemii loco non aliquoties male haberent ac ſeruitute opprimere vellent exteros Poloni.

fatis conceſſo rex capitaneatum ANDREAE magna Konczyce MNISZEK, culinae regni 1650
praefecto confert. Scilicet quem ille antea habitum pretio numerato Ioanni comiti Sieniawski vendiderat.

LIBRI II. CAPVT II

SYNOPSIS

Quid ſint capitaneatus vel ſtaroſtiae in Polonia. Potocius e vinculis Tartaricis liberatur. Fit commiſſio rei monetariae Varſauiae. Tartarorum legatio ad regem, illorumque conſilium contra Moſchos ſuggeſtum. Literae magni ducis Moſchouiae ad regem Polonum. Moſchorum poſtulata ac Polonorum reſponſa. Naſcitur infans Poloniae, ac paulo poſt baptizatur. Moritur princeps Oſſolinius, cancellarius regni, eiusdem laus.

Rem altius repeto ex occaſione capitaneatuum in gratiam externorum quibus praecipue haec ſcribo. Capitaneatus ſiue praefecturae, vulgari lingua Poloni STAROSTIAS nuncupant, patrimonium regum fuit quondam ampliſſimum, et quidem cenſu, vel opulentiſſimorum Europae regnorum vectigalibus comparandum. Retinet et nunc titulum bonorum regalium, vtpote quorum rex abſolutiſſimus eſt diſpenſator, ſed lege, nimium aſtuto olim potentiorum conſilio, condita, quae ampliſſimas illas poſſeſſiones, et cenſus ingenti ſuffecturos potentiae, regibus ſubtractos, omnes bene meritis diſpertiendos addixit, a tantis arcetur diuitiis, ſola, ex eis coercendi liberalitatem, quae regum ſplendidiſſima virtus eſt, relicta ei poteſtate. Quid ſint capitaneatus vel ſtaroſtiae in Polonia.

Paruus profecto ſim aeſtimator, ſi omnes hos reditus quindecim florenorum milliones quotannis efficere affirmauerim. Sed nec fallor, nec erroris redargui poſſum, cum ſatis compertum idque manifeſtum ſit, per omnes Poloniae ac Lituaniae prouincias plures quingentis capitaneis, ſeu opulentioribus, vt vocant tenutis, iuris regii computari, tenuioribus exceptis, quarum item magnus eſt numerus, et ſane plures, quotannis aliquot ſaltim florenorum conſtare millibus, plurimas tamen opulentiſſimas videre eſt, in tantum, vt non paucae ad ſexaginta, ſeptuaginta et amplius florenorum millia annui cenſus aſcendant. Has omnes opes et perennes feliciſſimi imperii abundantiae venas miſerabiliter dilacerari non ſine multa videas indignatione, pueris, mulierculis, ignauiſſimiſque mortalium paſſim in tantas euntibus haereditates. Potentiores, qui vel obſequio cari, vel factionibus formidabiles imperanti ſunt, miras inde agunt praedas, et ſegnius ſupra ſortem priuatorum ſuas augent fortunas, locupletiſſimi, niſi luxus fatalis ſemper iniuſtae rapacitatis vindex transuerſos ageret, ac paſſim inter ingentes titulos ad egeſtatem praecipitaret. Cui malo, ignauae conſulentes poſteritati, dum praecauere ſtudent, id inſuper a nimium quam benignis extorquent regibus, et hoc iam per leges licere, damnoſa receptum eſt conſuetudine, vt multi eorum ſint, qui in haec ac tanta praeclara, meritis deſtinata praemia, quae ipſimet quaqua ratione occuparint, alia ſordidiſſimis plerumque et vix luci hominum notis vendant licitationibus, alia vxoribus vel indigniſſimae proli tranſmittant habenda, vt miſera ac turpiſſima rerum facie, cum praemiis, virtuti debitis, deſidiam turpemque ignauiam ali ac propagari conſpicias, puerulis ab ipſa plane infantia, quibus alias virtute enitentibus factiſque, fortuna parata fuerat, publicis opibus ad ſummam educationis abutentibus mollitiem, iamque nulli praeclarae rei, ſed ſoli inter deſidiam et adulantium greges aſſueſcentibus luxuriae, et quod indignius, mulierculis, viduis, ingenti ex hac patrimonii publici praeda, ſuperbientibus cenſu, atque inter omnem muliebris vanitatis laſciuiam, ſplendore opum ſeſe nouis amatoribus ambitioſe venditantibus: dum interea de republica optime meriti ciues, quorum titulo haec omnia fiunt, longo ſeruitio, conſumta aetate, fractiſque patrimoniis, vel ad vilem in tenui re ruſticandi redeant curam, vel ſi et haec deſit fortuna, ſeruire beatulis illis coguntur. Pauci, quos aequus amauit Iupiter, qui virtutem ſuam, exantlatoſque labores pro patria ſentiant remuneratos. In quibus autem fatalis ille regum fauor coelitus reſplenduit, mirum eſt, nullum ſeruari praemiorum

1650 modum, nullas esse praecipitis liberalitatis metas. Vidimus aliquos et saepius, licet plurimum regiae munificentiae sub hastam miserint, plura centenorum millia redituum inde adhuc retinuisse, suisque transmisisse. Sed vt hos hac in re progressus mireris, hoc habe breuiter.

Thesaurarium regni, in comitiis, publice de prouentibus regiis, temporum, vt ille aiebat, iniuria diminutis, disperditisque teloneis, (at liberalissimi, ne dicam prodigi regis bona [39]), etiam mensae regiae, seuerissimis adscripta legibus omnia, plene istae Harpyiae inuaserant) differentem audiuimus, eo vsque inopiae aerarium regis in Poloniae prouinciis deuenisse (coram Lituanis in regem aequior fuerat) vt nec integra trecenta millia, in tot regalis magnificentiae expensas, magna sua solertia corradi possint, cum ille ipse priuati ex publico patrimonio census, plura quadringentis florenorum millibus numeraret. Quid mirum, si in tanta erga paucos profusione, atque maxima ex parte occupatis, a mulieribus, pueris, emtoribusque, iuribus, his ingentibus licet prouentibus bene meriti frigeant, et rex saepissime strenuos et frugi ciues debere praemiari videat, fateatur, et velit, nullam egregiae suae voluntatis satisfaciendae habeat posibilitatem, praecisis sibimet per effusas supra modum largitiones, tantae regii fastigii virtutis, iustitiae nempe et dignae liberalitatis ac munificentiae, rationibus ac mediis. Etenim vero vel maxime admirandum est, reges Poloniae nec curare, nec id videre aut perpendere velle, quanta personae regiae atque vniuerso statui ex hac praemiorum dispergendi ratione proueniant incommoda: nec eos, vel illorum, qui, cum optiones meruerint, posthabentur, querimoniae, nec vacua generosioris seruitii aula, nec potissimae nobilitatis diffidentia, nec summa eorum quibus pace et bello recte quid committi possit penuria, nec aspera eaque quotidiana potentiorum contumacia, denique nec ipsa aequitatis et iustitiae consideratio hactenus edocuisse potuit, eas omnes, quibus in suo regimine saepissime conflictantur, difficultates, ex hoc potissimum fonte promanare. Cum hic numerosissima nobilitas in tanta praemiandi inaequalitate, nulloque virtutis ac meritorum respectu, se suosque contemni rata, offensis animis disfidet a principe. Inde alii in immensum iam publicis aucti opibus, iisdem, fundata suae familiae potentia, supra sortem priuatorum elati, ipsius regii splendoris aemuli, parentelis, clientibus, factionibusque graues, atque adeo armata vi instructi, miscere pro libitu omnia ad suum suorumque reuocare commoda, regique iam non adeo obsequio grati, quam potentia formidabiles esse contendant. Vnde non absurdus cuiusdam aulicorum iocus, qui ab extero homine rogatus, cur nam in comitiis negotia publica adeo non responderent voto et desiderio regis? in exemplum aurigam protulit, qui cum duos equos currui iungeret, vnum quidem labori assuetum, sed eum media malaque concertatione penitus confectum, alterum nitidum pinguem, eoque praeferocem atque ad omnes ictus calcitrantem, parum vel certe nihil vi proficere potuit, donec ambos pari cura habitos, labori idoneos suaeque voluntati morigeros reddidisset. Et quidem apertissime hinc videre est, quam miserabiliter inter fere omnes extinctum sit virtutis studium. Honor, qui quondam laborum, periculorum, omniumque praeclare gestorum merces, ac summa virtutum fuerat custodia, iam in contemtu est. Cum rem tanquam in speciem aspernantes, lucrum omnes sectantur, censuique inuigilant, corruptissimo interim mentientes animo, honores inani opum ostentatione, perfusis sumtibus, gula, luxu, luxuria, lurconum assentatorumque cateruis, atque eorum depraedicationibus.

Amor erga patriam, quo nihil honestius, nihil bono viro dignius, in priuatae rei conuersus studium, illaeque de republica bene merendi artes, in mutuam inuidiam, damnosas aemulationes, adulandi vires, technas et dolos commutatae, insatiabili ditescendi cupidine, saepissime per damna et clades publicas eluctante. Luxus, luxuria, plenis inuecta plaustris, exinde prodigalitas in pretio, frugalitas et recti mores despicatui sunt, vt nullum publicis negotiis admoueri fas sit, cui res in vanissimos non suppetat sumtus. Desidia, ignauia, pleroque in miseram demersit socordiam, dum alii luxu distenti, nihil praeclari animo concipiunt, plurimi parta ex publico metientes patrimonia, satius ducunt dome-

39) Vladislai IV nempe, de quo rege auctor verba facit, qui omnium, quantum ego quidem ex historia Polona compertum habeo, regum liberalissimus atque adeo prodigus erga Polonos fuit. Facilius inde intellectu consequimur id quod auctor supra de nimiae Vladislai liberalitatis consequentia dixit.

domesticae incumbere fortunae, quam nouas sectari res cum sudore et dispendio. Prae- 1650
clara vero ingenia et animi ad virtutem facti, et quorum in mediocri educatio, eo melior, quo a luxu et assentatione, vel in ipso patriae inseruiendi limine remotior, infaustis virtute nitentium deterriti exemplis, magnos spiritus domesticis addicunt curis, tutissimum, ex littore aliena spectare naufragia, arbitrantes, vel acquisitis per recte facta patrimoniis, dum nihil spei in virtute vident, aliorum exemplo fortunam quae fas nefasque ducit, sectari coguntur. Maxima pars potentiorum, qui suo fastui omnia deberi existimantes, inter arcana suae tyrannidis, quam in leges et iura aequalitatis exercent, hoc maxime cauent, ne tenuior ciuium fortuna, non solum ad praemia, sed nec ad ea reipublicae munia, vbi virtutem testari queat, possit assurgere. Vnde nullum virtutis vitiorumque discrimen, nulla bene vel male meritorum consideratio, recte vel perperam egerint, aeque praemiantur. Inaudita turpiter et flagitiose gestorum poena. Potentiae suae, toto ac admirando inter se peruerse agendi consensu, perire omnia, quam in rectam cogi rationem, satius multis est.

Sola comitiorum peragendi ratio, illa nempe nuntiorum de republica consultandi palaestra, non adeo praecluса videtur, quin et huic nobilitati pateat, et aliquam testandae virtutis praebeat occasionem. Sed vt in immensis pelagi spatiis, minuta lemborum vela nulli fere vsui sunt, nisi quae grandioribus inseruiant nauigiis; sic istis in hoc ingenti atque procelloso rerum aestu, suo ductu, suisque auspiciis, nec sapere, nec dignam sustinere personam, dignum est, quin illico obruantur, nisi alicui adhaeserint eorum, qui valido factionum clientumque remigio freti in publica tempestate norunt eluctari cum commodo, suarumque ambitionum et commoditatum portum tenere. Horum non peruerti exemplo et consuetudine Vlissea quidem opus est prudentia, qua solus ille Circea pocula sine noxa gustauit [40]).

Sub finem Aprilis luctuosa incendii calamitas Varcensi accidit populo. Maiori Varca oppiquam dici potest detrimento, peruagatum est incendium, proxima primum, dein remota dum exustum. corripit plana, edita, aeque populatur, tanta celeritate, vt subsidia quaecunque praeuerteret flammae velocitas. Funesta oppidanorum facies, lamenta foeminarum, eiulatus infantium, omnia implent: morari et fugere aeque periculosum: quia quocunque tandem diuertebant, instabat ignis, nec transitus per vicos facile erat, quos multitudo, tigna et trabes, ruina aedium adeo oppleuerat, vt nemini nisi per superatos aggeres pateret iter. Aedium absumtarum haud difficile fuit inire numerum ex censu publico. Dominicanorum coenobium et templum conflagrauit, ducenta et quinquaginta aedificia. Quaerentibus vnde repentina illa strages, vnde tanta ignis pertinacia, patuit causa ex mangonum tabernis.

Sub idem fere tempus NICOLAVS de Potok POTOCKI, supremus bellorum minister, Potocius ex
post biennem fere in Tartaria detentionem, in pristinam restitutus libertatem, graui ly- Tartaria
tro redemtus Varsauiam venit, regem salutaturus. Inde paucis post diebus Sluckum ver- redux.
sus ad exercitum rediit, minas intentatus Chmielnicio, more anguis, qui obtrito capite
postremum cauda minatur. Rex cum tota aula integro mense per aeris intemperiem Niopo-
retum secedit, tertio a Varsauia milliari. Interea commissarii rei nummariae datum nego- Rei nummatium decima sexta Maii inchoant, emissis his quaestionibus: riae negotium.

An idem valor retinendus sit monetarum, qui hactenus in vsu fuit, an immutandus, id est, vtrum minuendus, an augendus? si minuendus per reductionem, haec reductio qualis esse debeat, an totalis, an partialis?

An cudenda moneta noua, vel retinenda peregrina ad sui intrinsecam bonitatem redacta?

Si

40) Quae auctor, eques Polonus, qui omnia in salutem patriae libere se scribere posse credidit, de potentioribus sui temporis acerbius dixit, in nostra iam non omni ex parte quadrant tempora. Caeterum non male me feciisse existimo, cum manifestam Rudauscii in populares suos, Polonos, calumniam, e dicendi contextu plane reieci, quam ego extraneus Polonis addictus digerere non potui, multo minus, credo, procer Polonus poterit concoquere. Ne autem ab iis, qui summae sibi ducant religioni, alius auctoris vel vnicum verbum omittere, criminis possim incusari literarii, referam hic fideliter quae omisi. Dixit RVDAVSCIVS praemissis verbis: *hoc maxime cauent, ne tenuior ciuium fortuna non solum ad praemia, sed nec ad ea reipublicae munia, vbi virtutem suam testari queat, possit assurgere*, sequentia: *Soli ipsi, fuci ignauum pecus, incubantes praesepibus, et publicam depascentes felicitatem, suos, abortiuos licet, patriae foetus, ad omnia belli pacisque negotia, reipublicae obtrudentes*, quod scripturae genus non leue tantum, sed et indignum mihi videtur.

1650 *Si cudenda, an ex puro argento, an vero mixto?*

Si ex mixto, an ex eadem mixtura, omnes ſpecies monetarum cudendae, an ſingulae ex diuerſis?

Si ex diuerſis, qua proportione ſingulae mixtiones debent eſſe differentes? Si ex eadem mixtione, qualis eſſe debeat norma.

Qualis debeat eſſe moneta, an impenſae aliunde prouidendae, vt exacte bona ſit, an vero impenſae deducendae?

Si deducendae? An ex bonitate intrinſeca, an ex pondere?

Vndecunque tandem detrahantur, quantae detrahi debeant?

An pro republica aliquid detrahendum de moneta, vel non?

Cuſa moneta quomodo retinenda, ne euehatur? Quibus rationibus peregrina adulterina extirpanda? Quibus rationibus cauendum nec extirpata denuo importetur? Quae proportio debeat eſſe auri et argenti?

His quaeſtionibus trium hebdomadum ſpatio digeſtis, tandem finali concluſum deciſione: *Valorem rei nummariae immutandum per reductionem, peregrino adulterino Hollandorum extirpato omnimode argento.*

Academicorum Cracouienſium turpiſſimum factum.

Haec dum Varſauiae fiunt, interea Cracouiae academici Cracouienſes cum diſſidentibus a fide, tragoediam inſtituunt. Adulta nocte inſolentes conglobato numero ſtudioſi, audaci facinore, ſub praetextu religionis, antiquorumque academiae priuilegiorum, aedes cuiuſdam mercatoris inuadunt, diripiunt ac ſolo aequant. Idem factum cum vidua identidem diſſidente a fide. Indebitum re vera, audaxque etiam in diſſidentes, impune ſtudioſorum facinus. Interim dum in Moſchouia Bartlinski munere defungitur ſuo, Varſauiam, anno iam adulto venit Muſtafa Aga, ab ISLAN GEREIO, Tartarorum Chano ad Regem delegatus. Cauſa legationis erat renouatio foederis: Oblatae contra Moſchorum potentiam Tartarorum vires. Moſchorum ſe ille, late patens ſubiugaturum Poloniae regno pollicitabatur imperium, Aſtrachanenſe et Caſanenſe regna, ſe eiſdem ademturum minabatur. Adiuuaret ſolummodo rex parte ab altera, certum, eum non poſſe alia ratione, niſi quaeſito ab extra bello, ſecurum in Polonia regnare. Viros, inquiebat, militares Coſacos Tartaroſque, non decet torpere, nec domi affixos eſſe ſuae glebae. Admiſſus deinde in conſpectum regis, demiſſa praeuia veneratione magni Chani donum, ſagittas, pateramque obtulit regi. Hunc legatum diebus aliquot anteceſſerat Bartlinski redux ex Moſchouia. Literas is magni ducis ad regem ſcriptas attulerat, plenas officii et humanitatis. Foedera reuocabat dux vtrique genti, ſancte huc vſque culta. Caeterum quid PVSKIN, quid reliqui ſomniaſſent legati, de reddendis ſibi prouinciis, belloque inferendo Poloniae, hoc ſe inſcio nec conſulto feciſſe, aiebat: Optare pacem inter Moſchos et Polonos inuiolatam, hac ſtabilita, ſpem eſſe, iunctis viribus animiſque bellum aliquando Ottomanis inferre. Caeterum qui famoſis carminibus magni ducis perſtrinxiſſent famam, de his ſupplicium vt ſumeretur, precari regem, illiſque inſuper, qui legitimum titulum denegarunt, improbari petebat. Eadem reſponſa attulerat Moſchorum legatus. Hinc iam Moſchi proniores coeperunt eſſe ad pacis leges, nulla de Czerniechouia, non de Seueria vel Smolenſco facta mentione, vnicum petebant, poena ſcilicet afficerent illos, qui ſatyrico more debacchari in magni ducis auſi fuiſſent maieſtatem; vt et illos, qui titulos denegarunt, caetera ſalua fore pollicebantur. Ad extremum, cum tali reſponſo in Moſchouiam redeunt: Ducem WISNIOWIECKI ob denegatos debitos titulos magno duci Moſchouiae, ad futura generalia ordinum citari comitia. Librum SAMVELIS TWARDOWSKI, ſerui publici manu in ignem dandum. Ita Moſchorum deferbuerat ira, quorum animos Tartarorum occupauerat pauor. Donis deinde acceptis, quae duodecim millium florenorum excedebant ſummam, ſexto poſt aduentum menſe, Varſauiae valedicunt, publico a rege excepti conuiuio. Erat inter caetera petitionis Moſchorum punctа illud non extremum: DEMETRII, magni ducis Moſchouiae, et MARINAE

Tartarorum legatio ad Regem.

Tartarorum Chani conſilium contra Moſchos ſuggeſtum.

Literae magni ducis Moſchouiae ad Regem Polonum.

Moſchorum poſtulata ac

Polonorum reſponſa.

NAE, Georgii quondam Mniſzek Sendomirienſis palatini filiae, ſuppoſititium, vt aſſerebant, filium, quem penes Chmielnicium eſſe conſtans vulgauerat fama, Moſchis extraderent Coſaci. Qua de re regis conſenſum literasque ad Chmielnicium Moſchi expetebant. Aſſenſum eſt Moſchorum petitioni, data ad Chmielnicium epiſtola. 1650

Naſcitur infans Poloniae ac paulo poſt ſacro fonte abluitur.

Eo tempore LVDOVICA Poloniarum Sueciaeque regina infantem Poloniae peperat, vigeſima prima ſcilicet Iulii, die diuae Praxedi ſacra, hora circiter nona ſub veſperam. Nomen infantis MARIA ANNA THERESIA. Die deinde decima quarta Auguſti ad ſacrum fontem ventum eſt. Sacris operabatur MATTHIAS LVBINSKI, Archiepiſcopus Gneſnenſis, regni primas primusque princeps, idem ſacro abluebat fonte. Adſtitit ei LEONORA SAPIEZYNA, vicecancellarii magni ducatus Lituaniae coniunx, comitis de Tarnow palatini Vendenſis filia, vna cum ſereniſſimo CAROLO FERDINANDO, Poloniae Sueciaeque principe, Opolienſi et Ratiborienſi duce, Plocenſi ac Vratislauienſi antiſtite, regis fratre, infantis patre luſtrico, qui diebus ante aliquot ex Sileſia reuerſus fuerat. Actum id die lunae, die, inquam triumphanti coelorum reginae ſacra, Varſauiae in principe baſilica, diuo Io. baptiſtae conſecrata. Tota deinde nox inter triumphantes voces, miſſilesque ignes, plauſus optimatum, et vulgi acclamationes exacta eſt.

Moritur princeps Oſſolinius, cancellarius regni.

Per ea tempora, nono ſcilicet calend. Auguſti hora quarta antelucana GEORGIVS dux in Oſſolin, comes in Tęczyn, ſacri Romani imperii princeps, regni Poloniae cancellarius, palatini Sendomirienſis filius, vita defungitur. Illo ipſo ſcilicet die, quo Romam properare feſtinabat, quod ſingulare quid viſum eſt. Vltimus illi fuit ille dies, qui Romanae profectionis primus fuiſſe debuerat. Pridie ſanus per omnia, regi ac reginae, coniugique valedixerat, de bonis regalibus cum conſenſu regis ante diſpoſuerat, in praeludium ſcilicet futurae mortis. Apoplexia ad extremum viginti quatuor horarum ſpatio extinguitur. Vir magni nominis, et cui Polonia plurimum debet. Primam ab infantia aetatem applicauerat ſtudio literarum, adultus genio praeualente, reginae ſcientiarum eloquentiae breui faſtigium nactus eſt. Varias inde Europae luſtrauit partes. Hinc illi arcana ſcientiarum patuere, qualia vix aperiunt aetates et ſaecula. Redux in aulam vocatur Sigismundi III, laudatiſſimi, prudentiſſimique Poloniarum regis mandato, cuius vultum in vicaria ſui perſona, grauiſſimi belli tempore, ad magnum Britanniae regem IACOBVM VI, per remota terrarum ſpatia circumferens iuuenis adhuc, legati et oratoris functus eſt officio, legati dum peroraret, oratoris dum perſuaderet, ac cum ſeptem millibus auxiliariorum in Poloniam reuerteretur, dignus profecto, qui ab eodem rege glorioſiſſimo, regni paulo poſt deſignaretur vicetheſaurarius. Vbi Sigismundus III viuis exceſſerat, Vladislaus IV nobile opus a Sigismundo patre coeptum in Oſſolinio perfecit, dignus tanto parente filius, liberalium cultor ſcientiarum amans. Sic in obſequium Vladislao IV totus mancipatus Oſſolinius, primo Romam ad VRBANVM VIII cum obedientia miſſus, dein ad maris Adriatici dominam, mox ad comitia generalia Ratisbonam profectus, a ſummo Pontifice vnicus nominatus, a ſacratiſſimo imperatore Ferdinando II princeps imperii ſalutatus, in Poloniam rediit palatinus Sendomirienſis, futurus mox annuli publici cuſtos. Actus inde aemulatione in catholicam fidem, militiae in Ottomanos nouum ordinem ſub inuocatione deiparae virginis adinſtar Melitenſis ordinis, typum diu ante meditatum palam vulgat in ſenatu. Finis inſtituti erat Chriſtianae protectio fidei et augmentum, ſed Polonis eo magis ſuſpectum, quia nouum vix in praecipitem caſum non egerunt ipſum ordinis inſtitutorem, atque hic Oſſolinii ordinis exitus fuit. Nunquam Oſſolinio, in omne opus, quoque arduum, dotes animi natales et virtus defuerunt. Vicecancellarius deinde mox creatus cancellarius, omnium arbiter erat. Ad haec procerum murmera magna, aſt maior patientia, certe ingens ſeruitus fuit, adorantibus certatim omnibus eam, cui indignabantur, fortunam. Erat venerabilis, quales Roma olim vidit et mirata eſt Fabricios, Cincinnatos aut Fabios. Sagax, ſeuerus, ſapiens, oratorum ſui temporis princeps. Praefecturas magni obuentus habuit, Lublinenſem, Lubachouienſem, Brodnicenſem, Rycenſem, Andzelenſem, Lubomenſem, Bydgoſtienſem. Filium vnicum Franciſcum, capitaneum Bydgoſtienſem, Lubaczouienſem, ex Iſabella, de Zurow DANIELOWICZ theſaurarii regni filia ſuſceptum: Hunc mors indebita ſuſtulit, vigeſimo tertio eius aetatis anno, poſtquam Catharinam de Dzialyn, palatini Pomeraniae filiam in matrimonium duxerat, quanquam coniunx maritum aliquot anteceſſerat menſibus: Filias tres, quarum maior natu Helena Tecla, Alexandro Lubomirski, comiti in Wisnicz, capitaneo

Laus Oſſolinii.

1650 pitaneo Sendomirienſi et Zatorienſi, ſtabuli regni praefecto nupta eſt. Aliae vero duae, Anna Thereſia, et Vrſula Brigitta, illa Sigismundo S. R. I. comitia Dönhof, Socalienſi et Boleslauienſi capitaneo, haec Samueli Kalinowski, domino in Vſiatyn, Braclauienſi, Lytinenſi capitaneo elocatae ſunt. Praefecturas omnes cum conſenſu regis cancellarius in hunc modum diſtribuit. Lublinenſem, Georgio Oſſolinski nepoti ſuo, Maximiliani Oſſolinski theſaurarii curiae regni filio, et Capitaneatum ſtęzycenſem cum omnibus oneribus contulerat Samueli Kalinowski; Bydgoſtienſem Sigismundo comiti a Dönhof: Lubaczouienſem Alexandro Lubomirski, comiti in Wiſnicz. Quoniam autem lege publica vetitum eſt, ne vnus idemque duas cum iurisdictione praefecturas obtineat, ideo capitaneatum ſtęzycenſem rex Alexandro Sileski, ſuccamerario Poſnanienſi, militi veterano contulerat. Corpus cancellarii Climontoum vetus Oſſoliniorum oppidum honorifice deductum ibidemque magna pompa tumulatum eſt.

Petrus Firlei caſtellanus Camenecenſis moritur.

Cancellarii mortem paucis diebus anteceſſerat PETRVS FIRLEI, Camenecenſis Caſtellanus, Gubernator Trembouolienſis, vir in rempublicam ſummis meritis clarus, eius filius in expeditione Pilauienſi ex male affecto aere, morbo qui haud procul peſtilentia aberat, correptus, patrem paulo ante praeceſſerat. Vix adoleuerat primiſque in bellum rudimentis initiabatur, cum extinctus eſt.

Meteoron.

Exeunte Iulio menſe, tam foeda procella fuit, tantus fulminum ſtrepitus, fulgurum decurrentium minae, turbinumque impetus, vt dixiſſes tunc ſub concauo lunae arſiſſe coelum. Plurimi quoque lapides cum copioſo imbre e nubibus delapſi [41]) inſtar ſilicis, Varſauiae inuenti ſunt, in platea quae a Danubio nomen ſortita eſt. Imo hiatum ingentem in coelo multi notauere, qui ab occaſu ſolis ad ſequentis diei ortum, diſrupto coelo, ignem euomuit, et voragine late hiante metum ſpectantibus iniecit, ne terrarum orbis abſorberetur.

LIBRI II. CAPVT III

SYNOPSIS

Chmielnicius Valachiae principem aggreditur ac paulo poſt profligat. Puncta compoſitionis Valachos inter et Coſacos. Quis tunc Polonorum ſenſus de bello Valachico. Tartari legatio et poſtulata ad Polonum regem. Mittuntur in Sueciam a Chano Tartarorum legati, et e contra e Suecia in Tartariam oratores. Potocius per literas arcana Chmielnicii aperit conſilia. Literae Kiſielii ad regem. Poloni quid Chani Crimenſis reſpondent legato.

Chmielnicius Valachiae principem aggreditur ac paulo poſt profligat.

Isdem diebus rex Czeruinſcum ſeptimo a Varſauia milliari diſtantem locum, diuae virginis imagine celebrem inuiſit, ac breui iterum reuertitur Varſauiam. Quo fere tempore Valachicum principem Chmielnicius vna cum Tartaris armis aggreſſus, gaza ſuperba ſpoliauit. Nec hoc ſatis, profugum Taſſis, vrbe metropoli ſequutus fuiſſet, niſi certis conditionibus maturauiſſet princeps furorem ſiſtere Chmielnicii. Parum interest belli illius caſus referre, praeſertim quod tumultuariis et obſcuris vtrinque geſtum eſt manibus. Vna fuit acies iuſta, qua profligati Valachi, caſtris quoque exuti ſunt. Coſaci Tartarique praeda diuites ac ſpoliis graues, facile in has poſtea conuenere cum Valachis leges:

I. Prin-

41) Ne quis credat phyſices expers, lapides in nubibus poſſe generari. Venti ſaepius magna vi lapides, piſciculos herbarum flores etc. arripiunt, in altum vehunt, et longa abhinc diſtantia iterum in terram deiiciunt.

I. Princeps Valachiae Valachiam pleno iure obtineto. 1650

II. Filius Chmielnicii, principis Valachiae gener eſto.

III. Tartaris Coſacisque ex nunc ſexcenta millia thalerorum numerato.

IV. Polonis nequaquam faueto.

Puncta compoſitionis Valachos et Coſacos inter.

Cauebat praeterea, ne liceret meminiſſe iniuriarum, vlloue indicio, quidquid per hos tumultus actum eſſet in aula ottomanica vindicare. Ita prius finitum eſt in Valachia bellum, quam in aula vicini nuntiaretur regis, qui per id tempus aurae impatiens vrbanae Bialoueſum ſeceſſerat, inde Bielscum praefecturam Hieronymi Radzieiowski deflexerat.

Polonorum de bello Valachico ſenſus.

Chmielnicium in Valachia praedam egiſſe viſa Polonis proceribus res admodum funeſta. Quippe amicus reipublicae princeps, partes regis ſequi hucusque videbatur. Ingens Polonae potentiae fundamentum, Valachiae principum amicitia, tunc ſacramento adactus, Chmielnicio Coſacisque fauere in poſterum audiebat, et quod peſſimum Turcarum aliquam criminationem reſpublica omnimode ſubuerebatur, ob vaſtatum a Coſacis Valachiae principatum. Alii econtra hoc ipſum tempus eſſe abrogandae ab imperatore Ottomanico Tartarorum cum Coſacis initae ſocietatis. Quanquam nec hoc nec illud poſtea euenit, prudenter per idem tempus conniuente Turca, cui tunc Veneti graues, ſenſim victricia Graeciae legebant littora.

Tartari legatio et poſtulata.

Haud multopoſt adeſt Szefer Aga, Crimenſium Chani ad regem miſſus legatus. Summa legationis haec fuit:

I. *Miles Polonus e caſtris dimittatur.*

II. *Hiberna non in Ruſſia, ſed in ipſa Polonia habeantur.*

III. *Contra Chmielnicium arma ne moueantur.*

Suſpecta ſiquidem nouae potentiae hoſpiti Chmielnicio omnia erant. Hinc reipublicae armorum cum Moſchis ſocietatem ſubuerebatur. Illinc captos duces, priſtinae reſtitutos libertati inique ferebat, extinctum denique cancellarium plus iuſto dolebat, ſcilicet quem ipſe palam antea ſuum protectorem et defenſorem apud regem iactitauerat. Adeo timori nulla munimenta ſunt ſatis.

Tartarorum legati in Sueciam ſoluunt e portu Gedanenſi.

Adiecit idem quoque Crimenſium Chani legatus, adfuturos breui Tartaros oratores in Sueciam mittendos, precari proinde nomine Domini vt libere poſſint e portu Gedanenſi Stockholmiam ſoluere. Interpretem quoque Polonum, ſi fieri poſſet, a rege petebat barbarus. Annuit ad vtrumque rex, addito illis bino interprete Polono, qui Hamaxobiorum callebat linguam, quam ille Polonice interpretabatur, quae illorum acceperat lingua. Altero Franciſco Hilbrant, ſuo ſecretario natione Boruſſo, viro magnae experientiae, ſagacitatis et ingenii, multarum quoque linguarum perito, qui e Polono idiomate Latine interpretabatur. Ita abditos Chani Tartarici quoque ſenſus hi duo interpretes melius retulere ſuo regi, quam Tartari oratores Crimenſi Chano, quanquam nihil dignum hac legatione actum eſt. Viderunt Sueci viliſſima mancipia, quibus plauſtra coriis tecta domos trahunt, dum pabulo pecoris magis, quam aruo ſtudent. Hinc forte curioſitatis cauſa miſſi quoque viciſſim Sueci in Tartariam oratores.

Mittuntur quoque in Tartariam Sueci oratores.

Caeterum nihil eorum, quae Chmielnicius machinabatur, ignorabat Potocius cunctabundus ingenio, et ſemper exequi differens conſilium, quod tarde ſumſerat, regi tandem per literas aperit. „In quo rerum articulo nunc cardo et fortuna vertatur reipublicae, ex me accipe. Chmielnicius recenti elatus victoria, ſpoliis diues, promiſſo denique connubio et amicitia principis Valachiae ſuperbus, iterum arma meditatur, ſtrepitum hoſtilium armorum iam audio. Moldauiae regulus Chmielnicio fauet. Rakocius triginta millium collecto exercitu Cracouiae minitatur. Non ergo iam amplius ſuccedunt ſed concurrunt infortunia. Hinc triceps Cerberus Chmielnicki, illinc anguiuoma Tiſiphone

Potocii literae ad regem.

1650 Dacia: Illic furiae infernales Tartari: Illic ſitiens Tantalus Suecus: Illic rex vmbrarum Pluto Byzantii imperator, qui vexillum baltheumque transmittit principatus attributi ſymbolum, viciſſim ex Kiiouienſi, Cernichouienſi, ac Braclauienſi tractu tributa pendere iureiurando promittit. Neque vero ſomnia haec quis putet, legati a Tartaris in Sueciam miſſi ſollicitaturi ad arma procul dubio contra Poloniam ſitientem Tantalum. Quid Tartaris cum Suecis, illi vltimi Aſiae, hi ſemptentrionis accolae, tanto terrarum ſpatio diſſiti, vt vix Scytharum nomen cognitum niſi in fabulis. Iam autem inaudita in orbe condito in Sueciam Scytharum legatio, quid niſi Poloniae vltimum excidium minitatur? Soltan Achmetes calendis Octobris redux Valachia in Tartariam rediit, haud cum magno exceptus triumpho a Chano Crimenſi, qui aegre illatam Valachis hoſtilitatem probat, nec ſatis illi fuiſſe cordi deſolatam prouinciam compertum habeo. Haec impendentia mala Maieſtas Veſtra ſumma ſua anteuertat prudentia et celeritate. Cui enim non conſtat, Chmielnicium vulpinum in modum, Polonis toties illuſum, nunc optimam rei gerendae arripere occaſionem, ſcilicet vt ad nos vna cum ciconiis redeat ſub aeſtatem. Proinde ſi quid artis, ſi quid virium Poloniae ſupereſt, occupandus Chmielnicius, Coſacique delendi, ſi triſtiora expectare nolumus, quae certo ſubſequutura ſunt Chmielnicii flagitiis, ſi ſecurum interim relinquamus iter. Haec ſumma literarum.

Kiſielius regi ſcribit.

Poſt aliquot dies Kiſielii ad regem perferuntur literae in hunc modum ſcriptae:

Aegris oculis Chmielnicium, ſummam reipublicae in vnum translatam Potocium aſpicere, quae iam, vt maxime incolumis eſſet, ſtare tamen non poſſet, niſi amoto Potocio, cuius imperium omnes faſtidire inciperent: Se ad id conſilii publico vrgeri periculo. Tartarorum pars vna cum Taſſirio Crimum reuerſa, pars altera in Cherinienſibus ſpatiatur campis. Chmielnicius curam religionis Graecoſchismaticae iterum reuocat, illam ad hanc diem violatam, non amplius violandam, proclamat, pro beneficio accepturus, ſi ſine ſanguine auitis legibus contenta viueret Ruſſia; mea quidem huc vſque ſtetit ſollicitudine, quod nec Sacramento quidem a noſtris Zborouianae leges comprobatae ſint. Nunc vero nouum ſacramentum Chmielnicius expoſcit, obſides pacis petit, vt ſecurius viuat. Diſſolutis ſiquidem Polonorum procerum animis, ſenſim apud hoſtes perire incipit pacis nomen. Iſta tot mala anteuertat Maieſtas veſtra generalium ordinum comitiis, vſitato hactenus in anxiis rebus remedio. Quod ſi vero haec ſua minime placerent conſilia, orare, vt ſaltim ſalutari aliqua ratione ſubueniret. Quod ad ſe attinet, abdicare Ruſſiam, in qua hactenus vmbra potius, quam ſenator viueret.

Poloni quid Chani Crimenſis reſpondent legato.

Tunc ſimul omnes proceres abſtinebant aula, precibus tandem regisque auctoritate, ac imminentium malorum tumultu exciti Varſauiam conuolarunt. Neque mora omnes vnanimi conſenſu, generalia ordinum ſollicitant comitia, quae vsque ad calendas Decembris dilata ſunt. Legato Scythico vno verbo reſponſum: Se arma non affectare, pacem et foedera ſancte colere, nec Chmielnicio quidquam hoſtilitatis inferre in animis omnium eſſe. Rerum nouitas ingentem regi ſollicitudinem incuſſit. Mox Potocium redire in Poloniam iubet, militibus hyberna in Polonia aſſignat.

LIB. II. CAPVT IV

SYNOPSIS

Rex Pontifici Innocentio X ſcribit. Pontificis reſponſum. P. Adriani Societ. Ieſu theologus Viennam mittitur. Quid Caeſar reſpondet. Rex comitia ordinibus indicit. Caroli II Angliae regis legatio. Quid Poloni reſpondent Angliae regis legato. Bellum a Polonis contra Coſacos acclamatum. Comitiorum articuli ac deinde finis.

1650 Rex Innocentio X Pontifici ſcribit.

Inde ad fortiora conſilia reſpexit rex, Pontifici Innocentio X in haec verba ſcribens: Optandum ſibi eſſet, parta iam pace frui poſſe, ac vna cum optimo Pontifice in commune chriſtianitatis conſulere bonum, ſed nutantes Coſacorum animos iterum ſe retrahere, et ad arma ciuilia inuitum prouocare. Caeterum exhauſtum Poloniae aerarium, et alieno aere grauatum non eſſe tanti, vt hanc belli ſuſtineat molem. Proinde precari, vt periclitandi regno, ac per conſequens catholicae religioni tempeſtiue ſubuenire dignaretur communis chriſtianitatis parens, non commeatu, nec milite, ſed neruo belli, pecunia, maxime cum piis cauſis fauere dicatur Roma.

Pontificis reſponſum.

Pontifex ad haec, regi ſacra transmiſerat munuſcula, vna cum benedictione apoſtolica ac plenaria indulgentia euntibus ad bellum. Exhauſtum quoque diui Petri aerarium eſſe, reſponſum eſt. Ingrata Polonis proceribus pontificis epiſtola fuit. Quippe non obſcure repulſi erant, et hoc ipſum in contemtum ſui interpretabantur. Vnde ad fortiora et vicina confugere remedia, quodque potiſſimum rebantur remedium, ad imperatorem Ferdinandum III Romanorum Auguſtum auxiliares impetraturi copias confugiunt. Literis et oratione explicant pericula, coniuratam Aſiam quaeruntur, perorante viro religioſo e ſocietate Ieſu IOANNE ADRIANI, Italo. Imperator ad haec breuibus reſpondet: Se prouinciis ac milite a Suecis ſpoliatum, ad vltimum pecunia pacem et tranquillitatem Germaniae redimere coactum, nunc ſummopere egere prorſusque vacuum reperiri Auſtriae aerarium. Ita nec Auſter nec Heſperus afflictae ac pene exanimi auſus eſt ſuccurrere Poloniae. Interea comitia inchoantur Varſauiae, initio non admodum frequentia, ſed quae poſtea prouinciarum auxerant ordines. Aderat Potocius, Leſzcinius, Lubomierscius, Opalinii, comes Oſtrorog, Radzieieuius, aliaque procerum capita. LESZCINIVS tunc ex vicecancellario ſummus regni declaratus eſt Cancellarius, maioris ſigilli cuſtos, in locum demortui ducis Oſſolinii, vicecancellarius vero HIERONYMVS RADZIEIEWSKI, gubernator Lomzenſis, qui ſcilicet menſe Maio celebrauerat hymenaeos cum Adami Karanouii, curiae regni Mareſchalci relicta opulentiſſima vidua. Luctum illa praepropere exuit, vix, a mariti morte, trimeſtri exacto.

P. Adriani S. I. viennam mittitur.

Quid Caeſar reſpondet.

Rex comitia ordinibus indicit.

Caroli II Angliae regis legatio.

Initio comitiorum venit Varſauiam IOANNES comes CRAFFT, Caroli eius nominis ſecundi Angliae regis legatus. Hic aduerſam regis ſui conquaerebatur fortunam, inauditum Anglorum contra regem commiſſum memorabat crudele facinus. Per communem, inquit, regum fortunam, per euitabile regnorum fatum, per tutelares Poloniae deos, per innocentem Stuardi ſanguinem, ſuccurre miſeris, miſerere afflictis Polonia. Tu, quae olim Schemeto Turcarum tyranno aſylum, quae Carolo Daniae regi ſecura ſtatio fuiſti, nunc infeliciſſimo poſt hominum memoriam ſuffragare regi. Nec diu me patitur precari inſtans malum, nec leuiter deprecari pro incolumitate Caroli II Angliae regis poſſum, quem furioſa graſſatorum turba vndique circumdedit. Tragicum anno elapſo theatrum ſpectauit ſanguineum Lugdunum Anglorum. Vidit trium regnorum moderatorem, innocentem victimam, regale ſubdere caput, quod poſtea populo circa theatrum circumfuſo monſtrauit carnifex. O infelicem Scotiam, quae haeredem vendidit, o purulentam regum ſanguine Angliam, quae vno ſaeculo duo ſacrata damnauit capita! Ergo vindictam Anglia repoſcit, Scotia vindictam clamat. Vtramque debellabis, rex auguſtiſſime, ſi afflicto regi ſuccurres.

1650 Funeſtum Angliae regis finem doluere Poloni proceres, odio maiore in Anglos quam luctu. Quis enim vnquam hanc Angliae pompam, hanc rerum humanarum credidiſſet ſcenam? Vnde omnium fere Poloniae procerum elicuit lacrimas tantae infelicitatis renouatio, donec dilato in ſequentem diem conuentu dilaberentur optimates. Sequenti mane prima omnium fuit propoſitio de auxiliaribus Angliae regiis copiis, omnibusque ſuffragiis in hanc ſententiam itum: Quantumuis grauiſſimae Poloniae calamitatis tempore, adiuuandum tamen, innocentem Angliae regem. Vnde decimatio bonorum Scotis et Anglis in regno et prouinciis adiacentibus indicta, aliquot centenis millibus auri Angliae regi ſubſidio fuit, quod ſubſidium poſtea magno conſtitit Poloniae, vt ſequentibus memorabimus. Reges vero principesque norint, ſceptrum bonum eſſe fallax, neque in ſolis auorum ſuorum trophaeis et gloriis haereditate partis, ſecure conquieſcant. Omnis enim coronae poſſeſſio non eſt ſemper ſecura. Quod regnum eſt, obſecro, cui parata non ſit ruina? Nec iſta interuallis diuiſa, ſed horae momentum intereſt aliquoties inter ſolium et aliena genua.

Quid Poloni reſpondent Angliae regis legato.

Bellum contra Coſacos a Polonis acclamatum.

Reliquo tempore, quod ſuperfuit, de bello tandem bellique apparatu toto conuentu diſputatum eſt, ac poſteaquam bellum ab omnibus, bellum contra Coſacos acclamatum, bellum alta fecialis voce indictum eſt, ſera natalis Domini nocte conuentus dimiſſus, cuius ſumma in quatuordecim diſtincta eſt articulos:

Comitiorum articuli ac deinde finis.

I. *Commiſſio Lublinenſis, vt et decreta ſupremi in regno parlamenti rata ac inuiolata ſunto.*

II. *Plenipotentiarii ac legati ad Coſacos aſſignati, Stanislaus Zaremba, epiſcopus Kiiouienſis, Adamus Kiſiel, palatinus Kiiouienſis. Ex equeſtri ordine Georgius Niemierzycz, Georgius dux Czertwetinski et Tyskiewicz.*

III. *Edictum quo bona ad fiſcum deuoluuntur eorum, qui durante inteſtino bello partes Coſacorum ſequebantur, in totum caſſatur.*

IV. *Securitatem et praeſidium Cracouiae, ſimiliter et Camenecenſi fortalitio respublica prouideat.*

V. *Diſciplina militari cauetur, ne miles in caſtris, auro et argento criſtatus incedat, ſub poena amiſſionis ſtipendii.*

VI. *Approbatio ſcripturae ratione praeſidiorum Archiuo regio includatur.*

VII. *Tempus tribunalis Radomiae inchoandi dies decima tertia Maii aſſignatur.*

VIII. *Mercatores centum viginti millia florenorum donationis reipublicae dabunt.*

IX. *Commiſſarii Lubecam aſſignantur ad perpetua tractanda foedera inter Poloniae et Sueciae coronam. Iudaei viritim ſoluent reipublicae ſeptuaginta millia florenorum.*

X. *Angli et Scoti, incolae regni ac prouinciarum adiacentium, ratione ſubſidii Angliae regis decimam partem bonorum extradent.*

XI. *Princeps Valachiae Polona donatus republica. Kutnarski quoque eiusdem principis intimus Secretarius, ad nobilitatis admiſſus inſignia.*

XII. *Item Demetrius Markiewicz, Albertus Goski, et Doroſienka Coſaci nobilitantur.*

XIII. *Con-*

XIII. *Contributiones agrariae viginti ſex*[42]). 1650

XIV. *In caſum ingruentis mali, motum ciuilem equeſtri ordini indicit reſpublica. Militum praeterea Polonorum triginta ſex millia, Lituanorum octodecim ocius leget reſpublica.*

Eo modo anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi finita ſunt comitia. Nec piget adiicere, nouum tunc excogitatum in iisdem comitiis conſulendi de republica genus, dum potentem quendam contradictorem, cuius nomini parco, plurima ſibi in propriam vtilitatem arrogantem, ac priuatis omnimode tunc ſtudentem commodis, in multam noctem ſtudio pertrahentes conſulentium vota, ſomno ad extremum vicerunt, qui ſi vigil fuiſſet, plurium in ſua vota traxiſſet ſententias. Adeo pro focis interdum acrius pugnatur, quam pro aris.

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS,
LIBER TERTIVS.

LIBER III. CAPVT I

SYNOPSIS

Deſcribitur nouum bellum cum Coſacis, Chmielnicii ſenſus et ſollicitudo circa arma expedienda. Reſponſum Chmielnicio a Moſcho et Tranſyluano. Polonus rex legatos dimittit in Sueciam et Moſchouiam. Lubecae coepti Suecos inter et Polonos tractatus. Illorum quis progreſſus, et dein finis. Numismata a Polonis Lubecae ſparſa. Quis ad haec Suecorum ſenſus. Rex Varſauia Lublinum mouet. Legatio pontificis ad regem Polonum, cui dona ab vrbe tranſmiſſa praeſentat pontificis nuntius. Reginae animus eiuſque in caſtris praeſentia. Moritur dux Korecius et comes Oſtrorog. Chmielnicii adhortatio contra Polonos. Eiusdem interceptae literae ad Rakocium. Regis vlterior in Ruſſiam profectio. Militum numerus. Chmielnicii animus. Regina Varſauiam redit pauida.

Extincta haud fideliter Ruſſiae incendia, maiori flamma, quam ante, hoc anno reuiuiſcunt. Pudebat Porocium Kalinouiumque, victores alias duces, Tartarica ſubiiſſe vincula. Hinc vltionem vterque iurauerat. Nec remorabantur, vſi in comitiis ſuorum clientum factionibus, quibus nobilitati perſuadebant vniuerſae, poſſe Coſacos Tartarosque deleri. Igitur bellum tota Polonia acclamatum eſt. Et Chmielnicius tunc alienus a bello nequaquam fuit. Graecum ingenium Turcicis iam permixtum artibus. Neque mora legatos ſupplices Byzantium ad magnum orientis imperatorem mandat. Reciperet ille ſub clientelam et patrocinium ſuum, toties iam ſupplicem Ruſſiae popu- 1651

Nouum bellum cum Coſacis.

Chmielnicii ſenſus et ſollicitudo circa arma expedienda.

42) Nempe groſſi aeris Polonici, qui 3 groſſos Saxonicos cum quinque obulis efficiunt, quaeque ſumma ab vnoquoque iugere ſolui debebat. Antiquis temporibus decem groſſi, poſtea quindecim ab iugere ſoluebantur in Polonia.

1651. populum vniuerſum, piae et iuſtae ſuffragetur cauſae. Nihil eſſe, quod amplius timeat Polonos, qui vna acie victi, eius Caeſaream adoraturi ſint purpuram. Agentem praeterea ſuum in aulam Ottomanicam admitti petiit. Caeterum in Tartariam curſorem dimittit, quid facto opus ſedulo requirit. Moſchum quoque et Tranſyluanum ac Moldauium Polonae reipublicae infidos principes, qua literis, qua muneribus ad ſocia ſollicitat arma. Nec hoc ſatis. Miſſi ſunt a magno Tartarorum Chano, Chmielnicii inſtinctu in Sueciam, vt ſuperius literis ſuis innuit Potocius, legati. Adeo nunquam ſolus peccare in patriam voluit Chmielnicius, quem ſummi infimique Coſacorum, dono deorum ſibi miſſum ducem credidere. Imminentis Poloniae periculi ſocietas, conſcios mali principes facile iunxit in vnum. Primus imperator Byzantii togam pictam, Turcis tunicam palmatam, transmiſit Chmielnicio attributae prouinciae ſymbolum, eique principis Ruſſiae nomen literis ſuis decreuit. Agentem quoque eius in aulam recepit. A Moſcho, Tranſyluano et Moldauio reſponſum: Fauere illos Chmielnicii cauſae, nec defuturum tempus, parte ab altera regias in ſe aliquando diuerſuras copias.

Reſponſum Chmielnicio a Moſcho et Tranſyluano.

Interea rex a ſicca tempeſtate naufragium prouidens Moſchouiam legatos haud mora dimittit, STANISLAVM WITOWSKI, Sendomirienſem caſtellanum, ac THEODORVM OBVCHOWICZ, Succamerarium Mozerenum gente Lituanum, proſapia vtrumque, viros illuſtres. Lubecam quoque aſſignati plenipotentiarii ad tractanda aeterna cum regno Sueciae foedera, IOANNES LESCZYNSKI, Gneſnenſis, STANISLAVS KOBIERZYCKI Gedanenſis ZBIGNEVS GORAYSKI, Chelmenſis caſtellani: Ex ordine vero equeſtri IOAN. ZAWACKI et ALEXANDER NARVSZEWICZ. Hi mediis Aprilis diebus iter ſuum Lubecam aggreſſi ſunt, vbi ad vltimos Septembris dies non ſine ingenti ſumtu in meris altercationibus tempus conſumſerunt. Inſolens Suecorum natio, vel ipſum Iouem ſummo deturbare credidit coelo, Polonos partim contemnebat, partim minis irritabat. Offenderant praererea magnopere Suecos Polonorum legati, quod audita paulo poſt regis de Tartaris Coſacisque victoria, miſſilia partim aurea, partim argentea in populum Lubecenſem huiusmodi iecerant. Parte ab vna, quatuor coronae laureo ſerto intertextae viſebantur cum hoc lemmate: *Hoc nexu.* Parte ab altera, haec inſcriptio cernebatur: *Victori Scytharum et rebellium auguſto, ſereniſſimo et potentiſſimo Ioanni Caſimiro, Dei gratia, Poloniae regi, magno duci Lituaniae, Tum et Suecorum, Gothorum Vandalorumque haereditario regi D D.* Horruere Sueci ad Gothicum Vandalicumque nomen. Regis tandem Chriſtianiſſimi adnitente legato, Suecorum indignatio ſopita eſt. Articuli autem pacis, quos Suecis propoſuerant Poloni, hi duo potiſſimum erant:

Reſponſum Chmielnicio a Moſcho et Tranſyluano. Polonus rex legatos dimittit in Sueciam et Moſchouiam. Lubecae coepti Suecos inter et Polonos tractatus. Illorum quis progreſſus, dein finis. Numiſmata Lubecae a Polonis ſparguntur. Quis Suecorum ad haec ſenſus.

I. *Sueciae regnum, regi Poloniae vt domino haereditario, Sigismundi filio, haereditarii et legitimi Ioannis, regis Sueciae nepoti, deberi.*

II. *Liuonia exeunte anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo rediret in ius et dominium Polonae reipublicae. Titulus quoque Sueciae penes regium nomen Iagellonicae remaneret ſtirpis.*

Contra Sueci, nec nominare regem Sueciae, nec Liuoniam amplius in mentem reuocare volebant, quod ſemel, inquiebant, armis acquiſitum, armis, non rationibus, in poſterum repetatur, neceſſe eſt. Sigismundum regem pridem de conſilii ſententia regno Sueciae priuatum, eiusque filios. Caeterum, ſi pars vtraque in Liuonia Suecorum ſubſit iurisdictioni, vt nunc de facto ſubeſt, eique adhuc adiungatur prouincia Curlandiae: Eo modo viginti adhuc annorum inducias cum Polonis paciſci, Sueciae commiſſarii nomine ſereniſſimae Chriſtinae, deſignatae Suecorum reginae, bona fide ſpondent. Acceptauere Polonorum legati viginti annorum dictas inducias, ſi redderetur Polonae reipublicae ex nunc prouincia Liuoniae, titulusque Sueciae regni penes regium nomen remaneret. Indignum enim eſt, aſſerere, priuatum, regem fuiſſe legitimum et naturalem, a ſubditis vaſallisque ſuis. Ita neuter vacauit alternis propoſitionibus prolixius reſpondere. Ad extremum, quia Venetus, Hollandus et Danus deerant legati, parte ab vtraque expectati, vnanimi conſenſu placuit, diem trigeſimam Aprilis anni ſubſequentis, renouando iterum Lubecenſi congreſſui, conſtituere. Ita Poloni Dantiſcum, Sueci Stokolmiam reuerſi ſunt. Referam fideliter dilationis conuentus documentum, quod per id tempus ſparſerat Lubecenſe praelum.

Inſtru-

Inſtrumentum limitationis [43]) 1651

in primo congreſſu Lubecenſi mediante Chriſtianiſſimi regis legato confectum.

Dilationis conuentus documentum.

Cum iuxta induciarum pacta Stumdorffiana anni 1635 hortantibus etiam communibus amicis, principibus, rebuspublicis, celſiſſimoque duce Curlandiae rem promouente, in conſilio pacis perpetuae inter reges regnaque Poloniae et Sueciae ſtabiliendae, eousque ventum fuerit, vt praefixo tempore a Chriſtianiſſimo rege, primario mediatore, cum ipſis regibus tum et caeteris mediatoribus commiſſarii vtrinque delecti, ſub finem proxime praeteriti veris cum Chriſtianiſſimi regis Conſiliario ſecretiori, et ad hos tractatus pacis legato plenipotentiario, illuſtriſſimo Domino PETRO CHANVT in loco acceptato conuenerint factumque ſit, vt in ipſo dehinc abitu conuentus difficultates quaedam ſubortae moras obiicerent, vnde ſuſceptum apparatu multo negotium eo prolabi iam inſtante hyeme videbatur, vt, re prorſus infecta, et pene non tentata, diſceſſio fieret, indignum vtrique foret, ſi praeter expectationem tanta molitio ad vtriusque gentis concordiam et emolumentum inſtituta, caderet in caſſum, ſuadente praeſertim Chriſtianiſſimi regis legato, et fidem interponente, quod, cum frequentibus colloquiis ſincerrimam in vtriusque partis commiſſariis faciendae pacis ac ineundae amicitiae voluntatem deprehendiſſet, ſpes certa melioris euentus affulgeret, eiusque promouendi gratia, media quaedam ab eodem legato proponerentur: Nos ſub libera ratihabitione ſereniſſimae reginae Dominae noſtrae Clementiſſimae conſenſimus et conuenimus, vt congreſſus hic noſter, ſecundum ſupradicta pacta inducia rum reaſſumatur, ad viceſimum diem menſis Aprilis ſtylo veteri anni 1652 proxime inſtantis, quo praefigente Chriſtianiſſimo rege eadem tractatio pacis inchoabitur et concludetur ſpatio duorum menſium Maii ſcilicet et Iunii, quo emenſo liberum erit vtrique parti a conuentu abſcedere, illaeſis induciis, quamuis negotium nondum ſit ad finem perductum, niſi ex mutuo conſenſu terminus iſte fuerit prorogatus. Et quo planior expeditiorque fiat tractandi ratio, vbi coeptum fuerit futurum iſtud colloquium, per continuatam Chriſtianiſſimi regis mediationem, eodem quo ſuſceptum eſt ſtudio a ſua Maieſtate, eademque diligentia et integritate, qua per ſupra memoratum legatum eſt adminiſtrata, procurabitur medio tempore, vt quae hactenus cauſae conuentus progreſſui obfuere tollantur, ipſiusque diſceptationis materia, quo fieri dabitur modo, tractabilior euadat. Hanc vero conuentionem et ſponſionem ita demum valere volumus et vim habituram intelligimus, ſi, quemadmodum eam in ſupra dicti legati Domini Chanut manibus concredimus, ſic etiam par omnino conuentio et ſponſio, huic noſtrae ex aequo reſpondens a parte Poloniae, apud dictum dominum legatum deponatur ab illuſtriſſimis, illuſtribus, magnificis et generoſis Dominis legatis Polonis. In horum fidem praeſentes literas manibus noſtris ſubſcripſimus, et ſigillis noſtris firmauimus. Lubecae XII die menſis Octobris anni milleſimi ſexenteſimi quinquageſimi primi.

Ioannes Adeler Saluius. L.S.
Schering Roſenhan. L.S.
Iohan. Wachmeiſter. L.S.
Laurentius Canterſtein. L.S.

Exemplar originale conuentionis huius ſupra ſcriptae depoſitum eſt in manibus meis, ab illuſtriſſimis dominis legatis Sueticis in eo nominatis hic Lubecae d. 12 Octobr. St. N. Anno M DC LI. Chanut. L.S.

Ego Secretarius Polonicae legationis accepi ab illuſtriſſimo domino Chriſtianiſſimi regis legato apographum ſupra ſcriptum, Lubecae die et anno, quibus ſupra.

Sed ego ad res Polonas, a quibus tantillum trans mare Balthicum nouo exoriente anno digreſſus ſum, iterum redeo. Exeunte Ianuario menſe Varſauiae in maximo regis palatio concubia nocte ignis derepente conceptus eſt, in conclaui Sereniſſimae Poloniae infan-

Incendium exortum in regio palatio.

43) Male dictum Latine *inſtrumentum limitationis*, quod organum, quo limites conſtituuntur, ſignificat, pro documento dilationis. Sed quia forte in tabulis authenticis haec fuerat inſcriptio adiecta, non delendam eſſe putaui.

1651 infantis, tanta vehementia, vt vix e mediis flammis ſaluari potuerit innocens princeps filia. Cauſa conceptae flammae cereus menſae impoſitus prope lectulum infantis. Breui attamen poſt ignis extinctus eſt.

Interea Chmielnicius haud contentus ambigue ſolum cum principibus deliberare, in mora quoque periculum ſibi imminere aduertens, Tampolum, Scianam, Samogrodum, Vinniciam, Morawkam, ſuis impoſitis praeſidiis munit, quae loca ob nimiam cum Polonis vicinitatem ſuſpecta ſemper hoſti fuere. Craſnum quoque repente tunc aduolat cum primariis foederatis, ſceleratorum anteſignanus Nieczai cognomine dictus, rebellionis aſſuetudine contumax, quem haud mora aggreſſus Martinus Kalinouius in eodem oppido Kraſne oppreſſit, et funditus cum excedentibus copiis millibus quindecim Coſacorum deleuit. Nequam iſte et rebellis, ne viuus veniret in manus victorum, mille mortes maluit ſubire. Victoriam Poloni audaciter proſecuti, Tampol, Scianam, Samogrodum, Vinniciam et Morawkam breui armis in priſtinam fidem receperunt. Vinniciae praeerat Bohunus Coſacorum tribunus, qui animoſe pugnans in expugnatione oppidi cecidit. Ex Polonis gubernator Cirkaſſienſis, palatini Kiiouienſis germanus, dum pontem ſtramine, ad inſidias, virgultiſque, male congelato flumine Bug, coopertum, primus inſilit, cum aliquot nobilibus ibidem mergitur. Cadauer eius tertio poſt die repertum. Atque haec fuit prima hoc anno de ſacrilegis vltio.

Nieczai a Kalinouio caeſus.

Chmielnicius excidio Kraſnae accepto et clade Nieczai, paulo poſt perculſus, mox alio nuntio de praedictis propugnaculis aures eius verberatae, dubius animi haeſit, non auſus ſine auxiliaribus Tartarorum copiis, ſigna cum Polonis conferre. Creuit quoque tunc in animis Coſacorum, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſae ſemel animae, haud minima trepidatio, quod paulo ante Nieczai conflictum, in vrbe Kiiouienſi omnium praecipuorum poſtes ſanguine tinctos vulgatum fuiſſet, facili multitudine ad ea credenda, quibus ſcelerum ſuorum cauſa diuinitus puniri videtur. Ad eo eo praeſagio turbata tota Ruſſia, malum abhinc omen victoriarum ſuarum iam tunc ſibi praedixerat Kalinouius totus tunc in terrorem compoſitus, Camenecenſe ingreditur propugnaculum a rege ibidem promiſſa expectaturus ſubſidia.

Rex Varſauia Lublinum mouet.

Dum res Ruſſiae in eo ſunt motu, rex Varſauia Lublinum verſus, ſecunda die paſchatis mouere praecipit, indictis prius per vniuerſam Poloniam, ob rem bene gerendam, publicis Deo ſupplicationibus. Addidit quoque animum regi perhonorifica legatio, qua INNOCENTIVS X pontifex maximus, galerum et gladium auro, margaritis, ſmaragdo, elenchis diſtinctos, ac pontificis precibus ſolenni ritu ſacros, roſam vero auream reginae, tanquam catholicae religionis propugnatoribus, ab vrbe, vt ſuperius innui, tranſmiſerat, qui honos non niſi principibus de catholica fide optime meritis a pontifice habetur. Illegrandia munera ſacra, Archiepiſcopi Adrianopolitani manu, nuntii apoſtolici, ſub matutinum ſacrificium in templo reuerenter accepit. Reliqui, qui ſupererant, dies, regis profectioni inſumti ſunt, dum interea aulae moles, per ſe grauis, mouetur, dum exercitus inſtruitur, dum intempeſtiua ſecedit aura. Quippe regina quoque animum militibus addens, in caſtra vna cum rege deferri voluit, Heroe principe ſe quoque ortam, neque degenerem ad pericula aſſerens. Aderat ei non modo animus, muliebrem conditionem ſupergreſſus, ſed etiam habitus quidam corporis inceſſusque, quae non dam foemina, ſortita viri ſpiritus, quam vir, ementitus veſte foeminam, videretur. Caeterum ingenium ei promptum ac praeſens, interque agendum velificationis in omnem partem obliquandae, mira dexteritas. Nouam diviſſes Tomyrim.

Legatio pontificis ad regem Polonum.

Reginae animus eiusque in caſtris praeſentia.

Interim haec duo ſacra Bellonae pectora, martisque pulli, mortalitatem explent, SAMVEL videlicet CAROLVS dux KORECKI, et NICOLAVS comes OSTROROG pocillator regni. Ille quidem vltimus ducum Koreciorum nobilis furculus, fragilitatis humanae documentum. Quippe qui in ipſo aetatis, felicitatis, ac ſpei ſuae flore demeſſus eſt, ſexto die, poſtquam Hymenaeos celebraſſet cum vidua ſupremi exercituum ducis Koniecpolski coniuge, Poſnanienſis palatini Opalinii, germana. Hunc paulo poſt ſequutus eſt, vt dixi, comes Oſtrorog, palatini quondam Poſnanienſis filius, vir ſumma morum elegantia, ingenio ſubtili, marti iuxta expeditus et gratiis, aulica dicacitate ingenioſus: vbi quies alli-

Moriuntur Dux Korecius et Comes Oſtrorog.

alliciendis foeminarum amoribus intentus, vbi bellum erat, voluptatum oſor, virtutis amator, omnium tolerans. 1651

Caeterum regi, iam Lublinum appropinquanti, conſilia coniuratorum, tum aperta, tum occulta, per literas deferunt multi. Nec Chmielnicium horum quidquam latebat, quippe vagi per vrbes ac domorum intima exploratores, ſingula excipiebant reddebantque Chmielnicio. Ille vere populo Ruſſiae, edicto, principibus, priuatis literis, plebeio denique ordini, ac vniuerſae Poloniae, per vagos homines perſuadere coepit: aduenisſe tempus, quo ſaeuitiam Polonorum vlciſcerentur: ferro poenas ab iis tandem repoſcerent, a quibus oppreſſos ſe iudicarent. Spem eſſe, rempublicam, parta per vim libertate, in meliorem commutari formam: ſua nunc in manu ſitam Poloniam, ſuisque victoriis minui licentiam Polonam. Reliquae Poloniae moenia per homines fidos luſtrare, denique nihil praeterire, quo ſe gnarum eorum, quae agitabantur in Polona aula, et validum propulſandi mali, oſtentaret. Rumores praeterea de bello Turcico in vulgus ſparſit, ſimul Chanum Crimenſem, Daciae praeterea ac Moldauiae principes, properatis nuntiis condocere, quae occaſio acquirendi regni pararetur. „Nobilitas, inquit, regis mandato regem ſequi iuſſa, vacuas relinquet vrbes, oppida et villas. Ego plebeio perſuaſi ordini, arma arripe-rent interea, et ſic a tergo adorirentur incautos, mei a fronte non deerunt. Tu inſperate, omni illo tractu a Turcia, Tranſyluania, Hungaria violentus erumpe. Montem Vauel ocius occupa, duorum dierum opus eſt, debilem in eo reperies ſenem, hunc vt viuum diligenter ſerues, moneo, magnam praedam et nobilem habiturus. Caeterum vale et vince.„ Adeo nihil crudelius eſt armata plebe, nihil violentius concitato ad libertatem populo, quem nec ratio a furore reuocat, nec periculum a propoſito deterret. Ineunte Maio menſe rex Lublino Sokalum verſus caſtra mouere imperat: multum tunc ei in armis fiduciae, multum in militibus, quorum quadraginta millia, plurimum in nobilitate, quae centum millia ſuperabat, fuit. Praefectis vrbium praeterea diſcedens mandat, vt ſi quos in armis, cognouerint, in eos illico infeſtis animis armiſque ruant. Singulis deinde prouinciis aſſignati a republica lecti milites, ad maiorem regni ſecuritatem et quietem. Chmielnicius cognito, ſua conſilia vulgata eſſe, non ideo animum deſpondit, aut ab incoepto deſtitit, ſed vt in ſcelere pertinax et ſpei nimius erat, ſociis vndique aduolantibus, menſem Iunium dicit, quo ſubacturum ſe Poloniam certo promittebat.

Chmielnicii adhortatio contra Polonos.

Chmielnicii intercepta literae ad Rakocium.

Regis vltetior in Ruſſiam profectio, et militum numerus.

Chmielnicii animus.

Interim nobilitas vndique ad regem, cuius caput ſacratum peti videbant, Sokalium affluit. Regina Lublino Varſauiam ad preces regis totiusque nobilitatis, citatis redit equis. Famam tunc de induſtria Poloni ſparſerant proceres, Coſacos Tartarosque moeniis Lublinenſibus appropinquare, et iamiam in vicinia praedari. Indignati ſcilicet, foeminam auſam ignauiam exprobrare militibus praeſentia ſua in caſtris. Vnde tertio die viginti quatuor milliarium confecto itinere Varſauiam intrat, cui ſcilicet alas tunc addiderat timor, absque ſolito comitatu, ſolo tunc milite ad tutelam vſa.

Regina Lublino Varſauiam redit.

LIBRI III. CAPVT II

SYNOPSIS

Consilium ducis Wisniowiecii de hoste opprimendo. Contrarium alii sentiunt. Tartari capti consilium regi suggestum. Senatorum consilia de vlteriori regis profectione. Noui tumultus in regno excitantur. Nouus rebellis in minori Polonia, alter in maiori Polonia. Exitus tragicus rebellis Kostkae. Prima de hoste notitia. Eadem referunt exploratores. Primus Polonorum cum Tartaris congressus. Aduentus Chani et Chmielnicii, ac eius potentia. Cosaci Polonorum adoriuntur castra. Poloni resistunt ac hostem profligant. Numerus caesorum ex parte Polona, ex parte hostium.

1651 Rex coniugis discessu liberior, optimates in consilium vocat, deliberaturus de vlteriori itineris ratione. In eo consilio fuere, NICOLAVS in Potok POTOCKI, MARTINVS KALINOVIVS, qui tunc recenter, aliquot millium stipatus numero, per medios hostes aduenies Cameneco, regis auxerat castra, supremi exercitus duces, VLADISLAVS DOMINICVS, dux in Zaslaw et Ostrog, palatinus Cracouiae, IEREMIAS MICHAEL KORYBVT dux in Wisniowiecz, Russiae, STANISLAVS de Potok POTOCKI, Podoliae, GEORGIVS comes in Wisnicz, Mareschalcus regni, ADAMVS de Brusilow, KISIEL, Kiiouiae, IOAN. SIMON SCZAWINSKI, Brestensis, STANISLAVS LANCKORONCKI, Braclauiensis, VLADISLAVS, Marchio in Mirow, MYSZKOWSKI, Sendomirensis, palatini. ANDREAS item comes in Leszno LESCZYNSKI, magnus regni cancellarius, Culmensis et Pomesaniae episcopus, STANISLAVS ZAREMBA, Kiiouiensis episcopus, BOGVSLAVS comes in Leszno LESCZYNSKI, regni thesaurarius, HIERONYMVS RADZIEIOWSKI, vicecancellarius, et BOGVSLAVS dux RADIVILVS. Multi aderant et alii regio lateri Castellani, ciuitatumque praecipuarum gubernatores, comites et barones, quorum referre numerum longe esset, omnes viri consilio et auctoritate praestantes, atque ea tempestate optimatum praecipui. Wisniowiecius acerrimus armorum instigator, recto, inquit, itinere Tarnopolim, vbi nunc Chmielnicius, properandum est; diuisa eius esse arma, certo scio, pars exercitus Tarnopolim, pars Zborouium insidet, socia arma nondum coniuncta, vnde feriendus ex improuiso hostis est, dum arma nostra in expedito sunt, cum facilius disiunctus vincatur. Alii contrariae sententiae, melius prospectum fore aiebant regi, si GLINIANY, quinto a Leopoli lapide, insideret locum. Hoc enim consilio fieret, ne Chmielnicius, qui regnum interamnum ambiebat, Rakociosque vires suas breui coniuncturum promittebat, tam facile Cracouiam penetraret, dum regia arma ei primum denegarent transitum. Omnes tamen expectandam adhuc nobilitatem censebant: Quin imo hostis ipse Nithsach Mursa Tartarus, a Kalinouio adductus captiuus, audito optimatum consilio, de occupando hoste inito, regi per amicos suasit, non mutaret tam opportunam armis suis stationem. Sed hunc dolo regi pessime suasisse, postea patuit. Paulo enim post aderant a Chano Crimensi sub specie legationis exploratores Tartari, qui post salutatum regem, illum quoque captiuum Nithsach humanitatis causa, tanquam procerem Tartarum inuisere petebant. Annuit rex, subordinatis duobus Tartaricae linguae peritissimis, qui habitu Teutonico induti, inter reliquos solitos custodes captiui, Germanos milites se esse mentiebantur. Constat, varios, tunc de Polono exercitu, legatos cum capto Mursa miscuisse sermones. Animabat ille Chanum per legatos, aggrederetur audacter Polonorum castra, metu et horrore iam semisepulta, vel, quod potissimum illi videbatur, ex multorum Polonorum militum crebris sermonibus, celeritate per agmina dispositi Tartari, relictis regiis castris, Cracouiam versus pergerent, Cosacis in fronte regi obiectis. Haec, vt regi relata esse, aiunt, indoluit primum permissum colloquium. Credebat enim Mursam, lustrato Polonorum exercitu, facile persuasurum legatis, tali enim ratione fidem sibi fecerat, regium exercitum potentem et in dies crescentem, a Tartaris fore inexpugnabilem. Ita enim captus referebat, male persuasum esse Chanum a Chmielnicio, de potentia regis, se, si copia daretur adeundi Chanum

Ducis consilium Wisniowiecii de hoste opprimendo.

Contrarium alii sentiunt.

Tartari capti consilium regi suggestum.

num, facile illum flectere posse in partes regias, promittebat, dummodo illi copias regias et potentiam, quam proelio Zborouiano imminutam esse persuaserat Chmielnicius, explicaret. Ita hostem hostilia cogitantem, legatis prius dimissis, rex Varsauiam remisit, arctiorique custodiae dari iussit. Haec de perfido hoste Tartaro intra parenthesin dicta sufficiant. Redeo ad optimatum consilia, a quibus tantillum ex occasione Mursae digressus sum. Palatinus Kiiouiensis subsidere tam diu regi suadebat circa Sokalium, quam diu nobilitas regio non adesset lateri, vbi aduenerit, inquit, diuidendum potentem suadeo exercitum, cum armorum diuisio, optimum non raro sit stratagema. 1651

Senatorum consilia de vlteriori regis profectione.

Haec dum ad Sokalium geruntur, in variis regni prouinciis, seditiones nouae exortae sunt. Primam quidem circa Nouotargum decimo a Cracouia lapide, excitauit quidam Alexander Leo Napierski de Stemberk Kostka, homo versutus, linguarum peritus, exoticas factiones non modo gestu, sed etiam habitu prae se ferens, sub specie regii diplomatis, passus literas plebi monstrauerat. Hinc facile infatuauerat plebeculam, quae eius imperio parere haud renuit. Ille autem coacta agresti multitudine, Czorstynum occupat, adulterino, vt dixi, regio vsus diplomate. Iamque illic incondita multitudo, coeca et praecipiti deuotione ad obsequium eius acta sensim confluebat, cum ecce PETRVS GEMBICKI, episcopus Cracouiensis, dux Seueriae, tam propinquo periculo excitus senex, trecentos suorum celerrime Czorstynum dimittit. Regi quoque ocius per literas de imminenti significat periculo. Adeo quilibet supremam optat potestatem, et a se ipso pendere cupit, cum dominatione nihil sit iucundius.

Noui tumultus in regno excitantur.

Nouus rebellis in minori Polonia.

Similem rebellionem in maiori Polonia circa Posnaniam excitauerat quoque, sine nomine, sine tribu, ad quem iam infinita quoque confluxerat agrestium multitudo, sed CASIMIRI ducis in Kleuan CZARTORYSKI, cathedrae Posnaniensis antistitis, stetit vigilantia, quod illa extincta fuerit, nondum adulta, seditio. His ergo tunc periculis corona Poloniae expositа fuit tot ambitionis procellis, tot scopulis hostium, tot populi tempestatibus, vnde diuina assistentia opus fuit, vt aduersus inimicam Deam praeualeret rex.

Alter in maiori Polonia.

Adulto iam Iunio, rex nescius de Poloniae tumultibus, contracto vndique in vnum apud Sokalium exercitu, castra ad oppidum, Berestecko, ad fluuium Styr situm, promouet. Ibi iterum belli duces in consilium adhibet. Placuit omnibus subsistere aliquantulum, eodemque in loco morari, donec de coniunctione Tartarorum Chani, cum rebelle Chmielnicio, qui ad Zbarazium castra metatus erat, certius constaret. Dicta tamen militibus vlterioris expeditionis vicesima septima Iunii dies, quo fere tempore regi literis significatum de exortis domesticis Poloniae tumultibus. Percussit tam inopinatum telum regis pectus, vnde ira vecors, tot simul malis impetitus, dabit mihi, inquit, viam in vltionem, qui dedit imperii ius Deus. Ibo, ibo in perduelles tyrannidemque illorum vlciscar. Neque mora, ALEXANDRVM comitem LVBOMIRSKI, Connestabilem regni, et IOAN. comitem de Ruscza BRANNECKI, gubernatorem Checinensem, cum tribus millibus lecti exercitus in Poloniam redire iubet. Illi rem, vt erat commissa, exequebantur. Iamque medio confecto itinere festinabant ocius Cracouiam versus, cum fere eodem tempore in casses inciderat Czorstynensis fera, mira enim velocitate expugnata arx, reddiderat tam ferum leonem, qui leonino actus impetu, cum principe aquila Scarabaei modo pugnauit, perdidit. Vitae eius finis tragicus fuit, aculeato enim ob insciti am lictoris decumanis vicibus infixus palo, paulo post, extra moenia vrbis Cracouiensis, tandem in crucifixi amplexum animam Deo reddidit. Vir, cui si fortuna fauisset, intra aliquod tempus triumphasset Cracouiae: Quanquam non deerant astrologi, qui eo anno fatale aliquid vrbi Cracouiensi accidere ex errantibus praeuiderant astris [44]). Interea die vigesima septima Iunii, quae expeditionis dies erat, antelucano tempore, a cohortibus ducis Wisniowiecii, Palatini terrarum Russiae, significatur regi, Chanum rebellibus se iunxisse

Consilium Polonicum bellicum Poloniae.

Exitus tragicus rebellis Kostkae.

Prima de hoste notitia.

44) Ignorantiam astronomiae ac physices demonstrat illa opinio, fata regnorum ciuitatumque ex astris praeuideri posse. Non negandum, quam plurimos in Polonia, astronomiae expertes, hoc errore esse imbutos, qui, si casu accidit, quod praedictum fuerat generatim in fastis, firmiter credunt verissimam astrologorum scientiam opinioni experientiam adiungentes, eadem fere ratione, ac iste in Germania rusticus, qui arbores ex ranarum clamore ineunte

1651 xisse, et vtrumque hostem relictis impedimentis coniunctis copiis in regem mouisse, quin imo iam paucis a castris regiis abesse milliaribus. Hoc nuntio rex accepto, impedimenta, quorum iam magna pars ante praecesserat, redire imperat, eodemque in loco celeriter suorum collocat ordines, dimissis interea per occultas vias expeditissimis cohortibus, qui certiora de aduentu hostis rescirent, sibique referant. Rediere sub vesperam missi exploratores, qui vnanimi voce, partem hostilis exercitus in vicino esse affirmarunt.

Eadem referunt exploratores.

Sequenti die fere media comparauerunt Tartaricae cohortes in Polonorum conspectum. Rex aliquot equestres Polonorum copias vltra castra progredi imperat: Expectarent ibi hostium impetum suaque mandata. Inclinante vero ad vesperam die, duo millia, Polonorum ducibus, Georgio comite Lubomirski, supremo regni Marescalco, altero Alexandro Koniecpolski regni vexillifero, vna cum Nicolai Potocii ducis cohortibus decem millia hostium selectissimi equitatus Tartarici, nam tot fuisse illorum captiui referebant, aggressi in fugam egerunt. Capti eo proelio duo insigniores Mursae Tartari. Ita feliciter ea die Poloniae praeludebat fortuna: iamque non vincere modo, sed et frui victoria sperabant Poloni.

Primus Polonorum cum Tartaris congressus.

Tandem foedifragus Chanus, vna cum rebelle Chmielnicio ac victore milite, exercitatisque legionibus adueniebat. Vbi prima ab aduentu eius illuxit dies, rex omnia secretiora quoque per exploratores, praecipua regnandi instrumenta, edoctus: Chanum Crimensem, maiores, quam hominum erat memoria, vires habere. Cuius scilicet castra Vromelienses, Syliſtrenses ac Dubratenses auxerunt Turcae. Cosacorum copias non minores superioribus annis esse resciuit. In summa, trecenta quinquaginta hostilis exercitus numerabantur millia. Modicis itaque velitationibus ac leuioribus certaminibus ad experiendas hostium vires totam illam diem consumere placuit, Chano Crimensi e longinquo per tubum opticum suorum fortunam et belli incipientis exordia speculante. Multum iam diei praecesserat, cum ecce feruidius, quam ex imperatoriis praeceptis, campo decursae totae acies ad pugnam coierunt, magna reuera vi, maiorique impetu a Tartaris Cosacisque permixtis, castra regia tunc adorti sunt. Iuere ad arcendum hostem, regio iussu, legiones equitum Nicolai Potocki, supremi belli ducis, Georgii Lubomirski, Marescalci regni, Leonis Casimiri Sapiehae, magni ducatus Lituaniae vicecancellarii, fratrumque eius, ac Andreae comitis Firlei, reliquo interea exercitu instructo, prae castris regia expectante mandata. Ita omnibus primo ardore concitatis alacriter itum in hostes, concursumque magna vi pariter et animis ab vtrinque. Tandem inclinante ad regios victoria, Tartari Cosacique cedunt.

Aduentus Chani et Chmielnicii ac eorum potentia.

Cosaci Polonorum adoriuntur castra.

Poloni resistunt ac hostem profligant.

Periere ex Polonis GEORGIVS comes de Tęczyn OSSOLINSKI, praefectus Lublinensis, vnius cohortis equitum ductor, magni illius cancellarii, Georgii ducis in Ossolin, anno proxime praeterito vita functi, ex fratre nepos. IOAN. item KAZANOWSKI, castellanus Halicensis, Adami Kazanowski nuper Marescalci curiae regni, frater patruelis. Complures praeterea ex nobilitate, vexillifer Sendomirienſis, succamerarius Praemislienſis, ensifer Lancicienſis et alii. At longe maiori sanguine ea praeludia Tartaris stetere. Cecidere enim illa die Soltan Muradin, frater germanus Chani, Soltan Kazak Mursa, Mustafa Mursa, Aulah Mursa, Tohaibei Mursa et plerique alii Chani consanguinei, Tartarorumque proceres.

Numerus caesorum ex parte Polona,

ex parte hostium.

vere efflorescere credebat, idque quadraginta annorum experientia confirmabat. Astrologi Cracouienses non ignorabant, Chmielnicium cum Cosacis Tartarisque Cracouiam venire, in animo habuisse, ideo fatale quid Cracouiae praedicere potuerunt. Cum autem aliter res euenit, praedictionem de rebelli Napierscio interpretati sunt. Melius esset, si istae nugae plana ex fastis eiicerentur, tunc autem non ita facile inuenirent emtores, quorum maxima pars decipi velit.

LIBRI III. CAPVT III

SYNOPSIS

Pugna generalis decernitur. Acies Polonorum instructa. Acies Cosacorum. Ordo pugnandi. Ducis Wisniowiecii ardor. Polonorum victoria. Hostium fuga. Cosaci tumultuantur. A Polonis obsidentur. Illorum preces, regisque responsum. Fuga deinde Cosacorum. Polonorum error. Cosaci animo concidunt.

Rex omnibus iam, ad rem feliciter gerendam, ordinatis, ope diuini numinis implorata, non amplius differendum generale censebat praelium. Igitur certamen secreto in crastinum edici centurionibus, praefectis ac cohortium ductoribus, totumque exercitum paratum esse iubet. Ipse multo ante lucem, iusto cultu Deo persoluto, sacraque munitus synaxi, producto longius ex castris, surgente aurora, toto exercitu, densa enim nebula prospectum abstulerat, aciem instruere coepit. Insumsit hic labor aliquot horas, cum, subsidente caligine, affulgens sol apparuit, totamque aciem detexit, ad medium Germanicum milliare protensam, quam hunc fere in modum instruxerat rex: 1651

Pugna generalis decernitur.

Media acies et corpus ipsum spectabat meridiem, frontem aciei antecedebant tormenta, quibus praerat Sigismundus Przyiemski, cohortis tormentariae supremus magister. Ipsam frontem occupabant ex confecto pedite phalanges ducis Radiuilii, custodiae praeterea regii corporis densata agmina, quibus praerat Christophorus Vbaldi, generalis maior: hos sequebantur susidiariae turmae hastatorum, cohortibus in medio collocatis, adstabant parte ab vtraque, equitum complures cateruae: totam aciem claudebant dispositae per agmina phalangum confertae legiones, adiunctas habentes a lateribus singulas equitum cohortes. Dextrum et sinistrum cornu, vtrumque bellicis machinis munitum, ita instructum erat, vt medium locum tenerent, in vtramque alam locati equites absque hastis, quorum frontem terga et latera, alternis ordinibus dispositа, nunc Cosacorum Polonorum, nunc desultariorum turma regebat. Dextram alam moderandam commisit rex Nicolao Potocki, generalissimo exercitus, in eodem cornu cum suis legionibus, consistentibus Stanislao Lanckoronski, Braclauiensi palatino, Georgio Lubimirski, Marescalco regni supremo, Leone Casimiro Sapieha, vicecancellario Lithuaniae, et Alexandro Koniecpolski, vexillifero regni. Sinistrae praefecit Martinum Kalinowski, palatinum Czernichouiensem, ducem regni campestrem, assistentibus illi cum suis, quas quisque ducebat, legionibus, Ieremia Michaele duce Wisniowiecki, terrarum Russiae palatino, Ioanne Sczawinski Brestensi, Stanislao Potocki, Podoliae, palatinis. Mediam aciem, quae germano milite et hastatis constabat, ipse rex dirigendam suscepit, collocata in subsidiis nobilitate, e palatinatibus coadunata, partim in dextra, partim in sinistra ala. Syluam dextrae alae aciei contiguam, ex qua hostis Polonis facile insidiari poterat, equite permixtim cum pedite firmauerat. Atque haec in hunc modum regia acies instructa erat. Prodiit tandem in arenam Chmielnicius, ingentem secum trahens trecentorum millium multitudinem, cuius castra in hunc quoque modum dispositа erant. Dextrum cornu tuebantur Tartaricae legiones, laeuum ipse regebat Chmielnicius, Crimensi Chano prope syluam consistente. Longissima acies eius supra dorsum montis, vsque ad laeuam partem, quam Cosaci nacti erant, ad instar semilunae sese extendebat. Cosacis potissimum robur erat in carragine, quam ex carris et curribus, quorum nonnulli luto erant obdurati, congestum fecerant munimentum. Ita instructos Cosacorum Tartarorumque ordines admouet Polonis Chmielnicius, sed illi ad primum regiae faciei fulgorem, cunctari primo, haerere deinde, mox paueſcere visi sunt. Ipse quoque Chmielnicius, alias immani spe ferox, tunc attonito similis stetit. Ad extremum modicis velitationibus Polonos prouocare constituunt Tartari, sed nemine ex Polonis in aciem descendente, ob comminatam poenam capitis, iterum Tartari redeunt ad Chanum. Interim tormentorum fulmine, regio iussu, hostilis acies peti coepit, adeo, vt ad singulas eiaculationes hostis densis agminibus sterneretur. Iam prouecto sole rex mediam aciem tormentis praecedentibus

Acies Polonorum instructa.

Acies Cosacorum.

Ordo pugnandi.

1651 tibus aduerſus cliuum montem, in quo Tartarica acies ſe condenſauerat, promouet, imperans, vt dextra quoque procederet ala. Nec deerant, qui regi ſuaderent, vt in ſequentem potius diem differret praelium, tarde enim, et aduerſo pugnare non expedire crediderant vento. At rex ardorem militis illo die ſequutus, pugnam in ſiniſtra ala accendere imperat. Neque mora dux Wisniowiecki, cum duodecim veteranorum militum cohortibus hoſtem adoritur, ſubſequentibus et ſubſidia certatim ferentibus, leuis armaturae equitum turmis, tum Cracouienſis, Sendomirienſis, Lancicienſis, Siradienſis palatinatuum nobilitate. Ipſe nudo brachio nudoque enſe primus anteceſſit. Acris acies fuit. Polonis pro patria, Tartaris pro gloria et praeda, Coſacis pro libertate pugnantibus. Iamque hoſtis tota vi incumbens Polonorum impetum repreſſerant, Tartaris terga et latera obſeruantibus, videbaturque Polonorum nutare victoria, niſi ſubmiſſae a prouidentiſſimo rege in omnes periculi partes, nouae equitum cohortes, redintegrato praelio, Polonos victores ceciniſſent. Tum Coſaci intra carraginem, Chmielnicius vna cum Chano Crimenſi in cacumen montis euadit.

Ducis Wisniowiecii ardor.

Polonorum victoria.

Rex fracto illa parte hoſtili robore, totam aciem aduerſus montem cliuum promouet, vbi ſingulare quoque ipſemet adiit diſcrimen. Forte enim edoctus hoſtis a captiuo quodam, in medio ſuorum regem conſiſtere, illuc quatuor globis e duobus machinis collimat. Tres circa regem, quartus immediate ante regem ipſum, terrae alliſus eſt, immoto rege, nec loco cedere volente. Sacrum ille credo veritus erat tangere caput. Nec ſegnius Poloni Chani quoque Crimenſis obſeruabant ſtationes. Hinc quidam Polonorum albicans ingens vexillum ſolito maius prope ſyluam conſpicatus, ibi Chanum Crimenſem adeſſe praeſentem renuntiat regi, ocius iuberet rex illuc circum rotatam vibrare machinam. Factum eſt, et inſigni Tartaro, qui lateri adſtabat Chani, ictu tormenti ex equo labente, tota illa multitudo hoſtium, eodem momento in fugam ſe dedit, exigua ſuppellectili, quae Scythas Europae latrones oſtentaret, relicta. Tympano ſcilicet, Balt dicto, ad cuius ſonum vilisſima parebant mancipia, tentorio Chani, curru, horologio, lagena praeterea equini lactis, qui potus apud illos in deliciis eſt.

Hoſtium fuga.

Raro reuera alias maiori emolumento, et minori ſanguinis Poloni diſpendio, toto hoc ciuili bello pugnatum eſt. Quatuor horarum ſpatio, quingentis non amplius deſideratis, in fugam vertit trecenta et amplius hominum millia Polonus rex. Nam et Chmielnicius vbi nutare vidit Tartaros, Coſacosque ad fugam diſponi, veritus ſui fatalem horam, cum aliquot intimis Chanum ſecutus eſt, qui cadente iam ſole, quinque Germanicas leucas emenſus, trepidus et inſomnis ſub dio illam transegerat noctem. Coſaci, vbi Chanum cum Chmielnicio vna euaſiſſe audiunt, Tartarosque non amplius in campis videri, tum et ipſi ad ſecuriora reſpexere remedia, neque mora, habito conſilio, de nouo eligendo duce in locum profugi, vt aiebant, Chmielnicii.

Coſaci tumultuantur.

A Polonis obſidentur. Illorum preces. Regis reſponſum.

Sequenti mane arcta rebelles cingit obſidione Polonus rex, illi vero dolo et ſolito aſtu vſi, clementiam et miſericordiam a victore principe non ſine lacrimis implorabant. Parceret ſubiectis, ſat irae, ſat furori datum, ſat ſanguinis fuſum. Rex ad illorum preces, quanquam latentis doli inſcius, ſurdas obturabat aures: Nulla, inquit, clementia digni, qui tanta viarum ſpatia Polono ſanguine purpurarunt, vel nunc intelligant Coſaci, nunquam impune contemni faſtigia. Ergo ſtrictiorem adhuc imperat obſidionem, lineam communicationis produci, propugnacula, foſſas, caſtella excitare, vallum proferre. Coſaci, vbi nullam ſpem in clementia principis vident, pontibus interea extructis, concubia nocte, ſine vllo claſſico, vna cum electo duce Dziadzialy, deſerunt carraginem, furioſis fortunae votis et Chmielnicio, qui illos deſeruerat, maledicentes.

Ac deinde Coſacorum fuga.

Vbi prima tenebras diſcuſſerat lux, Poloni Coſacorum fuga vacuam reperiunt carraginem. Didicerant quippe Coſaci a Gallo illo; Polonos fraudibus magis quam vi patere. Multis ego credo ſaeculis respublica Polona illius noctis errorem deplorabit. Ab illo enim momento regni ruina et exaltatio pendebat. Adeo quod multorum procerum virtus et prudentia ad illud tempus pepererat, vno temporis puncto malum euertit conſilium. Coſaci in illis anguſtiis premi et tolli tunc debebant, aut quod efficacisſimum VEALDI generalis fuit conſilium, ſtagnis et adiacentibus ſuffocari paludibus, quos quidem ſumma celeritate ſecutus eſt poſt Polonus miles, et aſſecutus eſt, partemque ex iis, decem circi-

Polonorum error.

circiter millia deleuit, dum illi in tranſitu fluminis haererent. Ita non raro breuibus momentis ſumma rerum vertitur. Periit eo in praelio archiepiſcopus Peloponenſis et Corinthi, Graeci ritus Secta Schiſmaticus. 1651

Tum primum Coſaci paulo ante ſaeui ſubito metu obtorpuere. Nulla fere eis amplius erga Tartaros fiducia. Quippe Tartari plus ſemper calamitatis, Ruſſis, Coſacisque quam Polonis inferre videbantur. Parua quoque erga Chmielnicium reuerentia. Tantumque metum ea clades Ruſſis intulit, vt multi non dubitarint, ſibi ipſis vltro inferre manus, mortemque praeoccupare. Vidiſſes tunc aliam Kiiouiam, aliosque in ea hominum vultus, peccauiſſe timentium. Nemo tunc reduci applaudebat Chmielnicio: Nemo fauſtis clamoribus viuat Chmielnicius, tollebat in altum: Moeſtitia et pauor fontes obſederat, tacite expectantes quid de illis ſtatuiſſent ſuperi.

LIB. III. CAPVT IV

SYNOPSIS

Polonorum acclamationes. Rex Varſauiam redit. Moritur Maria Anna Thereſia. Coſaci Polonos ad pacem ſtimulant. Quis ad haec Polonorum ſenſus. Lituani Kiiouiam intrant. Chmielnicius ſui conſtans Coſacos iterum coadunat. Ducis Wisniowiecii mors. Funebris eiusdem pompa. Morte Wisniowiecii Chmielnicius erigitur. Literae eiusdem ad Coſacos. Progreſſus Polonorum in Ruſſia. Tryliſia expugnatum. Chmielnicii literae ad Potocium. Kiiouiam mouet Polonus exercitus, ibidemque Lituano iungitur. Kiſielii de finiendo bello ſententia. Idem et Potocius cum Kiſielio ſentit. Chmielnicius Ruſſis et Coſacis pacem perſuadet. Literae Chmielnicii ad Potocium.

Caeterum rex victor cum numeroſa nobilitate in Poloniam rediit. Miraculum armorum, et non magnus ſed certe maximus imperator, Caeſare felicior, Carolis maior, Ziemouitis, Boleslais, Vladislais glorioſior, a ſuis acclamatus palam, ad cuius victoriae nuntium inexpectatum tota tunc, vt Poloni dicebant, contremuit Aſia. Haec tantilla Coſacorum clades magis magisque extulit Polonorum animos, ipſum quoque ſtimulauit regem, qui feſtinare in vlteriorem Ruſſiam victore exercitu voluit, enituit: Veritus tamen, ne per longiorem abſentiam ſuam aliquis nouus iterum cieretur tumultus, in Poloniam redire maluit ex ſuorum voto, relicta ſumma rerum penes Potocium Kalinouiumque belli duces. Nec deerant optimatum nonnulli, qui paſſim iam fanatico ducti ſpiritu, in tumultus abire coeperunt. His tamen rex facile contemtis, Varſauiam triumphalis ingreditur, non ſine euidentibus moeſtitiae ſignis. Die enim tertio ante eius aduentum ad beatorum procul dubio euolauit ſedes, filia vnica MARIA ANNA THERESIA, Poloniae infans, cuius corpuſculum tunc ſarcophago incluſum temporario ſepulcro in regio coenobio ſacrarum virginum diuae Thereſiae Varſauiae depoſitum fuit.

Rex Varſauiam rediit.

Moritur Maria Anna Thereſia.

Interea Coſaci ad ſolidiorem pacem aſpirare videbantur. Sinceram, inquiebant, Poloni, parare pacem poteſtis, conditione, non bello, vinci Coſacos, non debellari poſſe, ſcitote. Victos amicos ne vnquam credatis, ſi ſemel viceritis, acrius pro vltione, quam pro libertate certabunt Coſaci. Non primos eſſe Ruſſos, qui hoc neceſſitati dediſſent. Caeterum prope totum conſpiraſſe orbem in Chmielnicianam factionem ſcirent Poloni. Haec Chromik, Gladki, Dziadziaty, Puskarenko, et alii Coſacorum tribuni.

Coſaci Polonos ad pacem ſtimulant.

Neque Potocius, tempeſtatem toties expertus, portum recuſabat, quippe qui belli toties amaritudinem guſtauit. Vnde pacis agnoſcebat dulcedinem. At Kalinouius, Wisniowiecius, Lanckoronius, Koniecpolſcius, negebant, niſi capta bellua, Chmielnicio,

Quis ad haec Polonorum ſenſus.

1651 cum Cosacis transigere posse de foederibus. Princeps quoque Ianussius Radiuilius, exercitus magni ducatus Lituaniae campestris dux, auxit in immensum flammam, literis suis ad ducem Wisniowiecium pathetice scriptis. Iam enim Kiouiam cum victore Lituano intrauerat exercitu, vnde liberius negabat foedera, inuisus Chmielnicio ob affectatum principis Valachiae connubium, qui nullum tunc turbati animi motum Cosacis prodidit: Sermo idem qui ante erga Cosacos Tartarosque: Nihil in vultu animoque mutatus, placidus ore, intrepidus verbis, intempestiuas suorum coercens lacrimas, imo nihil omnimode de sua reditura desperans fortuna. Sub illud tempus Philipissam quandam mulierem Ruthenam in vxorem duxit, priore Czaplinska in crucem acta. Dum sic Cosaci discordes ad tempus tumultuantur, breui iterum redituri in vnum, Polonus exercitus in vlteriorem penetrat Russiam, ac primo impetu repetit Machoukam, Rozinam vastat, arcem Pauoliciae summa vi aggressam tandem expugnat. Infelix oppidum, in quo dux IEREM. MICHAEL KORYBVT WISNIOWIECIVS, ille fortunatus Caesar, ille Russorum Hercules, ille, inquam, maximus imperator, improspera statiua victor obtinuit. Febrili enim oppugnatus tormento, tandem septimo lethalis obsidii die, ad vltimae necessitatis deditionem adductus, Deo et aeternitati heroum auitae in praedam cessit. Adeo breuis est respiratio, quae cunas inter et tumulum intercedit. Ingens re vera animi speique princeps, ac maiorum gloriae nimium memor. An vero etiam venenum, quo satis extingui potuit, alius cuiuspiam dolo subiectum fuerit, nihil equidem ego statuerim, vt in re praesumtae suspicioni plerumque obnoxia. Mortuus in medio victoriarum et fortunae cursu. Annorum aetate nouem ac triginta bono publico impensa, in extremis sacramentorum omnium particeps, quanquam toto vitae tempore, munditiem ille animae vsque adeo coluit, per omnem aetatem, vt nullam grauiorem Dei offensam apud se ferre diutius posset. Imo nullam expeditionem suscepit, nunquam signa cum hoste contulit, quin ante praeliarem diem accuratissima confessione Dei clementiam non propitiauerit. Quod certe in principe viro, cui ab aetate, a forma, ab armorum imperio summa licentia, tanto carior, quanto in castris rarior virtus. Hoc etiam ad eius altitudinem animi adiicio, nullum genus hostium, vel numero maius vel fama insuperabile, vnquam expauit. In praeliis summe felix, victus nunquam, victor semper discessit, adeo vt fortunatis armorum ducibus iure illum adnumerem. Tertio post obitum die Wisniowiecius elatus est a Pauolocensibus castris Zamoiscium versus, peditibus equitibusque per agmina dispositis, armis indutus, addita capiti mitra, vti duces Korybutanae domus tumulari consueuerunt. Secuti equites peditesque bis mille, inuersis, vti assolet, incomtisque signis, ac reliquis tristitiae imitamentis accurate defuncti. Apud corpus atrati, Koniecpolscius, Zamoiscius, Kalinouius, Sczawinski, Brestensis, Lanckoronski, Braclauiensis palatini. Hac pompa magnus hic princeps elatus est, et ab vniuerso exercitu patris nomine comploratus, qua peracta, sequenti statim die, habito prius belli consilio POTOCIVS Trylissam versus castra mouere imperat.

Lituani Kiouiam intrant.

Chmielnicius sui constans Cosacos iterum coadunat.

Ducis Wisniowiecii mors.

Audita Chmielnicius ducis Wisniowiecii morte, quam velox fama iam per totum vulgauerat regnum, Cosacis haud mora in hunc modum scribit: Votis tandem nostris, inquit, annuit coelum, et fortis dextera Dei fecit virtutem. Scirent a partibus suis ipsum diuinum stare numen. Ducem Wisniowiecium quatuor vlnarum nunc occupare spatium, qui nuper vniuersae dominari volebat Russiae. Ita, cui nostrum pepercit telum, Deus vindex nostri sanguinis, impium sustulit caput. Nunc ergo aut firma speranda pax, aut cruentum cum Polonis bellum. Magna re vera apud Cosacos, ex tanti principis obitu vbique laetitiae signa, magna apud Polonos milites, exceptis aulicis, dolendi materies. Nec deerant, qui sub specie porrecti veneni, aulam et ipsum criminarentur regem, quod in magnis funeribus fieri amat. Post captam Machoukam, Rosinam, Pauoloukam, dedidere se regi intra quindecim dies oppida et arces eius prouinciae complures. Haec dum ex animi sententia succedunt, in vlteriorem Russiam progressurus POTOCIVS ad Tryliae oppidum inuadendum mittit legionem Germanicam, vna cum Lanckoronio, palatino Braclauiensi. Sed Tryliensis et loco, quem haud inscite muniuerunt, et numero freti, reiecto de deditione colloquio, defensionem sedulo parabant. Summa itaque ab vtrinque contentione pugnari coeptum, dubioque parum euentu concertatum est. Sed qua parte curabant Germani, amissis duobus suorum centurionibus, tanta eos ex dedecore indignatio ac furor incesit, vt acuente vires ira, coniectis fugam defensoribus, in oppidum penetrauerint primi. Et oppidani quidem milites positis armis plerique dedidere se, Cosaci vero in arcem protinus se recepere. Arx igitur restabat, non alioqui magis secura, quam

Morte Wisniowiecii Chmielnicius erigitur.

Literae eiusdem ad Cosacos.

Progressus Polonorum in Russiam.

Trylissia expugnatur.

quam peruicacia defensorum, peruicaciam spes alebat, haud posse se tam cito in deditionem cogi, vt non interim subsidium mitteretur a Chmielnicio. Sed Germanorum celeritas et alacritas peruicit omnia, secuti ingenti alacritate nobilissimi quique ordinum ductores, ea pertinacia, vt quatuor horarum spatio, quamuis fatigati diurna pugna, portae obicem depresserint, arceque illa potiti sint. Captus Bohdanus, praefectus arcis, miles Chmielnicii primarius, caeteri omnes, qua gladio, qua laqueo, perduellionis poenas luere. Sic hostilem perfidiam vltus Tryliae, documentum ex alieno periculo proponebat Potocius. Tryliaeque fatalis exitus mouit caeteras ciuitates, ne victori resisterent Polono exercitui. 1651

Captis intra tam paruum tempus hisce haud contemnendis Russiae oppidis, Potocius cum victore Polono exercitu Album Fanum, vulgo Bialocierkuam profectus est, vrbem Russiae haud ignobilem, quam multi Cosacorum, ipseque adeo insederat Chmielnicius. Miserat illuc Potocius aliquot ante legiones, ipse quoque breui, cum reliquo exercitu aduenies, pauorem Cosacis incusserat, qui fere omnes per tenebras elapsi sunt. Chmielnicius compositis ad Potocium literis, in haec concepta verba scribit: Eone tandem ventum est, vt caedium theatrum vniuersa fieret innocua Russia, Polonis ideo iucundum spectaculum, quia Russis luctuosum.

Chmielnicii literae ad Potocium.

Non satis erat causae ad saeuiendum, pluribus Cosacis per insidias ante interfectis, omnibus per apertum bellum palam irritatis! nunc eo ventum est, vt nec innocentia tuta sit, non aetas a suppliciis immunis, non sexus: perinde quasi humana omnia punirentur, et satis admisisset ad necem sceleris, quisquis viuebat Ruthenus. Sibi adhuc vires superesse, arma et equos in expedito, Deos denique coeptorum tutelares Russiae auspices esse: Ad extremum illud omnibus, persuasum sciret Potocius, Cosacis, dulce et decorum esse pro patria et libertate occumbere Russiae. Hoc classicum animum nostrum excitat, hoc alacritatem addit ad maiora.

Recuperata Bialocerkiensi ciuitate, Kiiouiam, metropolim vrbem, recta tendit Potocius, ibi enim postremus contra rebelles ad Borysthenem labor restabat, Chmielnicio ad omnes Polonorum conatus attentissimo. Kiiouia appropinquanti Polono exercitui fuit obuius exercitus Lituanici campestris imperator, Ianussius dux Radiuilius. Hic vbi in mutuum venit conspectum Potocii, Kalinouii, Lanckoronscii, Kisielii, aliorumque, mutuis illorum toties illigatus amplexibus, multa de perfidia Chmielnicii quaestus, ad extremum de necessitatibus vtriusque exercitus serio consulendum aiebat, furorem, iram et vindictam, in Chmielnicium, qua voce, qua gestu ipse ferens. Sed mox huic consilio Kisielium palarinum Kiiouiensem, aduersarium audiuit. Finis belli, inquiebat Kisielius, optata tandem pax est. Quid belluarum in morem nos ipsos impetimus? finienda tandem haec controuersia est. Pace deperibunt Cosaci, qui marte nequibant. Coalescat tandem haec toties desiderata pax. Bella ab extra gerenda, dulcedine otii pelliciendi populi. Saeuiendum est in Turcas et Tartaros, relinquendi subditi. Nihil enim gloriosius Christianis, quam de Turca triumphare: nihil turpius, quam subditorum exhaurire sanguinem.

Kiiouiam mouet Polonus exercitus, ibidemque Lituano iungitur.

Kisielii de finiendo bello sententia.

Auide excepit orationem palatini Potocius, multa et ille de Polonorum virium debilitate, et quod peius, incipiente peste, fame, temporum iniuriis, aduersa et inimica palam fortuna conquaestus. Addidit cruentis hisce aliquot certaminibus absumtos optimatum et militum praecipuos. Quousque sic miseri, inquit, patriam exhaurientes, falsus vtinam vates, forte alteri pugnamus. Koniecpolscium tunc ab eo consilio opportunus subduxerat morbus, sed et ille postea in pacis quoque subscripserat leges. Haec dum in Polono velut secreta agitantur consilia exercitu, Chmielnicius, atrox ante oculos nactus spectaculum, in vicino armatum Polonum pariterque Lituanum conspici militem, serio tandem et ipse ad pacis consilia animum adiecit, certior per exploratores factus, non alienum quoque esse a bello Polonum militem, ergo Russis pacem in hunc modum persuadere conatur:

Idem et Potocius cum Kisielio sentit.

Terrarum, quas Borysthenes hinc alluit, illinc Vistula claudit, paulo ante domini, nunc exules, iam non de gloria, nec de libertate, sed de salute, quod vltimum restat, pugnandum est. Eo ventum per insanam fortunam, vnde pedem non licet amplius referre, absque vniuersae Russiae clade aut victoria. Induciis ergo, hac interposita mora, illudendum est Polonis, quoadusque Tauricana non comparebunt signa. Vix loqui Chmielnicius

Chmielnicius Russis et Cosacis pacem persuadet.

1651 nicius deſierat, cum ecce miles iam muſitare coepit. Neque mora ab adulterina eius militia, palam ad iuſtum regis imperium aliquot tranſiere legiones, Hummanenſes dictae. Longe enim alia facies, quam ſolebat, in caſtris Chmielnicii fuit, plerique metu tacti inſaniam excuſauere: Quid in regem et rempublicam eſſent auſi, tunc demum intuebantur. Subiiciebat pauentibus ſollicitudo, adeſſe iam deos violatae vltores maieſtatis, et conſternatio animi in omnibus etiam vulgaribus rebus dira omina inueniebat. Auxit hos metus alacritas exercitus Poloni, quibus maxima erat virium ſuarum fiducia. Quippe puduit tanquam obſeſſos in vrbe Kiiouienſi, amplius conſidere. Promouerunt itaque caſtra ab vrbe propius hoſtem. Nihil enim optabilius, quam praelio experiri hoſtium vires concluſum fuerat in arctiori belli ducum conſilio. Adhuc ſui incertus et grauioribus agitatus conſiliis Chmielnicius ad Potocium, cadente iam ſole, in haec verba ſcribit:

Literae Chmielnicii ad Potocium.

Tot hominum myriades, quae hoc periere bello, mouerent ſaltem Potocium a profuſione amplius Chriſtiani ſanguinis: Coſacos nunquam peccauiſſe in foedera: Si regiones integrae deuaſtatae, incenſae, libidini, auaritiae, crudelitati peruiae factae: Si agri in ſolitudinem, vrbes in lanienam, templa diuorum in impietatem conuerſa ſunt, haec Polonorum ſteterunt proteruia, crudelitate, ſaeuitia: Nihil amplius reſtat, niſi iuſtos bonorum ſuorum dominos de poſſeſſione vitae turbare, nunquam poſthac in Ruſſiam redituros. Matronarum virginumque pudicitiam inſana militum libidine expugnari: Religioſum diuinae maieſtatis cultum, impio et ſacrilego auſu ſubuerti. Haec belli huius ciuilis grauiſſima fuere mala, quorum omnium diuina vindicta reum illum citet, qui primus aut nulla aut iniuſta cauſa in arma proſiluit, et innocentibus quietisque hominibus, ſeruis, mancipiisque propriis, crudele bellum intulit. Ab eius anima, tot miſerorum animae, quas crudeliſſimo ferro ſaeuiſſimae militum manus expulerunt, repetantur: Ei tot immania graſſantium cruentis enſibus legionum ſcelera imputentur. Non enim eſſet Deus, et ſine numine tota huius vniuerſi machina volueretur, ſi impunita ſtare poſſet hominum iniuſtorum improbitas. Duorum Poloniae procerum ducis Wisniowiecii et Alexandri Koniecpolſcii inſolens effecit audacia, vt ſpretis concesſis nobis legibus, et iure auito conculcato, nos in funeſtam arenam prouocaret Polonia. Adeo ob triumphalem pompae ſuperbiam et lauream corollam, procerum villas ac regni totius ſecuritatem periclitari fecerunt, duo iſti temerarii duces. Quid tandem amplius ſperandum parte ab vtraque. Eheu video iam vltimum pereuntis patriae diſcrimen. Video aut Poloniae regni aut Ruſſiae noſtrae vltima inſtare fata, et quod peſſimum, video deſperatos ab vtrinque militum animos, deſperatio autem multa et extrema audet. Nos Ruſſos pro patria morituros, vos Polonos pro libertate et bonis, imaginor mihi, pugnaturos. Proinde hoc vltimum a ſe Potocius ſalutare acciperet conſilium. Pacis potius quam belli amplecteretur artes, nec credat felicitate ſua tam arduum poſſe conficere bellum, et ad extremum de Coſacis poſſe triumphare. Saepe triumphat hoc anno, qui altero in triumphum ducitur, nec raro victum aliquem ſol oriens quem aſpicit, quem occidens viderat triumphantem. Nos Coſacos viros fortes ac ſtrenuos, quemadmodum ſecundae res nequaquam efferunt, ita nec aduerſae deprimunt. Sunt enim pugnarum incogniti exitus et mars communis qui ſaepe ſpoliantem iam et exultantem euertit et perpulit ab abiecto. Imo eadem nonnunquam hora fugatur ab hoſte quispiam et hoſtem fugat. Ad extremum melior ſemper certiorque eſt tuta pax, quam ſperata victoria. Haec ſerio tandem perpenderet Potocius, Kalinouius, Radiuilius aliique proceres. Adiecit quoque: Si pacem hanc ſpreueritis Poloni, ſcitote periculi in ſocietatem perquam facile reliquas nationes tacite nobis foederatas iungi inſimul. Haec ſumma Chmielnicii literarum.

Obſignatis literis legationem hanc captiuo cuidam credit Polono, vade, inquit, et hos codicillos Potocio redde. Illi, Coſacorum deſperatos animos, auxilia Turcarum Tartarorumque propediem adfutura, renuntia, omnia denique, quae in caſtris videris noſtris, fideliter refer.

LIB. III. CAPVT V

SYNOPSIS

Potocius Chmielnicii recipit literas. Deliberat Potocius circa Chmielnicii literas. Tandem reſpondet. Articuli pacis a Potocio Coſacis propoſiti. Epiſtola Potocii ad Chmielnicium. Machowski perſuadet Chmielnicio arcana quaedam. Eius reſponſum et concluſio. Machowski redit ad Potocium, legationemque ſuam exponit. Quid ad haec Poloni? Kiſielii ſententia. Deliguntur commiſſarii ad mutua tractanda foedera.

1651 Potocius Chmielnicii recipit literas.

Diſplicuere Potocio Chmielnicii literae, maxime ad duo nomina Wisniowiecii et Koniecpolſcii attonitus haerebat. Illine praeſtantes duces, illi egregii imperatores regni fulcra, regis dextrae, reipublicae gladii, apud Chmielnicium duces temerarii audiunt? Sed quid, parendum tamen, inquit, neceſitati eſt. Dira fames militem vrget, peſtis promiſcue graſſatur, ſtrenuum quemque ſpes et alacritas deficit, inimica a tergo ſupereſt regio. Pauoloce ſiquidem, Album fanum, Vinnicia, iterum per ea tempora ceſſerant hoſti, ſpes auxilii a rege nulla. Accedebat et metus, ne ſi intempeſtiuis quaeſtionibus aſperaretur populus Ruſſiae, deſperatione adactus ad Turcas reſpiceret. Non enim latebat Potocium, quis ſenſus tunc regis, quis reipublicae fuit. Multi palam iam in ipſis viſceribus regni exuebant obedientiam, nullus conuocando tunc ex tota gente concilio locus erat, cuius neceſſaria eſt legendo militi tributisque indicendis in Polonia auctoritas. Regem denique ipſum tot lacesſitum iurgiis, famoſisque libellis ſciebat abiiſſe in Prusſiam, donec interea exoneraſſent in eum totum inſanientis ingenii virus Poloni. Et qui nuper parentem, patronum ac protectorem, regem appellabant, tunc tyrannum paſim iactabant, ſcilicet qui excutere anniteretur peſſimi moris iugum, quo ſceptrorum libertatem Poloni adſtrinxerant. Hinc de Coſacis nulla fere apud optimates Polonos mentio, quaſi aut Aethiopes inter ſe belligerarent aut noui Indi. Priuatum ergo conſilium cum proceribus in tentorium contraxit, quaſi rogaturus auxilium. Anceps deliberatio fuit, Koniecpolſcio ex Polonis, duce Ianuſſio Radiuilio ex Lituanis diu contradicentibus. Qua enim ratione Potocius rege inſcio et republica, de foederibus cum obſtinatis tranſigeret Coſacis? Inuidiam certe maximam apud vniuerſam incurſurus nobilitatem. Rem eſſe altam, plenamque periculi, neque de bello tranſigere poſſe eum, qui alterius iuſſu pugnat. Agedum, inquit Potocius, ego totam regis iram, reipublicae inuidiam, optimatumque furorem in me ſuſcipiam, ſeruata reipublicae tranquillitas me abſoluet. Vnde commeante per internuntios colloquio conſcriptos Chmielnicio articulos Potocius ocius per Machowski tribunum Polonum remittit.

Deliberat Potocius circa Chmielnicii literas.

Tandem reſpondet.

Articuli pacis a Potocio Coſacis propoſiti.

I. *Ne cum Tartarorum Chano hoſpitii vel commercii iura miſceto.*

II. *Bonis ſemel aſſignatis clauae generalium Coſacorum gaudeto.*

III. *Numerus excubantium pro rege et republica Coſacorum quindecim millium eſto.*

IV. *Ad priſtinas libertates et poſſeſſiones etiam ii, qui hoc bello partes Chmielnicianas ſecuti ſunt admittentur.*

V. *Statiua Polonorum ſeorſim habebuntur a Coſacis.*

VI. *Religio ab vtrinque ſancta et inuiolabilis permaneto. Quisquis alterutram violauerit hoſtis patriae ſit.*

VII. *Iudaei iterum in Ruſſia incolae ſunto.*

1651

VIII. *Collegium Kiiouienſe ſocietatis Ieſu coetui ex nunc reſtituto.*

IX. *Limes Coſacorum ſtationum palatinatus ſit Kiiouienſis.*

X. *Numerum Coſacorum intra ſpatium quatuor menſium manu Chmielnicii vna et Wichouii ſubſcriptum ad Archiuum caſtri Kiiouienſis per oblatam transmittito.*

XI. *Tartaros ex nunc Ruſſia pellito.*

XII. *Fines magni ducatus Lituaniae Coſaci ne attingito.*

XIII. *Exercitus Coſacorum miſſionem faciat Chmielnicius.*

XIV. *Ad proxima ordinum comitia legatos Coſacorum delegato.*

His inſtructus mandatis commiſſariorum Machowski literas Chmielnicio defert, in quibus eadem fere repetebantur, quae Machowski viua voce et in ſcriptis a commiſſariis acceperat. Antequam miſſas tabellas legeret Chmielnicius, primo palleſcere, deinde haerere coepit ante inſcriptionem literarum, eo quod commiſſarii titulum generalis non addiderant. Vnde inter Coſacos fremitus audiri coepit, quin imo palam auſus eſt Dziadziaty exclamare: Eo ne res deuenit, vt etiam debitum titulum, vos exanimes Poloni, duci noſtro, veſtro vero non ſemel benefactori ſubtrahatis, quo ſemel donatus eſt Chmielnicius a regia maieſtate? Iam ſolutas tabellas viua voce Coſacorum exercitui legerat Wychouius ad vltimam literam, vbi ſolet dies exaratae epiſtolae adſcribi. Summa literarum haec fuit:

Epiſtola Potocii ad Chmielnicium.

Gratas fuiſſe Chmielnicii literas Polono exercitui. Vnde haud mora Machowski, equitem Polonum ad mutua tractanda foedera delegauerunt commiſſarii. Hunc, vt legati praerogatiua ſecurum reddat monuerunt Coſacos. Articulos praeterea pacis in iisdem exarauerunt literis.

Machowski perſuadet Chmielnicio arcana quaedam.

Lecta epiſtola coepit Machowski ſemotis arbitris proponere Chmielnicio, recederet a dicto Tartaris ſacramento, imo vero iunctis cum Polonis Lituanisque viribus eos Ruſſia pelleret. Ad quae Chmielnicius perplexe et amphibologice reſpondebat. Fidem ſuam iureiurando reipublicae obligans, coniunctionem Tartarorum fore contra alium hoſtem neceſſariam. Tribus horis ab vtrinque rationibus certatum eſt, ad extremum neceſſitatem impoſuit Chmielnicio Wychowski, per omnia fidus Achates, quem parentis venerabatur loco, acceptandi conditionem a Polonis oblatam, penitus delendi Tartaros. Ita prima hac difficili fracta glacie, de commiſſariis deinde et loco negotii deligendo diſputatum eſt. Placuitque Coſacis Bialocerkuienſem ciuitatem proponere, nuſquam alibi aut melius, aut Polonorum commiſſariis tutius. Nam in plano campo inter vtramque aciem medium non promittebat ſecurum congreſſum Chmielnicius, ſatius fore in Bialocerkuienſi ciuitate. Eleuatis praeterea in coelum digitis ſpoſpondit: Seruaturum fidem, nec ſe violaturum iura gentium, nec ius hoſpitalitatis.

Machowski redit ad Potocium, legationemque ſuam exponit.

Redux ad caſtra Polonorum Machowski, quae ab hoſte acceperat, fideliter commiſſariis refert. Chmielnicium tot victoriis ferocem, ore facundum, mente factioſum, nihil de anteacto flagitio remittere: regis venerari maieſtatem, illi ſoli fortunam impendere, ſpiritumque litare. Caeterum pacem bona fide poſcere, ſi Zborouianis conditionibus aſſentirent Poloni. Ad extremum commiſſarios deligere petiit, qui in Bialocerkuienſi ciuitate de mutuis ſtabiliendis tractarent foederibus; ibi quoque cum primariis ſe adfuturum promiſit. Adiecit Wychowski ſingulare ſtudium in profligandis Tartaris. Quosdam praeterea ex ocaſione Potocii, cum inter veſcendum eſſent, admixtos ſalſos Chmielnicii ſermones de eiusdem viduitate retulit.

Quid ad haec Poloni.

Perplexa Polonis proceribus Chmielnicii fides erat. Cur enim hoſtis Bialocerkuienſem ad tractanda foedera eligeret ciuitatem? niſi vt intercluſos proceres ſuorum immolaret ſanguini? An eius ſe crederent fidei, qui ipſos etiam laceſſere non ſuſtinuit manes? Variantibus deinde ſententiis, Kiſielius clamabat: non eſſe iam tempus certare otioſis ſuſpicionibus, et conſultando dies noctesque inſomnes perdere: aut pacem ſtabiliendam, aut bellum habendum eſſe. Imminentis periculi vndique magnitudo interuallum non poſtulat. Quod reliquum eſt, parendum neceſſitati, deligendique ocius commiſſarii, quorum numerum augere, ipſe quoque non perhorreſceret. Et huic quidem ſententiae aliorum ceſſerunt vota, neque mora, quam differre non licebat, absque euidenti periculo; eligunt e medio Adamum Kieſiel, palatinum Kiiouienſem, Georgium Lebowicz, palatinum Smolenſcenſem. His aliquot adiunxerunt legiones ſecuritatis cauſa, vna cum quingentis deſultariorum equitum, Dragonum vulgo. Hi ſoli Bialocerkuam ingreſſi ſunt. Caeteri retrogradum referre ad caſtra iuſſi.

1651 Kiſielii ſententia.

Deliguntur commiſſarii ad mutua tractanda foedera, Kiſielius et Lebowicz.

LIBRI III. CAPVT VI

SYNOPSIS

Kieſielius et Lebowicz Bialocerkuae tractant de pace, ibidemque ambo de vita periclitantur. Admonent Radiuilum periculi. Quid ad haec Radiuilus? Quid Potocius? Quid miles? Potocius Kieſielio ſcribit. Redeunt Polonorum commiſſarii. Relatio Kiſielii de tractatu pacis, ac inſolentia Coſacorum Tartarorumque praeda. Potocii ad legatos Chmielnicii oratio. Lituinenko reuertitur ad Chmielnicium. Potocii de Coſacis conſilium. Exercitus Poloni deſcriptio. Chmielnicius vicinitate Poloni exercitus turbatur.

Vix diſceſſerant Bialocerkuam Poloni Commiſſarii, cum ecce rumor a Chmielnicio ſubortus, ad ſimulationem magnarum virium compoſitus, trepidationem de ſubſecuta pace Polonis iniecit. Ficta enim erat, quaſi Soltan Galga, germanus Chani, cum ſexaginta auxiliaribus Tartarorum veniſſet millibus. Tertio deinde, poſtquam vicinam Bialocerkuam commiſſarii attigerant, die, peſſime ibidem a furioſa tractati plebe, de reditu ſuo ad caſtra iam prope deſperabant. Quibus enim rationibus perſuaderent furenti multitudini, ſe legatos et commiſſarios eſſe, quos vbique iuris gentium praerogatiua ſecuros reddit, communicatis itaque in vnum conſiliis, in quo tunc rerum et fortunae articulo verſarentur, Ianuſſio duci Radiuilio Lituana lingua ſecretis literis ſcripſerunt. Terrebat illos praecipue dilatus hucusque Chmielnicii Bialocerkuam aduentus.

Bialocerkuae tractant de pace, ibidemque ambo de vita periclitantur. Admonent Radiuilium periculi.

Iamque epiſtola, quam commiſſarii ſcripſerant, in manus deuenerat Radiuilii. Nemini dubium erat coniuratos male ſibi conſcios in commiſſariorum peccaturos capita, aut ſi forte mitius cum iisdem vellent agere, Conſtantinopolim eosdem remiſſuros, vel pro obſidibus detenturos, aut ad extremum ad conditiones genti Polono pudendas, vi et armis eosdem adacturos, et ſic atrociori ſcelere extroquere a republica poſſe, quae ſine ſcelere ipſis indulgere ii non poterant. Eadem ominabantur Potocius, Kalinouius, Radiuilus. Nec miles conuitiis in Potocium iaciendis parcus. Cur enim fidei Coſacorum, quae nulla eſt, praecipua credidit capita?

Quid ad haec Radiuilus, quid Potocius, quid miles.

Caeterum Potocius, omnem inuidiae molem in ſe inundaturam cernens, ſi infelicem exitum haberet negotium, arcanis notis ad Kieſielium ſcribit: Spirarene adhuc, vel certe morti vicinus eſſet, ſibi quantocius per aliquem fidum certa renuntiaret. Interim celer ad caſtra Polonorum aduolat nuntius: commiſſarios iam quidem in via eſſe referens, caeterum in Tartaros incidiſſe, ac cum iis congredi, orare proinde aliquot equitum turmas auxilio ſibi futuras. Haec dum ille inter anhelitus et ſuſpiria effudit, ocius Potocius milites equos conſcendere imperat, quanquam eius imperium celerior militis anteuertit alacritas. Vnde pene in momento incredibili celeritate ad decem circiter millia ex caſtris ſeſe effuderant, auxilio futuri commiſſariis, quos haud procul a caſtris incolumes et obuios ſalutarunt. Excepti a reliquis ſumma cum laetitia et amplexu, adeo vt quibusdam gaudii materies

Potocius Kieſielio ſcribit.

Redeunt Poloni commiſſarii.

1651 Relatio Kisielii de tractatu pacis et insolentia Cosacorum, Tartarorumque praeda.

teries etiam lacrimas elicuerit, Retulere, se quidem incolumes euasisse, caeterum omnem suppellectilem, aurea scilicet et argentea vtensilia vasa, vestes, equos, tentoria et alia pretiosiora quaeque, pecuniam item, quae omnia medium excedebant millionem, in praedam cessisse Tartaris. Res eo deuenerat, vt nisi Chmielnicius, Wychowski, Gladki, Bohun, Rumetho, aliique Cosacorum tribuni furenti interuenissent multitudini, quae nos conuiiis lacerabat, actum procul dubio fuisset de nobis. Iam enim nos obsessos in arce tenebant Tartari permixti Russorum multitudini, iam toties impetum facientes expugnationem moliebantur, quos, nobis spectantibus, ab oppugnatione nudo ense arcebant tribuni, haec toties intonantes: ne vos, inquiunt, pauor occupet Poloni: nostro trunco corpore ii prius, quos cernitis, pontem insternent, quam vos calcabunt. Addidere candorem Chromricii, tribuni et praefecti Bialocerkiensis. Hic vbi insolitam lasciuientis populi conspexit audaciam nostri misertus candoris, haud exiguam magnitudinem puueris tormentarii globorumque ostendit, ac Polonorum vsui esse permisit. Rara admodum in hoste virtus, nec vllis vnquam satis depraedicanda encomiis. Pacis conditiones quod attinet, his minime repugnat Chmielnicius, tribus exceptis cassatisque. Numerus, inquit, excubantium pro salute incolumitateque regis ac reipublicae ad viginti millia redigatur Cosacorum. Statiua Polono militi alibi prouinciarum, quam in Russiae ciuitatibus, assignet respublica. Tartaros quoque in Russia ab iisdem profligari Cosacis, sacrosancta vetant foedera, contractaque ab inuicem amicitia. Caetera sancte obseruare atque inuiolata permanere iureiurando spondet cum tribunis. Eadem repetebant Lituinenko et Gladki Cosacorum legati, qui vna cum Polonorum aduenerant commissariis, quibusque in hunc modum respondit Potocius:

Potocii ad legatos Chmielnicii oratio.

Miror, inquit, cur tantillo facto commissum in rempublicam regiamque maiestatem grauissimum perduellionis scelus diluere non possitis? Tartaros obscuram fecem et vappam Asiatici populi, obuersis armis pellere veremini. At dictum scilicet illis vos excusat sacramentum. Agite ergo fidem eis vt vultis, seruate, qui pridem vos sua deceperunt perfidia, insontes animas. Scio vos acturos aliquando poenitentiam spreti consilii mei. Caeterum nobis profligandos relinquite. Persequar, ita me Deus, latrones, eosdemque in vltimam pellam Asiam. Ciuitates vestras Russiae quod attinet, et speciatim Kiiouiam, Czechrinum, Corsunum, Pereaslauiam, Czerkassi, liberas ego illas a statione Poloni militis bona fide spondeo, verbo imperatorio. Ad extremum de numero Cosacorum ad quindecim millia redactorum, consenserunt Chmielniciani legati, Potocii moti facundia, moti et lacrimis, quas inter loquendum dolor seni expresserat: modo quantocius Poloni ad stabilienda haec iuramento foedera legerent duodecim ablegatos, qui nomine regis ac reipublicae, totiusque exercitus Poloni, pariterque Lituani, in loco campestri inter vtrumque exercitum medio iurarent. Assensit haud grauatim pactae Cosacorum conditioni Potocius, dilato in sequentem diem commissariorum congressu. Tali responso Lituinenko ad Chmielnicium reuertitur. Gladki vero penes Potocium tantillum subsistere iussus in castris remansit.

Lituinenko reuertitur ad Chmielnicium.

Potocii de Cosacis consilium.

At Potocius dimisso Lituinenko totus in eo erat, vt Cosaci vna cum Chmielnicio ad saniorem redirent mentem. Visum ergo illo ipso circa vesperam die, castra Polonorum Lituanorumque Bialocerkuam versus, vbi tunc armatus degebat Chmielnicius, promouere. Ibant duo magni exercitus, Polonorum in septuaginta quatuor, Lituanorum in quadraginta diuisus agmina, per continuum spatium quindecim Italicorum milliarium, longe lateque diffusus. Iamque in conspectum venerant vrbis, cum ecce a Chmielnicio literae illico traduntur Potocio. Mirabatur ille, quidnam sibi tam propinqua vicinitas, tamque vicina propinquitas Poloni portenderet exercitus. Promissos a Potocio commissarios in momenta expectare, adiecit et preces, vt tribunum sibi remitteret Potocius. Haud grauatim assensit Potocius Chmielnicii precibus, neque mora multis donis affectum muneribusque onustum dimittit Gladki, promisso in sequentem diem commissariorum aduentu, nominatusque a Potocio statim electus congressui locus, Asprisaxeus dictus, numerum quoque comitantium commissarios securitatis causa, sexcentos non amplius parte ab vtraque nominauit equites.

Chmielnicius vicinitate Poloni exercitus turbatur.

LIBRI III. CAPVT VII

SYNOPSIS

Potocius Polonos commissarios ad Cosacos dimittit. Chmielnicii legati veniunt ad Potocium, eorumque postulata. Poloni a Cosacis decipiuntur. Inuectiua Kisielii in Chmielnicium et Cosacos. Cosacorum responsum. Remittuntur Potocio Poloni obsides. Potocius deliberat. Procerum Poloniae sensus. Potocii conclusio. Polonorum castrorum ordo. Initium pugnae a Radiuilo. Potocius Radiuilo dissuadet certamen. Radiuili rationes volentis certare. Victoria de Cosacis a Radiuilo reportata. Potocius differt praelium. Radiuilus persuadet Potocio certamen, sed frustra.

Auersis itaque a sinistra suspicione animis omnium, surgente aurora Potocius eosdem commissarios, qui Bialocerkuae cum Chmielnicio coeperunt tractare foedera, ad praestandum Cosacis iuramentum, nomine regis totiusque reipublicae dimittit, additis praeterea et aliis, scilicet, qui duodenum augerent numerum ex voto Chmielnicii. Polonis in hunc modum dimissis in castra Cosacorum, pariter ex castris Cosacorum Chmielnicianos aduentantes legatos, in imperatorio excipiebat tentorio. Quod vbi primum Chmielniciani intrauere legati, praemissa veneratione, nudis capitibus palam quaerebantur, peccasse in foedera Polonos, scilicet qui pluribus, quam conuenerant, stipati cohortibus venissent, tres deinde proponere conditiones pacis, nempe:

1651 Potocius Polonos commissarios ad Cosacos dimittit. Chmielnicii legati veniunt ad Potocium, eorumque postulata.

I. *Si pactis Zborouianis subscriberent Poloni.*

II. *Si exercitus Poloni nunquam hybernarent in Russia.*

III. *Si Tartaros, Russiae libertatis custodes, nequaquam profligaret Potocius.*

Tum primum aduerterunt Poloni, simulationem duntaxat fuisse in Bialocerkuiensi ciuitate, ad decipiendum Potocium vanis promissis extractum, scilicet vt ex voluntate hostium procederet tempus, quo rebus interim Chmielnicius consulere suis, ac parta suorum securitate incautos deleret Polonos. Obstupuere certe Commissarii, attonitisque similes, vix prae indignatione ferro abstinuerunt, vbi similes a Chmielnicio propositas audiuere pacis conditiones: ludibrio quoque se expositos vilissimis mancipiis aegre ferebant. Exaggerabat pathetice Kisielius, palatinus Kiiouiensis Chmielnicii malitiam et perfidiam. Non haec fuisse cum illo tractata in ciuitate Bialocerkuiensi foedera, toto coelo illum ab optato aberrasse littore, desineret tandem fanaticus esse, quid ad extremum sibi polliceretur cum vniuerso exercitu? at spes scilicet Thraciae legionum vobis affulget. Ite ergo damnatae animae, quibus lubet dissolute magis quam modeste viuere, sub tyranno, quam sub pio principe, mancipiis potius, quam liberis. Aderit breui vindex Deus, qui vnico momento vestra vesana euertet consilia.

Poloni a Cosacis decipiuntur.

Inuectiua Kisielii in Chmielnicium et Cosacos.

Ad ea Cosacorum legati identidem Palatino vnanimi respondebant voce, vnanimi sensu: se non aliis instructos a Chmielnicio venisse mandatis. De transactione Bialocerkuiensi nihil penitus constare Zaporouiano Cosacorum exercitui. Ita illusis Polonorum commissariis, habenas ad sua castra verterunt Cosaci, quibus ocius digressis, rediere sub vesperam ad Polonorum castra duo obsides. Tysse et Lubie, eo ipso die Cosacis in fidem sacramenti a Polonis traditi. Eadem et illi referebant: Cosacos non posse reduci ad obedientiam, nisi subscripta Zborouiensi pacificatione. Ita malignum sui Chmielnicii animum, sub optata, vt fingebant, pacis larua latentem, abunde Polonis detexerunt Cosaci, quos serio tunc de pace agere omnes existimauerunt. Potocius vero tot recentium malorum imagine obrutus, quippe qui iam bello defunctum se esse, crediderat, iterum de dolo Cosacorum

Cosacorum responsa.

Potocius deliberat.

1651 ſollicitus, commiſſarios in ſecretum adhibet conſilium, ſingulos conſulens, quid facto opus in re tam ſubita? Eadem enim nocte, opinione ſua ſecuros Polonos celerrime aggredi ſtatuerat Chmielnicius. Nouam de Polonis commentus victoriam, dolo et fraude viciſſe ſecurus: itaque oleam e longinquo oſtentabat Potocio, contentus Polonorum numerum, mora, fame, taedio et crebris eruptionibus interim minuere. Omnium ſenſus fuit, non eſſe temere cedendum loco perfidis, cum habeat vices ſuas conditio mortalium, vt ſecunda ex aduerſis et aduerſa ex ſecundis naſcantur. Mars, aiebant, communis et victum ſaepe erigit et affligit victorem. Infirmi quoque ingenii eſſe, lapſu aliquo ſummae rei diffidere, cum exiguis momentis ſubito inclinent omnia, quae in bello geruntur. Nunquam oſtentata a Chmielnicio olea, adeo placeret Potocio, vt non caueret ſibi interim ſerio, ac timeret ſub arridentibus illius foliis ſaepe latere ſerpentem. Nemo enim celerius opprimitur, quam qui nihil timet, et frequentiſſimum initium calamitatis ſecuritas nimia eſt. Vitaret quidem periculoſiſſima Coſacorum tela, quae illis ſuggerit deſperatio, ſed nec ideo inultum vaferrimum relinqueret hoſtem, prope Coſacorum caſtra, Polonorum quoque metaret Potocius, ſe in hoſtium cruore ad talos vſque pugnaturos et pro libertate morituros. Subiunxit ad haec Potocius: ſe quoque vitam, quam fato debebat, patriae pridem deuouiſſe ſcirent, annuere illorum ſententiae libenterque ſubiturum extremum vitae diſcrimen, modo puſillanimitatem quoque et timorem in conſilium non adhiberent ii, qui cor in lingua gerant, manibus interim demiſſis ac flaccidis: Thraſones, qui oſtentatoria duntaxat voce inſultant, meticuloſos conterunt, praeterea nihil. Neque mora ſequenti mane caſtra Polonorum verſus hoſtilem exercitum promouere imperat, animo vultuque commotior, tali ordine:

Procerum Poloniae ſenſus.

Potocii concluſio.

Polonorum caſtrorum ordo.

Dextrum cornu regebat IANVSSIVS dux RADIVILVS, prouectus auiditate gloriae princeps, nam et honori Lituanorum datum eſt, vt priores eſſent, qui vltimi venerant, ſiue id honori, ſiue potius, quod ibi maximum a Coſacis imminebat periculum, cui recentem militem opponere expediebat. Laeuum MARTINVS KALINOVIVS, belli campeſtris dux. Medium corpus ipſe moderabatur POTOCIVS. Eoque ordine aliquot horis confecto itinere, in conſpectum venere Chmielnicii. Neque mora iuſtae pugnae initia libauit Radiuilus, celeriter in Caſacorum inuectus alam, quod aegerrime tulit Potocius, multis rationibus perſuadens Radiuilo, fatigatum itinere illo die militem, non poſſe adeo bene experiri aleam belli, ſed vicit rationes Potocii fiducia Radiuili, qui hoſtem iam aliquot foſſas deferere coegerat. Addidit aduenisse opportunum ad pugnandum tempus, diem Sabbathi in honorem deiparae virginis ſacrum: Ventum praeterea et ſolem iniquum Coſacis. Hic illos fulgore excoecabit, ille puluere et vi ſimul ſua, pugnantium telis adimet impetum, noſtris addet. Quid tandem ſenex metueret imperator, ſibi feriendum relinqueret hoſtem. Annuit tandem Potocius, magis magisque coactus a Radiuilo, qui tunc feruidius, quam ex Potocii mandato, cum Lituano exercitu in hoſtem mero madentem inuehitur, quem in inſtanti ſecuta eſt palatini Podoliae legio. Aliquot horis durauit conflictus in illa parte, agrorum ac vicorum interea lixis conceſſa populatione. Iamque Radiuilus non vincere modo, ſed et frui certiſſima ſperabat victoria, ſi Potocius toto Polono hoſtem aggredi voluiſſet exercitu. Sed ille neſcio quas allegans rationes, illa die a pugna abſtinuit. Interea Coſaci Tartarique, quorum aliquot penes Chmielnicium Chanus reliquerat millia, ad Chmielnicii amentes terrore confugere caſtra, qui a longe pugnae huius ſpeculabatur exercitum. Radiuilus iam praelio victor, illorum carraginem, ſummum et inexpugnabile Ruſſorum robur, celeritate tentare voluit, occupare enituit ſuorum Lituanorum virtute, illa die Chmielnicium debellari poſſe affirmans, modo Potocius Polonum quoque promoueret exercitum. Sed fruſtra talia memorabat Potocio Radiuilus, proximam ille imminentem timebat noctem. Verebatur praeterea callidi hoſtis inſidias, quas ſtruere ille optime norat. Reuocauit itaque Radiuilum, faciliorem in craſtinum promittens victoriam, nunc ſatis egiſſe, quod praelio victor exiſteret. Contra Radiuilus ſe non in pactis, vt Potocius, ſed in Deo et armis ſpem habere aiebat, poſſe Coſacos debellari plusquam conſtat, cur differat, inquit, Potocius non video, modo animoſe Polonorum promoueat ordines, actum eſt de Coſacis. Parcere autem perfidis, et poſt acceptum beneficium non minus quam ante nocituris extremae dementiae eſt. Abſurdae iſtius clementiae breui illum poenitere auguror. Eadem et milites paſſim Potocio exprobrabant ad talia ſurdo.

Radiuili rationes volentis certare.

Victoria de Coſacis a Radiuilo reportata.

Potocius differt praelium.

Radiuilus perſuadet Potocio certamen, ſed fruſtra.

LIBRI III. CAPVT VIII

SYNOPSIS

Literae Chmielnicii ad Potocium. Potocius reſpondet Chmielnicio. Chmielnicius adhuc tentat certamen cum Polonis. Coſaci a Polonis Lituanisque caeduntur. Chmielnicius iterum pacem offert Polonis, ſcribitque Kiſielio. Coſaci Tartarique denuo tentant irruptionem in Polonorum caſtra. Legatio Coſacorum ad caſtra Polonorum. Propoſitiones Coſacorum. Reſponſum Potocii. Legati Coſacorum conuiuio excipiuntur a Potocio. Coſacorum Polonis exprobratio. Chmielnicius ipſemet in perſona colloquium Potocii expetit. Annuit Potocius Chmielnicii poſtulato. Coſaci indignantur Chmielnicio colloquium Potocii expetenti. Chmielnicius Polonorum ingreditur caſtra. Eiusdem ad Potocium verba et reſponſum Potocii. Pacta ſubſcribit Chmielnicius Potociusque.

1651 Literae Chmielnicii ad Potocium.

Sequenti mane Chmielnicius Raytarowski, equiti Polono, apud ſe hucusque detento, literas Potocio tradendas mandat, quarum haec ſumma: mirare ſe, aſſerens, quidnam in foedera peccaſſent Coſaci, aut quid ſibi velit tam propinqua Polonorum ſtatio, cuius pleniorem interpretationem deſideraret. Quae promiſſa mea fuere, inquit, illa abunde ſeruaui, Coſacos in officio hucusque detinui, non permittens illos heſterna luce caſtris egredi, paucis exceptis lixis, Tartarisque peregrinis, vt fieri amat in magnis exercitibus. Si candide agerent Poloni, nominarent commiſſarios ad mutua tractanda foedera, ſe nec hucusque, dolo licet et aſtu tories a Potocio irritatum, ab optata pace alienum eſſe. His literis reſpondere a Potocio rogatus Kiſielius, haud mora in haec concepta verba ſcribit Chmielnicio: Probe ſibi conſtare Chmielnicium, arte et dolo velle circumuenire Potocium: Coſacos nuper viliſſima mancipia pro munere legatorum mandaſſe Chmielnicium: haeccine promiſſa Bialocerkicuiae erant? vbi nulla de Zborouiana pacificatione, nec per ſomnium quidem mentio. Caeterum ſi bona fide pacem peteret, legatos deligeret, duae horae non amplius in id ſufficiant.

Potocius reſpondet Chmielnicio.

Interea dum legati expectantur Chmielniciani circa meridiem incondita agreſtium Coſacorum multitudo caſtris ſeſe effudit, vna cum aliquot Tartarorum millibus. Diuiſi deinde in agmina Coſaci a fronte, Tartari a tergo, duce illorum Camachmet Murſa, Polonorum caſtra adorti ſunt. Reſiſtebat illorum ferociae princeps Radiuilus aliquot horis vna cum Potocio. Sed illi tripartitis agminibus extrema audacia repetitis tormentorum ictibus nihil de ſuo remittebant furore. Multi ex Polonorum gregariis militibus in illo cecidere conflictu, vnico tantummodo ex nobilioribus, Nicolao Woronicz, pocillatore Kiouienſi deſiderato. Ita ad veſperam vſque hic hoſtilis durauit tumultus, Coſacis temulentis in trophaeum Polono cedentibus militi.

Chmielnicius adhuc tentat certamen cum Polonis.

Coſaci a Polonis Lituanisque caeduntur.

Caeterum Chmielnicius hactenus medius dubiusque et quaſi temporibus inſidiatus, huc atque illuc conſilia flexerat, tum demum victus a fortuna Polona, Coſacorum conatibus ſuam auctoritatem obiecit, redire denuo iuſſo, appetente iam veſpere, Raytarowski ad Potocium. Addidit eidem ad Kiſielium epiſtolam, qua ſe ille excuſabat, omiſſos fuiſſe aliquot articulos, ſacroſanctam fidem Graecoſchiſmaticam concernentes. Orare proinde, haud aegre ferret Potocius, hanc tantillam moram, breui adfuturos legatos, qui foedera ſubſcriberent. Ita ſemper ſpecioſa verbis, re inania ac ſubdola reſponſa dabat Chmielnicius, verba remittens chartis otioſa ſuperbis. Nam nec ſequenti die aderant expectati Chmielniciani legati, imo vix illuxerat dies, cum ecce iterum in conſpectum Poloni exercitus Tartari permixti Coſacis, magno numero pugnam depoſcentes aderant. Polonos quoque manipulos, centurias, cohortes, ordines, legionesque diſpoſitos Potocius in apertum eduxerat campum, generalem illo die apparaturus pugnam. Sed Coſaci Tartarique ea celeritate, qua venerant, pari quoque in diuerſa ſparſi, deinde fugam ſimulantes equos

Coſaci Tartarique denuo tentant irruptionem

1651 in Polonorum castra.

egere. Interim crassis nubibus obductum coelum copiosum toto illo die effuderat imbrem, qui pugnam et vna fugientes abstulit Cosacos.

Legatio Cosacorum ad castra Polonorum. Propositiones Cosacorum.

Aderant tandem Chmielniciani ad Potocium legati missi, longe grauioribus quam ante Bialocerkuae instructi articulis, simul et Chmielnicii mandatis. Princeps huius legationis fuit Roman Kaleczin, qui dicere iussus, quid tandem adferret? pacem ne an bellum? pacem respondit ille, modo Potocius cum commissariis viginti millia Cosacorum pro rege et republica excubantium, quae moderaretur Chmielnicius, approbaret. Horum legiones, vt Vinniciae, Pereaslauiae, Czernichouiae, Bialocerkuae ac in vniuersum in omnibus regalibus bonis per vniuersam Russiam, stationes habeant, precatur vniuersus exercitus.

Responsum Potocii.

Assensit haud grauatim Potocius propositis Chmielnicii conditionibus, dura enim castra Potocii vexabat fames. Trecenti pedites Germani illa nocte, pars, militari morbo, pars, inedia consumti erant, pestis promiscue grassabatur. Hinc Potocius extremum veritus naufragium, ne milite destitutus in Chmielnicianas iterum veniret manus et vincula, quamcunque primo oblatam libenter amplecti constituit stationem, quod facere solent periti naucleri tempestatem fugientes. Vnde enim nouus miles? vnde procuretur annona in hostili et inimica terra? Quidquid enim et a tergo, et a fronte, et a latere erat, hostile fuit. Visum ergo Potocio ocius tribunum Polonum Zacwilichowski nomine, vna cum delegato Cosacorum ad Chmielnicium mandare, qui bona regalia, et speciatim Braclauiam, Vinniciam, Czernichouiamque a stationibus exciperet Cosacorum. Interim multiplices praeparantur epulae quanquam in summa vulgarium militum egestate, quo scilicet ex Cosacorum animis, omnem de fame Polonorum eraderent conceptam suspicionem. Cum iam inter epulas essent ex occasione huius belli, Roman Kaleczyn, princeps huius legationis, liberius cum Potocio identidem agebat. Turcam defendistis Poloni, nobis excursiones in Thraciam excitatis munitionibus interdixistis: merito nunc poenas luat insolens vestra respublica, quae se ipsam hoc ciuili bello multifariis confecit modis. Vel nunc saltim permittite Thraciae debellare tyrannum, Christiani nominis hostem. Annuentibus Polonis, Roman ab epulis summe contentus discessit. Responsum Chmielnicii illo instanti ad se missum, palam in secretiori consilio, Potocio commissariisque lecturus. Duos corrigendos articulos in iis literis Roman delegato transmiserat. Chmielnicius priori nempe Potocii assensserat postulato, tempore tamen circumscripto, scilicet Polonus miles ad proximas calendas Decembris Braclauiensi ac Czernichouiensi abstineret palatinatibus. Deinde Czyrkassy ac Borowicz, bonis reipublicae, quae tunc aduitalitio modo a rege obtinuerat Potocius, Chmielnicio cederet.

Legati Cosacorum conuiuio excipiuntur a Potocio.

Cosacorum exprobratio Polonis.

Iniquissimae reuera conditiones, quas si acceptassent Poloni, victores declarassent Cosacos, victos Polonos. Priori tamen conditioni assensum est, limitando tempus vno mense minus, nempe ad calendas Nouembris. Secundum quod attingeret punctum, se de bonis regalibus, absque regio et reipublicae expresso consensu disponere non posse: sciret Chmielnicius. His parumper vtrinque iactatis, ille aestus ac veluti procellae vis quaedam, poni coepit. Nam Chmielnicius, dubium cuiusnam instinctu, certe boni angeli ductu, quid demum in rempublicam peccauisset, hic primum aduertens, Lempiczki, tribunum Polonum, in suis castris hucusque detentum ire ad Potocium iubet, eique nuntiare, se paratum, si id per Potocium liceret, eundem praesente ac spectante toto Polono exercitu, venerari, nec non Radiuilum, Kalinouium, aliosque proceres visitare, constituisse: insuper propria in persona iuramento confirmare icta suorum Cosacorum foedera, modo Potocius reciproce duos obsides viros illustres Zaporouiano tantillo tempore concrederet exercitui.

Chmielnicius ipsemet in persona colloquium Potocii expetit.

Annuit Potocius Chmielnicii postulato.

Annuit Potocius tam submissae Chmielnicii reuerentiae, nihilque moratus, duos obsides Cosacis transmittit, MARCVM SOBIESKI, Crasnostauiensem gubernatorem et CHRISTOPHORVM POTOCKI subdapiferum magni ducatus Lituaniae, omnia vicissim iureiurando promittens Chmielnicio, quae ad eius spectabant securitatem.

Cosaci indignantur Chmielnicio collo-

Tum vero primarii Cosacorum indignari paulatim Chmielnicio coeperunt, rati infra maiestatem Chmielnicii fore, si vltro victor, ad pedes procideret victorum. Ille vero concordiam saepius reiterando tribunis, totos vtres iussit in medium proferri, prodigique

digique veterrimum adustum vinum, multoque epityro praecipuos Cosacos excipiens, reliquos in excubias partiri et stationes obire iussit, se breui adfuturum pollicitus. Ita paratis vtcunque suorum animis pleno madentibus mero, postquam temulentis somnus irrepserat, Wychowski secretorum suorum participe secum assumto, comitante eundem Zacwilichowski veterano tribuno Polono, ad castra Polonorum progreditur Chmielnicius, quae medio circiter inde distabant milliari.

1651 quium Polonorum expetenti.

Mirum dictu, quanta sui fiducia, quanto et animo castra ingressus Chmielnicius, tabernaculum quoque imperatorium intrauerit Potocii, ibi vero orare misericordiam, non sine profusis lacrimis coepit. Cui Potocius haud cunctabundus respondit: Pridem se contumeliam, quam iniuste ab ipso ad Corsunum acceperat, Deo, religioni et patriae deuouisse, vindictam nunquam repetiturum, sancte iurare, cum coelitus accidisse videatur haec mea labes ac totius gentis clades. Satis esse, si tu iuramenti tui praestandi memor, qua fide, qua opera tua, admissum grauissimum in rempublicam diluas crimen. Dein ducem Radiuilum aliosque proceres, vnumquemque suo ordine veneratus est. Ventum tandem ad pacta foedera, quae praeconem prope stantem recitare iussit Potocius, quibus praeteritorum obliuio, turbarumque venia Russiae populis tribuebatur. Assensit omnibus Chmielnicius, vnicum addens, si Cyrkassi et Borowicze vltro sibi cederet Potocius: Quod vbi multis rationibus fieri non posse absque regio diplomate ac totius nobilitatis consensu illi ostensum est, tandem et ille a proposito supersedit. Tunc demum subscripti articuli, iureiurando ab vtrinque roborantur, quo facto Chmielnicium Potocius ad praeparatas inuitat epulas. Aderant et plerique Polonorum optimates.

Chmielnicius Polonorum ingreditur castra. Eiusdem ad Potocium verba et responsum Potocii.

Pacta subscribit Chmielnicius Potociusque.

LIBRI III. CAPVT IX

SYNOPSIS

Chmielnicii inter epulas cum Radiuilo sermones. Minae illius in Valachiae principem. Radiuili responsum. Poloni struunt insidias Chmielnicio, quas ille illudit praepropero discessu suo. Chmielnicius discedens filio Potocii phaleratum transmittit equum, ac per Wychowski hesternam excusat crapulam. Rex Polonus Borussiam intuisit. Mors Annae Catharinae ducis Neoburgicae, regis Poloniae germanae sororis. Metus Polonorum de Tartaris. Potocii ad regem literae. Kisielii laus et encomium. Moritur Nicolaus Potocki. Eius vitae compendium.

Cum iam inter vescendum essent Chmielnicius contracta fronte Radiuilum intuitus. Ecquid sibi vellet in castris Polonorum eius celsitudinis praesentia? interrogat, respondente Radiuilo, se cum exercitu Lituano ad domandos rebelles veniisse Cosacos, vna et foedifragum Chmielnicium. Cui ille: at maiores, inquit, Celsitudinis vestrae, nunquam Zaporouianum laceassebant exercitum! Deinde occasione Valachici belli paulo rusticis verbis in Radiuilum debacchari coepit multa minitatus Valachiae principi. Cur illius filio promissam sobolem despondere nollet? valeat ille opulenta gaza, ego potentia: habeat immensos thesauros, ego immensas hominum myriades, quibus fretus eripiam, vel ex sinu patris promissam filiam: diripiam eius superbam gazam, profligabo foedifragum principem. Haec ille inter medios scyphos, vultu turbato animoque, identidem repetebat. Nemini dubium erat, quin haec infernalis bestia Radiuilum principem, tanquam principis Valachiae generum, immediate petere videbatur, neque vero impune hoc illi cessisset, nisi princeps tunc patriae tantillam concessisset iniuriam. Hinc ad procacia helluonis verba nihil aliud respondit, quam vt sciret Chmielnicius, paratum esse ad omnia quaeque aduersa Valachiae principis pectus, non illi deesse populos, non consilia, quibus Chmielnicio resistere valeat. Interea ad solemnes epulas accesserunt foecundi calices, queis continebantur regis salus, aliorumque primorum. Hos calices comitabantur reboantia in vtriusque castris tormenta, tum et longo ordine

Chmielnicii inter epulas cum Radiuilo sermones.

Minae in Valachiae principem.

Radiuili responsum.

1651 disposiți ad hilaritatem tibicines, tum singuli singulos suo ordine exciperent haustus. Obseruandum est, non nisi ad solius regis nomen detecto capite stetisse Chmielnicium, dum interea singuli singula pocula Chmielnicio propinant. Ita factum quis crederet! Magnus reuera procerum Poloniae contemtus. Interea dum Poloni temulenti varios de Chmielnicio tollendo miscerent sermones: ille veritus sui fatale prandium, temulento similis, sed ad omnia attentissimus, actis gratiis Potocio, verso in vesperam die ad castra suorum equo conscenso digreditur. Discedenti superbe phaleratum Thracium equum largitur Potocius, cui ille, ad quid ista, inquit, prodigalitas vestri Potocii, mene ille equo donat, cui ego trecentos dare paratus! nihilominus gratias habeo, vt duci, vt imperatori, vt amico.

Poloni struunt insidias Chmielnicio, quas ille eludit praepropero discessu suo.

Chmielnicius discedens filio Potocii phaleratum transmittit equum, ac per Wichowski hesternam excusat temulentiam.

Sequenti die summo mane, antequam mouerent exercitus, Wychowski, supremum ministrum consiliariumque suum, Chmielnicius ad Potocium expedit. Summa legationis haec fuit: Potocio valedicebat Chmielnicius, eiusque filio, gubernatori Camenecensi, phaleratum Turcicum reciproce transmiserat equum. Addidit, orare Chmielnicium, vt hesternam temulentiam suam Potocius vna cum Radiuilo excusarent. Cui princeps Radiuilus: nihil me mouet, inquit, hesterna Chmielnicii crapula, paratus semper eminus et cominus, nisi infra dignitatem meam esset, cum illo congredi. Eiusdem promptitudinis, eiusdemque animi norit esse Valachiae principem, parentem optimum.

Pax Polonos inter et Cosacos promulgatur.

Eo modo exacti sunt Russiae finibus Tartari, Poloniaeque regno iam tertio vindicata libertas. Ita sub aerumnarum aquis, demersa iterum efflоruit palma. Inde in varias milites rediere stationes, Potocio Poloniam, Radiuilo Lituaniam, vicinamque Valachiam et Chmielnicio citeriorem repetente cum Cosacis Vkrainam. Actae quoque sunt in vtrisque castris pro pace concluса ac stabilita Deo exercituum solennes gratiarum actiones.

Rex Polonus Borussiam inuisit.

Iisdem diebus, dum haec in Russia aguntur, Rex per aeris intemperiem, Varsauia vna cum coniuge regina in Borussiam secundo Vistula flumine delatus, Thorunium, Gedanum, Marieburgum, Elbingam, aliaque loca regalis Borussiae inuiserat, vbique exceptus magna pompa et laetis passim vocibus a nobilitate Borussiae ciuibusque. Breui tamen, ibidem commoratus, inclinante octobri mense regiam iterum sedem, Varsauiam, repetit.

Mors Annae Catharinae ducis Neoburgicae, regis Poloniae germanae sororis.

Nec multo post adest tristis ex Germania nuntius, qui regi de obitu tetulit sororis ANNAE CATHARINAE CONSTANTIAE, collocatae ante annos nouem in matrimonium principi palatino Rheni Neoburgico, PHILIPPO WILHELMO, Volfgangi Vilhelmi filio primogenito. Sterilis illa annorum nouem et tringinta, Coloniae Agrippinae, nona Octobris huius anni, catarrho extincta. Piissima princeps, ac paulo post regio apparatu more ducum, sereniſſimae domus Bauaricae Düsseldorpii tumulata est. Eius gaza ingentis pretii, quae duorum millionum thalerorum imperialium excedebat summam, in Germaniam asportata, nunquam amplius in Polonia comparuit, summo cum dolore Polonorum.

Falsa fama de Tartaris.

Sparsa quoque fama paulo post volabat per ora Polonorum, quasi ISLAN GEREI, Tartarorum Chanus, germanum suum, Nuradin Soltan, nec non Szefer Kazy Aga, Soltan Kazy Aga, et alios Agas, Beios, Mursas, cum quadraginta hominum millibus mense octobri in Poloniam ad Chmielnicium mandasset. Sed haec figmenta fuisse paulo post constitit, quanquam non deerant copiae literarum Chani, quas ego apud me retineo. Quin imo ipse Potocius meticulosus senex decima quarta ex statione Bielopolensi regi expresse in haec verba scribit:

Potocii ad regem literae.

Aduenisse Chmielnicio Tartaricas suppetias post icta foedera vna cum germano Chani, cuius auxilio certo certius hic rebellis vel Maiestatis Vestrae iterum infestabit ditiones, vel certe vicinum aggredietur principatum. Ad extremum quanquam in neutra peccabit foedera, Tartarosque redire iusserit, at hi latrones saltem redeundo more gentis suae praedas agent. Quos an persequi, an tolerare reipublicae expediat a regia maiestate opperior mandata. Haec quam vana fuerint, tempus aperuit. Nam Chmielnicius post scriptas aliquot Potocio literas, nihil amplius hostile voluebat animo, nempe vbi palatinum Kiiouiensem, Polonorum armorum obsidem habuit in Russia. Is enim iam valedixerat aulae et militiae, ac ea pacis occasione Bohusaniam in vlteriorem secesserat Russiam. Nec latebat Chmielnicium quanta Kisielius auctoritate pollebat in Polono senatu. Cuius quot verba, tot arcana notabant sapientiores, plane vt hic vnus toti illi senatui praecepta gubernandi et rempublicam administrandi illa tempestate dare potuisset. Magnus reuera minister, qui si non in libero regno sub alio vixisset monarcha, alter euasisset Richielius. Sed in republica, vbi quot optimates, tot reguli, hi omnes rempublicam constituunt ac pro arbitrio regunt, quis sensus viro ad omnia excelsa et ardua quaeque, sed in minori familia nato. Nunquam dixit, quod non ita euenit, nunquam bene euenit, quod sine eius factum fuit consilio. Sed de tanto heroe fusius suo postea loco. Interea Rex comitia Poloniae generalia in annum sequentem millesimum sexcentesimum quinquagesimum secundum ordinibus Poloniae regni et magni ducatus Lituaniae, ad diem vigesimam tertiam Ianuarii indixit. Quo fere tempore fati legem impleuit NICOLAVS a Potock POTOCRI, supremus regni Poloniae bellorum minister. Longa illi per varios casus militia, experientia et sagacitas, quanta magnum imperatorem decent. Aduersa passim fortuna. Primis armorum rudimentis sub Carolo Chodkiewicz, viro immortali et plane ad aeternitatem nato, supremo vtriusque gentis Polonae et Lituanae ad Chocinum imperatore, meruerat. Sigismundo III, Vladislao IV, et Ioan. Casimiro, Poloniae regibus per omnia fidus. Ad extremum sumto christiano viatico, summae pietatis sensu excessit. Vir animi ingens, rebus consultandis maturus, gerendis prosperus, sed infelix.

1651 Kisielii laus et encomium.

Moritur Nicolaus Potocius. Eius vitae compendium.

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS,
LIBER QVARTVS.

LIBRI IV. CAPVT I
SYNOPSIS

Puncta et postulata palatinatuum Poloniae. Litis Radzieieuianae origo. Radzieieuius Varsauiam venit. Factum atrox in vrbe regia Radzieieuii iussu. Radzieieuius in ius vocatur. Decretum mareschalcale contra Radzieieuium. Radzieieuius ad supplicium toto regno quaeritur. Radzieieuii literae ad nobilitatem. Literae securitatis Radzieieuio datae a palatino Cracouiensi. Radzieieuius Poloniae valedicit.

Puncta et postulata palatinatuum Poloniae.

Ante exitum huius anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, comitiola prouinciarum in variis palatinatibus, sex ante generalem ordinum conuentum haberi solita hebdomadis, celebrabantur, quorum haec praecipua capita:

I. Commendabat equestris ordo regi totique senatui bene emeritos milites.

II. Claua supremi bellorum ministri non amplius esset aduitalitia, vt hactenus. Arbitrium conferendi penes regem esset, more Gallis, Hispanis Germanisque vsitato.

III. Bella offensiua ne Rex promoueret.

1652 IV. Viginti millium exercitum conſcribendum in caſum ingruentis periculi, conceſſerat equeſtris ordo. Plura his addita, quae ſtudio ego omitto, ne exteris pariant riſum.

Exeunte anno orta eſt lis, maritum inter et vxorem, HIERONYMVM RADZIEIEWSKI, Vicecancellarium regni, et ANNAM SLVSCZANKA defuncti Mareſchalci viduam conſortem, quam paulo ante, vt dixi, in thori vitaeque ſociam duxerat Radzieieuius. Origo litis, aliquae nugae principio interceſſerant, tandem ventum ad ſeria, dum maligna mulier negotium ſerio promouet. Nacta ſiquidem gratiam principis, apud quem aſylum tunc procurauerat, fidem inuenit. Hinc malorum omnium fomes et origo bellique in tempus externi, ſumta ſpecioſa occaſio. Multis quidem modis fanaticam mulierem ad priſtinum amorem ſatagebat reducere Radzieieuius. Sed illa inuiſa marito, inimica Radzieieuiano nomini, nullos amores, nulla admittebat oblectamenta, quaeque apud concordes vincula caritatis, apud infenſam mulierem incitamenta irarum, fuere. Tantum enim in poſterum haec immanis tygris conceperat virus aduerſus maritum, vt nihil niſi de marito eiusque agitaret fato. Adhibuit centurionem ad tutelam, militem ad ſui praeſidium, quanquam in coenobio diuae Clarae ſacrarum virginum ſecura ſatis viueret. Documento in poſterum omnibus maritis et argumento, vxor iraſcens. Quanquam non ignoro eam rem, vario tunc hominum ſermone, fuiſſe diſceptatam, hodieque in aulis optimatum, ac politicorum conſeſſibus, paſſim agitari. Radzieieuius vbi nullam ſpem pelliciendi foeminam amoribus, bona quoque, vxoris iuſſu, milite occupari videt, ratus proceſſiſſe iam vltra terminos irarum lymphaticam mulierem, militum amicorumque ſubitam manum et ipſe legit. Pudor inde et miſeratio Radzieieuio. Nam in publicum emanauerant foeditate ſqualentes in eum articuli, ad nuntii apoſtolici tribunal, materia ſcilicet diuortii ſufficienter tranſmiſſa, quam tota deinde legit, et ſtupuit Polonia. Accendebat veſanam mulierem Tyſenhauſen quidam principis familiaris, procax lingua et miſcere coetus aulica dicacitate edoctus iuuenis, contumacia deinde et odiis in Radzieieuium palam hoſtis. Huic acceſſit germanus frater magni ducatus Lituaniae theſaurarius, qui e Lituania Varſauiam ad moeſtam accurrerat ſororem. Nec multo poſt adulta iam hyeme initio comitiorum Radzieieuius Varſauiam venit, numeroſa Mozouiae ſtipatus nobilitate, inuitatus ad reginam, venerabundus acceſſit, cuius opera regis et vxoris odia aliquando ceſſatura ſibi pollicebatur. Interea callida mulier palatium ad viſtulae ripam ſitum, quondam defuncti mariti expenſis extructum, denſo milite vallat. Curiam quoque ad vallum ſitam, peditum phalangi germani fratris inſidere iubet. Ita vbique materiam rixarum irarumque obiiciebat Radzieieuio, cuius famuli curiam, ab eius occupatam fratre, repetere conantes, clam concubia nocte, diſtrictis gladiis inuadunt, obuios caedunt, proſtratos verberibus multant. Tum conuulſos totoque laniatos corpore, ac quosdam exanimes, ante vallum victores proiiciunt. Clamor deinde atrociſſimus oriebatur, qui ad aures vſque peruenerat regis, beneficio noctis. Luce demum, poſtquam dux et miles et cauſa et facta noſcebantur, accitus ad regem Mareſchalcus, Lucas de Bnin Opalinski citare Radzieieuium ad ſuum imperat tribunal. Tum fatalem exaggerant noctem, graue quaerebantur admiſſum crimen, ſimul quantum dedecoris adierit maieſtas regia, comitiorumque ſecuritas, facunde miſeretur. Attonito Mareſchalco et in re tam graui plenaque periculi ſtupente, ſuperuenit cancellarius et priuatim et publice Radzieieuio hoſtis. Is non ad tribunal regium, ſed ad Mareſchalci officium talia ſpectare referebat, ſcilicet penes quem in aula regia ius gladii eſſet. Cur principi popularia in ſe cumulare odia. Aſſenſit rex conſilio cancellarii, neque mora Lucae de Bnin Opalinski, aulae mareſchalco imperat, Radzieieuium in ius vocaret eique per regni inſtigatorem crimen laeſae maieſtatis intentaret. Nempe qui auſu plus quam temerario, ad latus regium, vim aliis inferre praeſumſerit, talibusque inſtructum mandatis e regia dimittit. Mareſchalcus gratiam regis hoc facto ſibi pollicitus Radzieieuium per inſtigatorem regni Danielem Zytkiewicz ad tribunal ſuum vocat. Ad haec Radzieieuius primum ſubridere, deinde vbi audit regem de conſilii ſententia ſibi minas intentare, Varſauia Petricouiam vbi regni tribunalis alterna ſedes eſt [45]), digreditur. Vix diſceſſerat

Origo litis Radzieieuianae.

Radzieieuius Varſauiam venit.

Factum atrox in vrbe regia Radzieieuii iuſſu.

Radzieieuius in ius vocatur.

45) Nempe ſupremum regni tribunal, cauſas cum ciuiles tum criminales, in ſecunda et vltima inſtantia PETRICOVIAE iudicat omnes maioris Poloniae, incipiendo die lunae poſt feſtum S. Franciſci, hoc eſt die ſeptima Octobris, vbi mareſchalcus eligitur, deputatique iuramentum

ceſſerat, cum ecce eodem die, eadem hora, poena infamiae in centuriatis regni comitiis in Radzieieuium lata eſt. Promulgatum Mareſchalcale contra vicecancellarium decretum, in haec concepta verba: „Quandoquidem ex inquiſitionibus liquet, illuſtriſſimam vicecancellariam regni, et fratrem ipſius theſaurarium M. D. Lituaniae non promeruiſſe poenas criminales, idcirco decernitur ſuper ipſis ſeſſio turris per ſpatium vnius anni et ſex ſeptimanarum, iudicio praeter ea per duo millia florenorum exſoluent. Quoniam vero ex iisdem inquiſitionibus conſtat, illuſtriſſ. vicecancellarium regni modo guerrico curiam inuaſiſſe et aliquos occidiſſe. Ideo iudicium S. R. Maieſtatis mareſchalcale mediante ſenatus conſulto adinuenit, eundem poenas incurriſſe criminales, videlicet poenam colli. Cui poenae quandoquidem ſe ſubtraxit, condemnatur in lucro poenarum, legum videlicet, infamiae et proſcriptionis de regno Poloniae et additur miniſterialis generalis ad publicandum„. Neque mora ipſe Radzieieuius toto regno quaerebatur, ad ſupplicium vt infamis, vt perduellis. Amicis eiusque familiaribus regio nomine imperatum, deſererent violatorem regiae maieſtatis Radzieieuium, ni ſeueriora expectare mallent principis iuſſa. Factum eſt ad nutum regium, et fere vna hora, ne dicam momento, tota illa aulicorum turba euanuit, tanquam puluis et vmbra fuiſſent. Senſit tum primum nuditatem ſuam Radzieieuius, vbi ſe ab amicis domeſticis ac miniſtris vidit derelictum. Vnde tutiora ſecutus, poſtquam aliquot diebus Petricouiae, occultus in monaſterio fratrum praedicatorum delituiſſet: neque ibi ſibi promittens ſecuritatem, fama enim ſpargebat, immiſſos in illum fuiſſe percuſſores, clam illo ipſo noctis concubio, cum tanta res cunctationem non ferret, paucis ſalutatis conſcendit equum, duobus libertis ac tertio nobili ſecum vna aſſumtis, a quibus tamen fidelitatis prius extorſit iuramentum. Itum in conceptum diu a ſe iter, ad Dominicum ducem Zaslauienſem, palatinum Cracouienſem, Vieuiorkam recta ſe coniicit. Antequam autem Petricouia pedem efferret, ordinibus regni Varſauiae congregatis in hunc modum ſcribit:

1652 Decretum mareſchalcale contra Radzieieuium.

Radzieieuius ad ſupplicium toto regno quaeritur.

Illuſtriſſimi ac excellentiſſimi domini, fratres obſeruandiſſimi. Magna mole inuidiae ab aemulis oppreſſus, qualem nullus vnquam ciuis in hac patria expertus eſt, certe mihi afflicto par nullus vnquam extitit, fidem Quiritum imploro, et ad vos tanquam ad vnicum libertatis noſtrae aſylum, manum oculoſque teſtes attollens in coelum, ſanguine frater, dignitate collega apello. Equidem afflicto et pene exanimi difficile eſt verba reperire, cum non detur liberis lacrimis deflere caſus. Obteſtor patriam, quae mihi teſtis, teſtis illa nox vtinam fuiſſet nouiſſima, in mea aula, mea in aede, publica ſecuritate fretus, in oculis regiae maieſtatis, Domini mei clementiſſimi, rebus meis ſpoliatus, ac propriis debellatus armis, adhuc per adinuentiones humanas, tali decreto ad extremum condemnatus ſum, quale in libera republica, hominum nequaquam fert memoria. Absque delatore ego criminaliter iudicatus, pars altera ciuiliter in ſpeciem tantum. Addita caedes, quae non comparuit, obiectum crimen laeſae maieſtatis, quod non fuit eius fori, nec eius ſubſellii. Interim ego omnibus ſpoliatus et capitis minor pro hoſte patriae deputatus ſum. Si proditionis in patriam, ſi violatae maieſtatis arguor, vniuerſa iudicet reſpublica, luam poenas tanti ſceleris, ſi condigne merui. Sin autem maleuolorum in me premor conſpiratione, per amorem patriae conſulite legibus, porrigite afflicto dexteram atque afflictum et emeritum ex anguſtiis eripite ciuem. Suffragamini apud clementiſſimam regiam maieſtatem, ne ad interitum perdat fidum ſubditum ac humilem famulum. Expergiſcimini fratres obſeruandiſſimi proximus dum paries ardet, et mementote eadem vos aliquando manſura, quae mihi nunc violenter euenere. Vnde inter publicas cauſas, meam quoque, haud priuatam dixerim, proponite aduerſitatem. Vellem equidem publica voce in praeſentia venerari conſeſſum illuſtriſſimarum ac excellentiſſimarum dominationum veſtrarum, niſi me aliquot cauſae tribunalis hucusque hic detinerent. Interim me ipſum, et oppreſſam in me innocentiam libertatemque, amori et

Radzieieuii literae ad nobilitatem.

praeſtant, finiendo die ſaturni ante diem dominicum palmarum. Iidem, praeſes, mareſchalcus et deputati, cauſas minoris Poloniae iudicant LVBLINI, incipiendo diae lunae poſt feſtum paſchatis. Praeſes eſt eccleſiaſticus, mareſchalcus ſaecularis, deputati ſeu aſſeſſores ſunt et eccleſiaſtici et ſaeculares, hi ex ſenatorio atque equeſtri maxime ordine, illi ex variis reuerendis capitulis electi. Deputatorum ſaecularium numerus LI, ſi omnia comitiola pro eligendis deputatis cum effectu celebrarentur. Quia autem ſemper varia comitiola contradictione interueniente ſine electione finiuntur deputatorum, numerus aſſeſſorum ſupremi regni tribunalis raro vltra triginta aſcendit, computatis et eccleſiaſticis et ſaecularibus. Supremum tribunal magni ducatus Lituaniae, Vilnae et Nouogrocii ius dicit. Singulis annis de nouo Mareſchalci et deputati eliguntur.

1652 fidei veſtrae fraternae diligentiſſime commendo. Petricouiae vigeſima tertia Ianuarii, milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſecundo. Obſignatis literis diu ſecum expendit, cuius fidei legationem hanc concrederet. Neminem habebat cuius conſilio vteretur, ab omnibus deſertus, tandem notae fidei famulo has literas deferendas Varſauiam tradit. Addit mandata, vbi, inquit, Varſauiam attigeris, ſequenti die ordinum mareſchalco has literas trade, meque Petricouiae reſponſum expectaturum affirma. Dimiſſo famulo, illa ipſa nocte, vt ſuperius innui, citatis equis Vieuiorkam ad ducem Zaslauienſem perrexit Radzieiciuius, vbi ſalutato duce, ſalutata eius coniuge cognata, non vltro gemitus tenens, deflebat fortunas ſuas, ſe nunquam ope, conſilio, manu violaſſe fidem, nunquam regem remque publicam Polonorum offendiſſe, et tamen ſub nimium eheu! credulo principe hanc publicam quaeſtionis infamiam commeruiſſe! Egone, inquit, inter inimicorum manus et ludibria funeſtiſſimo exitu, grata illis cadam victima? Si proditionis in patriam, ſi violatae maieſtatis arguor, vniuerſa iudicet reſpublica, tanta crimina proprio ego eluam ſanguine. Porrexerat deinde duci codicillos, quos ante aliquot dies ad ordines Varſauiam miſerat, adiecit, ſecuritatis ſuae cauſa rogare enixe ducem, vt iuxta Polonae gentis morem receptum, literas ſecuritatis, quas Treugas vocant, eidem qua palatinus Cracouienſis concederet. Annuit dux affli-
cto cognato, neque mora literas illi ſecuritatis extradi curauit, quarum hic tenor:

Vladislaus Dominicus, Dux Oſtrog et Zaslaw, Comes in Tarnow, palatinus Cracouienſis, Luceorienſis Robcicenſis etc. gubernator.

Literae ſecuritatis Radzieieuio datae a duce Dominico palatino Cracouienſi.

Significamus his literis noſtris, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis. Cum publicae libertatis interſit, vt vnusquisque ciuium, ac praeſertim inſignis in republica praeeminentiae vir in pace conſeruatur, neue indignatione aliqua maieſtatis ſupremae, in diſcrimen vitae ac fortunarum deueniat. Proinde nos habentes compertum illuſtriſſimo atque excellentiſſimo HIERONYMO in Radzieiowice RADZIEIOWSKI, procancellario regni, Lomzenſi, Varecenſi, Kozienicenſi, Solecenſi, Bielſcenſi, Kamionacenſi etc. gubernatori, ex occaſione certarum offenſarum ſacrae regiae maieſtatis periculum imminere, illumque inſuper abſentem et inſcium, proceſſu quodam inuſitato in iudicio illuſtris ac magnifici mareſchalci curiae regni innodatum, et poenis quibusdam infamiae et aliis criminalibus aggrauatum eſſe, ita vt his obſtantibus de ſe iuſtitiam dicere, et gratiam ſacrae regiae maieſtatis quaerere nequeat, niſi auctoritate noſtra palatinali, cui id per leges regni impoſitum, ſubleuetur, eidem illuſtriſſimo et excellentiſſimo procancellario regni, illiusque vniuerſae familiae, literas ſecuritatis, ad ſpatium duorum menſium adhaerendo legibus, Treugas nuncupatas 46) damus et concedimus, illumque vna cum bonis eius in fidem noſtram recipimus, ita vt ille ſub beneficio literarum noſtrarum libere et tuto vbique verſetur, innocentiam ſuam in his, in quibus ſe grauatum ſentit, in iudicio tribunalitio demonſtret, de proceſſuque ec et poenis ſuper illo obtentis et de malo obtento agat, experiatur, ſuamque innocentiam ibidem proſequatur. Interim gratiae regiae maieſtatis reconciliari curet, eo tamen praecuſtodito, vt idem illuſtriſſimus et excellentiſſimus procancellarius regni hiſce literis noſtris ad ſui, bonorumque ac officii defenſionem vtatur et non abutatur, ſeque pacate gerat, nemini damna inferat, easque literas noſtras publicari et ad acta quaeuis porrigi quantocius curet, et iis vbique ſe tueatur, fide publica ad praemiſſa mediante. Datae Wiewiorcae, ſolita reſidentia noſtra die 27 menſis Ianuarii, anno Domini 1652.

Radzieieuius Poloniae valedicit.

Hiſce literis obtentis Radzieieuius, condito teſtamento, non expectato ab ordinibus reſponſo Poloniae valedixerat. Egit quantocius vecordem fama, qua vulgatum fuit, contemtui habitas ab ordinibus regni Radzieieuii fuiſſe literas. Volitabatque per Auſtriam et Sueciam, arma in Polonos, arma in regem poſcens neque probris temperabat, vt in eius patet manifeſtatione, quem ego in tempore memorabo.

LIBRI

46) *Treuga* vel *treuca*, *treua*, *treuia* etc. eſt ſcriptio regalis vel ſecuritas, vnde *treugare* ſedare, pacificare. Baldo l. 1. D. de pactis: *Treuga ſecuritas praeſtita rebus et perſonis, diſcordia nondum finita.* Vox barbara vulgo a Germanico *trevv*, vel *trevve* deducitur vide gloſſarium ad ſcriptor. med. et infim. latinit.

Hae literae ſecuritatis *treugae* dictae, atque ab palatinis, Poloniae ſenatoribus, ipſorum nomine datae, iam Radzieieuii temporibus in dubium vocatae fuere. Noſtris temporibus iam plane obſoletae, et ſi forte darentur, nullius vſus, cum nunc nemo, niſi ſereniſſimus rex, vel regni cancellarii, regis nomine, ſecuritatis literas exarare, regnique ſigillo munire iubeant.

LIBRI IV. CAPVT II

SYNOPSIS

Naſcitur Poloniae princeps Carolus Ludouicus, et breui poſt extinguitur. Sermo de Poloniae principibus. Rex dignitates diſtribuit. Radzieieuius condemnatur vt perduellis. Sermo de Radzieieuio. Minae a Radzieieuianis aſſeclis contra regem in vulgus ſparſae. Nobilitas commouetur contra regem occaſione Radzieieuii. Zamoyſcii oratio ad regem. Palatini Poſnanienſis ad regem literae. Rex quid palatini reſpondet literis. Milites quoque contra regem commouentur. Reſponſum a rege militibus datum.

1652 Naſcitur Poloniae princeps Carolus Ludouicus et breui poſt extinguitur.

Eiusdem anni initio, nempe calendis Ianuarii naſcitur princeps Poloniae media die, illi cognomentum Caroli Ludouici inditum, breue ſolatium, nempe qui menſis ſubſequentis die vigeſima fatis conceſſit candens et florens lilium. Clament et dicant alii, magni periculi rem eſſe, in libera republica principem naſci, in Polonia certe maioris, principem mori, experientia docet. Hinc enim et deſpectus oritur in regem, qui liberos relicturus eſt nullos, ſcilicet ſui in rempublicam amoris, teſtes et obſides. Et optimatibus in regem peccare facilius licet. Nam quis ille erit, qui deceſſoris iniurias vindictum ibit? Hinc fieri poteſt, ſi rex natura generoſus, factionibus adhaec praeualidus, opibusque praeporens, ac nulla noua auctus familia in diuerſa animum agat, nec non de occupanda republica, conſilium aliquando ineat, et vt alter Caeſar pro gloria et aeterna annalium pugnet memoria, iniuriam ſceptri ſui vlciſcens.

Rex diſtribuit dignitates.

Interea rex officia regni variis in hunc modum diſtribuit. Caſtellaniatum Cracouienſem primam, poſt regiam, dignitatem, STANISLAO WARSZYCKI, terrarum Maſouiae palatino contulit. Palatinatum vero Maſouiae ALBERTO WESSEL, Rozanenſi, Makouienſi et Tykocinenſi gubernatori. Sunt, qui affirment, oblatam fuiſſe Radzieieuio caſtellaniatum Cracouienſem, hac pacta conditione, vt vicecancellarii cederet munere, addita praeter ea et Lublinenſis gubernatio, quae nouem aureorum excedit millia certi prouentus, quae omnia vni vicecancellariatus muneri ille poſthabuit, quo deinde priuatus extitit ad vitae tempora. Rex non acceptatam a Radzieieuio, vt fama tulit, praefecturam Lublinenſem, STANISLAO WITOWSKI, Sendomirienſi confert Caſtellano. Barenſem quoque BOGVSLAO RADIVILO, Viſtenſem Archimareſchalco regni, GEORGIO comiti in Wiſnicz generali Cracouienſi: Oſtrenſem BOGVSLAO comiti in Leszno, ſupremo regni theſaurario. Bona quoque regalia Radzieieuii, ea tunc occaſione, varias in partes et familias abiere. Reginae praefectura ceſſit Lomzenſis. Mſczonow vero ciuitas, vna cum adiacentibus oppidis, quam iure feudi primo a ducibus Maſouiae, deinde ab ipſis Poloniae regibus, ab annis fere C C Radzieieuiana obtinuerat familia, tum inſtigator regni Danieli Zytkiewicz velut in praedam ceſſerant. Multa praeter ea et alia regia bona variis conceſſa ſunt, ſed ego ad praeſentia, a quibus tantillum digreſſus ſum, redeo comitia.

Radzieieuius condemnatur vt perduellis.

Rex diſtributis in hunc modum initio comitiorum officiis, diu penſatae ſeueritatis conſilium tandem exequi ſtatuit in Radzieieuium, eumque vt perduellem damnatum officio vicecancellariatus priuat. Neque mora ſecreto prius habito ſenatorum conſilio, nouum vicecancellarium dixit, STEPHANVM de Pilca KORYCINSKI, Oſwiecimenſem, Oycouienſem atque Volbramenſem praefectum praeter ſpem, citra opinionem. Spem enim omnem amputabat inaudita in regno Polono vicecancellarii demotio. Opinione autem et calculis omnium, ſi talis accidiſſet caſus, debebatur haec dignitas Stanislao Kobierzycki, Gedanenſi Caſtellano, viro literatiſſimo, ac bonarum artium maecenati munificentiſſimo. Tum primum fremitus audiri coepit inter equeſtrem ordinem, aliis regias, aliis Radzieieuianas tuentibus partes. Qui regis tuebantur partes, bene factum, aiebant, cum homine nimis elato, popularibusque ſtudiis peruerſe inſtructo, regique vel ideo graui et moleſto. Alii acre in eo ſuſpectabant ingenium, fluxam fidem, ſcito ac ſubdolo ſermone, nec non in rebus euertendis admirabili quadam, hucusque ſub felici Vladislao vſum felicitate, nec

Sermo de Radzieieuio.

1652 non indefeſſo in omni ambitu labore. Obiiciebant praeter ea, ingentibus inimicitiis illum fuiſſe infamem, induſtriam eius ſimilem Catilinae, qua peruerſe vſus, odio publico, equeſtrem ordinem ab innocuo alienauit principe. Nec deerant, qui vni Radzieieuio, turpem Polonorum Pilauicenſem fugam adſcripſere. Abalienationem quoque militum ordinumque, a rege ad Bereſteciam illius fuiſſe moliminis, aliqui tunc iureiurando fatebantur. Haec illi. Contra qui Radzieieuianas tuebantur partes: Radzieieuium eius fuiſſe, aiebant, ſanguinis, eiusque in regno praerogatiuae ac clientelae, vt contemni non debuerit. Iter aulae medium ſemper illum tenuiſſe, omniaque et fortunam et famam et fidem ad extremum retinuiſſe. Immenſae facultates, animus generoſus, induſtria et felicitas in rebus gerendis monſtrant, quantus et qualis fuerit. Ingentibus quoque inimicitiis ſuperſtes, viſus eſt qualis eſſet futurus, ſubiectum regnantibus vtiliſſimum: traxiſſet procul dubio popularibus ſtudiis in partes principis, vt alter Minſcius, vicecancellarius regni ſub Sigismundo III, multorum ducum et fere totius nobilitatis alienatum a principe animum. Quanto fauore polluerit equeſtris ordinis, tribunalitia luculenter ſubſcribunt miracula. Haec et tanta in regem et rempublicam cum habuerit tantus vir merita, cur inaudita poena, ſine comitiis, inconſulto equeſtri ordine, absque omnium ſcitu iudicatus et condemnatus ſit? Nec deerant minae, exceſſiſſe nunc quidem Radzieieuium, ſed cum fulmine breui poſſe redire. Haec illi, qui a Radzieieuio ſtabant. Ita varii tunc de Radzieieuio varios ſpargebant ſermones, quidam eum infamabant, quidam palam ad ſidera coram principe eueherant.

Minae a Radzieieuianis aſſeclis contra regem in vulgus ſparſae.

Nobilitas commouetur contra regem occaſione Radzieieuii.

Vna tamen omnibus Polonis vox fuit, ſubuerreret potius iura rex, quam cuſtodes eorum amoueret. Imo paulo vehementius, quam neceſſe erat, Alexander Zamoyski, gladifer Siradienſis, ordinum tunc Mareſchalcus, mentione iniecta, de Radzieieuio, ante regium thronum totumque auguſtum ſenatum, in haec verba prorupit: Meminerit maieſtas Veſtra in Polona republica et apud Polonos legem non regem imperare: Radzieieuium non vindico vt infamem, aſt oppreſſam in eo tueor innocentiam, libertatemque Polonam. Audax reuera ſermo, inſolens oratio, violenta et temeraria verba, coram rege, coram ſenatu.

Zamoyſcii oratio ad regem.

Excanduit rex, miratus ſe caedi ab eo, quem nunquam laeſerat, et proritari, quem nunquam offenderat; memor innatae ſibi Iagellonum Auſtriacorumque clementiae, incautum voto ſuo hominem, reumque maieſtatis, exemplo magni principis abſoluit, quem nihilominus prudens ſenatus damnandum in ſe ſuſcepit, documento poſteris. Amari a ſe regem, regiamque dignitatem non odiſſe. Supplicii tormentique loco, vltra tortorem eius conſcientiam, ſatis viſum eſt optimatibus ipſique regi, ſi errorem agnoſcens palam deprecaretur culpam Zamoyſcius, vti factum eſt ſubſequenti die. Zamoyſcii temeraria, vt tunc multi putabant, verba, ſubſequutae ſunt iisdem diebus Chriſtophori de Bnin Opalinski, Poſnanienſis palatini, maiorisque Poloniae primarii ſenatoris perplexae, ac miro politicorum artificio concinnae ad regem ſcriptae literae. Iis quaeſtus eſt, paucorum inuidia, ac quorundam aulicorum ſcelere, labefactari ſuam integritatem, violari libertatem in ſe Polonam, coerceri vota ſenatoria, eoque iam redactam rempublicam, vt potius ſerua, regumque ſuorum mancipium eſſet quam libera, attonito orbe vniuerſo. Olim gloriabamur neminem Polonum fuiſſe, qui non eſſet liber, nunc contra, ſe ad aulam regiamque maieſtatem, vt Rocoſſianorum [47]) ducem, vt pacatae reipublicae conuulſorem, vt motus ciuilis buccinatorem, vt maioris Poloniae nobilitatis anteſignanum delatum eſſe. Adeo, quisquis ad libertatem, leges patrias proclamat, apud maieſtatem veſtram illico pro rebelli et perduelle audit. Optarem equidem aeternis temporibus proſcriptam eſſe in noſtro regno ſeceſſionem

Palatini Poſnanienſis ad regem literae.

47) Rocoſſiani appellantur illi in Polonia nobiles, qui, licet alligati obſequio principis, relicto eo, ad communem concurrentis nobilitatis coetum poenis grauioribus obligantur, vt ait PIASECIVS in Chron. p. 69. Hoc vero nomen ROKOSZ, petitum eſt ab Hungaris, vt ſcribit STANISLAVS LVBIENSKI in vita Matthiae Pſtrokonii, epiſcopi Vladislauienſis et regni cancellarii p. 423. Nam Hungari conuentus ſuos ita appellarunt a villa quadam cis Peſtum, vbi in patentibus campis conuenire ſolebant, teſte Varſeuicio lib. I de opt. ſtatu libertatis p. 70. Vite Hartknochium de republica Polonica edit. Lipſ. p. 882. Quam multa mala ſeditiones ſic dictae Rocoſſianae reipublicae Polonae intulere, hiſtoria teſtatur. In lingua Polona nunc verbum ROKOSZ, rebellionem et tumultum ſignificat.

nem optimatum, equeſtriſque ordinis a rege ſuo, ſed haec felicitas voueri poteſt patriae, 1652
non expectari. Videt equeſtris ordo laniatum totum reipublicae corpus, conuulſas leges, ſenatum auctoritate ſpoliatum, paupertatem populo imperatam, diſſipatos Ruſſiae optimates, nobilitatem bello exhauſtam, pacem terra profligatam. Addo conſummatum iam fuiſſe ad Bereſteciam cum Coſacis bellum, niſi Maieſtas Veſtra, ſanis nobilitatis conatibus auctoritatem ſuam regiam oppoſuiſſet. Haec et plura mala non ego ſolus, ſed vniuerſa ingemiſcit Polonia, lamentatur equeſtris ordo, cecidiſſe libertatem et vna rempublicam. Proinde monere regem pro candore et conſcientia ſua, pro voto amantis patriam filii, ne rempublicam, cuius pater eſt, laceret ac peſſumdet: quin imo illatum mortiferum eidem vulnus, qua arte qua conſilio ſanet. Haec ſumma palatini literarum.

Rex peritiſſimus regnandi, omnia in tempus diſſimulans, proprio palatini literis reſcribit charactere. Se gratias habere pro impendentium malorum cautela, curatum enixe in poſterum, vt omnia e voto ſuccedant reipublicae, equeſtriſque ordinis.

Rex quid palatini reſpondet literis.

Addidit metum pectori regio nuntius caſtrenſis, turbarum tunc aliquid ab exercitu afferens. Nam mortuo Potocio muratus Kalinouius licentiam turbarum, et vt creditum, palatinus cognatus, exercitui oſtendebat. Eadem enim et exercitus a rege petiit, quae et palatinus. Addidit infelicitatem regni ſub rege Caſimiro, cuius nomen infauſtum ſemper extitit Polonis, anguſtias ſtipendii, duritiam belli, Vacantium ſortes expetebant. Deinde tricena ſtipendia, dono ſibi a rege ad Bereſteciam promiſſa, ocius reddi, poſtulabant, niſi miſſos rex vellet milites vna et exercitum.

Ad haec: rex omnia exercitui pollicitus, Kalinouio ſupremo tunc bellorum miniſtro ſcribit. Diuideret copias exercitus trifariam, pars trans Boryſthenem hybernaret, ad Lituaniae fines, pars altera ad confinia Chmielnicii, ipſe cum robore exercitus, haud procul ab iis, mandata regis ordinumque expectaret. Exercitui omnia nomine regis ſponderet, illorum partes tueri ſe velle in comitiis, quae tunc nullo exitu celebrabantur. Ita factum. Kalinouius exercitum trifariam diuidit, quo diuiſo et iurgia et clamores et praemia militum ceſſere in vanum.

Reſponſum a rege militibus datum.

LIBRI IV. CAPVT III

SYNOPSIS

Kiſielii literae ad regem. Rex nobilitati literas Kiſielii communicat. Quid ad haec ordines? Rex a toto culpatur ſenatu. Quid reſpondet ad obiecta. Ioannes Radiuilus comitia ſoluit. Moſchorum legati Polonorum regi gratulantur victoriam de Coſacis obtentam. Rex conſulit ſenatum ſuper literis Chmielnicii, ſuorum caedem exaggerantis. Cancellarii votum. Alii ſenatores voto ſubſcribunt cancellarii. Cancellarius Chmielnicio ſcribit. Chmielnicius commiſſionem acceptat Polonorum. Quaeritur de violata a Polonis pace. Quid ad obiecta Coſacorum reſpondent Poloni. Commiſſionis exitus nullus.

Interim conſultanti per eos dies regi Kiſielius ſignificabat, turbari iterum res Ruſſiae, Chmielnicium germanum Chani, Sultan Muradin cum triginta Tartarorum millibus in dies opperiri.

Kiſielii literae ad regem.

Multum tum ſollicitudinis regi, tranſmiſſae Kiſielii attulerunt literae. Quippe hyeme iam adulta Polonorum legiones, aliae in hyberna miſſae, quaedam iuſſu regio vltra Boryſthenem progreſſae, tarde reuocari, ſi hoſtis adeſſet, poterant. Ergo ordinibus regni literas Kiſielii legendas tradit. Ad haec ordines incuſare regem, nobilitatem cunctatione ludificantem. Coſacos Tartarosque deleri potuiſſe ad Bereſteciam et regem obſtitiſſe conatibus nobilitatis. Validum Polonorum exercitum, centum et amplius millium, in nihilum redactum. Ire regem ipſum debuiſſe in citeriorem Ruſſiam cum victore exercitu, ceſſuris haud

Rex nobilitati literas Kiſielii communicat. Quid ad haec ordines.

1652 haud dubio Coſacis, ſi principem vidiſſent. Immotus ad eos ſermones rex, per priuatos et familiares dictis maleuolorum reſpondebat: Se promptum fuiſſe perſequi victoriam, ſed cur vlteriori profectioni tota contradixit nobilitas? teſte cancellario Lubomierſcio, quorum fidem imploro et exquiro. Num mea defuit voluntas? num preces deerant? Incuſate potius nobilitatem; vosque metipſos deſides, et parum memores famae, et nominis Poloni. Ita mutuis diſſidiis regem inter et optimates elabebatur tempus conſulendi, ita hyems non ſaluberrimis, ſed plerumque vanis abſumta eſt et eluſa ordinum altercantibus. Haud tamen trans Boryſthenem vacante Polono milite ab armorum exercitio, quod exercitium tumultum ego potius dixerim. Nam res vltra iurgia paucorumque caedem non proceſſit, exaggerante licet Chmielnicio vehementiſſime coram rege et republica ſuorum innocuam caedem, iisdem diebus patratam. Interea Ioannes dux Radiuilus, qui tunc praeſens Varſauiae aderat, priuatam vlturus, vt ſolent proceres, publice iniuriam, vel certe e palatini Poſnanienſis voto, comitia per quendam familiarem Lituanum contradictorem ſoluit, eludens Polonorum immenſos ſumtus.

Rex a toto culpatur ſenatu.

Quid reſpondet ad obiecta.

Ioan. Radiuilus comitia ſoluit.

Moſchorum legati Polonorum regi gratulantur victoriam de Coſacis obtentam.

Sub finem quoque Martii venere Varſauiam magni Moſchouiae ducis legati, Georgius Alexewicz, Delga, Ruczka, ac Federo Wolkonski. Horum legationis ſumma fuit, gratulandi Polonis ad Bereſteciam de Coſacis obtentam victoriam. Quanquam haec ſera Moſchorum gratulatio, honeſta in Polonum exercitum animaduerſio fuit.

Rex conſulit ſenatum ſuper literis Chmielnicii caedem ſuorum exaggerantis.

Solutis comitiis ac legatis Moſchorum gratiis actis pro vicini principis congratulatione, rex ſenatusconſultum in ordinem legit, reſponſurus literis Chmielnicii ſuorum Coſacorum caedem exaggerantis fluxamque inſuper regiam incuſantis fidem.

Cancellarii votum.

Variantibus ſenatorum ſententiis cancellarius opportunum regi ſuggerit conſilium. Artem Coſacorum arte eludendo Polona, dolumque dolo obiiciens, commiſſionem cognoſcendi criminis, regia maieſtas literis ad Chmielnicium ſcriptis, parte ab vtraque declararet, nominatis inſuper commiſſariis, interim iterato mandato militi Polono imperandum, ne furiae cedat Coſacorum vel latum vnguem, neue fortunatas Boryſthenis deſerat ſtationes, aut rei bene gerendae cum Coſacis omittat occaſiones, breui auxiliarios affuturos ſocios, vna cum Kalinouio. Conſilium cancellarii probauere caeteri ſenatores. Neque mora Chmielnicio cancellarius ſcribit: Dolere non minus regiam maieſtatem, quam ipſam rempublicam, poſt icta foedera, ſancitam fidem excitos nuper tumultus in vtroque exercitu, quorum ſeriam inquiſitionem auctoresque criminis, palatinus Kiiouienſis, vna cum Michaele Ahſah, Hieronymo Zawiſza, et Ioan. Machowski commiſſariis a rege et republica deſtinatis, inquirerent. Monere praeter ea Chmielnicium, vt in violatores quoque pacis publicae, ac totius regni tranquillitatis hoſtes, Coſacos, ſi forte primi peccauere, exemplo palatini, ipſe quoque animaduerteret, turbatoresque puniat, ac in poſterum ſaeuientes compeſcat.

Alii ſenatores voto ſubſcribunt cancellarii.

Cancellarius Chmielnicio ſcribit.

Chmielnicius commiſſionem acceptat Polonorum.

Neque Chmielnicius, ſemper fallere doctus, commiſſionem aſpernatus eſt, cuius vicariam perſonam ibidem Antonius tribunus ſuſtinuit. Eius autem commiſſionis exitus nullus, Chmielnicio, Polonos, de violata pace, de ruptis ſancitis foederibus, de progreſſu exercitus trans Boryſthenem, de inuaſione popularium ac deſolatione omnium, incuſante. Addidit Coſacorum legiones aliquot domi ſuae ſecuras, inciditſe in Polonorum trans Boryſthenem errantia agmina, ac ex improuiſo pugnaſſe. Contra Poloni Chmielnicianos incuſantes. Petita a Tartaris obiiciebant auxilia, ſollicitatos ad ſocia arma vicinos principes, miſſos Byzantium illorum legatos, connubia inſcio rege et republica tentata, conuitia in regem, Polonoſque palam iactata. Ita dum vtraque pars ſuorum reos conquirit, neutra inuenit, data tamen in ſpeciem culpa Simoni cuidam tribuno Coſacorum, qui dum ab Antonio ad Chmielnicii appellat tribunal, ab eodem paulo poſt non modo, vt reus, abſoluitur, ſed, vt egregius miles, baltheo donatur. Hac arte illuſum eſt Polonis commiſſariis, qui prolixis Antonio actis gratiis Varſauiam reuerſi ſunt.

Quaeritur de violata a Polonis pace.

Quid ad obiecta Coſacorum reſpondent Poloni.

Commiſſionis exitus nullus.

LIBRI IV. CAPVT IV

SYNOPSIS

Aſtrologi varia praedicunt mala Poloniae imminentia. Peſtis Cracouiae maxima. Rex in Boruſſiam abire cogitat. Breuis de Boruſſia ſermo. Chmielnicius matrimonium tractat pro filio cum Valachiae principis filia. Quid ad haec Valachiae princeps? Chmielnicius dubio palatini Valachiae reſponſo non contentus. Mittit in Valachiam armatum filium. Palatinus Valachiae regi Polono ſcribit. Valachiae principi reſpondet rex. Literae Chmielnicii ad Kalinouium. Quid Kalinouius ad literas Chmielnicii. Kalinouius ad Battow caſtra Polona opponit Chmielnicii filio aduentanti. De caſtris Kalinouii Przyiemſcii ſenſus, aliorumque militum. Pertinacia Kalinouii. Referunt Kalinouio exploratores de aduentu hoſtili certiora. Prima pugna Tartaros et Polonos inter. Diffugiunt Tartari. Polonorum alacritas et animus. Timothei Chmielnicii aduentus.

1652 Aſtrologi varia praedicunt mala Poloniae imminentia.

Nec deerant huius anni principio decora Chaldaica vaticinantium ingenia, Nicolai Zorauii celeberrimi Cracouienſis academiae mathematici, ac Stephani Furmani, qui magnas hoc anno Polonae reipublicae praedixerant calamitates, cum coeli aſpectus nihil mitius promitteret. Superiores planetae vna cum Sole et Mercurio in ariete concurrebant praeſaga malorum ſidera, ruinam ſtragemque haud dubiam Poloniae portendentia. Quae quidem dicta ſcriptaque, variis riſui fuere, ſed haec omnia vera poſtmodum fuiſſe tempus aperuit [48]). Nam Cracouia vrbs Poloniae metropolis, fere illo ipſo tempore peſte afflata, toto biennio manſit infecta, adeo vt quos hoſtilis longinquos non abſumſit gladius, mala Dea ad quadraginta circiter millia vtriusque ſexus hominum ſecum duxerit in triumphum.

Peſtis Cracouiae maxima.

Abſoluta in hunc modum, vt ſuperius dixi, Coſacorum commiſſione videbatur Polonis aureum iterum rediiſſe ſaeculum, cum iam ad Fanum album ceſſiſſet ferreum. Eadem et rex ominabatur. Hinc iam non amplius de marte cogitanti, in mentem regiam occurrebat Boruſſica luſtrare arua. Eſt autem Boruſſia Germaniae portio perexigua, caeterum toto ſeptentrione prouinciarum vberrima, quae ante annos CCXLV, caeſis ad Gruneualdum crucigerorum copiis, debellato Vlrico, magno eorum magiſtro cum trecentis commendatoribus, vt eorum temporum referunt annales, Vladislai primi Iagellonis Poloniae regis abhinc adorauit purpuram, quamuis reclamante Sigismundo Caeſare, qui illam prouinciam Romano non Polono deberi affirmabat imperio. Sed de hac prouincia paulo inferius in tempore memorabo. Redeo ad regiam in Boruſſiam profectionem, cui dies nona Maii aſſignata erat. Ita dum rex totaque aula, Pruthenicae inhaeret amoenitati, Chmielnicius diu ante meditatos hymenaeos cum Valachiae principis filia ROSANDA, id nomen puellae erat, palam pro filio ſuo Timotheo tractat per legatos, antiquiſſimo iam more principibus recepto. Audax et arduum videbatur principi Chmielnicii poſtulatum, cui minae quoque, vt armatum decebant, adiectae erant. Prudenti igitur Kutnarſcii, ſui familiaris, vſus conſilio, legatis Chmielnicii ſpem dubiam facit, ad extremum

Rex in Boruſſiam abire cogitat.

Breuis de Boruſſia ſermo.

Chmielnicius matrimonium tractat pro filio cum Valachiae principis filia.

48) Et nunc etiam prudentioribus riſui eſſe debet iſta aſtrologorum Zorauii Furmanique vaticinatio, qui imminentes Poloniae calamitates facillime praedicere potuerunt, ſtatum Poloniae, non ſidera, conſiderando. Rudauſcio, qui in matheſeos, aſtronomiae et phyſices ignoratione verſabatur, eiusmodi quidem vaticinationibus imponi potuit, non autem emunctioris naſi eruditis. Si certa ſiderum coniunctio mala praeſagire debeat, cur illo tempore ea tantum de Polonia et non etiam de vicina Moſchouia vel Hungaria fuit interpretata? Credo ego, iſtos aſtrologos conſiderando ſidera, militem in iisdem depictum Polonum vidiſſe, quod omnino magnum fuit argumentum, ſiderum eam coniunctionem ad Poloniam tantum pertinere. Expertus ego non centies ſum, qui iuuenis multum temporis nimium curioſus cum aſtrologia et chiromantia perdidi, me nugas didiciſſe.

1652 mum illis aliquid certi extorquentibus, tantae molis negotium in ſequentem differt annum, cauſatus immaturam aetatem filiae ſuae, ſpe autem intra animum fretus, multa rebelli impedimenta interiectum iri, quae eius inſanam refrenarent mentem. Sed Chmielnicius hanc ipſam moram, ſui ludificationem dictitans, totus furiis agitatus in palatinum, ire in Valachiam armatum Timotheum filium ſuum ocius iubet vna cum Tartaris, quos haud ita pridem Karasbey dux, viginti in Ruſſiam duxerat millia. Parentis mandata dicto citius exequitur filius pugnaturus alacriter pro thoro et ſponſa, vel ſi arma votis eius non reſponderent, eandem ſaltem auecturus in Colchydem ſuam, Iaſonis exemplo.

Quid ad haec Valachiae princeps.

Chmielnicius dubio palatini reſponſo non contentus.

Mittit in Valachiam armatum filium.

Nec fugiebat Valachiae principem, quantam molem malorum ſtrueret illi omnium artifex Chmielnicius. Vnde haud mora Kalinouium ducem belli de imminenti per Kutnarſcium edocet periculo. Regi quoque per eundem in haec verba, quae dolor expreſſerat, moeſtus ac totus deſperatus ſcribit: Non fugere maieſtatem ſereniſſimam, quam ad pudendas ſceptri mei conditiones ante duos circiter annos adegerit me Chmielnicius, maieſtatis Veſtrae rebellis. Eheu! nimium felix et inſolens, nunc promiſſa repetit, filiamque ſenectutis meae vnicum ſolatium, dari filio ſuo Timotheo in coniugem petit, ni fecero mandatis eius ſatis, arma minitatur, iamque ſtrepitum hoſtilium eius armorum exploratores mei mihi referunt, quorum dux et caput Timotheus cum Karabey Tartaro ſunt. Hic nequam filius cum Tartaro aſſecla duce, haec praecipua in mandatis habet: me viuo, vel mortuo, vt habeat filiam meam, quam violenter mactato patre rapiat, dictitans ſuam ſeruam et mancipium eſſe, cuius ſcilicet patrem ante annos duos ſicariis armis ad nefandum adegit connubium, ſtipulatamque fidem de principatu Valachiae, cuius fidei eſſet, poſtea ſe deliberaturum. Haec ſe ſignificare pro ſua in rempublicam fide, pro principis ſecuritate, pro Polonorum voto, orareque eximie, ne liberum tranſitum in Valachiam permitteret, Coſacis foederatisque Tartaris Kalinouius. Imo videre ſibi e republica expedire, adoriri tranſeuntes incautos nihilque timentes. Satis Coſacos peccaſſe in foedera Poloni regis, qui me ſub alis degentem aquilae Polonae iniuſto bello laceſſere non deſinant: quaſi vero non tangat corpus, peritiſſimus licet chirurgus, dum membrum ab eodem auellit. Haec ſumma literarum Valachiae principis. Literis palatini reſpondit rex Poloniae: Vanum rumorem eſſe de Chmielnicio Valachiam inuadente vel occupante, quam prouinciam ipſe nouit optime, Ottomanicis ſubeſſe faſcibus, cuius ille patrocinium perquam auide expetit. Veriora referre Polonos exploratores, qui illam malorum nubem Poloniae regno imminere nuntiant, tantumque fidei adſtruant, vel ſe ab itinere Boruſſico iam iam abiturientem reuocarent. Has literas in manus deueniſſe Chmielnicii, ex eo conſtat, quod iisdem diebus exaratas ad Kalinouium miſſiſſet literas in haec conceptas verba:

Valachiae principi reſpondet rex.

Literae Chmielnicii ad Kalinouium.

Chmielnicius Kalinouio, dux duci, Coſacus Polono, ſalutem dicit. Nolo latere Excellentiam Veſtram, inſolentem filium meum Timotheum, coacta aliquot millium manu, ad nuptias et hymenaeum Valachiae principis palatini filiae properare. Monere proinde Kalinouium, vt, ſi conſulere rebus Polonis vellet, pedetentim Poloniam verſus ſigna moueret, planum tranſitum Valachiam verſus, quem Kalinouius inſederat, relinquendo filio, qui iuuenili actus ferocia forte in Kalinouii capite, prima iaciet militaris fortunae ſuae fundamenta.

Quid Kalinouius ad literas Chmielnicii.

Kalinouius ad Batow caſtra Polona opponit

Chmielnicii filio aduentanti.

De caſtris Kalinouii Przyiemski ſenſus aliorumque militum.

Riſit Kalinouius fallacias Chmielnicii, inglorium reputans genti Polonae, ſibique vt imperatori, infami ac rebelli paruiſſe Coſaco. Igitur omiſſa cunctatione, congredi acie parat, viginti millium armatorum praeſidio fretus. Deligit quoque locum Batow nuncupatum, arctis faucibus et a tergo ſylua clauſum. Hunc ipſum locum filio ſuo muniendum imperat. Imperatoris iuſſa exequitur filius, caſtrametatoris tunc functus officio. Eodem in loco caſtris Polonorum deligit planitiem tantae circumferentiae, vt vnius leucae exceſſerit magnitudinem, latitudinem. Interrogatus a Przyiemski Germanicarum phalangum ductore, cur inſolitae capacitatis caſtra metaretur? reſpondiſſe fertur, vt aduentantes hinc inde Polonorum copiae tuto et ſine mora recipi poſſent. Conſtat multos tribunos reprobaſſe conſilium ducis. Sed ille tanto conſtantior a propoſito fatali nullatenus abduci potuit. Dum in illo immenſo opere miles deſudat, nunciatur Kalinouio, Coſacorum Tartarorumque innumeras conſpici turmas, validumque a longe videri exercitum. Nubem conglobari dixiſſes, quae in Kalinouii rupta capite, ſummis periculis circumfudit rempublicam. Prima Iunii, erat ſabbathum ſanctiſſimae virgini ſacrata dies, qua meridiem ante Tartaricae videri

videri coeptae ſunt huc illuc oberrantes turmae. Hae vbi Polonorum conſpexere caſtra, ocius velut in praedam ruere, Polonosque extra vallum euocare ad pugnam. Nec Polonus miles renuit telum, Kalinouii iuſſu. Igitur extra vallum egreſſi Poloni, Tartaros illo die egere in fugam, praeeunte teſſera militari, MARIAE *nomine*, donec veritus inſidias Kalinouius, dum Polonus animoſe palantes perſequitur, receptui canere iubet, talique ratione vltra leucam perſequentes ad caſtra ſub veſperum rediere. Feliciora iam voluebant animo Poloni milites, neque mora flagitare a Kalinouio ſequentis diei praelium, cum aduentantium Coſacorum copiis, quae in proximo reſederunt eminentiore colle, tentaturi aleam belli cum nouo duce Chmielnicii filio. Kalinouius laudata illorum bellica virtute atque heroico nobilium animo, deliberaturum ſe reſpondit, dubius, quidnam de craſtina die ſtatueret Deus.

1652 Pertinacia Kalinouii. Exploratores Kalinouio referunt certiora de aduentu hoſtili. Prima pugna Polonos et Tartaros inter. Diffugiunt Tartari. Polonorum alacritas et animus. Timothei Chmielnicii aduentus.

Ita haec dies ſacrae virgini dicata, Polonis vt matrem colentibus, fauſto quidem extitit omine, ſed tali, quale naufragantes nautae concipere ſolent, viſo Caſtoris Pollucisque gemino ſidere. Neque aliter accidit Polono exercitui. Die enim ſequenti aderat Timotheus Chmielnicii filius, ducentis ſuorum, viginti vero Tartarorum ſtipatus millibus, vlturus, vt iactabat, Tartaris illatam pridie cladem. Recto igitur agmine mouet in Polonos, praemiſſis Tartaris, qui Kalinouium laceſſerent, nolentesque pugnare cogerent. Ipſe pedetentim ſpoliis grauis Polonorum imminebat caſtris.

LIBRI IV. CAPVT V

SYNOPSIS

Chmielnicius de Polonis inuadendis deliberat. Milites Poloni exprobrant temeritatem Kalinouio. Aliquorum de Kalinouio ſecreta conſilia. Militaris in caſtris Polonorum tumultus. Kalinouius ſedare vult tumultum ſed fruſtra. Confert hac de re cum Przyiemſcio. Poloni cogitant de fuga. Reſolutio Kalinouii. Germani Polonis inhibent fugam, eorumque factum. Poloni in Germanos inuehuntur attonito hoſtili exercitu. Coſaci pariterque Tartari diſcordes aggrediuntur et ad internecionem delent ſecunda Iunii die. Tartari ſaeuiunt in Polonos captiuos. Kalinouius occiditur a Tartaro. Quale praemium occiſi Kalinouii aufert Tartarus a Chmielnicio. Przyiemski, Kalinouius, comes Sobieski capti, a Chmielnicio trucidantur. Singularis mors Przyiemſcii. Nuntius Varſauiae de clade Battouienſi. Quid ad haec Varſauia et rex ipſe. Nobilitas tota turbatur. Regis ad nobilitatem literae, et edictum.

Kalinouius vbi tot centena hoſtium millia effuſa in conſpectum videt, Polonis vallo egredi ſeueriori imperat mandato. Aduolant interim pernicibus equis Harpyae Tartari, Polonosque extra vallum et caſtra ad pugnam euocant, ad talia ſurdos. Interea Chmielnicius Coſacorum quoque promouerat caſtra, eademque in proximo locat, a patre, ad quem ocius curſorem dimiſerat, expectaturus mandata, quid facto opus, et num vindicanda ſit Tartarorum ſocialis iniuria? Poloni inſperata agreſtium territi multitudine, haud mora heroicos illos demittunt animos, plerique Kalinouium incuſantes, cur paſſus hoſtili occluſiſſet tranſeunti exercitui, cum impar eſſet viribus? Extremae dementiae eſſe certare cum eo, a quo Te poſſe ſuperari experientia docuit. Aut quare propugnaculum vicinum non eligit? Vbi tuto cum exercitu conſiſtere potuiſſet. Haec primo murmure, deinde clamoribus paſſim in Kalinouium iactata ſunt. Nec deerant turbarum aeoli, qui Kalinouium vinctum Tartaris extradere cenſebant, eiusque capite placare ſibi graues Tartaros, alio a Chmielnicio deſtinatos. Res plena periculi defertur Kalinouio, qui nouitate rei attonitus, milites cogit in concionem, verba dicturus aliquot, ſed miles verba Kalinouii faſtidire, equos ad fugam aptare maluit, quam eius tunc obtemperare mandatis. Igitur vbi videt, rem haud procul ſeditione militari abeſſe, quod Polonis in aduerſis ſolenne eſſe,

Chmielnicius de Polonis inuadendis deliberat.

Milites Poloni exprobrant temeritatem Kalinouio.

Aliquorum de Kalinouio ſecreta conſilia.

1652 Militaris in castris Polonorum tumultus. Kalinouius sedare vult tumultum, sed frustra. Confert hac de re cum Przyiemscio

experientia Czeczorensis docuit a. 1619 sub Stanislao Zolkieuio felici armorum duce, milites ad concionem iterum vocans, in haec verba, quae dolor et pudor ei suggesserat, loquitur: Qaenam tandem vos agit vesania, fratres et commilitones mei millies carissimi, ante praelium vos subducitis, me ducem vestrumque fratrem ac comilitonem violare satagitis. Scitote me pridem hanc canitiem coelo deuouisse, si meo sanguine vestra scelera expiare poteritis. Agite, sim Curtius ego, sim patriae victima, mihi cadendum, vobis vincendum restat. His dictis a Polonis ad Germanorum transit phalanges, qui duce Sigismundo Przyiemski, rei tormentariae, post defunctum Arciszeuium, praefecto, notario campestri, aliquot excedebant millia, rei nouitatem relaturus Przyiemscio, quem haud fugiebant dicta et facta. Tali ratione imperator Polonus, Polonis in castris, sanguine suo altaria Deum vix non commaculauit, cui hostilis Tartaricus pepercerat mucro. Vix Germanorum intrauerat ordines Kalinouius, cum illico a filio nuntiatum patri, Polonos toto animo circumspicere fugam, iamque paratos imminentem operiri noctem. Indignatus Kalinouius imperat Germano militi, obuersis in amicos et socios Polonos vterentur armis, eoque modo ex pauidis, facerent fortes et generosos. Vbi nullam, inquit, videbunt spem euadendi, mutabunt procul dubio turpis fugae consilium, et ex necessitate reassumtis viribus fortius dimicabunt. Ita factum: densissimam globorum nubem, terrori potius quam caedibus aptiorem immittunt in Polonos Germani, tanta Polonorum consternatione, vt ne hiscere quidem tunc auderet Polonus miles, vix moueri loco, vix promere semimortua verba, sciscitari inter se causam, mirari factum insolens, indignari, irasci, iurare, tandem reperitis Germanorum ictibus admoniti declaratae fugae, relinquendorum peditum hosti in victimam, versi in rabiem, ne inulti caderent in Germanos vertunt habenas innoxio ausu, Cosaco Tartaroque spectante attonito exercitu, qui iam imminentem veriti noctem constituerant nequaquam Polonum adoriri exercitum, siue id metus noctis, siue insidiae ab hoste expresserant. Duae adhuc horae diei supererant, cum Cosaci a transfugis de Polonorum Germanorumque edocti discordiis, res enim iam ad iustam processerat indignationem et bilem vtrisque, opportunitate temporis vsi, veriti etiam ne nox, discordes redderet amicos, saniori vsi consilio, vtrosque a fronte, a tergo, a lateribus toto aggrediuntur impetu. Nec difficile fuit delere discordes, quos vndique aggressi ad internecionem vnius horae spatio, quis crederet, male conuenientes, praeter spem, citra votum deleuerunt, paucissimis exceptis, qui postea hosti triumpho fuere. Ad viginti millia Polonorum et Germanorum, in hoc ad Battouiam loco cecidisse constat. Neque enim capere, aut venundare, quod Tartaris commercium est, sed caedes, patibula, cruces, ignes, tanquam supplicium reddituri ad praeceptam interim vltionem festinabant. Ipse Kalinouius, tertio a loco pugnae dissito lapide, dum suauius huc illuc in nemore oberrat, gregarii Tartari militis telo concidit. Die subsequenti mortui caput Chmielnicio defertur, qui praemii ergo Tartarum militem aureo nummo donauit. Tali igitur ratione deletus est ad Battouiam, Polonorum pariterque Germanorum exercitus. Tamque vili pretio caput Kalinouii Chmielnicius mercatus est, quod alias summo Ioui par, reliquos saepe contemnebat deos, tanquam minutos. Przyiemscius, Kalinouius filius generalis, Marcus comes Sobieski, Crasnostauiensis gubernator, viui in conspectum adducti Chmielnicii, crudeli ferro carnificis suas supposuere ceruices. Przyiemscius vero dum vehementius Chmielnicium obiurgat effusi sanguinis Christiani, minutissimis ictibus crudeliter peremptus est, vt per singula membra moreretur. Adeo vno puncto temporis saepe maximarum rerum vertuntur momenta. En hic in Polonis, aliquot horulae, quantam attulerunt mutationem! Optime Seneca: *momento*, inquit, *vertitur mare, eodemque in loco, vbi luserunt nauigia, absorbentur*. Magnae quoque arbores vna hora extirpantur. Scio varios historicos de Battouiensi praelio varia scripturos, nam et ego varias habeo apud me relationes. Sed hanc quam scripsi, magis veritati consonam hic apposui, quam habeo ex literis episcopi Cracouiensis, Seueriae ducis, ad ducis Ostrowiensis coniugem, iisdem diebus Iunii scriptis.

Poloni cogitant de fuga.

Poloni in Germanos inuehuntur attonito hostili exercitu.

Cosaci pariterque Tartari discordes aggrediuntur et ad internecionem delent, die 2 Iunii.

Tartari saeuiunt in Polonos captiuos.

Kalinouius occiditur a Tartaro.

Quale praemium occisi Kalinouii aufert Tartarus a Chmielnicio.

Przyiemscius Kalinouius, comes Sobieski capti a Chmielnicio trucidati.

Paulo post Varsauiam celer aduolat nuntius de clade Battouiensi regi significans. Perculit sic moestus nuntius regium pectus, totamque adeo afflixit Varsauiam, vt plerique iterum Varsauia abiecta Gedanum nauigare cogitauerint, imo aliquos a portu iam iam soluere paratos regium seuerius reuocauit mandatum. Sed nec post edictum, Varsauiensium quieuerat mens, in horas ambigua. Praeparabantur summo studio naues, iamque praeparatae medio in flumine fluctuabant in anchoris, vela daturae, vbi opus esset. Haec Varsauiensium tunc facies erat. Neque minus nobilitas turbabatur. Quo enim robori resisterent

Nuntius Varsauiae de clade Battouiensi.

Quid ad haec Varsauia, et rex ipse.

sterent hosti, tot millium superbo, victoriisque tumido et insolenti. Iam actum esse de republica, si in eius viscera pergeret hostis. Vnde omnes desperabundi cernebantur. Alii non bellum, nec praelium, sed montes, specus et antra vicinae Hungariae, alii Silesiam, alii Austriam voluentes animo. Auxerunt in immensum populi nobiliumque lacrimas le ctae regis literae, quibus per desperatam si quando salutem patriae, per carissima eiusdem pignora, per omnia sacra, nobilitatem sparsam per agros et tuguriola, vt infectae aurae poscebat tempus, ad generalem euocabat expeditionem (pospolite Ruszenie, Polonice, Latine modum communem appellant) vltimum ac desperatum morientis patriae remedium. Locum quoque decreuerat PIOTROWIN denominatum, miraculo resuscitati Petri militis, a diuo Stanislao episcopo Cracouiensi, regnante Boleslao audace, percelebrem, medium Cracouiam inter et Lublinum. Non ausus vltra progredi, quod ipsum eo magis, populo ac ordini equestri, terrori fuit. Adiecit in iisdem literis, quarum exemplar aliquot chartarum legitur, deliberaturos se eodem in loco, de vlteriori belli ratione, et si hostis permitteret, comitia ibidem in facie totius reipublicae se celebraturum promisit. Quo etiam in loco quondam Boleslaus audax anno Christi MLXXVII celebrauerat.

1652 Nobilitas turbatur. Regis ad nobilitatem literae et edictum.

LIBRI IV. CAPVT VI

SYNOPSIS

Chmielnicius legatos ad Polonum Regem mittit, factum filii excusantes. Eiusdem ad Russos et Cosacos literae excusantes, ac relatio deleti Poloni exercitus. Captiui omnes Poloni a Chmielnicio trucidantur. Chmielnicius filium cum exercitu reuocat in Valachiam properantem. Timor et suspicio Chmielnicii de Polono exercitu. Chmielnicius Camenecum obsidet. Fidem Camenecensium literis labefactare satagit. Responsum Camenecensium Chmielnicio. Chmielnicius excandescit. Wychouius a parente ad filium mittitur vt eius moderetur consilia. Valachia applaudit victori Chmielnicio. Chmielnicius in Valachiam cogitat. Tartari Chmielnicio offensi ob non expugnatum Camenecum. Tartarorum spes ac deinde in Chmielnicium minae ac odia. Poloniae comitia Viazdouiae. Rex lecto affixus decumbit. Summa comitiorum Poloniae.

His mandatis regiis obtemperatura nobilitas, iam sensim ad designatum coeperat conuenire locum, sed postea nouis regiis reuocata literis Varsauiam ad comitia perrexerat. Nam Chmielnicius vbi inaudit, feliciter prima belli exordia cessisse filio, errorem excusaturus legatos Varsauiam misit, deprecatus veniam delicti, si quod commiserat in vltro volentes perire. Addidit literas ad vicina Vkrainae oppida, ne terrerentur, inaudito Polono deleto exercitu. Factum eiusmodi accidisse: Filio Timotheo, ad promissum Valachiae principis connubium tendenti, vna cum sociis Tartaris, Kalinouium cum Polono, pariterque Germano milite insedisse viam, qua iter in Valachiam ducebat. Se pro data reipublicae Polonae fide, monuisse literis ante Kalinouium ferocem, recederet, tutosque passus ac itinera relinqueret transeunti exercitui Cosaco Tartaroque, ni seueriora experiri vellet. Risit ille monita mea, quae non vana fuisse, nunc tempus edocet. Subsequutum itaque praelium et mox clades Polonorum, vti plerumque, Deo vindice, accidere solet latronibus ac piratis, viam et passus occludentibus. Haec in speciem ille, ad facilius incautos decipiendos. Nam reuera alia et longe diuersa animo volutabat. Polonos siquidem omnes captiuos numerato pretio redemerat a Tartaris, eosque redemtos, vt victimas, exquisitissimis suppliciis excarnificare mandauerat. Optime dictitans, olere occisos Polonos equites. Quae omnia patris nefanda mandata fidelissime tyrannus filius exequutus est. Hac peracta Tragoedia Valachiam versus signa mouere imperat ad AMYMONEM suam. Iamque eius ficarii exercitus pars ad Iampol, pars ad Mohilouiam Borysthenem traiicere parabant, cum ecce redire in Russiam iussus, paternis reuocatur mandatis vna cum exercitu. Forte tunc illi retulerunt dimissi exploratores, Lituanum exercitum duce Ioanne Radiuilo con-

Chmielnicius legatos ad Polonum Regem mittit, factum filii excusantes.

Eiusdem ad Russos et Cosacos literae excusantes, ac relatio deleti Poloni exercitus.

Captiui Poloni omnes a Chmielnicio trucidantur.

Chmielnicium filium cum exercitu reuocat

1652 in Valachiam properanti. Timor et suspicio Chmielnicii de Polono exercitu.

coniungi exercitui Polono, qui trans Borysthenem hybernauerat, et tunc ad castra Kalinouii deleta pedetentim procedebat. Sed audita Kalinouii clade, illico exercitui Polono, quem obuium fortuna dederat, associatur, ita vt infra decem dies, viginti quinque millium iustum exercitum Polonorum Lituanorumque videret Russia. Accessit et alius Chmielnicio timor. Subuerebatur enim ne ex improuiso vlturus Kalinouianam cladem suique contemtum, rex cum lecta nobilitatis manu, armatus moueret, inueniretque domum Chmielnicii vacuam, dum hospes filius eius lustraret alienam. De Valachiae quoque principis certus affinitate ipsos hymenaeos in aliud commodius et opportunius distulit tempus. Reuocato in hunc modum filio Camenecense propugnaculum omnibus hostibus hucusque imperuium, in extremis finibus Podoliae situm, et quod Osmanus Turcarum imperator opus sonus Dei affirmabat, Cosacorum viribus insperate irrumpere, vel si dolus non procederet, obsidione cingere arctiori, filio imperat. Nutum patris exequitur filius, Camenecense propugnaculum arctissima cingit obsidione, quam duarum hebdomadum protraxit spatio, nullis tamen insultibus ausus est fortunam experiri, siue quod sola fame, taedioque ac desperatis Polonorum animis, Camenecum expugnare posse crediderat, vastatis circumquaque vicinis pagis et oppidis ad Germanicas leucas viginti in circuitu, siue quod desperauerat, humanis se posse assequi viribus, quod Osmanus diuinis aiebat vincendum manibus. Hinc si forte inglorius discederet, amissis Cosacorum ea in expugnatione praecipuis, quae eius laus in exercitu, quis paternus amor, suorum fauor, quae gloria apud exteros. Ferunt literas quoque paternas eidem ad Camenecum consistenti redditas fuisse, quibus monebat adolescentem, ne nimium iuuenum fortunae fideret. Camenecum quod obsideat bene esse. Vnicum caue, inquit, fili, ne Cosacorum abutaris sanguine. De se ipso adiecit nihil, nisi quod ad Corsunum castra metatus sit. Miserat eidem quoque codicillos, ad ciues Camenecenses scriptos, quorum haec summa:

Chmielnicius fidem Camenecensium literis labefactare satagit.

Consuli, proconsuli, scabinis, ciuibus totique communitati, ciuitatis et propugnaculi Camenecensis, vna cum toto Zaporouiano exercitu salutem. Quicquid monarchis, caeterisque principibus contingat, totum id Deo ordinante, et permittente fieri, quotidiana docet experientia. Hinc Dei omnipotentis factum esse crederent, Kalinouii deletum exercitum, quem non manus Cosacorum, sed fortis dextera Dei deleuit ac perdidit paucis exceptis, qui Camenecensi caueae se incluserunt. Hos filius meus, vt sibi infensos hostes ac inimicos persequitur. Eoque consilio Camenecum obsidet, vt eos habere possit, quos inimicos nouit. Monere proinde vt fidos et amicos vicinos, consulerent potius illi rebus suis, ciuitatem armato filio ingredi permitterent, aut eius hostes propugnaculo pellerent, ita illos posse optata libertata gaudere, sub alis victoris exercitus Cosacorum.

His literis Chmielnicius sperabat posse aliquid a ciuibus obtinere. Hinc ocius exaratas filio transmiserat, quas ille vni captiuorum tradit, qui vix in toto Cosaco Tartaroque repertus fuerat exercitu, beneficio cuiusdam seruatus Tartari. Addidit mandata, vt responsum illico referat, hoc pacto plena illum donare libertate. Lectae itaque a ciuibus Chmielnicii literae, Potocio, Lanckoronio aliisque praesentibus, redditumque in hunc modum Chmielnicio illico responsum:

Responsum Camenecensium Chmielnicio.

Bogdano Chmielnicio Zaporouiensis exercitus duci, totique Cosacorum exercitui, ciues et communitas regiae vrbis Camenecensis salutem. Fatemur vniuersi, te impium Nicanorem esse, excidio vltimo reseruatum Poloniae, et nihil illi veteri Iudaeorum flagello absimilem. Nam et tu, vero catholico dogmate imbutos, a patriis et Dei reuocas legibus, templa Dei viui contaminas, innocuum profundis christianorum sanguinem, summo cum Turcarum, tuorumque fidissimorum Scytharum applausu. Sed memineris in manu eiusdem Dei esse affligere et afflictos erigere, percutere et sanare percussos. Scimus te in armorum confidere robore, tuorumque ferocia, sed neque te lateat, nos, vniuersumque regnum

1652

gnum Poloniae in omnipotente quoque confidere Deo, qui potest et venientes aduersum nos, et vniuersum mundum vno nutu delere. Cameneci d. 17. Iunii 1652.

Chmielnicius excandescit.

Chmielnicius se contemni ratus, ira vecors, vtpote qui sibi videbatur iam fluctibus maris imperare, iamque montium altitudines in statera appendere, supra modum victoria elatus, Camenecum extremis suorum viribus adoriri constituerat, nisi feroci iuueni saniora parentis obstitissent monita, quae tunc in tempore eidem furenti Vychouius attulerat. Secreta nimis illa, quam vulgari possent, fuere, nisi tempus edocuisset, nimiam potentiam orienti, capto propugnaculo, suspectam fore, timentis. Hinc filio forte tunc de expugnatione propugnaculi cogitanti, amatorium vulnus e principis Valachiae voto parens indiderat, facta mentione maturandi hymenaei cum principis filia, cuius nomine vina, caeteraque necessaria eidem vicina tunc subministrabat Valachia. Neque filius renuerat parentis vota, amatorio transfixus telo, cui iam impar prohibendo erat, magis quoque abhinc de maturando hymenaeo, quam de obsidendo cogitabat propugnaculo. Substitit tamen vltra ciuium vorum, Polonorumque spem, siue adhuc terrore sui credebat, fideles rei publicae ciues posse ad deditionem flecti, si ostentis e longinquo armis, magis clementia quam vindicta in illos vteretur: Siue verius, suam ille deperibat Rosandam in vicina Valachia, cui frequentiora e proximo mittebat suspiria, dum illius in vicinia pascebatur aura. Octo itaque dierum exacta periodo, receptui canere iussit Chmielnicius ex Actaeone versus in ceruum ob Dianam Valachiae. Quem ego a Cameneco abeuntem non sequar prius in bello classica canentem, quam in epithalamio triumphantem.

Chmielnicius in Valachiam cogitat.

Tartari Chmielnicio offensi ob non expugnatum Camenecum. Tartarorum ipes, ac deinde in Chmielnicium inuidiae ac odia.

Camenecensis soluta obsidio, quantum gaudii Polono regi vniuersoque regno, tantum Turcis Tartarisque attulit luctus. Crediderant enim Tartari, posse mutata Polonorum fortuna, Cosacorum ope, Chmielnicii auspiciis, facile propugnaculo potiri, quod Karakussi audacia Osmani vires, Abassi Bassae potentia, expugnare non poterat. Gloriam quoque apud orientes hinc aucupabantur barbari, soliumque Poloniae certo certius occupaturos se iactabant, si Cameneco potiantur, quem locum Europae portam appellare consueuerunt orientis reges, quo, si quando potirentur, gestare sese e cingulo claues Europae dictitant. Templum quoque in honorem Mahometi, si victores extitissent, ex Poloniae spoliis vouerant ibidem Sed res contra accidit. Hinc sociorum odia in Chmielnicium, hinc fremitus audiri coepit, quasi dolo cum illis egisset is, qui illorum robore hucusque triumphauerat. Addunt aliam quoque tunc Chmielnicium inter Tartaros inuenisse offensionis materiam. Duplices enim easque contradictorias, vno eodemque tempore, dederat literas, toto coelo distantes, Tartaris subditisque. Illis imperium in Russos promittebat, hos ad arma contra Tartaros, vt Russiae hostes, euocabat. Quod vbi inaudiuere Tartari, versis habenis, onusti praeda et auro in Tartariam mature abiuere, Chmielnicio minas intentantes, ad talia surdo. Quae tamen suo tempore effectu haud caruerunt, vt in sequentibus referam.

Poloniae comitia Viazdouiae. Rex lecto affixus decumbit.

Comitia interea ordinum, in ambigua regis valetudine, Viazdouiae suburbano Varsauiae palatio inchoabantur, summa cum molestia malevalentis principis, quem lecto affixum, in proximo conclaui, spectauere proceres, qui nec tunc quidem regis sui sacrae pepercerunt valetudini, consueto clamore replentes omnia, graueolenti habitu vel ipsos immortales enecantes. Ita integri mensis poenas sustinuit optimus princeps, quod nullus vnquam toleraret priuatorum [49]). Summa autem horum comitiorum haec fuit:

49) Quantum mutata in melius nostra tempora! Regni proceres nunc regem suum amantissimum indulgentissimumque tanta colunt veneratione ac submissione, vt merito dicas, nullum esse in Europa regem, cui tam multi proceres, magnique domini, summa cum pietate ad inseruiendum, quam Poloniarum regi, praesto sint. Hoc etiam in gloriam gentis Polonae dicendum, nullam esse nationem, quae reges tanto, quanto Polonia amore et pietate suos prosequatur. Verissime dixit ADAMVS KONARSCIVS, episcopus Posnanienſis ad HENRICVM Poloniae regem electum: *confessurus es in eo solo, quod non nouit hucusque nec veretur sicarium, in eo, in quo nunquam captiui consedere reges:* Nec non SAMVEL SCHVRZFLEISCH in lineamentis Sarmaticis: *comitari regem*, ait de Polonis, *in quacunque fortuna decus interpretantur. Multas gentes ferro saeuiisse in suos reges compertum. Poloni seruatorum regum gloriam tulerant. Dissen-*

1652 I. Hostis Poloniae declaratus Chmielnicius, contra quem miles ex Silesia,
Summa comitioruma. Prussia, Pomerania, Polonia, Masouia, colligatur, cuius numerus quinquaginta millium esto. Interim variis artibus a belli consilio abducendus est, per legatos, comitateque permulcendus Chmielnicius. Pro collectione contributiones agrariae decernuntur. Militi quantocius solutio fiat.

II. Tractatus cum Sueciae regno reassumatur Lubecae, commissarii iidem, qui antea.

III. Aliquot ad equestrem dignitatem, bene de republica meriti viri admittantur. Hos inter Ducis Saxoniae abnepos, ducissa Radiuila natus.

IV. Radzieieuius, vicecancellarius Poloniae, crimine perduellionis damnatur. Bona quoque eius fisco regio addicentur, vt spolia perduellis ciuis.

Reliqua minus ad historiam pertinentia lubens transeo, ne aliquibus videar narrare Siculis guerris vaniora. Ex occasione tamen Radzieieuii, vt criminis perduellionis notatus sit, fideliter referam.

LIBRI IV. CAPVT VII

SYNOPSIS

Manifestatio Radzieieuii contra regem et rempublicam Polonam.

Huius anni 1652 calendis Februarii, vt superius innui, Poloniae valedicens Radzieieuius, primo Viennam in Austriam ad augustum Caesarem, inde per Pomeraniam ad Königsmarchium Sueciae generalem, postremo Stokholmiam, regiam Sueciae, Königsmarchii suasu, sese contulerat, toto orbe asylum ac magnorum numinum protectionem, vt miser, vt exul, quaerens. Vbi, quid egerit, patet ex eius manifestatione. Referam concepta verba, qualia per id tempus vulgauit praelum:

Manifestatio innocentiae illustrissimi ac excellentissimi Domini, Domini in Radzieiowice Radzieiewski, procancellarii regni Poloniae, Lomzensis, Bielscensis, Solecensis, Warecensis, Kozienicensis, Kamionecensis, capitanei, haeredis in Krylow. Haud sine ingentis sortis malignae admiratione prona ad suspicionem mortalium ingenia exilium meum prosequuntur. Plerisque enim, praecipue vero exteris nationibus, talem mihi poenam, pro insigni crimine ortam esse, interpretantibus, aut proditor patriae fuisse videor, aut inauditum crimen patrauisse. Quippe tantam honoris et bonorum iacturam, pro foedis et execrabilibus in patriam flagitiis decerni moris est. At ego conspiratione inimicorum et inuidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nullus apud tyrannum iudicem locus est, totius mundi, ipsorum denique aemulorum ac detractorum iudicium hac manifestatione appello, decernant, num digna pro fato meo reperta sit poena? Qua occasione, cuius instinctu et patrocinio, aut quo fine dissidia, ac demum diuortium inter me et consortem excitatum sit, minime opus est ad praesens recensere. Toti namque regno Poloniae patet id, et talia silentio tegere taciturnitateque celare, et quae in Polonia extiterint, dolere satius est, quam exterarum nationum cognitioni tradere, regiminis inde turpitudine subsequente, aut cui fructui, atrox illius exempli memoria excitanda, sufficit talem effectum euenisse. Thesaurarius curiae magni ducatus Lituaniae, frater tunc consortis meae, illatis multis violentiis, variisque, tam mihi, quam famulis meis expilatis rebus

Manifestatio Radzieieuii contra regem et rempublicam Polonam.

ziri quidem et obniti, indignarique insuper, saepe et edere irati animi signa, non rarum. Sed manus regum imbuere sanguine et insontes deposcere ad necem generoso hactenus populo piaculum fuit. Magna haec fides, gloria autem fide maior, pietas longe maxima. Vid. HARTKNOCH de rep. Polon. p. 880.

rebus, pro quibus non fuit iudicatus, curiam denique nostram cum consorte communem, vbi mei equi et famuli erant, aggressus est, et sepibus prorutis, effractis portis occupauit. Tum famuli, quibus ibidem accepti sunt equi, cupidine res suas recipiendi inducti, curiam quoque sine vlla violentia recipere voluerunt, et cum me inscio ad curiam accessissent, praesidio ibi pedestris turmae, tum et vigiliis visis, explosisque contra se aliquot scloperis, sine violentiae illatione, sine vnius hominis caede reuersi. Hoc totum ciuitas Varsauiensis testabitur. Quia vero offensus interim princeps, et me, quasi nimio libertatis zelo, nobilium seditionem in generali expeditione contra illum machinarer, et quasi exorbitantias contra illum scripserim, suspectans, occasionem ad me opprimendum idoneam quaesiuit. Quamuis haec omnia falsa et aemulorum potius inuitamenta fuere, non longa tamen cunctatio ponitur, sed omnibus ad subuertendum me vsus artibus, ex hac occasione absentem et vllius criminis ignarum, grauissimo decreto condemnare imperauit, quale contra me statui nequibat. Ea namque est status equestris praerogatiua, vt iustitiae et necis super nobilem personam, tanto magis super praecipuum officialem regni, decernendae, non alterius iudicio, nisi tribunalitio, aut generalium regni comitiorum, subiiciatur. Non opus est pluribus, confirmandae eius rei causa, argumentis. Sufficiunt ipsae constitutiones et statuta regni. Nouas igitur, et nullis vnquam auditas temporibus, rabies instigatoris ad me opprimendum conquisiuit artes. Omisso enim eo, quod senatusconsulta nequeant quidquam in vim legis statuere, neque de capite eminentis in republica ciuis decernere, quod poenae supra meritum sint extensae. Non reperitur in toto legum volumine, eiusmodi lex quae potestati Marescalci primarium regni officialem, subiiciat iudicandum. Quia marescalcalis iurisdictio in curenses tantum minores excessus extenditur, capitis vero iudicium non potest vsurpare 50). Aut contemnendum illud est, quod praecipuus et principalis regni officialis, tanquam nocens, et nouissima exempla meritus, iniustissimo decreto sit condemnatus? Quod sine delatore ad instantiam instigatoris anonymi in contumaciam iudicatus? Praeter haec instigator non iuratus, persona plebeia, criminosa, qui optimi cuiusque criminatione et vsque valet, vt impudentia et nocendi vi, malis etiam praeemineat.

Scrutinia iuramentis non confirmata, vt moris est, plenipotentesque, qui sunt in decreto scripti, nulla defendendae causae licentia a me habita, temere se ingesserunt, et prout vnus illorum in facie iudicii tribunalitii ingenue fassus est, quod coactiua potestate ad id, vt responderet, sit adductus. Iamque sunt ideo legitime conuicti, vnde decretum illud in contumaciam censeri debet. Ingens sane praenominati decreti defectus, quod instigator iussus cum sex testibus genere nobilibus me conuincere, qui hominibus ex fece plebis ad iuramentum accitis, decreto satisfecerint. O capitis nobilis vilem aestimationem!

Iniquitas autem et discrepantia decreti, manibus ipsis palpabilis est, quod vna eademque propositione, altera pars ciuiliter, altera, ego videlicet, criminaliter sim conuictus. Ex vna eademque propositione, illi principalitas, id est origo facinoris absorbetur. Ea namque verba in thesaurarium et meam consortem scripta reperimus: *Primi promserunt suam malitiam, procancellarius autem malitiae recensitae aemulus reputatur.* Vnde licet praeasserti criminis principalitas tantum, hoc est excitatae per thesaurarium et consortem meam flammae, aemulatio in me redundet tamen grauiori poena, contra omne fas et naturam iuris, conprincipalis illis, qui interfuere. Nunquid illud memorem, quod, nisi illis qui interfuere, nemini credibile est, decretum aliquoties reformatum, et longo temporis spatio, ad requisitionem meam non fuisse extraditum, ea tantum intentione, vt remedia iuris, sine publico instrumento, non possem adhibere, et vt prius proceres illi, qui ius concedendi Treugarum literas habent, eodem scelere obstringerentur, iudicium-

que

50) Hoc falsum est, generatim ita dictum. Quis enim iuris Poloni ita ignarus, vt eum fugiat, supremum regni marescalcum, ius gladii in omnes committentes crimina mortem merentia, habere praesente rege? Sed hic sermo est de marescalco curiae, qui iurisdictione atque adeo iure gladii non gaudet, nisi absente supremo regni marescalco. Radzieieuium autem iudicauit marescalcus curiae, illo tempore Lucas de Bnin Opalinski, ante Succamerarius Posnanienſis.

1652 que tribunalitium variis modis, formali insuper legatione, per senatorem consulto destinatum, instituta, praeoccuparetur. Pro statu caput attollendi licentiam deesse, quis non summae oppressioni adscribet? In Galliis, quod est dominium absolutum, personis rebellibus, in regem contumeliosis, et palam armatis ciuibus, Parlamentum ad resipiscendum et reconciliandum principi, Treugas concedit, vti non ita pridem principi Condaeo factum est. Apud nos in libero imperio, amputatis omnibus legum beneficiis, Treugae ipsae in dubium vocantur. Supplicium fere praecedit iudicium. Nam supremae etiam instantiae subsellia, iudicata sua pro executione remittere consueuerunt. Et ita quoque executio non solet esse adeo praeceps. Prope est, vt libenter damnet, qui cito, prope est, vt iniuste, qui libenter. Tantum igitur et tam incredibilem interessisse rigorem, in hac mea causa neminem latet, cum fortunis omnibus direptis, capite proscriptus eam in libera patria patior oppressionem, cuius exemplum a saeculo non extat.

Nam si culpa, quam poena tempore prior esse solet, puniri quoque quam peccare posterius esse debeat. Verum longe alium cum subditis procedendi modum complexus princeps, decreta etiam executione nititur praeuenire. Verum omnino experior, innocentiae plus periculi quam honoris inesse, quod sine vllo rigoris praenominati praetextu, me inimici mei principe admittente peruerterint, quippe cum ab atroce odii auctore Slusczka initium maiestatis offendendae factum sit, qui curiam meam, locum residentiae meae, manu armata inuasit, illata sex horarum oppugnatione, licet tribus tantum vicibus, quod ridiculum et contradictorium, bombardas eiaculatus sit, prout ex contentis decretis, vtrumque elicitur. Omnes meas, famulorumque meorum res familiares diripuit, pariterque serui a mea potestate accidere sperantes, pro praesidio curiae relicti, defensiue agere, omnia pugnare, ab accessu aduersarios arcere, vim illorum vi reprimere ausi sunt. Id enim natura non doctis tantum, sed barbaris et ipsis brutis persuadet faciendum.

At quae sunt rationes, quae tam atrocis iudicii occasionem praebuere. Patiamur domum, omnemque domo suppellectilem exspoliari, tumultum fieri, postremo armis, caede et tormentis omnia compleri, quae ex spatiis imaginariis, vnde eo tempore extiterunt, incertum est. Sed per Deum immortalem, quo tanta et tam praeceps crudelitas pertinuit? an vt securitati regiae in posterum prospiciatur, scilicet quem impatiens iniuriae animus, ad reprimendas inimicorum artes hortabitur, eum puniendi immanitas a defensione deterrebit? Non ita est, sed cum potest in talia crimina ciuilibus poenis animaduerti, operae pretium erat, facta a criminalibus et bonorum confiscatione abstinentia, ciuiliorem criminis abolitionem adinuenire.

Hinc mihi quisquam obiecit, legem per expressum esse, crimen laesae maiestatis in solam regis personam committi, neque in alium quemquam magis quam in regem immanitatem offensionis redundare. Verum egerunt, quae voluerint legislatores praesentes, finxerunt, quae libuerint. Crimen laesae maiestatis cognoscere, neque marescalcalis curensis iudicii, neque senatusconsulti est, quippe senatusconsulti etiam auctoritas non patitur a se residentes excludi, quorum multi illo tempore erant excluſi. Vnicum cedo exemplum officialis regni, a iudicio marescalcali non iurato, quod multarum in comitiis dissensionum crebrarumque quaerelarum ansam fecit, iudicati aliquando fuisse, grauem profecto oppressionem, quis satis mirari queat? oppressus autem intolerabili praeiudicato conuellitur, denegante etiam respirandi facultate.

Atque haec cum ita sint, tamen iudicii marescalcalis auctoritatem cui nihil in suo esse derogatur, supra quam aequum est, extendere nituntur. Quasi vero statutum regni, maiore illum, quam solius marescalcalis titulo condecorauit, et si in forensibus ipsis quapiam in re modum excederet, debere eum rationem reipublicae reddere, non sit praescriptum. Si igitur ille, cuius officii auctoritas ex libitu reipublicae pendet, tam impune senatorum capitibus luderet, deteriorem status conditionem, quam in Hispania equites aurei velleris, qui nequaquam senatoribus regni Poloniae praeeminent, pateremur, cum causam illorum nulli magistratui, nemini gubernatori, neque viceregi ipsi, praeter regem discernere, licitum sit. Est quoque nobis, eiusmodi officialium regni dignitas, quod vitae eorum necisque potestas, soli comitiorum generalium attribuatur iudicio, non marescalcali

schalcali curiae, qui est inferior officialis et tertius post me in regno [51]). Neque etiam 1652
supremus regni marescalcus Lubomierscius, tale tulisset decretum, non tantum ex hac /m
ratione, quod polleat maiore ingenuitate, quam marescalcus curiae, et quod non tam sit egenus, vt futui principis contra omne fas, ius, et aequum parere deberet, verum paternam alit generositatem: Qui, cum dignitate palatini Cracouiensis fungeretur, acerrimus fuit libertatis vindex et propugnator, cuius multa edidit tota vita specimina. Pari ratione magnus hic patriae ciuis veram retinet et possidet generosissimi spiritus haereditatem.

Magna mihi memorandi copia est, qui reges, ira in subditos impulsi, indomita seditionum ciuilium incendia excitauere, sed ea malo dicere, quae non ita pridem defuncti reges, remota in offendentes suam maiestatem vita, recte atque ordine fecere. Nostra memoria Vladislaus IV, dignus memoria rex, Petro Lascio, excubiarum regni praefecto, qui tot decretis legitime conuictus, singularis legum contemtor, veste, ex decretis infamiae supra se obtentis, consuta vtebatur, nihil meritorum adimere dignatus, magisque iustum esse, dignitati quam sceleri prospicere ratus est. Nouerant subditi apud aequanimum principem, non armatam seueritatem, sed clementiam in procinctu esse, stare humanis erroribus paratam. Item paulo ante, imperante Sigismundo III in ipsis aulae regiae visceribus, frameis, in mutuam necem euaginatis, Rudomina cum Drohicki, Vmieniczki cum Czarnkowski, Godepski cum Pyzdiowski non nisi sanguine dimicabant. Verum rex, magis quod se dignum foret, quam quod in illos iure statui posset, quaerebat.

Accidentia anno 1624 tempore generalium regni comitiorum, quod Narszewski, aulam referendarii regni Przerembski, accitis tot armis inuaderet, fores aulae radicitus euelleret, caedem aliquot hominibus inferret. Pariter superiori tempore princeps Radiuilus, dum comitia celebrarentur, domini Krasicki palatini Podoliensis aulam aggressus tot armis, plurimis ab vtraque parte caesis. Et tamen quia per occasionem talia facta sunt, non immanitate coerciti fuere, neque lex carnifex exorta inde, sed reconciliatis vtriusque animis, impunitas concessa sine vlla maiestatis diminutione. Quid memorem Melstynski, qui praesente rege in oppido Korczyn, inuasit et spoliauit domos senatorum. Zborowski, qui in conspectu regis Vapouscium interfecit, quorum excessus, non marescalcale iudicium, sed generalia regni comitia discernebant [52]).

Equidem sic existimo, si vniuscuiusque iure victi, bona confiscarentur, si quilibet poenas meritus, ad necem nullo respectu habito traheretur, profecto funeribus completus orbis soli luctui attenderet et vno anno omnium vacantiarum resolutio absolueretur. Postremo quem quisque alicuius capitaneatum aut villam aut domum appeteret, data opera, vt is in proscriptorum numero esset, facile pari exemplo libidini suae satisfaceret.

51) In vsum exterorum placet hic adiicere ordinem et nomina regni, magnique ducatus Lituaniae ministrorum, nostri temporis: I Supremus regni marescalcus, illustrissimus FRANCISCVS comes BIELINSKI. II Supremus Lituaniae marescalcus, illustriss. IGNATIVS comes OGINSKI. III Supremus regni cancellarius, illustriss. IOANNES comes MALACHOWSKI. IV Supremus Lituaniae cancellarius, celsissimus FRIDERICVS MICHAEL princeps CZARTORYSKI. V Vicecancellarius regni illustriss. MICHAEL comes WODZICKI. VI Vicecancellarius Lituaniae illustriss. MICHAEL ANTONIVS comes SAPIEHA. VII Thesaurarius regni, illustriss. CAROLVS comes Odrowąz SIEDLNICKI. VIII Thesaurarius Lituaniae, illustriss. GEORGIVS comes de FLEMMING. IX Marescalcus curiae regni, illustriss. GEORGIVS comes MNISZEK. X Marescalcus curiae Lituaniae, celsissimus IANVSSIVS princeps SANGVSZKO.

52) Samuel Zborouius Ioannem de Tenczyn castellanum Voinicensem ad pugnam priuatam euocans, vulnerauit letaliter Andream Vapowski, castellanum Przemysliensem, paucis diebus post mortuum, qui praesens certamen impedire voluerat. Ad iudicium regis deinde citatus non comparuit, quo facto infamia notatus in Transyluaniam ad Stephanum, regem deinde Poloniae, abiit, quocum iterum in Poloniam reuersus, literis securitatis a Stephano rege munitus, in integrum restitui petebat. Cum autem seditiosus Zborouius tandem et in regem conspirasset vna cum fratribus Andrea et Christophoro, regis iussu, moderante Ioanne Zamoyscio, regni cancellario, et gubernatore Cracouiensi, supplicio affectus fuit Cracouiae d. 26 Maii A. 1584.

1652 Magisne Chmielnicium, tam barbarum, tantique in regnum doli, machinationum, decuit impunitas, qui hostis patriae iudicatus diuina omnia et humana calcauit, quam nobilem Polonum et officialem principalem regni, cuius neque iustificationi, neque satisfactioni, neque ad extremum supplicationi apud principem locus datur. Quae ergo inde apud nobiles considerationes orientur? Omnium horum initium a magistris diffidentiarum pendet, qui nullam extremi rationem habendo, praesentibus frui pro solatio habent, de futuro securi, principi et reipublicae vltimum afferunt interitum. Postquam igitur me tali et tam iniusto decreto inimici sunt adorti, beneficia iuris a republica per vetera statuta concessa, hoc est Treugarum literas petendas esse censui. Moxque ad episcopum Cracouiensem, ad palatinum Cracouiensem, ad palatinum Sendomiriensem, vt a quocunque illorum eas celerius obtinerem, expediui. Sed illi a principe legationibus erant praeoccupati, et diu petenti mihi Treugas friuolis rationibus denegarunt, vno, leniturum se potius offensum regiae maiestatis animum, quam subscripturum, ne confidentiam amitteret, promittente: Altero, palatino Sendomirienſi videlicet, Chyragrae morbum, qui manum propriam subscribere non permittebat, excusante. Solus illustrissimus ac excellentissimus dux Ostrogii, palatinus Cracouiensis, virtutis et relictae a maioribus libertatis amans, spreto capitaneatus mei spolio, quem illi princeps offerebat, nullam habens iniustitiae ad se a principe legationis rationem, sed veterem legem ad executionem deducere ratus, concessit literas Treugarum. His ergo Treugarum literis obtentis profectus sum ad iudicium tribunalitium regni Petricouiensis, quod eo tempore dicebatur, cum quo maximam habui, ob occurrentes in iudicio causas, connexionem. Non enim est noui emergentis, tales causas iudicio tribunalitio iudicare. Neque inde confusio iurisdictionem sequitur, de quarum confusione, si ageretur, diligenter considerandum est, qui eius confusionis auctor. Citaui ad iudicium tribunalitium, comparticipes huius decreti, tum et plenipotentes in decreto specificatos. Sed rex in vlteriorem mei oppressionem mittit cum literis castellanum Culmensem, Albertum Czerski, reuerendum Trzebicki suum Secretarium et ob promissas abbatias, conscientiae vocationisque immemorem, ea intentione ad omnes sigillatim deputatos iudices, tam saeculares quam ecclesiasticos, illis seorsiuas vacantias et bona reipublicae, his abbatias, episcopatus et similia promittendo praemia. Abducerent a vero, et remittendam hanc meam causam regali iudicio, persuaderent. Memores tamen iuramenti iudices deputati, non precibus, non minis a rectitudine abducti sunt, oppressaeque potius in me libertati prospiciendum esse arbitrati, causam meam iudicauerunt, et vnum ex plenipotentibus, qui, vt superius innui, fassus est se coactiuo imperio et summa potestate, a meis partibus non stetisse in iudicio marescalcali, ad carceres vnius anni et sex septimanarum demandarunt. Decreta super alterum poena infamiae, insuper decretum illud marescalcale cassauerunt, de quo acta iudicii tribunalitii testantur. Tum demum acrius commotus rex, quam primum ab executione orsus est, officiumque meum, quod aduitalitio mihi datum est priuilegio, ex inopinato, fremente statu equestri, alicui alteri contulit.

Volenti insuper contradicere nuntio cuidam terrestri, quem honoris gratia nomino, Alexandro Zamoyski, gladifero Siradiensi, facultatem vocis denegauit. Insolito interim septus, cum alii ipsius praedecessores nobilitatem pro primo securitatis suae propugnaculo censerent, armorum apparatu; per quod leges et constitutiones reipublicae violauit, quae non maiorem permittit nunc ad corporis sui custodiam regi, quam mille ducentorum militum. Bona regalia, quae non ex illius beneficio, sed tum a Sigismundo patre, tum a Vladislao fratre, regibus Polonis, pro meritis maiorum parentum ac meis collata habui, et tot annos in domo mea extitere, ademit, omnibusque fortunis spoliauit. Quarum nonnullas eidem marescalco curiae regni, qui contra me tale decretum tulit, tanquam praedam largitus, homini abiectissimo, cupido, auaro, et fratri palatino Posnanienſi, per omnia dissimili, alias, aliis, quanquam recusantibus, dispertitus. Caeterum cum auidus meae caedis princeps, sicarios et insidias mihi vbique disponeret, cum supplicationes meas, et instantias sereniſſimae reginae, pietate et bonitate praeditae, consortis suae, admittere nollet, cum preces et admonitiones archiepiscopi Gnesnenſis, primatis regni, non prodessent, cuius muneris est, secundum leges nostras regem in aliquo exorbitantem, ter admonere debere, post ternam autem admonitionem, si rex se non corrigit, nullam illi subditi tenentur praestare obedientiam; cum planctus filiorum meorum minorennium, ad pedes illius procumbentium sperneretur: cum amici pro hostibus censerentur: cum ille, qui meas

meas literas conuentui equestris ordinis tradidit, iudicio destinaretur: Consilium coepi, 1652
graueſcentibus in dies publicis malis, patriam deserendi, et lacrimis obortis exilium elegi, inualido etiam nuntiorum terrestrium auxilio, quorum nonnullos metu princeps, praemiis alios abducere nitebatur, quominus mihi subsidium interceſſionibus suis ferrent. Vnde turbata his diffidentiis respublica coalescere non potuit, infectaque adeo comitia praeterita habuit. Obtulere principi et alii aemuli ingenium, sed pareo nomini eorum, quos praesto affutura numinis vindicta manet. Solius instigatoris regni Zytkiewicz, conditionis plebeiae rustici et subditi palatini hodierni Cracouiensis, nequeo obliuiſci, cui, optimum quemque iurgiis lacessere, et diuersam virtutis interpretationem, dum procurator esset ab ineunte aetate, afferre edocto, nulla compositis rebus quies, omne in turbido consilium. Qui, licet talis sit, tamen pessima promotione officium hoc, quod ante non nisi integrae famae viris conferebatur, adeptus est, habeturque praecipuus inter reliqua aulae suae ingenia consiliarius. Ille probrosa de viris illustribus carmina factitat: ille, vtpote seruili plebeioque ortus genere, absoluti domini auiditatem et subuertendae libertatis suggerit stratagemata. Ille Dantiſci, quae vrbs maxime reipublicae proficua, et quae hucusque in concordia, stabilique erga regnum fide mansit, praesentes excitit dissensiones, et subtilitate peruersoque ingenii sui acumine tanta excitauit dissidia, vt ciues mutuis litibus implicati, profuso tot pecuniarum sumtu, venalem etiam iustitiam nequeant adipisci, semperque infectis rebus, cum pessimo futuri, auertat Deus, tumultus praesagio, domum reuertantur. Res autem quietas turbaueris facilius, quam turbatas composueris. Idem tam iniusti decreti machinator et auctor, quem ego tamen magnae prudentiae virum opinabor, si laesam principis reputationem redintegrare, et tot periculis vndique imminentibus, et extrema fata minantibus, ocurrere poterit.

Tale igitur pro tantis, toga sagoque in rempublicam meritis praemium tuli, vt omnibus bonis priuato, mihi, nisi liberalitate et compassione sereniſſimae reginae Sueciae subleuer, forsitan fame esset intereundum. Eane est laborum meorum merces, quorum plurimos, aeque in comitiis generalibus et iudiciis tribunalitiis, dum marescalcali et directoris fungerer officio, atque in bellis, ipso S. R. maiestatis testimonio, suscepi. Ille praestitae propensionis fructus est, quam illi, et antequam rex meus esset, testificatus sum, et postea in electione, tempore interregni, vbi aliquot palatinatuum generalis et primus a toto exercitu legatus fui. Siccine rex beneficium iniuria, honorem probro reddidisti? Verum, quia de meritis propriis parciorem esse conuenit, alieno iudicio relinquo meritorum et praemii disparitatem. Sed cum velim in hac manifestatione omnes explere veritatis numeros, negare id non possum, quod post obitum supremi generalis vacantem castellaneatum Cracouiensem, quae est prima in regno dignitas, et capitaneatum Lublinensem, quod vtrumque septuaginta millia florenorum excedit, rex mihi conferebat, post conceptas erga me iniustissimo titulo diffidentias, vt procancellariatus officium defererem, quae in proxima comitia in deliberationem accepi, vt offensum regis interea animum, contrariae exortae suspicionis eius affectus placare possem. Et ne similia de me scribantur prouidebam, quae PIASECIVS in Chronica gestorum in Polonia de DEMBINIO scripsit, qui omisso cancellariatu factioni Zborouianae in castellaniatum Cracouiensem cessit, his verbis: *expugnato igitur ex cancellariatu* DEMBINIO. Talem ego mentionem veritus, maiorem semper honesti, quam vtilis rationem habens: cum officium cancellariatus, licet loco sit inferius, praerogatiuis autem omnibus aliis dignitatibus emineat, magna certe deliberatione vtendum erat, sed rex, non expectatis comitiis, vacantias dispertitus est, meque tali afflixit decreto.

Patriae carissimae vices doleo, quod tantis calamitatum turbinibus affligatur, quae quia hucusque fecit, quod potuit, legem adimpleuit, omnemque bene merendi gratitudinem sperat. Verum o dulcissima patria, ad te mea dirigitur oratio, generositatem a maioribus traditam sequere, et libertatem in me oppressam, vindica certatim et defende. Videat orbis, non adeo depressam esse ingenuitatem, praeclarum libertatis thesaurum, vt neque asylum in integro relinquas, sed sciat te posse tradere eandem serae posteritati. Quid cunctaris? expergiscere aliquando ex hoc lethargo, spretis omnibus priuatis exspectatiuis. Si enim somno vlterius indulseris, senectae tuae et proximi casus erit indicium, quando in multitudine regenda plus poena quam obsequium valet. Mihi itaque exulanti, huc et illuc vitae in integro seruandae causa latitanti, (cum neque apud Romanorum imperatorem

1652 ſecurus eſſe potui, propter regiarum literarum, quibus me arreſtare iuſſit, praeuentionem) ad ſereniſſimam reginam Sueciae conuertere viſum, non ea intentione, velut detractor, vt maleuoli interpretantur, quaſi regnis armorum anſam excitaturus, quippe dudum iam, vt perpetuam pacem inirent optaui, ad quam ſereniſſimam reginam et omnes ſenatores optime diſpoſitos eſſe video; verum per ſereniſſimae reginae mediationem principis reconciliationem oraturus, vti affinis et conſanguineae S. R. M., cum qua firmiſſimam ſereniſſimus rex colit amicitiam, cuius indicium inter alia multa et quotidiana argumenta illud quoque eſt, quod ſereniſſimus rex pro baptiſmo filii ſui, qui poſtea immaturo ceſſit fato, ſereniſſimam reginam Sueciae inuitaret. Praeſens igitur ſors mea, magnifica mihi eſt, quod huc ſingulari Dei omnipotentis directione appulerim, vbi ſecurior vitae ſim, et quod talem reginam inuenerim, quae me regali bonitate et munificentia, vt Antiochus Annibalem exulem ſuſcipere dignata eſt. Et certe, quae mihi maior felicitas euenire potuit, quam haec, quod ſub patrocinio tantae reginae ſim? cuius virtutum laudes antea depraedicandae incredibiles videbantur. Nunc, vbi plura quam dicebantur reperi, inenarrabiles eſſe, non ſine poenitentia praeteritae incredulitatis profiteor. Paria enim, clementiae et roboris animi eius, encomia exprimere, non mei ingenii eſt, et ſatius, ſtupere virtutes tantas, colereque ſilentii veneratione. Quid prudentiam et prouidum aduerſus grauia animum memorem? Quid de aliis virtutibus dicam, quae ad immortalitatem famae conſpirarunt? Fallitur ergo quisquis ſiniſtrum aliquid cum tanta et tam prouidenti regina in patriam machinari interpretatur, cum hic non coeco impetu res fiant, ſed profundo conſilio et auctoritate, prout praeterita eius geſta indicant, et demonſtrant. Aut melius foret, ſi a barbaris infidelibus, aut iuxta multorum opinionem a Coſacis auxilium implorarem, quod conſilium in ſimili ac tanta ſui oppreſſione alius ſequeretur.

Cum igitur in Suecia commorer, et non irritum fore pacis nomen arbitrer, intimo affectu patriae opto, foederis cum regno Sueciae aeterni conſtitutionem, et omnium praetenſionum differentiarumque obliuionem. Formidabiles namque eſſent cuilibet hoſti, coniuncti regnorum animi, et quodlibet ingruens periculum facile arceretur. Aut non eſſet nobis proficua, hoc deterrimo rerum noſtrarum ſtatu regni Suedici amicitia, ſi regno noſtro continuis domeſtici et externi belli ſumtibus feſſo, tantis et tam victricibus, quae non otiantur, ſuccurreret armis. Noſtri quoque muneris eſſet, tempore neceſſitatis illis ſimile auxilium praeſtare. Quae omnia breuiter, ex meo debito in patriam amore, innuendum eſſe duxi. Conſtitueram in meo animo, priuatis meis literis, tam ad ſenatum, quam ad equeſtrem ordinem, dolorem meum in beneuolum ſinum deponere, fraternumque auxilium implorare: ſed cum exemplum iactati illius famuli a principe, de quo ſuperius ſcripſi, praeteritis comitiis, prae oculis verſetur, potius viſum typo haec omnia breuiter, ſed ſimplici veritatis ſtylo, intimare. Rogatos eſſe velim, quemcunque malefactorum conſcientia exagitabit, ne hac veritate, quae celari non poterat, irritentur. Vereor tamen, vt conſequi poſſim. Proprium eſt humani generis odiſſe, quem laeſeris. Si ergo inuenietur talis Zoilus, qui velit reſcribere, reſcribat ſane, dummodo ſtilo veritatis et in omnibus huic ſcripto aſſentietur. Si vero criminationibus et conuitiis laborabit, nec pigebit pari ſtilo ſed diſpari virtute reſpondere, et illa, quae ex multis reſpectibus celata, detegere, et demonſtrare.

LIBRI IV. CAPVT VIII

SYNOPSIS

Literae Radzieieuii ad Chmielnicium. Radzieieuius ex Suecia legatum mittit ad Chmielnicium. Relatio de Radzieieuii legato et legatione. Apologia Radzieieuii.

Credibile eſt huic manifeſtationi, quae incertum quo auctore ſparſa venerit, adiunctas eidem fuiſſe literas, quarum occaſione criminis maieſtatis a republica notatus ſit. Harum autem literarum hic tenor fuit: 1652

Illuſtriſſime Domine Zaporouienſis exercitus Dux,
Amice colendiſſime,

Literae Radzieieuii ad Chmielnicium.

Quem finem obſequia mea ab ineunte aetate diuis regibus Poloniae cum diminutione fortunarum mearum praeſtita habuerint, pene iam vniuerſo conſtat orbi. Cauſa primaria regiae in me indignationis, quod primus auſus fuerim ſub Bereſteszko de aeterna ſtabilienda cum Zaporouiano exercitu pace mentionem iniicere. Hoc ipſum princeps interpretabatur ſcelus, quaſi qui cum D. T. ſecretam colerem amicitiam. Hinc ſaepius obiiciebat mihi, meo vnius ſtetiſſe capite, quominus nobilitas vniuerſa Kiiouiam vſque progredi voluerit. Inde ſumta ſpecioſa criminationis cauſa, me primo dignitate, quae eſt aduitalis, deinde regalibus bonis, quae ab aliis Poloniae regibus ſucceſſor habui, poſtremo vita ipſa, niſi euaſiſſem, ſpoliare conſtituit. Spoliatus itaque omnibus fortunis bonisque meis, profugusque in terram alienam, diu mecum dubitabam, quam ſecuram mihi eligere poſſem ſtationem. Ac principio ſtatim placebat Zaporouiano fortunas meas, vna cum profuga vita committere, ſpe haud modica fretus, benigne me acceptaſſe reſtauratores libertatis Ruſſiae. Rurſus poſterius dubiae haerentique occurrit menti conſilium: Concedendum in illum locum, in quo non mihi ſolum, ſed et toti Zaporouiano prodeſſe poſſem exercitui. Cuius rei perficiendae, totius orbis aſſylum Sueciae elegi regnum, illiuſque moderatricem Sueciae reginam. Admiſſus in conſpectum Amazonis, meas calamitates et oppreſſiones, ab inuidis quas patior, palam lamentari coepi. Ingemuit clementiſſima princeps tot oppreſſo aerumnis, meque bono animo eſſe iuſſit, ſuum in omnibus pollicita patrocinium. Adieci et cauſam Zaporouiani exercitus, qualiter Ruſſis violauerit iura princeps, quibus vt opitularetur, humiliter petii, nec regina abnuit, pollicita eam cauſam ſibi curae fore. Hoc ego obtento a regia maieſtate reſponſo, ocius equitem Iaſinski famulum meum ad Zaporouianum dimiſi exercitum, cum Sueciae reginae affectus ſatis erga vos prolixi teſtificatione, duo a veſtro exercitu ſollicite poſtulans: Primum, vt quantocius vna cum meo veſtros Stokholmiam ab exercitu Zaporouiano expediatis legatos Graecam linguam callentes, ſcilicet vt eo liberius cum regia maieſtate, quae haſce loquitur, colloqui poſſint, et de rebus abſque interprete tractare: Alterum, vt is, qui ablegatus in regiam futurus eſt, plenariam facultatem tractandi et concludendi habeat, tam Dom. T. illuſtr. quam nomine totius Zaporouiani exercitus. Reſidentem perpetuum in aula Sueciae, vt habeat Ruſſia neceſſe eſt. Caeterum reginam ſcirent eſſe, quae omnes hoc ſaeculo reges ſuperaret, prudentia incredibili, heroum magnanimitate, ducum virtute bellica

1652 iuxta et artibus pacis, quod dicit, facit ſemper, fidem datam fallit nunquam, teſte vniuerſa Europa. Haec breuiter inſinuaſſe, ſufficiat, vos videritis, quantum bonum Ruſſiam maneat, ſi tempeſtiue rebus veſtris conſulere volueritis. Valete et ſic mihi bene precamini. Hae literae reddantur famulo meo, quas receptas, vt illico vulcano tradat, moneo, ne forte ad manus deueniant principis. Stokholmiae d. 30 Maii 1652.

Illuſtriſſ. Dom. T.

Amicus bonus

Hieronymus Radzieiewski,
Vicecancellarius Poloniae.

Radzieieuius ex Suecia legatum mittit ad Chmielnicium.

Haec ſumma Radzieieuii literarum. Adiecit et alias ad Wychowski, famoſiſſimum Chmielnicii conſiliarium, in quibus eadem continebantur, quae ad ipſum ſcripſerat Chmielnicium. Has literas per fidum famulum cognomento IASINSKI ad Chmielnicium, vt innui, expediuerat: Iret Czechryniam in regiam Chmielnicii, eiuſque nomine ſalutaret Chmielnicium, totumque Zaporouianum exercitum. Has literas diligenter ſeruaret, magni momenti rem in iis verſari. Legatione functus, ocius Gedanenſi, tanquam compendioſiori reuerteretur via. Ferunt Iaſinski, vbi de Chmielnicio audiuit, ſubmiſſe a domino petiiſſe, quidnam iis ad Chmielnicium contineretur literis? reſpondiſſe Dominum, nihil aliud in iis contineri literis, quam ſui memoriam, nempe ſubaudiuiſſe Coſacos iterum aggredi velle Polonos, orare proinde Chmielnicium, vt, ſi victor extaret, ſui non obliuiſceretur apud rempublicam. Iuſta imperaſſe dominum Iaſſinio videbatur, neque ille legationem abnuit, omnia hero pollicitus executurum ſe ad amuſſim. Ita bene animatum Iaſſinium, multis adhaec oneratum promiſſis, Radzieieuius in Poloniam, et inde in Ruſſiam dimittit, ſolenni prius adactum ſacramento, nemini mortalium ſecretam reuelaturum legationem. Soluit ille Stokholmia Gedanum ſecundis ventis, hinc Leopolim vrbem, Ruſſiae metropolim perrexit, vbi depoſito occidentali habitu, orientalem induit, edoctusque Chmielnicium Czehrynii degere, recta illuc ſe contulit. Caſu tunc poſt cladem Batouianam Nicolaus Zacwilichowski, intimus regis, neſcio quo fato, ab amico ſeruatus Coſaco, paulo poſt legatione perfungitur a Chmielnicio ad regem, pridem et ipſi notus Chmielnicio. Dum igitur iter faceret, accidit, vt in hunc Iaſſinium fortuito incideret caſu, quem vbi primum conſpexit, ratus hominem ex caſtris Polonorum, a Potocio, palatino Podoliae, ſupremo exercitus Poloni duce, haud ita pridem in locum occiſi ſuffectum Kalinouii, ad Chmielnicium miſſum: Quidnam in caſtris ageretur Polonorum, blande interrogat. Ille ſtrictim reſpondit, ſe non ex caſtris, ſed a Caſtellana Cracouienſi ad Chmielnicium miſſum, in negotio eius filii, gubernatoris Crasnoſtauienſis. Replicat Zacwilichowski: Fruſtra illum ad Chmielnicium tendere, gubernatorem Crasnoſtauienſem certiſſime obiiſſe: Caeterum, ſi vltra adhuc ad aliquot pergeret leucas, illum infallibiliter a promiſcua Coſacorum trucidari manu, quam ſi adhuc forte euaſiſſet, quod vix credibile, Chmielnicii furentis manus certiſſime non euaſurum. Se quod attinet eſſe legatum a Chmielnicio ad regem miſſum, conuerſus deinde ad milites, qui mandato Chmielnicii Zacwilichouium, vt legatum, ſecuritatis cauſa comitabantur, niſi hi adfuiſſent, inquit, centies a Chmielnicio digreſſus periiſſem, idem ne tibi eueniat, caue. Nihil haec verba Zacwilichowii mouerunt Iaſſinium, pergere ille conſtituit, mandata Caſtellanae, quae acceperat, quantocius executurus. Itaque dicto vale Zacwilichouio, ab eodem, vno duntaxat comitatus ſeruo, digreditur. Dat ſe et Zacwilichouius in conceptum ad regem iter. Digreſſus a Zacwilichouio Iaſſinius coepit intentius verba Zacwilichouii intra ſe agitare, ſtimulante forte conſcientia, et mortem, quam ei certiſſimam praedixerat, ſubuerente. Hinc mox ductus poenitentia, verſis habenis aſſequitur Zacwilichouium circa veſperam. Neque mora rem, vt erat, exponit, ſe a Radzieieuio ex Suecia ad Chmielnicium cum literis miſſum veniſſe, caſtellanae nomen finxiſſe, quo ſecurior eſſet tranſitus. Deinde literas Radzieieuii Zacwilichouio tradit, ſoluit ille coram, lectiſque literis, o te proditorem, inquit, patriae, quisquis es, in vincula ſi coniectus, latro: Ne dubita, regi ego breui te ſiſtam Varſauiae. Mox nulla data feſſis equis quiete, ad caſtra pergit Potocii, quae vbi attigit, reum Iaſſinski Potocio ſiſtit, iuberet optime cuſtodire perfidum, quoad vſque

Relatio de Radzieieuii legato et legatione.

regi

regi de tam nobili non ſignificaſſet praeda. Paulo poſt deinde Zacwilichouius Varſauiam 1652
venit, legatione perfunctus Chmielnicii, quae tantum in ſpeciem erat, nempe vt regem nomine ſuo ſalutaret, ab eodemque veniam delicti poſceret, breui quoque adfuturos Coſacorum ſignificaret legatos. Oſtendit deinde binas Radzieieuii ad Chmielnicium et Wychowski literas ſcriptas. Attonitus rex in facto tam graui, Iaſſinius, vt Varſauiam vinctus adduceretur, imperat. Venit ille ſatis ſibi compos, regio ſtatim iuſſu carceri traditus, tandem et inquiſitioni, ad quam delegati mareſchalcus regni maior LVBOMIERSCIVS, ANDREAS TRZEBICKI, regens tum cancellariae et DANIEL ZYTKIEWICZ, inſtigator regni, omnes tres ea tempeſtate aemuli Radzieieuii, quibus innocentem ſe reus exhibet, relato negotio, vt factum erat. Cognita iudices ſpontanea literarum Zacwilichouio traditione, reum iterum carceri mancipant, dilata cauſa ad futura regni comitia, in quibus poſtea idem Iaſſinski abſolutus eſt.

Radzieieuius vbi audiuit Iaſſinski captum, in vinculis apud regem Varſauiae detineri, ſecreta ſua euulgata, poenam perduellionis, publico comitiorum decreto in ſe ſancitam, haud mora apologiam in Poloniam, per homines fidos, ſuper noua a rege oppreſſione transmittit, quam in haec verba conceperat:

Apologia Radzieieuii.

Veritatem, a primis mundi initiis, odium comitatur, et ſequi verum, nihil aliud eſt, niſi odia hominum in ſe contrahere. Eandem apologia mea, vtpote tutam et vulgarem retulit gratitudinem. Vidit eo acriorem principis inuidiam, quae, quia mihi, ſub inexpugnabili Sueciae tutelae clypeo degenti, aliter nocere nequibat, niſi nouis et fictitiis inſtigatoris Zytkiewicii inuentionibus, vt certiorem ſpolii mei poſſeſſionem habeat, adhibitis, vltimum confidentiae et tanto annorum ſpatio comparatae reputationis ornamentum, auferre mihi nititur et conatur. Aperio ergo toti mundo, et proteſtor, nouam mihi, et praeterita grauiorem inferri oppreſſionem. Fortunarum enim omnium, cum ſtupore mundi, iactura, exilium et ſalutis diſcrimen, leue quidpiam videtur mihi, ſed magnum eſt, quod virtutis et reputationis bonae, quae vita potior eſt, quae nec datur, nec eripitur, tantam patitur laeſionem. Exilio morteque grauior famae priuatio eſt, et ruina illius, corporis atque animae interitui comparatur. Ne innocentia veras voces promat, falſas in eius oppreſſionem calumnia ingerit. Peſſimis itaque inſtigatoris Zytkiewicz inhaerendo conſiliis princeps propalauit, Chmielnicium Zaporouiani exercitus generalem, meo inſtinctu et ſubordinatione omnia machinari, diſperſionemque et cladem exercitus, mea ſuggeſtione ortam eſſe: Et in confirmationem horum in comitiis regni, ruinam reputationis confidentiaeque apud rempublicam meae fabricaturus, produxit literas, quaſi mea manu ſubſcriptas per Iaſſinium ad Chmielnicium generalem miſſas, et quaſi in literis illis coniunctionem armorum cum regno Sueciae generali Coſacorum ſuaſerim, ligas conferentiasque conciliauerim, per hoc toti reipublicae rebellionem denunciauerim et ſimilia. Sed haec omnia falſa ſunt, et Deo melius cognitae machinationes, cum et Iaſſinski ille fuerit quidem famulus meus, vt et tot alii. Verum cum iam ſeruitiis meis renuntiaret, domumque rediret, tum certa ad amicos occaſio non omittenda videbatur, vt incuriae oppreſſionisque meae in regni comitiis memores ſint. Dedi varias literas cum ſubſcriptione manus propriae, et cum ſigillo volante, propter commodiorem ad varios DD. Senatores et officiales regni, tunc praeſentes in comitiis, ſcriptionem, pro arbitrio et iudicio ſcriptorum. Rex igitur nuntio Dantiſco accepto Iaſſinski ex Suecia redire, confeſtim illum ſpeculari, comprehenſumque adduci imperauit. Praemonitus ille, cum hic illic vageretur, habitaretque in locis regi incognitis, notam habens praeter ea, regiam contra me offenſionem, qui ex illis quoque, qui penes me fuerunt, vindictam ſumeret, cum etiam ipſo facto exploratores regii inuigilarent ipſi, tandem ſedulam quaerentium non euitauit operam, inuentiſque penes eum membranis, vſus opportunitate in quibusdam, literarum copiam ad Chmielnicium Coſacorum ducem ſcribi imperauit, et in fine comitiorum ſenatoribus nuntiisque terreſtribus perlegi curauit, aſſerendo illas a me ſcriptas eſſe, quod falſiſſimum eſt, neque illa corroborari poteſt probatione.

Allatis lectiſque in conſeſſu publico hiſce literis, ſenatores et nuntii attoniti, cum ſtupore audiendo, quod nullam habuerint informationem, ſilentio ſteterunt, quod ſilentium pro conſenſu a principe acceptum, et impreſſa typis poena perduellionis praeter ſcitum et conſenſum reipublicae. Quae conſtitutio conſiſtere nequit, collapſa libertate.

1652 Legibus enim et veteribus conſtitutionibus patriaeque conſuetudini violentiam infert, cum praeſcriptus ſit iudicandae perduellionis proceſſus in conſtitutionibus regni, quibus rex attendere iuramento pollicitus eſt. Citationes extradi, patroni cauſarum addi, beneficia iuris concedi, inquiſitio ſcrutiniumque fieri, et conuinci prius, et rex ipſe a iudicio abeſſe debet. Soli ſenatui, et certo numero praeſcriptis nuntiis terreſtribus permittitur iudicium perduellionis. Nunc autem quis non conuulſas eſſe leges fatetur? quando ſine citatione, ſine iudicio, quod ex actore, iudice, et reo conſtare ſolet, ſine documentis et inquiſitionibus, (nam ſi mea manu literae ſcriptae forent, hoc certum documentum eſſet, ſed aliena et incognita manu ſunt ſcriptae, et litera non erubeſcit) inſons, ſine conuictione, abſensque condemnatus, totique mundo ad inuidiam traditus ſim. Poſſet ne maior oppreſſio excogitari? Habemus autem tot exempla, a Deo iniuſtitias puniri, et transferre imperia et regna. Eane conſequentia inferenda, qui miſer, ergo reus? Sunt alicui praeſto nocendi occaſiones, ergo et animus? Si crudelitatis ingenium talem inferre concluſionem poteſt, quis innocens erit? Afferunt mihi tot occaſiones peccandi, ſed animus nocendi in tantum patriae meae deerat, in quantum ego nullam retuli laeſionis cauſam. Illa mihi vnica mater eſt, ego autem quamuis indignus eius filius, illa me ſuſcepit, aluit, prouexit. Paucorum in odiis et calumniis, a quibus nulla maieſtas tuta eſt, peruerſus ſum.

Quod extra Poloniam profectus ſum, eo tempore huic medio conſenſi, quando in ſinu legum, in iudicio tribunalitio pacem maieſtatis mendicanti vis maior et minae principis nuntiabantur. Quibus aparte ingruentibus ſaluatoris ipſius conſilium ſequutus ſum, de ciuitate in ciuitatem cum vita migraturus. Et in primis Romani imperatoris fidem imploraui, prouocatus tot praecedentis ſaeculi exemplis, arbitratusque primum maieſtatis attributum eſſe, miſeris prodeſſe, ſupplices protegere, ſperabam me non faſtigii ſolum ſed etiam ſanguinis conſortio, apud regiam maieſtatem ab omni ſuſpicione fore purgatorem, ſed illic ſiniſtris inimicorum obſtantibus interpretationibus non obtinui ſperatam conſolationem. Inde ad ſereniſſimam atque inuictiſſimam reginam Sueciae confugere conſilium fuit, et hic ſacroſanctum regis mei ſanguinem veneratus ſum, cuius auxilio ſperabam me in gratiam principis rediturum. Ad hoſtem patriae, inquiunt, conceſſiſti. Cum foedus cum illis habeamus, cum pacem perpetuam tractemus, illi, vt video, nobis non ſunt hoſtes, et amicitiam illorum nobis expedit habere. Nonne ſenſiſſet iam reſpublica, regni iſtius aduerſitatem? nonne adfuit illis occaſio quando diſſipatus a Pilauieciis exercitus, tempore interregni, interitum fere reipublicae attulerat? quando hoſtis Lublinum iam aduentauerat? Idem in Zborouienſi expeditione, quando vnum exercitum obſederat hoſtis, cum altero impares hoſtili potentiae, pacta ad libitum conceſſeramus. Generalis deinde ad Bereſtescum expeditio, quando omnes regni vires in hoſtem verſae, eum in Vkrainam vſque perſecutae fuerant, regnum autem omni ſubſidio deſtitutum vltimo patuerat interitui, nonne facile ſubuertendi illius praebebat regno Sueciae occaſionem? Ad extremum, quae difficultas illis fuit, quando facta cum Romanorum imperatore pace, tantos et tam inexpugnabiles exercitus per Sileſiam, adeo regno Poloniae proximam prouinciam, vt inde in Poloniam bellum mouere facillime poſſent, ex Germania reduxerant? niſi illis ſacroſancta fides obicem feciſſet, et temperatus fortitudinis vſus diſſuaſiſſet. Immo ea ipſa talis inuentio, tam iniuſta regni iſtius inſimulatio, et adeo ingens diffidentia potens eſt, vt poſſit pacta rumpere, niſi conſtantiae ratio et ſolennis pactorum obſeruatio obſtaret. Quid enim acerbius eſſe poteſt, quam per latus meum petere fidem regni Sueciae et in conſtitutione typis inprimi pro foedifragis, totique mundo famam illorum ſi niſtre interpretari. Peſſime certe conſuluit ille, qui hunc modum procedendi principi obtulit. Cum igitur omnis rectitudo, diuerſis oppugnari ſoleat oppoſitis, nemini dubium ſit, hanc nefandam oppreſſionem in extremam reputationis meae perniciem inſtitutam: ſiniſtris iam de reputatione mea rumoribus, expugnare nituntur aduerſarii mei confidentiam in rempublicam meam, et tam incredibiles atrocitatis ſuae voces in eam, quam tot annis in patria peperi, famam exerunt. Verum tale medium ad oppreſſionem, meaeque apud nobilitatem famae et confidentiae ſubtractionem adhibitum eſt; et eodem modo, ne oppreſſam in me libertatem nobiles vindicarent, proſpectum deinde, vt facilius contributiones nobilitati conſternatae perſuaderi poſſint. Et hic fuit ſcopus eiusmodi contra me fabricationis, delendaeque meae reputationis. Occludite ergo omnes ad ſubdolum maleuolorum ſibilum aures, et ſiniſtram de me non admittite opinionem. Praeſto ſupremum numen

manifeſta vltione deſaeuiet, et eriget tam iniuſte oppreſſum iuſtus Deus, praebebitque afflicto conſolationem. 1652

Tali ſcripto Radzieieuius miſeros ſuos deflebat caſus, apud ciues et exteros. Sed fruſtra haec ille memorabat. Manus eius toti regno nota, famulus quoque Iaſſinski nondum equuleo ſubiectus omnia, faſſus, vera eſſe, quae ſcripſerat Radzieieuius.

LIBRI VI. CAPVT IX

SYNOPSIS

Coſacorum legati Varſauiam veniunt. Illorum oratio. Reſponſum Polonorum. Coſaci ad Chmielnicium dimittuntur. Pacis conditiones Polonorum, Chmielnicio per legatos propoſitae. Literae regis Poloni ad Chmielnicium. Chmielnicius vxorem ducit Valachiae principis filiam. Nuptiarum ſolennia Chmielnicii in Valachia. Moritur Matthias Lubienski, archiepiſcopus Gneſnenſis, aliique proceres. Diſtributio dignitatum. Peſtis Poloniam peruagatur. Louicium deſcribitur. Chmielnicii reſponſum ad Poloni regis literas, ac Zacwilichouii legationem. Quid ad haec Polonus rex. Cometes viſus. Rex Breſtiae ordinum conuocat comitia. Literae Georgii Rakocii ad Polonum regem. Reſpondet Polonus rex literis Rakocii. Trzebicius deſignatur vicecancellarius regni.

Coſacorum legati Varſauiam veniunt.

Illorum oratio.

Reſponſum Polonorum.

Coſaci ad Chmielnicium dimittuntur.

Dum haec Varſauiae aguntur, interea Coſacorum legati iam adulta aetate adueniunt. Induuiae deformes, et vultu, quanquam moeſtitiam imitarentur, contumaciae propiores. Admiſſi poſtea in regium conſpectum identidem ſupplices orabant nomine Chmielnicii: ignoſceret lapſis et duceret in externos hoſtes. Redditum illis reſponſum a vicecancellario regni nuper declarato, Stephano de Pilca Korycinio: Regem poenitentiam ſubditorum, quam poenam malle. Remittere Chmielnicio quidquid peccaſſet in rempublicam, ea tamen lege, vt eluat hanc nouiſſimam maculam, iraſque ciuiles in exitium Tartarorum vertat. Breui quoque adfuturos legatos, qui mentem regiam et interiorem reipublicae ſenſum aperiant. Ita animatos dimiſit ad Chmielnicium. Neque mora, eundem Zacwilichouium, tribunum, cum Sigismundo Czerni, vicegubernatore Bialocerkuienſi ire legatos ad Chmielnicium iubet.

Pacis conditiones Polonorum, Chmielnicio per legatos propoſitae.

I. Fatalem demonſtrarent Chmielnicio rabiem, quae illum diuinae humanaeque maieſtatis faceret reum. Primum ſaltem erga Polonam rempublicam fidei et conſtantiae oſtenderet diem, regia clementia iam ſatis abuſum. Reuocarent illi in mentem, quantum ſanguinis Chriſtiani effuſum, quot hominum myriades Turcis, Tartariſque in duram traditae per illum ſeruitutem, quoties iurata in ludibrium foedera, quot ſacerdotia monaſteriaque ſpoliata, quot domus Dei profanatae, quoties hoſtiae ſacroſanctae conculcatae; Ablegati Byzantium ſaepius legati, ſollicitati ad arma contra Polonos vicini principes, reuelata et detecta reipublicae arcana conſilia, quae occultari debuerant, denegata occiſis ſepultura, qua etiam patriae hoſtes non carent, in captos ſumma ſaeuitum tyrannide. Sed eſto, omittantur haec quaſi vetera, quanquam ſint plus quam recentiſſima, condonentur bellico furori, ſaeuientique ab vtrinque marti. At iterum rediuiuum recrudeſcit vulnus in Kalinouii deleto exercitu, amiſſoque flore principis iuuentutis. Horum tamen omnium veniam illi nomine regis et totius promittent reipublicae, quam gratiae magis, quam vindictae poenitere malle.

1652 II. De ſtabilienda ab vtrinque perpetua pace mentionem iniicient, mediatore aſſumpto principe Valachiae.

III. Obſides, vt ſint tam ex parte Coſacorum exercitus, quam ex parte ipſius Chmielnicii, cuius filius natu minor, vt in regia Poloniae educetur, ac pro obſide habeatur, expoſcent commiſſarii.

IV. Chmielnicio, eiusque domui magnos promittent honores in republica: Reliquis vero tam nobilibus, quam plebeiis, qui durante hoc bello Chmielnicianas ſecuti ſunt partes omnimodam amneſtiam. Coſacis inſuper praecipuis perſuadebunt: Tarda eſſe quae in commune expoſtulantur: Priuatam reipublicae gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias.

V. Locum tractandi de mutuis foederibus et aeterna ſtabilienda concordia, eligant, vna cum Chmielnicio commiſſarii.

VI. Reuocabunt in mentem Chmielnicio, quae ille per legatos ſuos propoſuerat regi, nunc illud tempus eſſe obliterandae ſeditionis, pergerent in Tartaros, properarent in hoſtes, culpam in decus verterent. Caeterum negabunt, terrore et minis vinci poſſe rempublicam, flexos ad modeſtiam ſi videat Coſacos, ſi ſupplices audiat, poſſe preces illorum excipere, meliorique reddere menti.

His mandatis addidit et ad Chmielnicium rex priuatas literas huiusmodi tenoris:

Literae regis Poloni ad Chmielnicium.

Eius ſe opinionis extitiſſe, iuratam fidem Chmielnicium nunquam amplius violaturum, quod contra accidit, vltra ſpem, praeter expectationem, citra datam fidem. Meminiſſet ſaltem foedifragus vindicis Dei, qui ferreis quandoque in illum vteretur manibus. Nulla laceſſitum aut prouocatum Polonorum iniuria, auſum eſſe hoſtiliter caſtra, et vna Generalem aggredi Kalinouium. Si dux peccauit, ſi miles in foedera, num alia deerat vlciſcendi via, quam ſanguinis? Tibi ſanguine innutrito hoſtias innocentium offerre, laudis reipublicae illudere, virtus erit, et hoc impune? Quis credat poſt toties caeſos exercitus, te veram orare pacem? nempe rem, quam victoriis elatus maxime odiſti. Haec tamen per me regnet, ac ſemel ſtabilita aeternum perennet, in omnium tuorum Coſacorum animis. Experire adhuc clementem rempublicam, qua pridem indignus es. Habe remiſſionem nouiſſime patrati criminis, qui mille promeruiſti cruces et mille patibula. Agnoſce vno verbo regiam Noſtram in Te beneuolentiam, quam nomine Noſtro Tibi offerrent legati, Nicolaus Zacwilichouius cum Sigismundo Czerni, vicegubernatore Bialocerkuienſi.

Haec dum in Polona geruntur aula, interim Chmielnicius ſubſidium quaerens dominationi, Timotheum primogenitum, victoriae Battouianae ſocium, geminatis laudibus apud Roxalanam extulit plebem. Mox nobili coniuge, ſuam ignobilem auxit domum. Nam DVMNAM ROSANDAM, principum Valachiae et Moldauiae illuſtrem ſanguinem, in ſuam induxit familiam. Actum id Iaſſiis, metropoli Valachiae vrbe, die XXXI Aug. modo et ordine eo, qui ſequitur:

Timotheus Chmielnicius vxorem ducit Valachiae principis filiam.

Poſt debellatum Kalinouium, attritas Polonae reipublicae vires, imminutas opes, deſperata ſociorum auxilia, obſeſſum Camenecenſe propugnaculum, victor vniuerſae Ruſſiae Podoliaeque Chmielnicius, legatos ad Lupult Valachiae principem miſerat, principem filiam eius, cuius amore ipſe deperibat, in ſociam vitae et thori pro filio ſuo depoſcens. Annuit haud mora Valachus Chmielniciano Hymenaeo, non auſus palam refragari, cuius potentiam formidabat, vicino ſibi ob oculos et praeterito propoſito periculo. Neque Chmielnicius diu in incerto pendere volebat principis mentem, cuius iam certus intra ſe erat.

erat. Obſidem ergo datae fidei petiit principis nepotem, quem breui Cehrinii habuit legatum. Hoc duceTimotheus Iampolum venit, vbi principis filiae legatum Thomam cognomine reperit. Venerat hic mutato habitu, vt priuatus ſalutaturus Timotheum, nomine principis filiae. Sequenti deinde die perrexit Sorocum, vrbem iam Valachicam, vbi germanum principis inuenerat fratrem, cum parte Valachici exercitus, cuius quatuor numerabantur millia, exceptus ab illo, regio hoſpitio, inde per Bielacki, Prutki, et Cricani, iter faciens, Iaſſos venit vrbem Valachiae metropolim. Hic iam obuium habuit ipſum principem, quem ſuperbe pharetrati orientis more mixti Valachis ante cedebant Turcae. Aderat et Chmielnicius Coſacorum ſtipatus agmine, quem aduentantem alto edito prius ſuſpirio complexus princeps, poſtremo capiti eius impreſſo oſculo, poſt explicatam diſertis verbis eius aduentus gaudiorum materiem, ſubire vrbis tecta petiit. Chmielnicius patris quoque complexus genua ſatius duxit tacere, quam aliquid eloqui ſtulte. Nullo igitur reddito reſponſo patris adequitauit lateri, quem deducebant Valachi, Turcae et Cingari. Ingens certe apparatus, quo tota paſſim prouincia confluente excipiebatur Coſacus, vrbana comitate, ludicris, ſaltationibus, choreis et muſica. Completa haec nuptiarum ſolennia Auguſti die XXXI. Opus deinde laeta conſummatione perficitur. Indictae ab vtrinque largitiones publicae et priuatae, dotiſque nomine et titulo data duodecim aureorum millia vna cum filia cariſſimo pignore. Die tandem ſexta Septembris patri valedixit Chmielnicius, Ruſſiamque et cum coniuge repetiit, quem abeuntem princeps extra vrbis moenia pari veneratione, qua induxerat, iterum reduxit. 1652

Nuptiarum ſolennia Chmielnicii in Valachia.

Eadem circa tempora MATTHIAS LVBINSKI, archiepiſcopus Gneſnenſis, legatus natus regni, Poloniae primas, primusque princeps, mortalitatem expleuit. Illi octuaginta et vltra anni ſpatium viuendi fuere, qua etiam tum aetate rebus haud impar erat regendis, curſu honorum inoffenſo. Primo epiſcopus Chelmenſis, deinde Poſnanienſis, tandem Vladislauienſis, magna laude procurauit res Polonas, vita et moribus innocens, ſagax et quam maxima doctrina valuit, arcanorum regni ſumme peritus. Tenues illi opes pro longa adminiſtratione, ex quo patuit, res Polonas procuraſſe ipſum magis quam ſuas, quod raro in Polonia, eoque magis laudabile. Hunc paulo poſt ſecutus eſt ALEXANDER IOANNES comes TARLO, palatinus Lublinenſis, vir integer et rectus, extrema fractus ſenecta. IOANNES item GRVDZINSKI, palatinus Caliſſienſis, opibus, Iob, ſi ex antiquis, ſi e recentioribus Lucullo, Craſſo et Varroni comparandus. Et quanquam toto ſuae vitae tempore dubius fuiſſet apud pleroſque catholicus, in agone certe vt Chriſtianus vere catholicus plenus dierum, in odorem finiit ſuauitatis. Horum morte vacuas dignitates rex in hunc modum diſtribuit. Archiepiſcopatum Gneſnenſem ANDREAE comiti a Leszno, epiſcopo Culmenſi, ſupremo regni cancellario, Culmenſem IOANNI GEMBICKI, maiori regni confert Secretario. Ad ſecretariatum MARTINVS STARCZEWSKI, mortui archiepiſcopi ſorore genitus, tunc referendarius euehitur, an deprimitur incertum, qui anni ſubſequentis exordio tetra conſumtus melancholia, in ſuburbana Varſauiae villa moritur relicto loco ſucceſſori, STEPHANO WYZGA, regio eccleſiaſticae, abbatiae Seciechouienſis adminiſtratori, viro in ſequentibus annalibus meis ſaepius memorando. In referendarium fauore reginae promouetur NICOLAVS PRAZMOWSKI, regens cancellariae minoris, caſtellani Varſauienſis filius. Haec de clero. Saeculares quoque dignitates, nempe duo palatinorum ſubſellia intermortuorum, rex largitur filiis, nempe vtrique patri mortuo ſuperſtes ſuccedit filius. Huic IOAN. TARLO, illi ANDREAS GRVDZINSKI, Caſtellanus Nakielcenſis, qui paulo ante capeſſitum hunc honorem, non Dei, non hominum memor, in horrendum adulterium primo lapſus, mox amore deperitae mulieris, homicidio infamauerat ſe et ſuos, ſublato e viuis per ſummum nefas innocente marito, equite Zawacki. Moritur Matthias Lubinski, archiepiſcopus Gneſnenſis.

Diſtributis in hunc modum officiis, rex Varſauia Louicium ſecedit, ob graſſantem vndique peſtiferam luem, quae toto hoc anno atrociter, in minori primum Polonia Cracouiae coepit, deinde latius diffuſa, mox vniuerſam peruagata eſt Poloniam, a qua mala Dea nullus, hoc et ſequenti anno, in toto regno angulus tutus. Eſt autem Louicium ciuitas Maſouiae ad Bzuram amnem ſita, Maſouiae ducum quondam amoenum domicilium, archiepiſcoporum Gneſnenſium ſedes. Peruenit autem in Gneſnenſis archiepiſcopi ditionem circa annum Chriſti M CC XL, quo tempore Conradus, Lanciciae, Maſouiae et Cuiauiae princeps, Ioannem Czapla, cancellarium ducatus, Plocenſem et Cuiauienſem ſcholaſticum, in crucem agere iuſſerat. Dein facti atrocitate perculſus, poenitentiaque Louicium deſcribitur.

1652 ſuſpendii aductus Petro Gneſnenſi tunc archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus, vt Longini loquuntur annales, villam LOWICZ cum ſiluis et nemoribus eam in circuitum ambientibus, quae quondam ducalis venatio habebatur, dedit, perpetuiſque temporibus donauit, vna cum filiis Boleslao Maſouiae, et Caſimiro Cuiauiae, ducibus. Ita ab eccleſia tunc excluſus Conradus, in gremium matris iterum reuocatus eſt, acta donationis approbante GREGORIO IX, ſummo pontifice [53]). Porro oppidum hoc multo ſplendidius reddidit Iaroslaus archiepiſcopus, arce in coenoſis paludibus, cum natura, tum opere munitiſſima extructa, quae turribus et aedificiis quadrato e ſaxo conſpicuis, dignam archiepiſcopi ſedem praebet. Ipſa ciuitas ad vlteriorem Bzurae ripam ſita eſt, loco amoeno et ad omnes vitae neceſſitates peropportuno, latis plateis, areis ſpecioſis et cultiſſimis hortis mirum in modum exornata. Eccleſias habet operis haud perexigui, collegiatam venuſta ſtructurae ſymmetria praecellentem, tres parochiales, et conuentuales duas. Solum fertilitate nulli in Polonia cedit. Illud mirum videtur, quod in ſolo fere Louicienſi territorio, auiculam paſſere non multo maiorem, quam Snegulam Poloni appellant, eſu perſuauem, reperiri aiunt, quae cum niue ſimul aduenit ac diſparet [54]).

Chmielnicii reſponſum ad Poloni regis literas ac Zacwilichouii legationem.

Rex Louicio Grodnam in magnum ducatum Lituaniae regiam transfert, vbi publicatis futuris comitiis, Breſtiam Lituaniae ordines conuocat, nihil interim remittens de apparatu bellico quem in anno ſubſequenti videbimus. Sed ego ad Zacwilichouii legationem, ad arma, et exercitus Coſacorum iterum redeo. Functus legatione, Chmielnicio coram, Zacwilichouius, vna cum collega ſuo Czerni, elatum Chmielnicii, poſt celebratos filii Hymenaeos, longe magis quam ante obſeruauit animum. Nam quid ſuperbius et ſtolidius eius reſponſo, cum diceret: Nulla opus eſt clementia, inquit, nihil deprecor, qui nihil mali admiſi in regem, niſi hoc mihi inſtar criminis verteret respublica, quod centum Tartarorum totidemque Coſacorum millia poſt debellatum Kalinouium, in viſcera non miſerim regni. Filium quod attinet, nondum adoleuiſſe pro obſide, vbi adoleuerit haud defuturum ad obſequia regia. Honores ſe non appetere, quin imo vltro a fortuna delatos aſpernari, vtpote cuius vertici non ſemel regium immineret diadema. Eo reſponſo dimiſſi Polonorum legati rediere ad regem, qui furenti ſimilis, vbi audit Chmielnicium eo veſaniae delapſum, arma in Coſacos toto regno ocius expedire iubet. Sed Polonus miles, qui ſemper regum ſuorum aulaeque interpretatur mandata, ad obſequium flecti difficilis, et tunc in hyberna recens dimiſſus, vix anni ſubſequentis exoriente vere in caſtris comparuit, audax in oppidis, timidus in bello.

Cometes viſus.

Exeunte anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, viſus eſt cometes, die viceſima Decembris, inſtar nubis lucidae, magnitudine vnius pugnae, quae magnitudo ſenſim decreſcebat. Initio ſub laeuo Orionis pede oriri, hora ſeptima noctis obſeruatus ab aſtronomis, late deinde diffuſus in borealem plagam taurum peruagatus in Perſei euanuit ſiniſtra. Anni ſubſequentis die III Ianuarii, vt ex ſubiecta figura melius patet. Variorum hic cometes fatigauit ingenia, elicuit notas, non ſine aliquorum iurgiis. Quidam enim, portendi morbos peſtiferos et incognitos, qui late diffunderentur, famem praeterea, peſtem, malignas febres, contagioſos morbos, terrae motus, horrenda tonitrua, vehementes ſignificari iudicabant ventos. Quidam ſtatus mutationem, horrida bella, mortem ad extremum pollicebantur principis, ſeptemque continuis annis continuata per Europam pericula. Quorum commenta haud vana fuiſſe, tempus poſtea edocuit, optimus rerum magiſter [55]).

Exacta

53) Archiepiſcopus Gneſnenſis, cuius tempore, Louicium a duce Maſouiae Conrado, diluendi criminis cauſa, fuit archiepiſcopatui inſertum, erat Petrus III, archiepiſcopus XVII, cuius familia ignoratur. Vide vitam eius in bibliotheca Varſau. Tom. I. Part. III. p. 194.

54) Paſſeres niuales, qui ex Islandia, Gronlandia et Lapponia ſuper mare Balthicum hyemis tempore in Poloniam veniunt, non ſolum circa Louicium, ſed in multis etiam aliis Poloniae regionibus conſpiciuntur ac capiuntur. Delicatiſſimae hae aues, ſi pingues, eſui ſunt.

55) De futilitate vaticinandi ex aſtris cometiſque nil amplius dicam. Hoc tantum ad amouendas Polonorum praeſumtas opiniones annotandum videtur, cometas eſſe corpora ſeu globos huius vniuerſi, quoad extenſionem infiniti, magnos, qui non intereunt, ſed peculiare planetarum genus conſtituunt, certoque tempore iterum apparent. Horum cometarum motum inter omnes noſtris temporibus aſtronomos optime explicuit celeberrimus LEONHARDVS EVLERVS, in theoria motus planetarum et cometarum. Dices forte, ſi cometae nihil nobis ſignificent, quem tandem in finem Deus tam ſtupenda corpora produxit? reſpondendum: ille longe ſapientiſſimus vniuerſi auctor, qui omnia prudentiſſime conſtituit, etiam cometas non ſine fine creauit, iisque eiusmodi habitatores impoſuit, qui iſtis in globis bene ſe habent. Sed nil dicendum de planetarum ac cometarum incolis, cum tam multi adhuc reperiantur aſtronomiae expertes, qui aſtronomorum de planetarum incolis doctrinam irridentes ſibi perſuadent, immenſos vniuerſi et innumeros globos, in vſum tantum noſtri globi, qui ad vniuerſum vt punctum conſiderandum, imo nullam proportionem habet, creatos eſſe. Quidam non inepte iſtos homines pediculis iocoſe comparauit, qui, ſi ratione gauderent, ſibi imaginarentur, integrum hominem in vſum eorum creatum eſſe, quia tam commode nutrimenta in capite, porriginoſo inprimis, inueniunt.

1653 Rex Breſtiae ordinum conuocat comitia. a. 1653.

Exacta in otio hyeme rex Breſtiae in Lituania regni ordinum celebrat comitia, in quibus nihil niſi de bello promouendo, de contributionibus contrahendis toto tempore diſputatum eſt, lectae quoque pleno ſenatu, quem potiſſimum Lituani auxerant proceres, GEORGII RAKOCII, Tranſyluaniae principis literae huiusmodi tenoris:

Sacra regia maieſtas,

Domine clementiſſime,

Literae Georgii Rakocii ad Polonum regem.

Demiſſam meam confidentiam, quam in regia eius propenſione collocatam habeo, vel hoc pacto ſincere teſtaturus, ſcire eam volui, quomodo a palatino Valachiae, vti celſiſſimus princeps dominus parens et praedeceſſor Noſter magni nominis, ita et ego, cum conſoederato Nobis illuſtriſſimo domino palatino tranſalpinae Valachiae, ab ipſo palatinatus ſui primordio, clandeſtinis machinationibus et minis apertis laceſſiti ſumus. Etſi praeter vicinitatis iura vtrique Noſtrum etiam foederum nexu deuinctus fuerit, nihilominus in omnes occaſiones ſedulo intentus, quibus virus praeconceptum in perniciem noſtram effunderet. Proprio eloquio aduerſum hanc intentionem nunquam ſe deponere velle aſſeruit, hoc ipſum aliquoties iuramento confirmare non veritus eſt, vti ſuperioribus temporibus aperto etiam Marte in praedictum parentem principem transalpinum attentauerat. Et niſi infelici prauae intentionis euentu diuinitus punitus fuiſſet, eodem curſu victoriarum gratae memoriae etiam parenti meo et hiſce regionibus exitium afferre inſimul elaborabat. Deo tum vindice reiectus, licet victoris fauorem in reconciliatione ſatis ſuperque expertus, ſtrictis ſe foederibus deuicerit, parum tamen hoc apud ipſum valuit, nec vnquam animum hoſtilem, quamuis pellem ſaepe ſaepius, mutauit. Cuius talia molimina cum in dies maturari, et mox velut ignis occultus in aperta arma erumpere praeſentiſcam. Deum teſtor, inuitus etiam prouocatus, nullo actus dominandi aucupio, ſed dum inculpata tutela ſciens praeueniri hominis incauti eſſe, et tela praeuiſa minus ferire, vicinum tam nociuum, cum alias non licuerit, armis a vicinitate remouere, vel ſaltem compeſcere Deo propitio, in animum induxi. Quod *Maieſtati veſtrae regiae* tempeſtiue ſignificandum volui, ne aduerſis rumoribus occupata, qui toto conamine eius ab obſequiis addictus ſum, contra ſe et ſuos aliquid moliri crederet. Imo iuſtis facti mei cauſis ex me ſic perceptis, tantum abeſt, vt iuſtae indignetur vltioni, vt hominem nullis fidum vicinis correctum ſuo probet calculo, et ſtudia mea maioris habeat, quam fluida lenocinia eius. Quod, vti propenſus in Nos Maieſtatis Veſtrae fauor ſperare iubet, ita eidem diuturnum et florens regimen ex animo precor. Datum in ciuitate mea Alba Iulia, die 25 Martii 1653.

Sereniſſimae Maieſtatis Veſtrae

Addictiſſimus ſeruus

Georgius Rakoci.

1653 His Rakocii literis tale reſponſum redditum eſt:

Reſpondet rex Polonus literis Rakocii.

Pro ea qua ſemper in rem chriſtianam ferimur propenſione et affectu, nihil Nobis aeque acerbius accidere poteſt, quam cum audimus principes Chriſtianos mutuo inter ſe diſſidio committi. Non enim aliter quam ciuili ſe polluere bello eos exiſtimamus, cum inter ſe funeſta exercent arma, quae multo iuſtius in communem chriſtiani nominis hoſtem exercerent. Nec minore certe dolore Noſtro accipimus Illuſtritatem Veſtram cum illuſtri palatino Valachiae in dubiam Martis aleam deſcendere, pacatamque hactenus commouere Valachiam. Vicem hanc aeui iniquioris agnoſcimus, quod non tantum Nos ipſi rebelles Noſtros inuitis armis ad ſaniorem mentem redigere cogamur, verum etiam viciniam Noſtram, cui pro iure et foedere amicitiae, optima quaeque et capata cupimus, ſimilibus implicari malis cernamus. De iniuriis ab illuſtri palatino Valachiae Illuſtritati Veſtrae, et colligato ſibi illuſtri palatino transalpinae Valachiae intentatis nihil Nobis hucusque conſtitit. Nec aliud ad praeſens, quam aduerſae ab vtrinque fortunae compati aequum cenſemus. Quis vero vlterior animi Noſtri ſenſus hac in re futurus ſit, cum Illuſtritate Veſtra data opera breui conferemus. Magno hoc interim Illuſtritatis Veſtrae in Nos confidentiae erit argumento, quo pariter ſciet Illuſtritas Veſtra Nos ei reſponſuros. Cui perennes fortunarum acceſſiones vnaque optimam a Deo valetudinem precamur. Datum Breſtiae Lituaniae, d. 20 Aprilis. a. 1653.

Minus deinde ſigillum ANDREAE TRZEBICKI, maioris cancellariae regenti collatum eſt, omnibus ad inſperatum rei nuntium attonitis, et in re tam ſubita ſtupentibus. Nam ſi vulgi et populi vota ſpectaſſet quis, prior Trzebicio videbatur Ioannes Gembicki, ſecretarius maior regni, ſi merita et virtutes, nulli debebatur tantum faſtigium dignitatis, niſi vni Stephano Wyzga, regio eccleſiaſtae. Caeterum rex poſthabitis his, huic contulit, quem poſtea ſuum intimum eſſe voluit [56]). Neque mora eundem Ratisbonam oratorem dimittit ad imperii comitia, quae tunc magno Europae applauſu ſacratiſſimi Caeſaris Ferdinandi III primogenitum Ferdinandum IV in Romanorum eligebant regem. Ita deinde dimiſſi ſunt a rege optimates claſſicum Chmielnicio toto regno canentes, qui ſub id tempus Moldauum vna cum Tranſyluano armis aggredi ſtatuerat, ni praeuentus ab vtroque fuiſſet Valachiae princeps.

56) Rex Poloniarum abſolutiſſimus eſt officiorum regni omniumque aliorum diſpenſator, neminemque decet in cauſas inquirere, cur huic et non alii, ordine forte maiori, conferre voluerit regni munus. Sufficit regem voluiſſe, qui recte feciſſe omnino credendus.

LIBRI IV. CAPVT X

SYNOPSIS

Bellum Valachicum. Cauſa belli Valachici. Legatio Rakocii ad Polonum regem. Poloni reſpondent Rakocio. Rex Glinianum mouet caſtra contra Chmielnicium. Deſcriptio Leopolis. Leopoli Haliciam verſus mouet Polonus exercitus. Moſchouiae legati Leopoli audiuntur et dimittuntur, mediationem offerentes Polonos inter et Coſacos. Deſcribitur Halicium. Chmielnicius Valachiam armatus ingreditur. Obſidionis cauſa et origo. Hungarorum ſtratagema. Rakocii literae ad Poloniae cancellarium. Camenecum rex progreditur. Chmielnicius Polono regi ſcribit. Literis Chmielnicii reſpondet cancellarius cum generali. Roloni deliberant de vlteriori profectione regis.

1653 Bellum Valachicum.

Ineunte anno MDCLIII initium eſt bello Valachico, infauſto plane Polonis, luctuoſo Coſacis, nec multum felici, ſi primi belli euentus ſpectantur, ipſis Hungaris Moldauisque, confoederatis principibus, quibus aduerſum palatinum communis cauſa fuit, ac rara in ſocietate concordia. De cauſa haud apud omnes conuenit: Sunt qui credunt, ob recens cum CHMIELNICIO initum connubium, nimiam potentiam palatini ſuſpectam extitiſſe vicinis. Addebant et Poloni regis totiusque reipublicae ſingularem erga palatinum amorem. Erant qui et vetera horum principum vulgarunt diſſidia, quod et ipſemet Tranſyluaniae princeps literis ad regem ſcriptis haud diffitetur. Vt vt ſit, mediis Aprilis diebus, poſt ſcriptas literas, quas ſuperius retuli, redditumque a rege reſponſum, TRANSYLVANVS ambiguam titubantemque Poloniae regis obſeruans mentem, ſerio ratus ſuis conſulendum rebus, legatos VARSAVIAM mittit, de mutuis tractaturos foederibus, ſuo et Moldaui principis nomine. Nec Polonus abnuit rex, offenſam cauſatus in Valachum quod principem filiam CHMIELNICII deſponſaſſet filio. Nulla hic valebant effugia apud principem, quae ſatis ampla parabat KVTNARSIVS, principis Valachiae BRESTIAM miſſus legatus, adnitente demum Hungaro legato, rex VARSAVIAM differt negotium, vbi melius conſulturus videbatur cum optimatibus, quibus diem vigeſimam quintam indixerat Maii, habendo cum iis conſilio arctiori. Indicta die rex legatum Hungarum ſocia ſollicitantem contra Valachum Chmielniciumque arma introducere iubet. Nihil hic niſi eadem quae et ante repetebat. Iuſſus deinde paululum VARSAVIAE immorari, tandem optatum accepit reſponſum: *Regem iuſtae principum Tranſyluaniae Moldauiaeque fauere cauſae, iis ſocia rempublicam contra Chmielnicium promittere arma.* De Valacho adiectum nihil. Eoque reſponſo dimiſſus legatus Hungariae. Neque mora rex tertio poſt die LEOPOLIM, inde ad caſtra prope GLINIANY pergit, aliquot millium ſtipatus corona, relicta interim regina Varſauiae. Vix Gliniany attigerat, cum ecce inaudito ac inſperato a militibus excipitur applauſu, exceptis proceribus, quorum ceſſat in caſtris imperium, dum ipſe adeſt imperator. Ibi diebus aliquot conſumtis LEOPOLIM reuertitur. Eſt autem LEOPOLIS auſtralis metropolis, quinquaginta a CRACOVIA circiter diſtans miliaribus, dicta a LEONE, DANIELIS Ruſſorum auſtralium potentiſſimi regis filio Romani, Vladismiriae et Haliciae ducis, nepote, quam Germani corrupto vocabulo LEMBERG indigitant. Vrbs duplici foſſa vtraque lata ac profunda, muro crebris turribus diſtincto munita, omnis generis apparatu bellico contra hoſtiles inſultus abunduntur inſtructa. Sedem hic habet alter Poloniae archiepiſcopus, vt et duo alii epiſcopi, Ruſſicus vnus, alter Armenicus. Redacta in poteſtatem Polonorum circa annum Chriſti MCCCXL deficiente maſcula ſtirpe liberorum DANIELIS Ruſſorum regis, regnante tunc in Polonia CASIMIRO II, VLADISLAI filio.

Cauſa belli Valachici.

Legatio Rakocii ad regem Polonum.

Poloni reſpondent Rakocio.

Deſcriptio Leopolis.

Leopoli ad diem vigeſimam quintam Auguſti, non ſine euidentibus moeſtitiae ſignis debuit ſubſiſtere rex, dum interim tarda ſolutio et lenta pecunia numeraretur militi paſſim effreno. Sequenti deinde die LEOPOLI HALICIAM verſus caſtra mouere imperat, a legatis Tranſyluaniae, qui tunc LEOPOLI aderant, magnopere ſollicitatus. Ante

Leopoli Haliciam verſus

1653 ſus mouet Polonus exercitus. Moſchouiae legati Leopoli audiuntur et dimittuntur, mediationem afferentes Polonos inter et Coſacos. Halicia deſcribitur. Chmielnicius Valachiam armatus ingreditur, ac paulo poſt obſidetur ab Hungaris Moldauisque. Obſidionis cauſa et origo.

ramen, quam HALICIAM moueret, legatos magni Moſchouiae ducis regali excipit apparatu, quos ego potius exploratores, vt et ante, dixerim. Nihil illi attulerant, quod legatos conueniret, cum hac vnica in ſpeciem amicitiae venere teſſera, mutua quaſi tractaturi CHMIELNICIVM inter et *Polonum regem* foedera. Neque rex abnuit pacem, certis propoſitis, vt et ante, CHMIELNICIO conditionibus. Quae quia hoſti riſui, MOSCHIS admirationi fuere, in vanum ceſſere, rege interim HALICIAM mouente.

Eſt autem HALICIA Ruſſiae ciuitas, quondam, regnante VLADIMIRO, regni caput et ſedes, nunc ſolo caſtelliani gaudens titulo. Antiqua ſuperba ſui miratur rudera, quae vix per ſenium cernere licet. HALICIAE ſubſiſtenti per aliquot dies regi, nuntiatur a KONRACIO tribuno equitum, qui ad explorandam hoſtilem potentiam, Polonorum anteceſſerat exercitum, TIMOTHEVM, Chmielnicii primogenitum, Valachiam ingreſſum cum octodecim millium Coſacorum peditatu, ſelectiſſimoque duorum Tartarorum equitatu. Neque hinc procul in SOCZAVA Valachiae arce, a Moldauis Hungariſque obſideri, vna cum vxore LVPVLI Valachiae principis. Obſidendi autem TIMOTHEVM haec occaſio fuit. Poſtquam inaudiuerat Poloniae regis declarationem Valachiae princeps, haud mora CAMENECO vna cum theſauris, corrupto prius muneribus eius loci gubernatore POTOCIO, in Valachiam abſcedit, Chmielnicii ZAPOROVIANIS comitata ſignis. Vix octodecim leucis praetergreſſa Poloniae fines, incidit in Moldauorum Hungarorumque huc et illuc per Valachiam impune errantia agmina. Neque mora Soczauienſi ſe fortunasque ſuas credit propugnaculo, quod tunc caſus et fortuna vicinum obtulerat. Conſultanti deinde, quid vltra agendum, et num NIEMIECZ aut MARGOS aut BADEORCZE maioris momenti ſorpugnacula occupanda? Variis varia ſuadentibus, interim SOCZAVIA et in ea princeps foemina obſidetur a ſeptem Hungarorum quatuor Moldauorum millibus. Audita CHMIELNICIVS Soczauienſi obſidione illico filium eo mouere cum lecta Coſacorum imperat manu. Eriperet tam nobilem praedam ex hoſtium faucibus, recuperaret theſauros illi debitos, certaret pro gloria, cuius finem imperium Moldauiae ſibi promitteret, profligato tyranno, inuaſore parentis. Imperium eius haud mora exequitur filius, Valachiam armatus ingreditur, ad cuius aduentum dolo tunc vſi Hungari Moldauique ſoluunt obſidionem, quaſi viribus inferiores Coſacis, quorum tunc auxiliares copias, fama in immenſum creſcente, fortaſſis re vera perhorruerant. TIMOTHEVS ſoluta obſidione, quaſi iam acie victor extitiſſet, ouans ingreditur propugnaculum, territis ſola nominis ſui fama hoſtibus. Illudque caeſaris vſurpaſſe aiunt, veniſſe ſe et viciſſe non viſos hoſtes. Securus itaque victoriae dimiſerat peditatum in varias Valachiae partes Coſacos milites, vix aliquot millium numero ſibi relicto. Audiuere e proximo Hungari reboantia in aduentum CHMIELNICII tormenta, mox de dimiſſo Coſacorum milite nuntio accepto, concubia nocte arcem iterum arctiſſima cingunt obſidione et vna Chmielnicii filium incautum iuuenem, miſſis curſoriis equis ad Polonum regem, de tam nobili praeda fauſtum afferentes nuntium, ſimul quoque ad ſocia contra Chmielnicium iterum ſollicitando arma. Interea Coſaci, qui pabulatum exiuerant, in regreſſu ad Chmielnicium, varie a Moldauis Hungarisque, denique ab ipſis amicis Valachis trucidati palam cadebant, per manipulos ſparſi, non vt milites, ſed vt praedones nefarii. Neque Polonus rex ſocia diſtulit arma, quin imo ire ocius in Valachiam iubet Conradum, cum lecta ſex millium Polonorum manu. Huic adiungit HENRICVM DÖNHOFF mille quingentis ſuccinctum Alemannis, robore exercitus. Pergrate accipiunt a Polono rege auxilia, Daciae Moldauiaeque reguli. Neque mora magno regni cancellario STEPHANO de PILCA KORYCINIO, qui nuper BRESTIAE, archiepiſcopo Gneſnenſi, in ſigilli cuſtodia ſucceſſerat, in haec concepta verba ſcribit RAGOCIVS:

Hungarorum ſtratagema.

Illuſtriſſime Domine, amice nobis obſeruandiſſime,

Ragocii literae ad Poloniae cancellarium.

Literas *Veſtrae Illuſtriſſ. D.* vigeſima quinta Auguſti exaratas, hodiernaque die, eiusdem tabellarii manu, Nobis praeſentatas amice accepimus, cuius quidem remiſſionem ob debilitatem equorum quamuis hac occaſione diſtulerimus, breui tamen expedire, ac ſi quid noui interuenerit, per eundem communicare cum *Veſtra illuſtritate* nequaquam praetermittemus. Pergratum itaque nobis

nobis extitit, quod *Veſtra illuſtritas* tam de regio *Suae maieſtatis*, quam de ſincero *Veſtrae illuſtritatis* affectu, ſimulque exercituum *Suae maieſtatis* approximatione, optimoque diſpoſito progreſſu certiores reddere voluerit. Quemadmodum enim nihil de regia *Suae maieſtatis* exercitus cum noſtris coniunctione experti ſumus, nullam praetermiſſuri occaſionem, quin reciproca ſinceritate, eandem *Sereniſſimae maieſtati* recompenſemus. Qui quidem coniuncti exercitus in Valachia, ad arcem SOCZAVA dictam, in quibus exiſtant terminis, qualiter eidem loco ſe applicuerit hoſtis, inopinato vſus ſtratagemate, antequam recentiores noſtrae copiae, ad eum locum peruenire, nedum cum exercitu *Suae maieſtatis* ſeſe coniungere potuiſſent, ex informatione STEPHANI palatini, hoſtiles copias KVTNARSCIVM verſus tendentes, captoque tandem rumore, qualiter hoſtem inuaſerint, qualique euentu hoſtem hactenus conſtrinxerint, ea omnia innotuiſſe *illuſtriſſimae D. V.* non eſt quod dubitemus. Quodſi vero iuxta informationem *Veſtrae illuſtritatis*, primarius *Suae maieſtatis* exercitus ad *Tyram* vel *Dnieſtrum* fluuium verſusque MOHILOVIAM peruenerit, CHMIELNICIVM filio ac exercitui, BASILIVM autem familiae ac bonis, numeroſo poſſe occurrere exercitu, ratio ac ſtatus belli ſuadere vix poteſt. Omnem procul dubio mouebunt illi lapidem, vterque plurimis ac mirabilibus oblationibus acturi, tam apud TVRCAS quam apud TARTAROS, qualiter periclitantia ipſorum pignora, illorum etiam auxiliis ſaluari poſſint, cum aliter plane in nihilum ſint deuentura. Quare ex communi ſumme neceſſarium, multisque modis vtile, cum ita res ipſa demonſtret, ſummopere *illuſtritatem Veſtram* rogamus, pro ſua qua pollet auctoritate efficiat apud *ſuam maieſtatem regiam*, vt quanto poterit citius praecludi poſſit via, ne ſuppetias obſeſſo communi inimico transmittere poſſint CHMIELNICIVS et BASILIVS ex ditionibus Coſacorum, cuius effectu a palatino Moldauiae admonemur literis die 30 Auguſti ad nos datis, qualiter BASSA Siliſtrenſis ſuas etiam congerens copias, adſcitiſque ſibi copiis Tartaricis DANVBIVM traiicere, ac vel immediate coniunctos noſtros exercitus inuadere, vel ipſum palatinum aggredi intendat, eo propoſito, vt per eius aggreſſionem obſidionem ſoluere, Coſacorumque exercitum cum filio CHMIELNICII, familia bonisque BASILII eliberare poſſit. Quodſi nimirum noſter exercitus relicta obſidione in auxilium MATHAEI palatini perexerit, actum erit de vtroque noſtrum. Si vero obſidio continuata per nos fuerit, nominatus palatinus ſede amouebitur profligatus, amotoque illo obſtaculo Coſacis ac Tartaris obſeſſis protinus ſubuenire poſſunt. Tamen etiam in hoc caſu noſtros ita diſpoſuimus exercitus, vt ſuperato cum exercitu ſupremum noſtrum generalem in auxilium ipſius palatini transmittamus, imo rebus ita poſtulantibus etiam noſtra in perſona veniamus, continuata interim cum exercitu, in Valachia exiſtente, ac cum magnifico domino CONRADO coniuncto, obſidione ac belligeratione. Attamen ſi ſecus fieri minime poſſet, ac reliqui exercitus, pro nunc in promptu habiti, reſiſtere impetui huic Turcico non ſufficerent, ſoluta obſidione SOCZAVIAE, pars illius exercitus contra Turcam conuerteretur, pars cum magnifico domino CONRADO ad ſeruitia *ſuae maieſtatis* et reipublicae expediretur: Ita omnem noſtram ſinceritatem, tam ſecundis quam aduerſis fortunae caſibus *sereniſſimo regi* ac reipublicae promiſſam, indiſſolubili vinculo obligatam tenebimus. Similem etiam *ſuae maieſtatis* reipublicaeque ac *Veſtrae* etiam *illuſtritatis* affectum ſperamus ac ſummopere contendimus. Quoniam autem legatos, his interuentis difficultatibus ad *Sereniſſimam regiam maieſtatem* expedire non potuimus, rogamus *Veſt. illuſtriſſ. D.* vt apud *ſuam maieſtatem* excuſare velit. Breui enim vna cum confoederatorum legatis expedituri ſumus. Caeterum *illuſtriſſi-*

1653 *mam D. V.* ad vota valere cupimus. Datum in curia noſtra GORIEVIENSI d. 4 Septemb. 1653.

Illuſtriſſimae Dnis Vrae

Amicus beneuolus, ad officia paratus.

GEORGIVS RAKOCI.

Camenecum Rex progreditur.

Haec RAGOCIVS ad cancellarium regni memorabat. Interea rex VSIATINVM Halicia et inde CAMENECVM progreditur, quod nulla artificis manus, ſed naturae miranda, vt ſuperius innui, erexit induſtria. Appropinquanti moenibus, literae a Chmielnicio perferuntur, quarum ſumma fuit: deprecatio criminis, ac certiſſima ſpes obtinendae veniae apud clementiſſimum principem. Deliberatum pleno ſenatu eſt, quid foedifrago Chmielnicio reſponderet rex, quid reſcriberet reſpublica? Exercitu quidem Polono, iam ſuperatis itinerum moleſtiis ad Camenecum ſubſiſtente, ſed nondum peracta Valachica obſidione, in vtram libet partem ſollicito et metuente, concluſum tandem, vt a rege quidem nihil reſponderetur Chmielnicio, quaſi indigno, cui amplius concederetur venia, ſed tantummodo ab illuſtriſſimo cancellario et generali campeſtri, ſcriptis ad eum literis, ſpes veniae promitteretur, ſi verbalem ſuam ſubmiſſionem facto aliquo inſigni comprobaret. Suadebant deinde qua priuati, mitteret ocius ad regem e ſuis aſſeclis miniſtrisque praecipuis, vtpote WVCHOVIVM et BOHVNVM, qui ad caſtra regia venientes conditiones acciperent pacis, omnem habituri ſecuritatem. Neque ANTONIVM tribunum detentum, carcere aliquo ſqualido macerari, ſed honeſta militari detineri cuſtodia, dum interim oprata et incruenta coaleſcat pax. In hunc ſenſum compoſitae literae vni Coſacorum Mikuta cognomine, qui in Antonii legati comitatu ad caſtra prope Gliniany aduenerat, traduntur Chmielnicio deferendae, dum interim BARVM verſus rex ſigna mouere imperat, quamuis non defuere, qui perſuaderent, ſufficere gloriae et immortalitati regis, ſi obſidio Soczauienſis, captis hoſtium caſtris, deſideratum ſortiretur effectum, tempus bello idoneum haud diu duraturum. Praeualuit tandem ſanioris partis de vlteriori curſu continuando conſilium. Non eam fuiſſe *ſereniſſimi regis*, moleſti itineris Camenecum verſus capeſſendi rationem, vt a Polonis SOCZAVIA, tanquam res alienae fortunae, expugnaretur, ſed ne hoſti ad mittenda obſeſſis auxiliaria arma iter pateret. Conſtat, inquiebant Bohunum a Chmielnicio ad ſuppetias obſeſſis ferendas deſtinatum, accepto rumore de regio aduentante Camenecum exercitu, in latebras ſe recepiſſe. Vtendum igitur tempore dum hoſtis pauet, dum ſupplicat, ne poſthac ſit occaſio calua.

Literis Chmielnicii reſpondet cancellarius cum generali.

Poloni deliberant de vlteriori regis profectione.

LIBRI IV. CAPVT XI

SYNOPSIS

Rex turbatur Tartarorum in Ruſſiam aduentu. Chmielnicius Soczauiae obſeſſus ex vulnere accepto moritur. Coſaci morte Chmielnicii turbantur, ac paulo poſt tumultuantur. Deditur arx Soczauienſis principibus confoederatis. Puncta deditionis. Valachiae aerarium diripitur ab Hungaris. Literae Baſſae Siliſtrenſis ad cancellarium Poloniae. Moſchorum noua poſtulata a rege Polono. Moſchi bellum minantur Polonis. Legati Ragocii ad rempublicam Polonam. Puncta legationis Tranſyluaniae principis. Reſponſum Tranſyluaniae legatis. Tartarorum rex expoſtulat rupta a Polonis Zborouiana pacta. Colloquium inter cancellarium Poloniae, et Tartarorum legatum. Cancellarius Poloniae reſpondet Tartaro, nomine regis ſui. Propoſitiones Polonorum Tartaris oblatae. Acceptant omnia Tartari, excluduntque Coſacos. Tartari Lupulum, Valachiae principem captiuum in Tartariam remittunt.

Placuit regi conſilium vlterius caſtra promouendi, antequam tamen vlteriori ſe accingeret profectioni, MACHOWSKI cum literis ad obſeſſos SOCZAVIAE Coſacos legatum expedit. Summa legationis fuit: *pro perditis obſeſſos habere, ſi tamen ſapere et mandata in poſterum regis fideliter exequi vellent, clementiam illis quoque regiam haud vnquam defuturam. Duci, Baſilii vxori obſeſſae, ſuadere, vt honori et vitae conſulens, ſe in tutelam Poloni regis conferret.* Expedito in hunc modum MACHOVIO, rex BARVM verſus mouere praecipit. Progredienti ad duas circiter leucas literae a Valachiae principe, ad ſupremum generalem exercitus perferuntur, quibus ille ſignificabat de inſperato Tartarorum in Ruſſiam aduentu. Perculit aduerſus nuntius regium pectus, mutantur in momento conſilia, miles eodem in loco ſubſiſtere iuſſus. Magna deinde ſubſecuta eſt deliberatio. Raro enim exemplo ſuper hoc negotio ter conſultatum eſt. Diſcrepantibus ſententiis, quod tantum ſupereſſe temporis videretur muniendis eodem in loco caſtris tributum eſt. Magis tamen tuta ex ratione, quam proſpera ex caſu conſilia ſequi placuit, nec oram famelicam ſimul et locum naturae et ſitus ſui beneficio, formandis caſtris minus idoneum, ingrediendum: Melius omnino rem ceſſuram, ſi ad Valachiae fines caſtra locarentur, ita euenire poſſe, vt et Soczauienſis obſidio felicius terminari et coniunctio cum foederatis principibus facilius perfici poſſet. Addebant, in omnem incurſionis hoſtilis caſum, inter flumina, ſitum caſtrorum, reddi ſecuriorem et commeatum in habitata magis et Valachiae coniuncta regione habere copioſiorem. Aſſenſit ad extremum rex his conſiliariorum rationibus, communique calculo in eam ſententiam itum: *Cunctatione bellum geri oportere, tantiſper dum foederatorum ſubſidiis, iuuaretur reſpublica.* ZVANCIVM igitur, palatini Ruſſiae oppidum et caſtellum illi annexum ad fluuium TYRAM ex aduerſa ripa CHOCINVM porrectoſque Valachiae campos aſpiciens, locando elegit exercitui. Sub id tempus laetus Polonis aduolat nuntius, TIMOTHEVM CHMIELNICIVM exceſſiſſe ſignificans. Additum et mortis genus, vtpote qui vallo producendo intentus pila tormentaria attrito crure occubuit. Corpus mortui fertur adeo intumuiſſe, vt ſatis larga ex obeſo Baſilii ducis corpore veſtis, mortuum capere non potuerit. Atque hic finis fuit Chmielnicii, cui paulo poſt coeleſtes honores Graeca adulatio tribuerat, glorioſum martyrem depraedicando, quem ego rudem bonarum artium corporisque robore ſtolide ferocem dixerim iuuenem.

Rex turbatur Tartarorum in Ruſſiam aduentu.

Timotheus Chmielnicius Soczauiae obſeſſus ex acceptо vulnere moritur.

Poſtridie tentata eruptione obſeſſi, militem Hungarum Polonumque ad vallos ſegniter excubantem in fugam agunt, et niſi CONRADVS DONHOFIVSque fugientes in pugnam reuocaſſent, periculum erat, ne iam victricia caſtra inuaderet hoſtis diripererque. Atque hoc primum facinus fuit CHEDROVII, electi Coſacorum ducis, in demortui Chmielnicii locum. Protendebatur interim in longiores moras obſidio, neque ſperari deditio pot erat, niſi ingruente iam vicina hyeme, nec vana opinio, niſi ſeditio inter illos exorta anticipaſſet deditionis tempus. Dux BASILII vxor, vbi videt rem haud procul ſeditione abeſſe, proponit CHEDROVIO, ſatius fore propugnaculum dedi, quam Coſacorum ſuorum diſcordia diuidi. Si diuidimur, inquit, vi hoſtium expugnamur, mox ferro et flamma deſolabimur: Sin vero gratuitae deditionis legem ſubierimus, ſalua nobis fier vita, libertas et bona. Neque mora praefectus arcis, iuſſu foeminae, miſſo in caſtra tubicine, habere ſe, inquit, quod CONRADO, nomine ducis, communicet. Summa arcani fuit haec deditio propugnaculi ſub certis legibus. CONRADVS ſecretum MACHOVIO communicat: Ille IANVSSIO KEMINI, generali Tranſyluaniae principis, cui ſummam rei committit, quo demum operante SOCZAVIA dedita his deditionibus:

Coſaci morte Chmielnicii turbantur, ac paulo poſt tumultuantur.

Puncta *Sereniſſimi regis Poloniae*, commiſſariorum, et celſiſſimi principis Tranſyluaniae, ſupremo generali Coſacorum, obſeſſisque propoſita.

I. Iurarent de facto ſereniſſimo regi Poloniae ac reipublicae fidelitatem, ac celſiſſimo Tranſyluaniae principi, duobuſque palatinis vtriuſque Valachiae bonam vicinitatem.

II. Ad ſignum humilitatis et gratitudinis, vexilla coram generalibus et commiſſariis deponent. Quae manebunt pro ſereniſſimo rege et Tranſyluaniae principe, retentis apud ſe ex benigna generalis et commiſſariorum annuentia nomine ſereniſſimi regis ac celſiſſimi principis Tranſyluaniae decem tantummodo vexillis.

1653 III. Arma et sclopeta maiora, hactenus offensiua, similiter coram iisdem deposita, praemisso iuramento, in facto illis restituentur.

IV. Nihil ex bonis in arce tempore aduentus illorum repertis secum auferent vllo praetextu, et super hoc iurent.

V. Bona Timothei similiter relinquant in manibus commissariorum, nec non bona ecclesiis Moldauicis ablata restituantur.

VI. Neminem ex arce secum abducant, vel minimum hominum aut animalium.

VII. In egressu damnum regnicolis ne inferant.

VIII. Rebus palatini, baronum, ac aliorum in arce existentibus, non se immisceant, neque illis quidpiam patrocinentur. Super his omnibus bona fide, christianis obseruanda, singuli iurent.

Deinde exactum est a singulis iuramentum fidelitatis, quod et praestitere vniuersi, eleuatis in coelum digitis, fidem obligando, quam paulo post perfidia Graecorum rupit et inconstantia. Eo modo deditum est Soczauiense propugnaculum. Diuisae deinde opes cessere Hungaris pariterque Moldauis hostibus, sola gloriae immortalitate contento rege Polono.

Valachiae acrarium diripiunt Hungari.

Rex vbi audit SOCZAVIAM expugnatam, illico in Russiam sociorum conuertit arma. Merebant illi triginta Polonorum, viginti Germanorum, octo Hungarorum peditum millia, in aduersa quoque fluminis ripa, tria Moldauorum videbantur aduentantia agmina, quae paulo post exortus Cosacorum Tartarorumque aduentantium timor in vlteriorem palantes retro egit Moldauiam. Redditae sunt iisdem diebus Silistrensis Bassae ad magnum cancellarium ex castris Turcicis scriptae literae huiusmodi tenoris:

Literae Bassae Silistrensis ad cancellarium Poloniae.

Electe inter magnos monarchas, clare inter senatores tribus Messiae, Rector negotiorum regni seniorum Nazareni, exemplar omnium virtutum, speculum veritatis et sinceritatis, regis Poloniae intime vicariorum STEPHANE KORYCINSKI, amice noster, cuius rebus et vitae vt sit exitus felix, vt cedant Tibi ex voto omnia, optamus et precamur Deum.

Redditis innumerabilibus salutationibus significamus *Vobis* peruenisse ad manus nostras amicabiles literas Vestras, ex quibus satis prolixe amicitiam vestram intelleximus. Quod attinet ad legatum Poloni regis, quem propediem ad sereniſſimum et potentissimum imperatorem meum expedire in animum induxistis, laudo consilium vestrum, modo quantocius exequamini, quod promittitis, de me, vt amico, omnia bona polliceor. Caeterum pro vobis preces nostras offerimus illi, qui est via veritatis.

Haec summa literarum Silistrensis Bassae ad cancellarium Poloniae, vt erant genuinae.

Moschorum noua postulata a rege Polono. Moschi bellum minantur Polonis. Legati Ragocii ad

Postridie aderat fecialis Moschouiae ad castra Polonorum, cuius summa legationis fuit, vt Polona respublica poena capitali afficeret illos in vniuersum, quicunque scriptis ad magnum Moschouiae ducem, interregni tempore, literis debitos maiestati eius omiserunt titulos. Ridentibus Poloniae proceribus, quod cum laruis luctarentur Moschi, bellum minatur ille nomine principis, eoque modo abscedit.

Vix abierat Moschouiae fecialis cum ecce aderant tres a Daciae regulo missi oratores ad rempublicam Polonam, qui vbi regis ingressi sunt tentorium, ad eius admissi conspectum, pleno senatu perorauere satis culta et expedita latinitate, veteris gentis Hungarae

garae cum Polona republica, multiplicisque coniunctionis honorifica facta mentione. Deinde reguli sui erga regem, remque publicam, officia prolixe satis detulerunt, oblato regi insuper phalerato equo. Semotis deinde arbitris puncta nonnulla proposuere, quorum haec summa: 1653 rempublicam Polonam.

Puncta coram sacra regia maiestate et illustrissimis senatoribus per legatos celsissimi Transyluaniae principis proposita:

Puncta legationis Transyluaniae principis.

Cum et literis Chani Tartarorum et per Murzam in obsidione praesenti Soczauiensi celsissimus Transyluaniae princeps, Dominus noster clementissimus, et duo illi confoederati palatini admoniti fuerint, iteratis vicibus, ne subsidia aliqua *Sacrae regiae maiestati* subministraremus, imo ne mouere quidem se voluit Soczauia, Scytha ille, donec totum exercitum nostrum conspexisset abeuntem. Proinde licet nos colorare, quantum poterimus, factum nostrum apud illos nitamur, tamen verisimile est suppetias per nos dandas Turcam Tartarumque et rescire et offendi inde, praetextumque quaerere vindicandi. Casu igitur, quo bello ab illis nationibus impetemur, par periculo et necessitati auxilium a *sacra regia maiestate* et sereniſſima republica optat celsissimus princeps, quod Deo duce obtenturum sperat.

I. Suadet magnanimitas *Sacrae regiae maiestatis* et par virtuti fortuna.

II. Celebris illa toto orbe fama reipublicae Polonae, quae, vt a diuo VLADISLAO rege contra Tartaros, ita fatiscente gloria Hungarorum, etiam contra Turcas vnicum christianitatis praesidium audit.

III. Parua illa manus Hungariae, quae celsissimo principi paret, licet inclinet se vento illo Scythico flante, ne frangatur tamen, foedere christiano fieri. Eriget se illa actutum, et excipiet primum impetum tempestatis, resistetque praedonibus Europaeis ne vicina obtineant regna.

IV. Aequitas. Cum enim celsissimus princeps suas copias *sacrae regiae maiestati* ac inclitae reipublicae subministrare non recuset, occasione iam poscente, iure etiam sperat suppetias *sacrae regiae maiestatis* in sua necessitate.

Secundo, quamuis vicinorum et finitimorum populorum pax et amicitia nobis suspectae minime esse debeant, cum nobis antiquius nihil sit, religiosa foederum obseruantia, tamen quia mutationi obnoxia sunt hominum, vt conditiones ita et ingenia, nec rarum illud apud mortales malum, ex amicis inimicissimos fieri. Si igitur aliqua sors vel infortunium hostes insperatos aliunde produceret, orare celsissimum principem, ne *sacra regia maiestas* et sereniſſima respublica illis faueant, et nec mediate vel immediate adiuuent, milites in suis conscribi contra nos ditionibus ne patiantur. Quin potius in tali casu celsissimo principi et conscribere exercitum et arma quaeuis comportare et emere liberum sit.

Tertium, vt ostendamus quanti nobilitatem Polonam aestimemus, et quam sinceram ac durabilem coniunctionem desideremus, et speremus, optat celsissimus princeps suum cum sereniſſima republica partiri filium. Ita quippe existimat, vt melior Hungarus esse queat, etiam Polonum fieri debere, quia vero pater patriae suae audit, merito celsissimus princeps sollicitus de principalibus aliquot suae ditionis magnatibus, vt et filium et illos sereniſſimae reipubli-

1653 cae incorporare poſſit, amice precatur. Sic Romani olim e ſubditis et bello victis gentibus ciues adſciuerunt, ac ita orbis imperio potiti ſunt. Quanto minus et ſocios et amicos repellere conuenit ſereniſſimae reipublicae, cui incrementum vouemus?

Quartum, cum iuſtitia ſuum cuique reddere iubeat, cui parere et illi ſoleant, qui praeter coelum nihil ſupra ſe conſpiciunt, vt *ſacra regia maieſtas* et ſereniſſima reſpublica bona Buchouienſia in diſtrictu Siradienſi ſita, illuſtriſſimae domui Batoreanae contra ius et aequitatem, per potentiam duntaxat, per illuſtriſſimum et magnificum dominum NICOLAVM LVBIKOWSKI erepta et occupata, annisque octo detenta, cuius arendae ſumma quadraginta millia florenorum excederet, reſtitui curent, aequitas ſuadet, et celſiſſimus princeps etiam atque etiam precatur, ſuam et S. R. M. et ſereniſſimae reipublicae operam et gratificandi ſtudium cum ſola exceptione rei impoſſibilis ſincere conteſtando.

Reſponſum a rege per cancellarium hoc accipiunt legati:

Reſponſum Tranſyluaniae legatis.

I. Cum non minus a Turcis Tartarisque Tranſyluaniae princeps hoſtilitatem expectet: quantum ad Tartaros attinet, cum manifeſte ſint Polonae reipublicae hoſtes, contra hos non grauate auxilia, vbi occaſio poſtulauerit, dari poſſe: de Turcis cum maiori deliberatione res agenda, quae absque ordinum regni conſenſu decerni non poteſt, ad futura Varſauiae differri comitia.

II. De hoſte nouo, ſi adeſſet, ſaluis foederibus cum auguſtiſſima Auſtriaca regnatrice domo, deſiderio Tranſyluaniae principis rempublicam non defuturam.

III. Circa ius incolatus, celſiſſimi principis filio et vna proceribus Hungariae concedendum, acturum ſe plenis comitiis, regia nunc ſpondere fide.

IV. Circa praetenſionem haereditatis Batoreanae domus, cum negotium ſit priuatum cum priuato ciue, gubernator ille vt componat, vel de iure reſpondeat, regiis admonebitur literis.

Interim dum rex expediendis Tranſyluaniae legatis immoratur, aduolat nuntius, vicinos regiis caſtris clamitans adeſſe Tartaros, qui ſola tunc excurſione contenti, et ſumma vſi celeritate, cum plerosque Polonorum partim huc illuc errantes, partim SOCZAVIA ſine ordine reduces captiuos abduxiſſent, abierunt retro ad aliquot leucas SZAROGRODVM verſus, vbi, toto menſe quieti, operatum eſt excurſionibus ſaepius factis, donec tandem diuturnae Tartari pertaeſi morae, diebus Decembris regiis iterum aduolaſſent caſtris, quos paulo poſt ipſe CHMIELNICKI tardiori greſſu inſecutus eſt. Vix in conſpectum regii exercitus venerat Tartarorum CHAN, cum ecce miſſus ad caſtra regia illico legatus colloquium cum magno regni expetit cancellario, neque cancellarius renuit colloquendi modum, cuius ſumma fuit:

Colloquium inter cancellarium Polonum et Tartarum legatum.

Salutari regem nomine principis ſui, mirarique rupta ab eo Zborouiana foedera, queis conuenerat mutuo inter principes, de annua penſione Tartaris debita, quae nunc centum aureorum excedit millia. Hanc ſi redderet Polona reſpublica, fieri poſſe, vt optata iterum coaleſceret pax. De Coſacis minus ſollicitum eſſe Chanum, vtpote qui a regibus ortus, malit cum iis potius conuenire, quam cum ſtolida plebe.

Tartarorum rex expoſtulat rupta a Polonis Zborouiana pacta.

Haec ille. Cui cancellarius nomine principis ſui in hunc modum reſpondit:

Reſa-

1653 Cancellarius Poloniae reſpondet Tartaro nomine regis ſui.

Reſalutari Chanum nomine regis ſui. Violata ab eodem Zborouiana pacta vniuerſam mirari Europam. Centum quod attinet aureorum millia, haud recuſare Polonum regem, ſi fidei quoque ſuae, pactique foederis, recordaretur Tartarorum rex, Coſacos, vt perduelles pacisque publicae violatores, deſereret, non minus regem quam rempublicam poſtulare.

Ita ambo ab inuicem digreſſi ſunt. Interim appetens hyems, iniqua obſidiis, imbribus continuis limoſa humus, aquae tota late planitie reſtagnantes monebant regem, vt pacis potius, quam belli, amplecteretur conſilia. Idem monebant et optimates.

Tertia igitur luce rediit idem ATTALICK (generis apud Tartaros nomen eſt) a Vezirio miſſus, de mutua tractaturus, Chanum inter Polonumque regem, pace, quae, nonniſi die decima ſeptima Decembris, tandem coaluit in haec concepta verba:

Propoſitiones Polonorum Tartaris oblatae.

I. *Tartarorum rex Chmielnicianae renuntiabit factioni.*

II. *Poloniae rex Tartarorum Chano centum aureorum numerabit millia intra ſex menſium ſpatium.*

III. *Pacta Zborouiana Tartaris in totum approbantur.*

IV. *Strictam amicitiam Tartarorum legati in proximis regni comitiis Varſauiae ordinibus Poloniae iurabunt.*

V. *Duo obſides illuſtres perpetuo manebunt in regia Tartariae.*

Acceptant omnia Tartari excluduntque Coſacos.

Ita tunc excluſo Chmielnicio pepigit foedus Tartarorum rex cum Polona republica, cui pignoris ergo dati ſunt nunc duo illuſtriſſimi adoleſcentes OLESNICIVS et LANCKORONIVS. Ille Vislicenſis caſtellani filius, hic palatini Ruſſiae chariſſimum pignus. Subſcripſere deinde firmandae paci ex Polonis cancellarius, mareſchalcus, POTOCIVS, aliique praeſentes optimates. Ex Tartaris SOLIMAN AGA, SEFER KAZI AGA, SVBCHAN GASI, SZERINBEI, GASAIBEI, MVRTASZBEI, KARASZBEI.

Tartari Lupulum Valachiae principem captiuum in Tartariam remittunt.

Subſcripta pace Tartarorum rex BASILIVM LVPVLVM, Valachiae principem ſponte tunc ſupplicem Crimum remittit in vindictam et poenam, quod ſpe theſauri in Soczaua habiti, euocaſſet numeroſa Tartarorum ſigna. Eoque modo rex Varſauiam vltimis emorientis anni diebus, Chanus vero plenus furoris vindictaeque in Chmielnicium Lupulumque Crimum repetiit.

LIBRI IV. CAPVT XII

SYNOPSIS

Trebitzius Ratisbonam mittitur legatus. Eiusdem declaratio periculi ordinibus Germaniae. Reſponſum Polono legato a Caeſare redditum. Proteſtatio nobilitatis minoris Poloniae contra clerum. Et econtra cleri reproteſtatio contra nobilitatem. Kiſielii mors et laus eius poſthuma. Illuſtrium virorum funera.

Trebicius Ratisbonam mittitur legatus.

Huc vſque ferrea Poloniae currentis anni memoraui facta, nunc tranſeo ad publica pacifica negotia reipublicae, quae hoc anno, abſente rege geſſere optimates. Primumque occurrit memoranda legatio ANDREAE TRZEBICKI, vicecancellarii regni ad auguſta imperii comitia Ratisbonam. Binis ille vicibus huius viae moleſtiam in ſe ſuſce-

1653 perat, sed potissimum hoc anno extra ordinem legati munere probe defunctus est. Summam legationis, quam ipsemet RATISBONAE tunc vulgauerat, hic refero, vel ab ipso conceptam.

Declaratio periculi, Caesareae maiestatis ditionibus et sacro Romano imperio imminentis ex praesenti bello, quod contra Poloniam Cosaci, Tartari, aliique barbari gerunt, vt sibi ad alias christianas prouincias inuadendas viam aperiant.

Eiusdem declaratio periculi ordinibus Germaniae.

Saepius iam exposuit *Sacra regia maiestas*, Dominus meus clementissimus, bellum hoc cum Cosacis et Tartaris, non tantum regno Poloniae excidium minari, sed etiam simul ingentibus periculis inuoluere *Caesareae maiestatis* et imperii ditiones, in quas tota tempestas se exoneraret, si vires Poloniae iam attritae tantam hostium et barbarorum multitudinem reprimere non possint, vti re vera reprimere non possunt, ob innumerabilem multitudinem barbarorum et rebellium, trecenta millia excedentium, quibus vires Poloniae pares non sunt, ita vt sine auxilio omnino exercitus regius subsistere non possit, contra infinitam et innumerabilem barbarorum et Cosacorum multitudinem. Fuso autem hoc, qui supereſt, exercitu, nulla est spes salutis. Nulli enim sunt in Polonia montes, nullae arces aut propugnacula, quae hostem morari aut retardare possent. Vnde manifestum et euidens *Caesareae maiestatis* ditionibus et toti imperio imminet discrimen, similesque calamitates, quales nunc patitur regnum Poloniae, impendent.

I. Nunquam enim Cosaci et Tartari contenti erunt debellata Polonia, sed in Germaniae ditiones, vti magis vicinas et imperii se effundent. Initio huius belli Cosaci praetendebant se pugnauisse pro libertate tantum, ac ipsimet palatini Transyluaniae, Moldauiae et Valachiae gaudebant affligi tali bello Poloniam, et ecce nunc iidem Cosaci inuaserunt Valachiam nullo respectu habito Turcici imperatoris. Adeo illi viribus suis confidunt. Transyluaniam insuper etiam se inuasuros minantur. Et tandem iam, sed tarde principes isti dolent, quod ab initio vires suas *Sereniſſimo regi* non iunxerint ad obuiandum hisce malis. Quomodo ergo credibile est, quod debellata Polonia gentes istae Tartaricae et Cosacorum, vtraeque rapaces et feroces, non inuaderent Germaniam, et in primis haereditarias *Caesareae maiestatis* ditiones, Morauiam, Silesiam, Bohemiam et praeterea Hungariam, Russiae et aliis prouinciis Poloniae magis vicinam, Marchiam quoque et Pomeraniam. Nolo ego recordari vetera exempla Hunnorum, Gothorum, Vandalorum, qui Germaniam, Italiam, Hispaniam, misere diuexarunt ac occuparunt. Quibus cum Tartari et Cosaci similes sint, et ingenti abundent multitudine, non meliora ab ipsis, nisi cito obuiam eatur, expectanda.

II. Ex Polonia accessus in Silesiam et Bohemiam ita est facilis, vt non tantum ad fluuium Oderam, sed vsque ad Albim ipsum facile et nullo negotio peruenirí possit. Et similiter a Cracouia versus Viennam, nec montes, nec arces, Poloniam a Silesia, Morauia, diuidunt. Iam vero ex Russia et aliis Poloniae partibus in Hungariam, quam sit aditus facilis euentus docuit A. 1594, quo anno Tartari spreta Polonorum paucitate, qui illos a transitu prohibebant, in Hungariam, per Russiam Turcis in auxilium penetrarunt, ibique duas aestates exegerunt.

III. Dili-

III. Diligenter considerandum, quantum ex aduentu Tartarorum roboris et potentiae Turcis in Hungaria accederet, et quod nihil promptius et facilius esset illis, quam Austriam, et alias *Caesareae maiestatis* ditiones incursitare. Quid de Cosacis existimandum, si in Hungariam venirent, quiuis locorum et rerum gnarus facile iudicabit. 1653

IV. Occupata Polonia multum barbaris et ferocibus gentibus virium accederet, ex vario genere hominum, qui incolunt Poloniam.

V. Praetextus ipse libertatis augeret potentiam Cosacorum. Multos enim inuenirent in Silesia et Germania, qui causa libertatis partes illorum sequerentur.

VI. Quamuis barbarae istae gentes non possent dominium figere in Germania, tamen quam graue et molestum erit, cum occupata Polonia, incursionibus fatigabunt ex vicinia, et vexabunt regiones istas Germanicas. Ipsi enim Tartari fatentur, quod non potuerint hactenus alias christianas regiones inuadere, nunc debellata, vt sibi pollicentur, Polonia, portas sibi ad eiusmodi incursiones faciendas apertas fore, existimant.

VII. Quamdiu adhuc extat Poloniae regnum, iam fessum et conquassatum, posset *Caesarea maiestas* et imperium mediocri auxilio obuiare impendentibus malis, pacique et securitati Germaniae consulere. Quodsi regnum Poloniae concidet, et ab hostibus, qui ad illud hoc anno delendum omnes vires suas exerunt, occupabitur, amisso hoc regno, difficile iam esset, *Caesarae maiestati* et imperio, inundationem hanc barbarorum et victores eorum exercitus comprimere.

VIII. Huc accedit quod Germania pacis suae, curis laboribusque acquisitae, certa esse non potest, quamdiu durat in Polonia hoc atrox et omnibus vicinis christianis prouinciis formidabile bellum.

Atque hanc declarationem periculorum Germaniae impendentium verissimam esse confirmant haec, quae *Caesareae Maiestati* Constantinopoli d. 18 Aprilis anno currenti scribuntur. Significatum est enim quod d. 12 Aprilis ablegati Cosacorum ad audientiam apud portam Ottomanicam admissi sunt, imperatumque Tartarorum Chan, vt omnes hordas et vires suas cum Cosacis iungeret contra sereniſſimum Poloniae regem eiusque regnum. Turcis etiam, qui regiones Poloniae viciniores incolunt, concessum, vt auxilium Cosacis ferant. Concessa praeter ea CHMIELNICKI, Cosacorum duci, Valachia et Moldauia, omnisque protectio, si tributum soluerit, promissa. Moschorum denique dux, qui hucusque fortunam regni Poloniae speculabatur, postquam nunc videt vires Polonicas esse attritas, et ad resistendum impares, bellum *ſerenisſimo regi* mouit, exercitumque validum versus fines regni misit, cum rebellibus Cosacis contra regnum Poloniae colligatus. Tam potentibus hostibus e diuersis partibus regnum Poloniae oppugnantibus attritae Sereniſſimi regis vires minime resistere possunt, sed Polonia cadente omnis ista barbarorum innumera et infinita multitudo in Germaniam se effundet.

Haec itaque tam euidentia et manifesta pericula non pro remotis et alienis, solamque Poloniam concernentibus, sed pro propriis, et quae in limine et foribus Germaniae iam adstant, tam *Caesarea maiestas*, quam *ſerenisſimi electores*

1653 et principes exiſtimare debent, illudque ſemper ſecum recordari, quod vires Poloniae hoc anno, molem hanc et inundationes barbarorum et rebellium amplius non ſuſtinebunt, ac proinde omnis haec tempeſtas in Germaniae terras ſe eſt exoneratura.

Quare erit ſummae *Caeſareae maieſtatis* et ſereniſſimorum principum prudentiae, hoſtium conatus cito praeuenire et mediocri auxilio in Poloniam ſine mora miſſo, tam ingentia pericula auertere.

Poteſt obiici, quod tam vrgens et vehemens Poloniae periculum praeſentiſſimum remedium exigit, iam autem in Germania non eſt paratus exercitus. Quaero, quodſi, quod Deus auertat; funderetur Polonicus exercitus, certe deberent hic parari vires ad reſiſtendum hoſti. Ergo quod in iſto caſu fieret, nunc faciendum, et hoſtem praeoccupandum, mittendo in Poloniam auxilia, ratio ſuadet.

Illud deinde conſiderandum eſt, quod in Polonia bellum hoc diu trahi non poteſt, cum tam potenti et multitudine abundanti hoſte, ſed iſtis duobus, aut ad ſummum tribus menſibus, Iunio, Iulio et Auguſto, aut vincendum aut pereundum eſt. Ad victoriam obtinendam deſunt vires. Ne vero regnum hoc chriſtianitatis antemurale pereat, ſuaque ruina Germaniam obruat, petit *ſacra regia maieſtas* in hoc communi periculo auxilium, quod erit opportunum, et rei chriſtianae proficuum, ſi ante decurſum horum trium menſium ſubmittetur.

Haec ſumma legationis fuit. Addidit votum Poloni regis in LEOPOLDI Romanorum regis electionem.

Reſponſum Polono legato a Caeſare redditum.

Reſponſum eſt ab auguſtiſſimo chriſtianitatis arbitro: agere gratias regi cognato, pro voto in auguſtum filium ſuum collato. Arma contra rebelles tam praeſto expediri non poſſe. Caeterum ſerio agitari, vt auxilio ſuccurrat vicino regi, fratri chariſſimo, et optime de vniuerſa chriſtianitate emeritae reipublicae.

Moritur Kroſnowski archiepiſcopus Leopolienſis, et Zaremba epiſcopus Kiiouienſis.

Redux in Poloniam TREBICIVS abbatia Czeruienſi a rege donatur, quae tunc vacabat, per eos dies defuncto NICOLAO KROSNOWSKI, archiepiſcopo Leopolienſi, Czeruienſis abbatiae adminiſtratore, quem mors neque odio, neque exemit gratiae. Archiepiſcopatum nanciſcitur IOANNES TARNOWSKI, archidiaconus Cracouienſis, regius Secretarius. KROSNOVIVM paulo ante praeceſſerat STANISLAVS DE KALINOW ZAREMBA, epiſcopus Kiiouienſis, ſenator regni, cuius ſucceſſor extitit IOANNES DE LESZNO, abbatiae Paradiſienſis adminiſtrator, germanus archiepiſcopi Gneſnenſis.

Conradus veneno ſuffectus.

Horum omnium luctuoſius accidit maturatum fatum IOANNIS CONRADI, ſtrenui ad Soczauiam militis et belli ducis, quem Soczauia reducem venenata ſuſtulere pocula. Eadem circa tempora exceſſit e viuis heroina vexilliferi regni cariſſima coniunx, ZAMOSCII ſoror, magni quondam cancellarii, THOMAE ZAMOSCII filia, cuius funus maritus lacrymis proſecutus eſt. Inter alia, quae hoc anno memorabilia in Polonia accidere, illud haud poſtremum cenſuerim, proteſtationem factam a nobilitate minoris Poloniae contra clerum huiusmodi tenoris:

Proteſtatio nobilitatis minoris Poloniae contra clerum.

Ad officium et acta praeſentia caſtrenſia capitaneatus Cracouienſis perſonaliter venientes, magnificus IOANNES DE RVSCZA BRANICZKI, ſuccamerarius generalis palatinatus Cracouienſis, particularis conuentus Proſzouienſis proxime celebrati mareſchalcus, et generoſus MARTINVS PIEGLOWSKI, pincerna Cracouienſis, ALEXANDER DE MSCICOW PLAZA, capitaneus Rabſtinenſis HIERO-

HIERONYMVS de VODISLAVICE CICHOWSKI, et STANISLAVS BOLCHACZKI, ab vniuerſa nobilitate palatinatus Cracouienſis, ad eundem conuentum particularem Proszouienſem, feria tertia proxime praeterita celebratum, congregati, ad infra ſcripta peragenda rogati et deſtinati, ſuo et totius nobilitatis eiusdem palatinatus Cracouienſis nomine, coram eodem officio et actis praeſentibus manifeſtati ſunt de eo. Quod nobilitas eiusdem palatinatus conformando ſeſe literis vniuerſalibus S.R.M. domini ſui clementiſſimi pro conuentu particulari datis, in eodem conuentu Proszouienſi nuperrime celebrato, licet contributionibus praeteritis et anno praeſenti, viginti ſex laudemiis 57) ſit exhauſta, parati ſunt certam quotam contributionum agrariarum pro colligendo milite vulgo POWIATOWEGO 58) vnanimi conſenſu ordinato contribuere. Verum quoniam contributionum quantitas absque bonis ſpiritualibus ſit ſatis parua et exigua, domini vero ſpirituales maiorem et potiorem partem bonorum palatinatus huius poſſidentes, in eodem conuentu particulari Proszouienſi, per ſuos internuntios contributiones dare recuſarunt et hoc onus cum palatinatu ſuſtinere noluerunt. Proinde vniuerſa nobilitas ibidem, quod non per eam, verum per dominos ſpirituales ſtetit, quo minus expeditio a palatinatu conſtituta ad effectum non ſit deducta, proteſtata eſt. Ita et ad praeſens id ipſum manifeſtantes, declarando hanc ſuam manifeſtationem, ad acta praeſentia faciunt notare. Actum in caſtro Cracouienſi feria ſecunda poſt feſtum S. Petri in vinculis proxima A. D. 1653.

Hanc proteſtationem paulo poſt ſubſecuta eſt *reproteſtatio* cleri contra nobilitatem huiusmodi tenoris:

Clerus minoris Poloniae proteſtatur contra ſaeculares.

Ad officium et acta praeſentia caſtrenſia capitaneatus Cracouienſis perſonaliter venientes perilluſtres ac admodum reuerendi Domini, IACOBVS SARNOWSKI, Cantor, NICOLAVS OBORSKI, et IOANNES CINERSKI, canonici Cracouienſes, ſuo et illuſtriſſimi ac reuerendiſſimi domini, domini PETRI GEMBICKI epiſcopi Cracouienſis, ducis Seueriae, ac totius cleri, dioeceſis Cracouienſis nomine. Poſtquam ipſis de certa manifeſtatione magnifici domini Ioannis de Ruscza Braniczki, Succamerarii generalis palatinatus Cracouienſis et conuentus particularis Proszouienſis proxime celebrati mareſchalci, tum et generoſorum Martini Pieglowski pincernae Cracouienſis, Alexandri de Mscicow Plaza, capitanei Rabſtinenſis, Hieronymi de Wodislawice Cichowski et Stanislai Bolchaczki nomine nobilitatis ad praefatum conuentum Cracouienſem die 29 Iulii anni praeſentis celebratum congregatae, coram actis praeſentibus caſtrenſibus Cracouienſibus feria ſecunda poſt feſtum S. Petri in vinculis proxima, contra ſtatum ſpiritualem facta conſtitit, ſolemnem manifeſtationem faciunt. Et in primis quidem reſpondendo ad contenta manifeſtationis praedictae. Non magis exhauſtam eſſe nobilitatem publicis contributionibus, quam ſpiritualem ordinem, vel ex hoc probari poteſt, quod easdem contributiones praedictus eccleſiaſticus ordo, et pro ſuis ſubditis, exactionibus continuis eneruatis, et ſtationes inſuper ipſas, et medietatem praedictarum contributionum publicarum pro colonis

57) In codice manu ſcripto Rudauſcii loco: *Viginti ſex laudemiis*, ſcriptum erat: *Viginti ſex laudatis*, quod ignorantiae librarii tribuendum. Poſitum autem hic verbum *laudemium*, pro agratico ſeu collatione pecuniaria viginti ſex nempe groſſorum, qui ab vnoquoque iugero ſeu *manſo*, barbare in Polonia *laneo* dicto, erant ſoluendi.

58) powiatowego, id eſt prouinciali. In lingua Polona *powiat* ſignificat diſtrictum vel prouinciam, et *powiatowy* dicitur prouincialis. Colliguntur autem milites in Polonia ſecundum palatinatus ſeu diſtrictus.

1653 colonis equeſtris ordinis ex decimis, contra ius diuinum et naturale, ſoluere cogantur. Deinde ad inuidiam ſtatus ſpiritualis obiici maiorem quantitatem bonorum ſpiritualium in palatinatu Cracouienſi conſiſtentium, cum liquido conſtet, laneorum ſpiritualium duorum millium noningentorum triginta et vnius tantum, nobilium vero ſex millium trecentorum ſeptuaginta duorum, regalium 2839 ac vulgo Ziemianskich [59]) 160, quos itidem cum regalibus ſaeculares poſſident, numerum in palatinatu Cracouienſi reperiri. Non paruum ergo ſubſidium de nouem millibus trecentis ſeptuaginta vno laneis ſupraſcriptae poſſeſſionis ſaecularium exiſtentibus, dum de ſummis et arendis ciuitatibus et oppidis, ſiue ſpiritualibus bonis, quae tantum, vt dictum eſt, 2931 laneos, ab omni genere ſeruitii bellici iuribus regni exemtos, et ſoli ſeruitio ſpirituali applicatos, et fundatos continent, prout aſſeritur fuiſſe, quod tamen iam nonnulli palatinatus ſine adminiculo ſtatus ſpiritualis de facto praeſtiterunt, et in effectu expediuerunt. Denique quantum conſenſum cleri attinet, ſine quo equeſtris ordo contributiones agrarias et conſequenter nullum praeſidium ſe potuiſſe decernere, immerito et vtinam non praeiudicioſo honori et reputationi huius primarii palatinatus exemplo, per praedictam manifeſtationem conquaeritur. Verum quidem eſſe, quod ſine conſenſu cleri nihil in clerum decerni poſſit, cum ſit pars integrans reipublicae. Quia tamen clerus ex bonis ſpiritualibus ad expeditionem publicam et illud ſeruitium bellicum, quocunque illud colore depingatur, non tenetur, prout id tot iuribus et conſtitutionibus regni, ſpecialiter vero anni 1607 et anni 1635 toties probatum eſt, et recens laudum [60]) conuentus relationis proxime praeteriti, loquendo de luſtratione 30 Iunii aſſignata, illis formalibus verbis, *exceptis iis, qui ad ſeruitium bellicum non tenentur*, aperte fatetur. Equeſtris vero ordo literis reſtium [61]), quae nunquam ſpiritualem ſtatum afficiunt, ad expeditionem publicam ad praeſens vocabatur, diſpenſantibus tamen iis ipſis, vt, ſi velit, eandem expeditis laneis, vel aliquo alio modo, pro ſuis perſonis, militibus abſoluere poſſit. Ita vt ſi etiam ordinario modo palatinalis, vt vulgo dicitur, miles, (qui tamen nuper poſt cladem Battouienſem, praepoſteri et plane nullius ſubſidii reipublicae, ſed magnae aggrauationis colonorum, tam regalium quam ſpiritualium et fruſtraneae totius palatinatus impenſae experimentum dedit) ad praeſens conſcribendus decerneretur, id in vim publicae expeditionis fieret et intelligeretur, ad quam nullo modo et quaeſito colore eccleſiaſticus ordo, vt dictum eſt, tenetur. Proinde ex his et aliis rationibus tempore et loco inferendis, immerito et ad ſummam cleri inuidiam cauſam et occaſionem denegati ſubſidii, ad quod a S.R.M. Domino noſtro clementiſſimo equeſtris ordo literis reſtium vocabatur, in eccleſiaſticum ordinem et nuntios vnius capituli transferunt, qui ad nullas etiam ordinarias contributiones, ſine praeuia vnanimi in comitiis regni illuſtriſſimorum epiſcoporum cum tota republica deliberatione et concluſione, extraordinaria vero et noua onera, prout ſunt praedictae annuatae contributiones, ſine beneplacito ſedis apoſtolicae, et vniuerſi cleri ſynodali conſenſu, adigi poſſunt. Iterum atque iterum remanifeſtationem faciunt, offerentes, ſe nomine ſupraſcripti cleri orationibus et

59) ZIEMIANSKICH ſignificat in lingua Polona *terreſtrium*. Verbum enim *ziemia* denotat terram.

60) *Laudum*, vox barbara, accipitur hic pro indictione ſereniſſimi regis.

61) *Literae reſtium* in Polonia appellantur eae, quibus ſereniſſimus rex expeditionem generalem indicit nobilibus, quaeque in pertica reſti alligatae per *miniſteriales terreſtres*, ſeu iuratos diſtrictuum ſeruos, ad *dignitarios*, hoc eſt, eos qui munere prouinciali funguntur, magiſtratus et primores nobilitatis, ſublimes et conſpicuae circumferuntur, et in vrbium oppidorumque foris alta voce publicantur. Vid. Hartknoch de republica Polona, edit. m. p. 819.

et ſacrificiis, ad quod vocati et fundati ſunt, in praeſenti neceſſitate reipublicae non defuturos, et ſi deſuper illis conceſſum fuerit, vitam etiam pro patria oblaturos. Actum in caſtro Cracouienſi, feria ſecunda poſt feſtum aſſumptionis in coelum beatiſſimae virginis MARIAE proxima. A. D. 1653. 1653

Ita iam tunc ſenſim creſcebant mutua odia cleri contra nobilitatem et contra. Ita emicabant diſcordiarum ſcintillae aliquando in flammam et ignem erupturae.

Eodem anno ſupremum diem obiere viri illuſtres. ADAMVS de BRVSILOW KISIEL, palatinus Kiiouienſis, pleriſque pro ſuſpecto habitus, mihi pro fideli ciue. Erant, apud quos pro perduelli audiebat. Calamitate temporum in anguſtias redactus vixit, quem vndique circumſtabant inuidiae et inſidiae, inconſtans Polonorum fides, fallaces Coſacorum animi, nocturna diurnaque pericula in ſtatione, in via, foris et domi. Per glacialia, per aeſtiuum ſolem, ſolo vtrinque inimico, commeabat, ſtipatus, ſolus, notus, incognitus, vt ferebat neceſſitas, et monebat tempus. Mirabitur certe poſteritas, vnum hominem non alio quam ingenii praeſidio vtramque ſuſtinuiſſe fortunam belli et pacis. Moritur Adamus Kiſiel palatinus Kiiouienſis. Eius laus poſthuma.

Nec multo poſt LVCAS de BNIN OPALINSKI ſenectute grauis excedit, egregia vir fama, cui duo et octuaginta anni ſpatium vitae fuerunt, inoffenſa per honorum gradus virtute, dum viguit aetas. Archimareſchalci regni principatu magna laude defunctus eſt, NICOLAO WOLSKI ſucceſſor, donec officio ſponte decederet annum circa 1649. Exin priuatum agens, ac paulo poſt palatinus Rauenſis declaratus, quaeſita ſolitudine, velut in mortis praeludium, parat ſe tot ſexennio in finem chriſtianum, quem magna tranquillitate explet, vsque ad inuidiam felix. Non ſic mori datum omnibus, quibus eſt reipublicae adminiſtrandae cura et ſtudium. OPALINIVM ſenem, anteceſſerat iuuenis, ac primo flore viuidus, gubernator Vielunenſis DONHOFIVS comes, palatini quondam Siradienſis filius. Item Lucas de Bnin Opalinski. Comes Donhofius.

Obiit quoque PHILIPPVS HVTTINVS, eques militiae calcaris aurei nobilis Lotharingus, ſupremus in Polona aula decretorum notarius, ac regis ſed magis reginae intimus ſecretarius. Is mihi pater, vir probiſſimus, in iure adeo verſatus, vt princeps ſui temporis in Polonia haberetur, et, quanquam ſuſpecta manus de patre ſcribens, finiit in optimum odorem, magnus reipublicae ciuis, duorumque ſucceſſiue regum, SIGISMVNDI et VLADISLAI deliciae.

Idem annus fatalis accidit, matri meae optimae ANNAE Baroniſſae de ſtemmate illuſtri GISSIORVM in Franconia oriundorum. Haec poſt deceſſum parentis mei, ante annos tredecim nupſerat MATHIAE Baroni de WOLCZYN, ſalisfodinarum Vielicenſium et Bochnenſium ſupremo gubernatori, homini illuſtri, cuius proles vnica adoleſcit ANDREAS, frater meus vterinus [62]).

62) Mater Rudauſcii noſtri tres habuit maritos, primus fuit IOANNES RVDAWSKI, pater auctoris, ſecundus MATHIAS de WOLCZYN, tertius HVTTINVS, quem auctor vitricum dicere ſuum debuiſſet. Sed in Polonia verba *pater* et *frater* ſaepiſſime inuſitate adhibentur.

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV LIBER QVINTVS.

LIBRI V. CAPVT I

SYNOPSIS

Belli initium Moſchouitici ac Suetici, eorumque progreſſus. Moſchouiae magni ducis in bellum Polonum apparatus. Cauſa belli Moſchouitici. Varſauiae ordinum comitia irrita. Suſpicio ſenatus de Rege. Iterum conuocatio Varſauiae. Skarszewski in regem facinus. Ruſſia protectionem ſuſcipit Moſchouiae. Magnus dux Moſchouiae Lituaniam ingreditur. Prodigia in coelo Varſauienſi. Moritur Innocentius X pontifex opt. max. Succedit in ſedem Petri Alexander VII, antea Fabius Ghiſius nominatus. Moſchi Smolenſcum oppugnant, ac paulo poſt capiunt. Victoria Moſchorum. Kerkenius cadit. Radiuilus pugnat infauſto omine. Curlandiae dux fit neutralis. Moſchorum Viennam ad Auguſtum Caeſarem legatio. Quid Moſchi proponunt. Caeſar quid reſpondet? Viennae valedicunt Moſchi.

1654 Anno belli Scythico-Coſaci ſeptimo, Regni IOANNIS CASIMIRI, Poloniae Sueciaeque regis ſexto, ab inſigni clade Moſchorum ad *Smolenſcum* a diuo VLADISLAO illata vigeſimo, bellum coeptum eſt atrox et iniuſtum. In Ruſſiam a CHMIELNICIO euocatus, armata manu irrumpit, foedifragus Moſchus, perfidiae Graecae luculentum Europae documentum. Saeuit armis in amicam vicinamque Lituanam gentem. Componebant exercitum eius, duodecim Gallorum, ſex Scotorum, viginti Coſacorum millia, praecipuae in ea expeditione vires. Moſchorum praeterea ducenta numerabantur millia. Conſpirabat cum Moſchis Suecorum Rex, qui tunc ſecreta cum Moſchis Coſacisque alebat commercia, et minabatur Polonis; inſtante RADZIEIEVIO, et inflammante acrius Regis animum. Cauſa belli prope erubeſcenda, ſyllabae error, quem Moſchi pro contemtu habuere. Caeterum elatus animis ingentibus Moſchus, Lituaniae totius, et ſi poſſet, Poloniae cupiditate flagrabat. Spem et fiduciam dabant illi, foederata CHMIELNICII arma, quibus disiungebantur Poloni. Inuitabat occaſio, nudumque Imperii latus oſtentabant. Amicus Suecus, vna et RADIVILVS.

Initium belli Moſchouitici d. 16 Ian.

Eius in bellum apparatus.

Ad haec Poloni primo pauere, mox nullam adferentibus dare fidem, credentes irridere, quaſi fabuloſa eſſent, quae de hoſte nuntiabant exploratores, quaſi vana, quae referebant vicini. Acceſſit et aliud malum, quod euenturum nemo credidit, donec factum fuiſſe docuit euentus. Tartari ſiquidem, poſt concluſam ad ZWANCIVM cum Polonis pacem, poſt icta foedera tripartito agmine, pernicibus equis Volhyniam Podleſiamque aggreſſi triginta millia Nobilium capita in ſaeuam abduxere ſeruitutem, nimium ſecuros et per agros vbique ſparſos, quod Polonis, proh dolor! in deliciis eſt. Vulgo ruſticus apud illos dicitur, qui famoſas incolit vrbes, Perſis, Medis et Tartaris in hoc ſimiles, qui errantes, ac domum teſtudinum inſtar circumferentes, viuunt.

Varſauiae ordinum comitia irrita.

Poſt Tartarorum irruptionem, Rex Varſauiam centuriata ordinum conuocat comitia, omni biennio fieri ſolita. Aderant in iis prouinciarum rectores, Palatinos Polonia nuncupat, ordinumque legati, extraneus nullus. Sex hebdomadarum tandem euoluto circulo, cum variis altercationibus nuntiorum, iisdem quibus initio de rebus incaſſum diſcepta-

diſceptaretur, tempusque conſulentibus elaberetur, magno bonorum omnium dolore, irrito effectu ſoluuntur comitia, quadrageſimo ſexto, poſtquam inchoauerant, die. 1654 d. 28 Mart.

Soluta comitia varii varie acceptauere per vniuerſum regnum, vt quisque regiarum aut reipublicae partium fuit. Nec deerant, qui innocentem criminarentur regem, vtpote qui clauam, vtriusque gentis Polonae ac Lituanae, ſuis in manibus, ad hanc vsque retinuerat diem, eamque pertinacius ordinibus ab illo expoſcentibus reſtituere renuebat. Pudebat nempe, inuictum alias regem, eripi ſibi ab ingrata patria, cui iampridem proprium deuouerat caput, deuouerat et ſanguinem, modo militem, modo imperatorem agens. Sed mihi nobilitatis altius ſcrutanti conſilia, alia occurrit ratio. Videbat prudentiſſimus rex, male animatam erga ſe patriam, patriaeque ordines, qui ad haec comitia ſtolide ſuperbientes venerant diſputaturi plenis buccis coram rege: *De inſtitutis reipublicae, de fundamentis et compagibus, de rege, regisque ſui circumſcripta Maieſtate, de prouentibus, de regia poteſtate*, quam metuebant. Non tantum vt regem, ſed et vt imperatorem duorum exercituum vtriusque gentis eum venerabatur Polonia, ideo metuebant optimates. Hac arte quondam Iulius dictator, orbis vniuerſi Caeſar factus. Haec et alia altius penetranti regi placuit primo ſtatim in limine opponere Maieſtatem ſuam. Veritus deinde ne a populo, ne a vicinis contemneretur gentibus, ſi ea ſtatim prima fronte concederet, quae respublica extorquebat per vim. Negat ſe imperatore et duce, alium poſſe eligi imperatorem. Quo reſponſo, in deterius a maleuolis accepto, dum optimates ordinumque delegati in partes ſecedunt, rex ſoluit ſeſſionem ſimul et comitia.

Suſpitio ſenatus de Rege.

Atque hic finis fuit huius anni comitiorum, quae paulo poſt feliciori omine atque exitu, ſi ordinum ſpectes ſuſpiria, conuocatio ſubſecuta eſt, maiori attamen reipublicae malo, ſi arcana imperii conſideraueris. Claua maior regni, STANISLAO POTOCKI, campiductori, palatino ceſſit Kiouienſi. Minor STANISLAO LANDSKORONIO, terrarum Ruſſiae palatino. Magni ducatus Lituaniae, IANVSSIO duci RADIVILO, Lituaniae proregi, Vilnenſi palatino, cui adiunctus campeſtris collega, bellorum quoque adminiſter, VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, theſaurarius magni ducatus Lituaniae, Pinſcenſis, Marcouienſis gubernator.

Iterum conuocatio Varſauiae d. 9 Iun. Diſtributio dignitatum.

Ita tunc ordinum ſatisfactum votis ab optimo rege. Ita proprium honorem, publicae quieti, poſtponere ſolent Poloniae Reges, quanquam haec ordinum ſatisfactio momentanea fuit. Illico enim vno abſurdo ſibi conceſſo, plura poſtulauit a regia maieſtate ordinum libido, incentore quodam STANISLAO SKARSZEWSKI, gubernatore tunc Radomienſi, viro in omnes fraudes expedito, ac ſub pelle ouina, lupo rapaciſſimo. Hic ſub larua pietatis, quam dictis praeferebat, factis negabat, ſcilicet miſerorum nobilium leuaturus egeſtatem, ordinibus perſuadet, obtenta maiori differentia, minorem ac ſuae egeſtati magis propitiam aggrediantur rem. Salem, qui hactenus Poloniae regum menſae portio haud perexigua fuit, impetrarent apud Regiam Maieſtatem, ſinguli in ſingula nobilium capita, ea lege ſaluam fore patriam, ſaluum regi regnum, finiendam ordinum conuocationem.

Skarszewski in regem facinus.

Diu reſtitit regia munificentia ordinum poſtulatis, donec ad extremum, eorum adactus precibus vna et minis, omnia conceſſerit, ignarus, eripi ſibi ad vltimum, quod ad hanc vſque diem ſupererat regibus Poloniae magni momenti ferculum, nec vnius malitiam hominis, qui tali arte ac dolo, popularem ſibi per ea tempora aucupabatur auram. Tali ergo ratione finiit ordinum conuocatio, regia conculcata praeeminentia. Conculcata fortitudo, erepta regiae, proh dolor! vltima portio menſae.

Quanquam non deerant hoc anno futurarum calamitatum, manifeſta prodigia et prognoſtica. Siquidem die, quo conuocatio ordinum Varſauiae coepit, viſio miranda in horizonte apparuit Varſauienſi. Principio, ſolis effigies repraeſentabat feralem crucem, quae deinde cordis ſpeciem retulit horrendam ſatis, acto in tranſuerſum ferali mucrone, qui vna cum tranſuerberato corde, ſiniſtrae ſolis aſſiliit parti, tum dextra erumpebat manus, globum regalem oſtentans; qui in altum violenter emiſſus, dextram peruagatus partem, paulo poſt in medio ſubſiſtens, deinde in quatuor minutiores globulos diuiſus eſt, mox iisdem globulis minutioribus altius eleuatis, virga apparuit, eoque modo poſtea

Viſio miranda in horizonte Varſauienſi.

1654 visio euanuit. Qua portendi canebant curiosi Principis mortem, indeque vniuersi regni luctum ac calamitatem. Denique monstrosum foedus, complurium populorum viribus conflandum, in quatuor partes distracturum regnum. Vltimo iram Deum minari, per aeris intemperiem, vnde peste cruciabitur Poloniae regnum. Auxit metum, magna sui parte, d. 12 Augusti, deficiens sol, exterruitque adeo populos, vt prodigii loco habitum sit a multis; qui nimirum statum illum rerum aegre intuentes, eique votis suis coelum attemperantes, lucis defectum, diuisosque paulo ante globulos, cum fortuna Principis, breuique occasuro regno componebant. Nec coniectatio illa falsos habuit interpretes, vt in tempore memorabo [63]. Auxit metum apud obnoxios iam animos, sequutum mox Octobri mense Varsauiae incendium. Etenim in sulphurei pulueris officinam, ignem, seu casu, seu dolo, iectum, expositi pulueris doliola comprehenderunt; tam ingenti quatefactae vrbis motu atque fragore, vt pleraeque vicinae lapideae [64]) ex audito tonitru, nutantibus aedificiis trepidauerint.

Russia protectionem suscipit Moschouiae.

Sed ego ad res Moschouiticas, a quibus digressus sum, redeo. Dedita, vt superius innui calendis Ianuarii a Cosacis, ALEXIO MICHALOWICZ, magno Moschouiae imperatori, Astrachanensi et Casanensi regi, Russia, praestito a CHMIELNICIO legatis coram fidelitatis iuramento, Czerinensi in vrbe, Moschi magni ducis iussu, PERENSLAVIAM, BRACLAVIAM, sed potissimum, et vel maxime Humanense propugnaculum, vrbemque KIIOVIAM, adeo firmare coeperunt, vt postea Polono oppugnanti non cesserint militi.

Moschouiae Caesar Lituaniam ingreditur.

Russia in hunc modum ordinata, praesidiario quoque firmata milite, ipse Moschorum Caesar, toto imperii sui robore, in vicinam mouit Lituaniam, non alias maior Polonorum despectus, quam Moschorum sui fiducia. Abeunti Patriarcha de more largitur benedictionem, breui salutaturus vniuersae Russiae Lituaniaeque Caesarem, quod et accidit. Secuti Principem dux SZEREMET, eius expeditionis supremus belli dux, GVLGVCZKA, cancellarius, IOANNES PIOTROWICZ, ODOIEWSKI, CHOWANSKI, SIEMIANKOWICZ, DIONISIVS WASILOWICZ, Princeps RVDOWSKI, KONDEROWICZ, CERKAWSCIVS, TRVBETIVS, KIERKINIVS, SIMON IVKANOWICZ, ARTEMON SVRGIEWICZ, RILSKI, magnarum prouinciarum duces ac rectores.

Moschi, Smolenscum oppugnant. d. 9 Iunii,

Ingredienti Lituaniam placuit primo statim impetu SMOLENSCVM aggredi, vrbem ad Borysthenem, natura pariter et arte munitissimam, CCC turribus superbam, ac vastissima arce famosam. Neque mora pridie Calendas Iunii, eandem arctissima cingit obsidione, quam ad Calendas Octobris vsque constantissime tulere Germani, pariterque Poloni milites, ducibus CORFFIO ac PHILIPPO OBVCHOVICIO, illo Derpatensi hoc Smolenscensi palatino, donec, glisscente militum pauore, deterreretur palatinus Smolenscensis, eoque modo, recusante deditionem CORFFIO, Smolenscum Moschis dedidit, summo cum totius Christianitatis damno, Lithuanorum moerore, quadragesimo tertio anno, postquam sub diuo SIGISMVNDO TERTIO in Polonorum concesserat potestatem. Subeunti moenia Smolensciae Moschorum Caesari referebant Sehinnianae cladis a diuo VLADISLAO, ante annos, vt retuli, omnino viginti illatae, superstites, pugnam aut vincula elapsi: Hic cecidisse magni ducis parentis sui legiones, illic raptas aquilas, primum Pocrouiensem superatum montem, vnde MORISZONIVS dux pulsus, quo loco PROZOROVII, oppugnata statio, vbi HVBERTI, LESLEIque statio, externorum diruta castra, alaudarum occupati montes, ad extremum, vt signis et aquilis Moschouiae per Polonam illusum superbiam.

Ac paulo post capiunt.

Victoria Moschorum.

Capto Smolensco eodem victoriarum torrente VITEPSCVM expugnatum, POLOCIA, BYCHOVIA, Vetus SKLOVIA, MSCISLAVIA, MOHYLOVIA, NEVELIVM, RZECICA, MOZYRIA, HOMEL, qua vi, qua deditione, hosti cesserе in spolium adeo superbum, vt intra sex menses vix integros, centum in latum, centum quinquaginta in longum leucas, vbique victor processerit, possederitque Moschus. Occurrerat quidem maturrime, adeoque insperatus, licet impari Marte IANVSSIVS DVX RADZIVILIVS, sexaginta Moschorum millibus, eorumque CZERKAVIO, KERKINIOque ducibus, ad SKLOW, Sieniawsciorum comitatum, vbi fausto omine, commissa cum illis praelio dextera, victorem habuit Lituanum exercitum, desiderato in acie KERKENIO, altero hostium duce. Caeterum, dum non multo post TRVBETIO centum millibus superbo, tumentique duci ad SZEPEKOVICE fortiter resistit, infinita Moschorum obrutus multitudine, vix crudeles Trubetii effugit manus. Prius quoque VARSAVIAE de Radiuili clade, quam de Lituanorum constitit pugna.

1654

Kerkenius cadit.

Radiuilus pugnat infausto omine, d. 27 Aug.

SZEREMETVS, munito Vitepsco, Polocio, Mohilouia, Mozyria, Rzecica, Homelo, quae ille vacua milite inuenerat loca, potissimum VITEPSCVM POLOCIAMque, aliquot hominum millibus munitas praesidio, dilabentibus caeteris in profundiorem Lituaniam, populationi apertam, vertit ad Smolenscum, non auso Radiuilo duce, terga abeuntium lacessere, quanquam astu magis ille tunc, quam per formidinem cesserat Lituanis. Fuerat animus GONSIEVIO persequi hostem, sed illum exterruit Czerkauius Turbetiusque a tergo relicti duces, qui tunc nullo resistente, huc atque illuc per Lituaniam circumferebant hostilia arma.

Curlandiae dux fit neutralis.

Iamque Curlandiae finibus paulatim appropinquabant, cum audito IACOBI KETLERI Curlandiae ducis neutrius partis studio, iterum in Lituaniam, deinde saeuiente praeter modum hyeme, in albam Russiam, Smolenscum versus, recesserant, melioribus auspiciis, reparaturi bellum anno subsequenti. Miserat tunc quoque Viennam in Germaniam ad augustissimum Caesarem FERDINANDVM III, legatos Moschus, necessitatem Lituanici excusantes belli, quasi sua repeteret, acceptaque a Polonis pariterque Lituanis restitueret damna, referret iniurias, vindicaret calumnias. Has ille afferebat rationes, quibus iustum cum Polonis Lituanisque Caesari persuaderet bellum. Ad haec respondit Caesar: Perfide Moschorum ducem cum Polono egisse rege: calumnias, iniurias, damna, potuisse illum alia via alioque modo vindicare. Propria quod repeteret, mirari, Moschum propria ista vocare, quae pridem Polono per arma cesserunt regi, vt naturali et vero domino. Sed et ista potuisse illum alio quoque tempore vindicare; non tali, quo collabitur rex vna cum regno propter rebelles. Sed frustra talia memorabantur Moscho, nimium exultanti in recuperato Smolensco. Donis itaque oblatis Caesari a duce suo pretiosis martium Scythicarum pellibus, in Lituaniam reuersi sunt, hoc vnicum vehementissime a Caesare postulantes, ne vicino amico et cognato regi suppetias ferret. Obtulit Caesar operam suam studiumque, in reconciliandis pacandisque vtriusque animis. Ita, eo reddito responso, Viennae valedixerunt Moschi.

Moschorum Viennam ad Augustum Caesarem legati.

Quid Moschi proponunt? Caesar quid respondet?

Viennae valedicunt Moschi.

LIBRI V. CAPVT II

SYNOPSIS

Rex in Lituaniam proficiscitur. Literae Sueciae regis ad Poloniae regem. Morstenius regis legatus periclitatur in mari. Funera nonnullorum procerum, et dignitatum distributio.

Rex in Lituaniam proficiscitur.

Interim audita Polonus rex Lituanorum clade, Curlandiaeque ducis animo a partium studio alieno, autumno iam maturo Lituanae profectioni sese accingens, Grodnam proficiscitur, vbi ad primos dies Decembris substitit, ratus terrore *Maiestatis suae*, posse victoriarum cursum Moschorum aquilae sisti, quod et factum. Deinde male conuenientes quosdam proceres, potissimum RADIVILVM, GONSZEVIVM *que* bellorum fulmina, vt imperatores, inuicem pro tunc dissidentes, ad tempus conciliauit. Audiuit quoque Curlandiae ducis oratorem, veniam facti deposcentem, et ignoscere debuit, dum non esset vindicando. Tunc Grodna expediuerat in Sueciam ANDREAM MORSZTYN DE RAGIBORSKO, Sendomirien-

63) Nolo amplius superstitionem auctoris de prodigiis refutare. Sufficiunt annotationes praecedentes. Quis enim velit interpretationes tam pulchras, quas insuper euentus probauit, negare? in primis cum in Polonia adhuc tam multi sint miraculorum amatores et venditores, qui physicos nil sine ratione sufficienti credentes pro hominibus pestiferis opinionibus corruptis habere non dubitent.

64) Scilicet domus. Cum enim in Polonia plura ex ligno, quam ex lateribus vel lapidibus aedificia sint constructa, lapideae a ligneis distinguuntur aedibus.

1654 mirienſem dapiferum, renouaturum antiqua foedera cum domo palatina, regnoque Sueciae. Scilicet aliquid infauſti de Suecis ſubodoratus ante diſceſſum Varſauia, vbi IOANNEM KOCH, Regis Sueciae legatum audiuerat, prolixe de domus palatinae cum Poloniae regibus affinitate, de regni Sueciae cum Polonae reipublicae foederibus diſſerentem, eumque regio donatum munere in Sueciam paulo ante dimiſerat. Literarum autem, quas KOCH Polono praeſentauerat regi, hic tenor fuit:

Audit Varſauiae Sueciae legatum.

Nos CAROLVS GVSTAVVS, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiae etc. etc. etc. Sereniſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, Vicino et Amico Noſtro chariſſimo, Domino IOANNI CASIMIRO Regi Poloniae, Magno Duci Lituaniae etc. etc. etc. ſalutem et omnia proſpera.

Sereniſſime Princeps, Frater Conſanguinee, Vicine et Amice Chariſſime.

Literae Sueciae Regis ad Poloniae Regem.

Cum illius motu, qui cuncta mortalium diſponit, Regesque Regnis dat viſum ſit Sereniſſimae ac Potentiſſimae Principi ac Dominae, D. Chriſtinae, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, Magnae Principi Finlandiae etc. etc. etc. Matri Noſtrae, omni filiali cultu, ac veneratione proſequendae, pluſquam materna cura amoreque erga Nos, atque certis de cauſis, gubernaculis imperii haereditarii ſe abdicare, ſummamque rerum ad Nos, accedente omnium ordinum huius regni conſenſione, transferre, ſequentibus confeſtim coronationis Noſtrae ſolemnibus, alienum ab officio, animoque Noſtro fore iudicauimus, niſi exordio regiminis Noſtri, DEVM OPTIMVM MAXIMVM precaremur, vt hoc orbi chriſtiano, Nobis, Regnoque Noſtro, et *Serenitati Veſtrae*, communibusque amicis velix ac fauſtum eſſe velit, et *Serenitatem Veſtram* (conſiderantes ſcilicet illum propinqui ſanguinis nexum, qui Nos cum eadem iungit, atque antiquam illam inter vtraque haec Regna neceſſitudinem per complures iam annos *iuduciarum pactis reſtauratam continuatamque*) de hiſce imperii Noſtri auſpiciis edoceremus, atque omnia proſpera *Serenitati Veſtrae*, Poloniaeque Regno ac populo comprecaremur; denique officia Noſtra paratiſſima, et quaecunque ab amico, et tam propinquo ſanguine procedere poſſunt, fidem optimo affectu deferremus. Proinde, ſi qua in re gratam *Serenitati Veſtrae* operam praeſtare poterimus, eſt quod *Nobis* indicet, ita de *Nobis* diſpoſitura, quemadmodum Vtrique *Noſtrum* conducere exiſtimauerit, prout *Nos* etiam confidimus *Serenitatem Veſtram* hunc affectum Noſtrum, pari erga Nos regnumque Sueciae voluntate penſaturam. Has literas perferendas, et ſi opus fuerit explicandas vberius, tradidimus miniſtro Noſtro Dantiſci, egregio et ſpectabili, Nobis ſincere fideli, IOANNI KOCH, quem vt *Serenitas Veſtra* Noſtri cauſa beneuolentia ſua complecti velit, rogamus, confidimusque. Quibus finientes Deum veneramur, vt *Serenitatem Veſtram* tueatur florentem, et incolumem, laetisque et ſecundis rebus ſemper gaudere ſinat. Dabantur in Regia Noſtra Stokolmenſi die 3 Iulii Anno Domini 1654.

Serenitatis Veſtrae

Bonus Frater Conſanguineus
et Amicus

CAROLVS GVSTAVVS.

Haec

Haec ſumma literarum Sueciae Regis ad Polonum Regem. 1654

Sed MORSTYNIVS infelici omine iter ſuum per Liuoniam aggreſſus, tandem circa Helleſpontum Danicum, *Sund* dictum, naufragium paſſus, vix tabulae beneficio alligatus euaſit. In Suecia quoque medio commoratus anno, absque audientia, nec ad Regis Sueciae admiſſus conſpectum, in Poloniam appulit anni ſubſequentis Maio. Morſtenius Regis legatus periclitatur in mari.

Eodem hoc anno mortalem exuit vitam ANNA Heroina, ALEXANDRI ducis in OSTROG, Volhyniae palatini filia, magni quondam CAROLI CHODKIEVICII palatini Vilnenſis, et ad Chocimum Generaliſſimi, coniunx aliquot dierum, vidua vero XXXIII annorum; Sanctimonia, pudicitiaque illuſtriſſima, bonorum magni prouentus relicta haerede ſocietate IESV. Anna Chodkiewiczowa moritur.

Hanc morientem ſequutus eſt NICOLAVS ALBERTVS ab OLEXOW GNIEWOSZ, epiſcopus Cuiauienſis, legationibus externis, Italica, Gallica, Belgica glorioſe defunctus, Regibus ſucceſſiue SIGISMVNDO TERTIO, VLADISLAO QVARTO, IOANNI CASIMIRO, fidus ac incorruptus, quod rarum in Polonia, conſiliarius. Gniewosz epiſcopus Cuiauienſis moritur.

Hunc excepit ZAMOISCIVS, nominatus Luceorienſis poſt defunctum GEMBICIVM. Vir proſapia illuſtris, ſed doctrina illuſtrior, primo epiſcopus Valachiae, ex ordine et familia patrum praedicatorum aſſumtus, tandem longo poſt tempore Praemyslienſis, ad extremum poſt demortuum, vt retuli, Gembicium, quem lenta phthiſis conſumſerat huius anni exordio, nominatus Luceorienſis, dum lente in cathedram ſuam inuehitur ſeptuagenario maior excedit. Rex ducis CZARTORYSKI Poſnanienſis epiſcopi ſacro vertici Cuiauienſem imponit thiaram, collato Poſnanienſi epiſcopatu ALBERTO TVLIBOVIO, Plocenſi ſuffraganeo, viro illuſtri. Luceorienſis quoque STEPHANO WYZGAE maiori tunc ceſſit ſecretario. Zamoiſcius nominatus epiſcopus Luceorienſis, moritur. Dignitatum diſtributio.

Hic finis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quarti, infelicis et infauſti, ob amiſſum Smolenſcum, et cum Smolenſco centum leucarum opulentiſſimum imperium. Quod idem prope Polonis et Moſchis hodie euaſit, quod Cilicia olim Carthaginenſibus et Romanis; noſtra aetate Babylonia Turcis et Perſis.

LIBRI V. CAPVT III

SYNOPSIS

Praelium ad Stawyszyn, Coſacos et Polonos inter. Coniunctio Tartarorum cum Polonis. Moritur Islan Gerei rex. Succedit Machmet Gerei frater mortui. Deſpectus Coſacorum legatis a Tartaris factus. Tartarorum in Poloniam aduentus, eorumque contra Moſchos et Coſacos pugna. Humanium oppugnant Poloni et Tartari, ſed fruſtra. Tartari pedites pugnant. Caeduntur a Bohuno Poloni et Tartari. Chmielnicius Polonis Tartarisque occurrit et cum illis pugnat. Potocius quoque aciem inſtruit et dimicat. Moſchorum aliquot millia caeduntur a Polonis. Potocius Chmielnicium obſidet, ſed fruſtra. Chmielnicii dolus. Mors Innocentii X, pontificis. Electio Alexandri VII. Mohilouiam obſidet Radiuilus inani conatu.

Sequitur annus milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus quintus, infauſtus Polonis, luctuoſus Lituanis, funeſtus Maſouitis, toti regno atrox, ipſi regi infelix, climactericus, aeternumque memorandus. Principium infelicis anni a ferali ad Stawiszyn auſpicor praelio, quod ipſis calendis Februarii coeptum, trium dierum durauit ſpatio: Ad extremum Polonis confoederatisque Tartaris militibus campo cedentibus, peditatu Germanico ad internecionem deleto. Rem altius repeto. 1655 Praelium Coſacos et Polonos inter.

Poſtquam in vnum Chmielnicii cum magno Moſchouiae duce, vt ſuperius innui, coaluerat factio, Poloni quoque centum aureorum millibus numeratis Tartarorum Chano, eundem, vt ſtipendiarium, in ſocietatem vocauere belli, pridem et ab antiquo infenſum

1655 Coniunctio Tartarorum cum Polonis.

Moſchouiae ducibus, ob auulſa aliquando, ſub Baſilide Moſcho, Aſtrachaniae et Caſana regna Tartarorum regibus. Hinc odia et minae Tartarorum in Moſchos. Acceſſit et alia, quanquam apud barbaros Mahometanos, politica ſtatus ratio, quae ſuadet principes potentes vicinos in ſtatera appendere; ne poſtea victores inſoleſcant ac noceant impune, dum non habent, qui reſiſtant. Hinc minori ſemper principi, ſauendum cenſent politici, ne maior factus fortior intumeſcat. Facile itaque coaluit factio Polonum inter Tartarumque regem, pacta foedera, et ab vtrinque per legatos iureiurando comprobata. Quorum haec ſumma:

Polonus Rex Tartarorum Chano ſingulis annis nonaginta florenorum numerabit millia, quaſi ſtipendium. Caeterum vt voluerit manibus atque armis eius vtetur.

Moritur Islan Gerei Tartarorum Chan.

Succedit Mahmet Gerei frater mortui.

Nihilque iam deerat ad perfectum amicitiae ſymbolum, niſi experimentum virium, quae dum a Tartaro rege in Poloniam parantur, ecce momento vno ſumma rerum vertitur. Rex Tartarus ad Tartara deſcendit, inuiſurus Mahometem, magnum prophetam ſuum. Cuius morte tota turbabatur Tartaria, dum pro ſceptro et ſolio gentis primarii contendere duces. Quanquam haud diu durauere diſſidia optimates inter, Gereiamque familiam, Byzantino imperatore, Tartaricum ſceptrum in Gereiana confirmante familia, cuius primario duci, mortui germano, MAHMET GEREI, detulit Tartaricos faſces, eoque honore auctum Conſtantinopoli in Tartariam vti regem dimiſit, elapſi anni Octobri menſe. Aduentanti illico legatus Polonus, nomine regis, totiusque reipublicae occurrit, gratulaturus thronum ſceptrumque regium, vt amico, vt vicino, eumque ad Stampol vsque regiam comitatus, omnia obtinuit ad votum Poloni regis. Aduenere quoque ſub idem tempus in regiam Tartariae Coſacorum legati, mutua cum Tartaris renouaturi foedera, ſed a nouo Chano ludibrio habiti, amputatis naribus horrendi rediere paulo poſt ad Chmielnicium. Ita, tum primum vera cum Tartarorum rege Polonorum coaluit amicitia. Paulo enim poſt, duce SOLTANO, nepote Chani, huius anni initio aduenere Tartarorum auxiliares copiae, quorum triginta ſelecti equitatus numerabantur millia. Aduentanti SOLTANO circa Obodouium occurrit POTOCIVS, ſupremus bellorum miniſter cum Polono exercitu, ſalutaturus amicum hoſpitem, a quo benigne acceptus, poſt varia belli continuandi conſilia, placuit SOLTANO vnanimis viribus HVMANIVM aggredi.

Deſpectus Coſacorum legatis a Tartaris factus.

Tartarorum in Poloniam aduentus, eorumque cont.a Moſchos et Coſacos pugna.

Est autem Humanium ciuitas, in extremis Braclauienſis palatinatus finibus ſita, Coſacorum ſtatio quondam adeo nobilis, vt inde KALINOVIVS, cui haec quondam ciuitas, totusque eius regionis paruit tractus, triginta, aliquando quadraginta, bellatorum in campum eduxerit millia. Hodie locus inexpugnabilis, et qui cum Bredenſi certare poſſet propugnaculo, trino vallo, totidemque ſiccis munitus foſſis. Hunc locum BOHVNVS cum triginta millibus inſederat Coſacorum, et aliis praefectis Chmielnicianae militiae, eiusque loci gubernatore Surdaſtro, viro militari. Huc ergo vota properabant POTOCII, ratus expugnato Humanio, actum fore, de reliquis Vkrainae propugnaculis. Idem et Tartari ſuadebant. Expugnandum nidum fortiſſimorum Coſacorum, breui ceſſuras, reliquas Vkraine Ruſſiaeque rebelles vrbes, nec Kiiouiam diu reſtituram victoribus, vbi cecidiſſe audient Humanium. Siue id reuera ita ſentiebant barbari, e Polonorum commodo, ſiue propriam potius inde arripuere occaſionem, vt eo facilius poſtmodum, ſublato finitimo propugnaculo, ire redireque in Tartariam praeda onuſti poſſent, dum eſſet nihil, quod moraretur errantes.

Humanium oppugnant Poloni et Tartari. Sed fruſtra.

Igitur poſt receptam BRACLAVIAM, SZAROGRODVM, BVSCVM, TVLZZYNVM, caeterasque vrbes in fidem reipublicae, die 20 Ianuar. coepit Humanenſis obſidio. Primo furore aggreſſa ciuitas, totis vndique Polonorum Germanorumque viribus, obſidentes egregie repulit, ingenti cum Polonorum Germanorumque damno. Sed non ideo deſtitit a propoſito POTOCIVS, quinimo, ſubſequentis diei meridie, Tartaros animat, ac ad mutuam generalem expugnationem inuitat, deſcenderent equis, peditesque Polonorum Germanorumque immixti globo, penetrarent vallum, hoſtibus futuri admirationi ac terrori. Sed neque tunc quidquam effectum, Bohuno extra ſecundum procedente vallum, cum viginti ſuorum millibus, Tartaros Polonosque, iamiam primum vallum paulatim ſuperantes, inde, non ſine maxima ſtrage, inopinato pellente. Interim nuntiatur a Tartaris exploratoribus POTOCIO, CHMIELNICIVM cum auxiliaribus Moſchorum Coſacorumque fere innumerabilibus aduentare copiis, et iam quinto tantum ab Humano diſtare lapide.

Tartari pedes pugnant.

Caeduntur a Bohuno Poloni et Tartari.

Chmielnicius Polonis

Terruit

Terruit inſperatus Chmielnicii aduentus POTOCIVM, vna et Tartaros, quid facerent? fortiſſimo hoſte vndique, et a fronte, et a tergo circumdati? Conſilium ergo ſub veſperam cum Potocio ineunt. Cuius ſumma fuit: *Occurrere Chmielnicio, relictis aliquot in ſpeciem Polonorum Tartarorumque millibus.* Neque mora, ſubſequentis diei aurora, caſtra vterque mouet, ſed absque tumultu, caſtrenſique ſtrepitu. Vix ad tres POTOCIVS proceſſerat leucas, cum ecce numeroſus Coſacorum apparet exercitus, quem ſexaginta Moſchorum peditum auxerant millia, octuaginta maiores bellicae firmauerant machinae, vltra Coſacorum triginta millia lecti exercitus. POTOCIVS nihil tanta territus multitudine, illo ipſo veſperi hoſtem aggredi imperat, ex eminentiori colle, quem tunc fortuito inſederat, facile debellandum. Paruit mandatis miles animoſus. Igitur cadente iam ad veſperam die, primo velitationes inter vtrosque, mox iuſtum praelium a Germanis peditibus coepit, CHMIELNICIO ingenti tormentorum boatu, terram, aeremque debellante, dixiſſes tunc coelum ſub concauo lunae arſiſſe, ita ex tenebris facta fuit dies. Quinque horarum ſpatio, pertinaciſſima nocturna durauit dimicatio. Ad extremum campo cedentibus aliquot Moſchorum peditum millibus, qui ſeſe haud mora ad Chmielniciana recepere caſtra, relictis in praedam, ſexdecim minoris momenti machinis victori Polono militi. Interea CHMIELNICIVS tota nocte, in ſequentem vsque diem caſtra muniuerat, obiectis vndique plauſtris, atque Moſchorum carpentis. Diſpoſuit praeterea, hinc inde tormenta, peditesque Moſchorum, qui alte deſuper quaſi e turribus Tartaros repellerent, Polonosque arcerent. Dicitur in illa rerum perturbatione, et de extremis agitaſſe ſecum, et ita manifeſto vultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortem vellet; niſi cohortes Sobieſcii ab imminenti actae hoſte, ſpeciem fugae praebuiſſent, Chmielnicii erexiſſent animum, Polonorum perculiſſent.

1655 Tartarisque occurrit et cum illis pugnat.

Potocius aciem inſtruit et dimicat.

Moſchorum aliquot millia caeduntur a Polonis.

POTOCIVS vbi Chmielnicium bene munitum vidit, aggredi non auſus, obſedit Coſacorum exercitum, vna cum Tartaris. Ita vsque in quintum diem obſeſſus Chmielnicius, conſilii inops, KARACHMET Murzam, Tartarum ducem, vetterem amicum, per tenebras ad caſtra ſua inuitat, eundemque decem millibus aureorum donatum concubia nocte dimittit. Ille redux ad caſtra SOLTANO perſuadet deficere pabulum equos, breui quoque et exercitum defuturum, niſi famelici ad aliquot excurrerent milliaria refecturi equos et ſe ipſos. Annuit SOLTANVS ſuadenti Tartaro duci, ignarus latere anguem in herba, nihilque conſcio Potocio, quem contradicentem metuebat, Tartaros dimittit. Chmielnicio interea toto cum exercitu illa parte, quam Tartari cuſtodiendam ſuſceperant, progrediente, ſerpentis in morem, huc atque illuc venenatos emittentis aculeos. Obſtupuit POTOCIVS, vbi vidit Chmielnicium obſeſſum, absque ſanguine elabi, donec, Tartarorum intellecta perfidia, mirari deſineret. Abeuntem tamen ſecutus eſt, vna cum Tartaris, Humanium verſus, donec vterque Chmielnicii coniungeretur exercitus, quo coniuncto, viribus impar POTOCIVS, Braclauienſem iterum tractum repetiit, vna cum perfidis ſociis, Tartaris, diuiſo in ſtationes exercitu Polono attrito, Germano pene deleto, ob perfidiam Tartarorum, qui paulo poſt onuſti, ac diuites Ruſſiae ſpoliis, aucti quoque viatico, quod a Polonis armati extorſerant, rediere in Tartariam, dilato aduentu in proximam aeſtatem, vix tamen autumno adulto comparuere.

Potocius Chmielnicium obſideret ſed fruſtra. Chmielnicii dolus.

Ineunte anno vita conceſſit INNOCENTIVS DECIMVS, ſummus Pontifex e gente Pamphilia, poſtquam in Petri cathedra annos decem, et quinque menſes ſederat. Auſterus illi vultus, exoſa quoque multis dominatio, maxime vergente in occaſum aetate. Summa rei Romanae, per eius pontificatum, primis annis penes vnam OLYMPIAM fratris vxorem, deinde penes ASTALLIVM PAMPHILIVM, ad extremum penes neminem fuit.

Mors Innocentii X Pontificis.

Innocentio ſucceſſit FABIVS GHISIVS; cui ALEXANDER VII nomen eſt. Huic apud Senenſes haud ignobilis ortus, ingenii vires, literarum amor et ſtudium, quanta eſſe poſſunt. Ante epiſcopus Heritonenſis, ſedis apoſtolicae ad tractatus vniuerſae pacis Germaniae extraordinarius mediator, ad tractum Rheni et inferiorem Germaniam nuntius ordinarius, vix annos duos Cardinalis, aetatis ſuae 50, vocatur in ſolium apoſtolicum, ſeptimo Idus Aprilis.

Electio Alexandri VII.

Per ea tempora Lituanus exercitus, Radiuilo duce, Mohilouiam obſidet inani conatu, quam viginti Moſchorum defendebant millia. Producta attamen ad medios Maii dies haec oppugnatio, ſucceſſiſſet procul dubio, niſi Radiuilo vacillans fuiſſet fides, et amor in patriam.

Mohiloniam obſidet Radiuilus inani conatu.

LIBRI V. CAPVT IV

SYNOPSIS

Conuocatio Varſauiae indicitur. Sueciae ſenatorum literae ad Polonos. Senatorum Poloniae literae ad ſenatores regni Sueciae.

1655 Conuocatio Varſauiae indicitur.

Caeterum Rex Varſauiae ordinibus regni conuocationem indicit, ad diem decimam nonam Maii, de ſecuritate regni cum ſenatoribus ac republica deliberaturus. Auxerant metum regis, Sueciae ſenatorum, ad Poloniae proceres, ſcriptae literae, quarum haec ſumma:

Sueciae ſenatorum literae ad Polonos.

Nos ſenatores inclyti regni Sueciae, reuerendiſſimis, illuſtriſſimis, reuerendis, illuſtribus, magnificis, et generoſis dominis ſenatoribus regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, vicinis et amicis Noſtris obſeruantiſſimis ſalutem et proſperam rerum incolumitatem.

Reuerendiſſimi, illuſtriſſimi, reuerendi, illuſtres, magnifici et generoſi domini, vicini et amici obſeruantiſſimi.

Vidimus eos non raro, praeterlapſis nuper annis, qui ſub eximio prouehendae pacis titulo, et ſereniſſimam ac clementiſſimam antehac reginam Noſtram CHRISTINAM, et ſereniſſimum, hodiernum regem, Dominum Noſtrum clementiſſimum, nomine ſereniſſimi Poloniae regis conuenerunt. Praeſenti etiam tempore adeſſe quendam nobilem Morſtenium intelligimus, qui negotia prioribus non diſſimilia, mandato regis Veſtri expedienda, ſuſceperit. Quamuis vero ex iis, quae indicare neceſſum habuit, antequam ipſi integrum eſſet ſperare, vt in conſpectum regium admitteretur, talia pateant, quae irritamento diſſidiorum Noſtrorum, quam eorum reconciliationi propiora ſunt; integritati tamen ſuae concedendum exiſtimauit, ſereniſſimus rex, Dominus Noſter clementiſſimus, vt nihilominus pro munere Noſtro, ſenatorium ordinem Veſtrum, nonnulla candide et tempeſtiue literis hiſce moneremus. Scilicet regiae illius maieſtati conſtitutum eſt, aut candore ſuo res vtrinque Noſtras ad ſolidum, et ſecuritati noſtrae conuenientem amicitiae vſum reuocare, aut alias id agere, vt quandocunque ſuae, regnique ſui dignitati ac conſeruationi diuina adiuuante gratia, ab aliorum iniuriis, et imminenti periculo proſpicere cogatur, tum apud orbem vniuerſum, et in ipſis illuſtriſſimarum dominationum Veſtrarum conſcientiis, iuſtiſſimae illius ſollicitudinis ratio ſua conſtet. Quamdiu internuntiis reciprocum tractandi ſtudium excitari, inuicem decuit, non modo Veſtros, ſereniſſima regina CHRISTINA, benigniſſime admiſit, ſed ipſa paribus viciſſim humanitatis officiis, nequaquam defuit. Nihil in ſe deſiderari paſſa eſt, ſiue tractatus pacis vigere oporteret, ſiue commiſſarios ſuos iis peragendis rite conſtituere. Vbi vero deprehenſum fuit, iteratis Lubecae legationibus Veſtris, neque conuenientes negotio tanto adfuiſſe plenipotentias, neque commiſſarios Veſtrates, fauore quietis publicae commoueri potuiſſe, vt in iis, quae Nobis, ſtatuique Noſtro indigniſſimum erat negligere, Vobis vero in pacem pronis obtinuiſſe, nequicquam profuit, ab opinione ſua nonnihil recederent, nonnihil facillimum erat praeuidere, ſimiles ſemper congreſſus, pares exitus habituros.

Nemini itaque mirum videri poterit, ſi internuntiis deinde Veſtris, aperte teſtati ſumus, ambagibus et verbis, ipſo euentu irritis, circumagi gentem noſtram,

noſtram, neque decorum illi, neque tolerandum eſſe. Conſtans auis parentibus noſtris fuit inſtitutum, idemque nobis adhuc manet, honeſtam Nobiscum pacem ſincere potius quam ſpecioſe, et admittere, et perſequi, dummodo regum iuſte nobis imperantium, regnique huius honori et ſecuritati recte prouiſum fuerit. Eo quidem animo ſereniſſimus Rex, dominus noſter clementiſſimus, cum nuper euidenti numinis benignitate, et clariſſimis virtutibus ſuis, ad ſummam rerum apud nos euectus eſſet, in ipſis regnandi initiis expeditiſſimam tranquillitati iterum educendae viam aperuit. 1655

Contigit enim CANAZILIVM, ipſo momento translati in *S. Reg. Maieſtatem* imperii, hic praeſentem eſſe, quamuis ille vero ad ſereniſſimam Reginam CHRISTINAM a Sereniſſimo Poloniae Rege aduenerat, quoniam tamen ſaepius de pacis parandae negotio, in hoc regnum miſſus fuerat, et tunc quoque eam praecipue ob cauſam acceſſiſſe ſe affirmaret, *S. Regia Maieſtas* illi mentem ſuam, per defunctum nunc piae memoriae regni huius cancellarium, integerrime declarari mandauit. Quandoquidem enim ingenuum Regis et reipublicae Veſtrae ſtudium ſummopere teſtabatur, in mutuam nobiscum amicitiam, propendere; eandem quoque Nobis non ingratam eſſe intellexit. Caeterum neque conducere vllius noſtrum honori, neque ad finiendas lites noſtras prodeſſe, priorum tractatuum more, variis tamen rumoribus praebere materiam, mediatorum officio creare Regibus, principibus aliis moleſtiam, tandemque ſpecioſo apparatu quaſi res maximas in conſpectu orbis acturos conuenire, deinde quocunque iterum praetextu diſcedere, vnde vicinis nationibus ludibrium, Nobis vero in mutua odia ſuſpitiones mouentur, atque ſic animis ad conciliationem minus aptis ab inuicem recedamus, quam quibus congreſſi fuimus. Hoc pretio nullos pacis tractatus placere, neque iis ſemel iterumque in vanum tentatis, pluribus vi pactorum Nos adſtringi. Spem duntaxat ſolidam in eo conſilio ſupereſſe, ſi Sereniſſimus Rex Veſter, et reſpublica Veſtra, loco tot internuntiorum, quenquam ſufficienti in eam rem poteſtate inſtructum, ad S. Regiam Maieſtatem deſtinarent. Diſſidia noſtra alias gentes non attingere, ipſo annorum decurſu magna ſui parte obliterata merito eſſe debere, quo compendioſius, eo optatius, componi poſſe. Sin iſtud *Sereniſſimo Regi Veſtro*, et Illuſtriſſimis Dominationibus Veſtris, nequaquam arrideret, per *S. Maieſtatem Regiam*, Dominum Noſtrum Clementiſſimum, id quidem licere, ſed pariter etiam prodeſſe, vt nemo amplius, imperfectiori poteſtate munitus, in ea cauſa huc mitteretur, quum non alio argumento nobis eſſet futurus, niſi quocunque alias conſilio, quam ingenuo pacis deſiderio ejusmodi ambages nobiscum inſtitui. Hoc reſponſo, quo euidentius aliud expectare non poterat, CANAZILIVS in Poloniam rediit. Sereniſſimus vero Rex, Dominus Noſter Clementiſſimus, vt Maieſtati Regiae humanitatem nihil derogare teſtaretur, primus ipſe miniſtrum ſuum IOH. COCK ad Sereniſſimum Poloniae Regem amandauit cum literis, quibus indicauit, ſe Sueciae imperium ſuſcepiſſe, et ſimul amiciſſima Regi Veſtro ſtudia obtulit. Nihil poſtea inter Nos actum eſt, donec paucis antehac ſeptimanis MORSTENIVS in hanc vrbem accederet, internuntium ſe dicens ad S. R. M. Dominum Noſtrum Clementiſſimum, a Sereniſſimo Rege Veſtro ablegatum. In ipſo ſtatim initio reiterata toties inanis ea mittendi ratio, praeſertim poſt luculentiſſimam in contrarium declarationem Noſtram, nihil ſolidi afferre ominabatur. Contigit autem multo magis praeter exſpectationem, quod eodem momento, quo calentes maxime Regis Veſtri affectus nobis perſuadendi eſſent, ex copia literarum credentialium, quas ille ſecum apportauerat, deprehenderetur praeiudicio et Dignitatis Regiae et ſtatus noſtri

eſſe

1655 esse refertissimas. Ita incipiunt, vt paritati Regum Nostrorum nonnihil detrahant, ita finiunt, vt sub regnorum pluralitate, etiam in nullius momenti minutiis, intolerandae Regis Vestri, aduersus statum Nostrum, praetensioni faueant. Caeterum quod alias excusari, nisi frigide, non potuit, internuntius ipse, incuriae cancellariae Vestrae imputandum censuit. In scribarum Vestrorum negligentiam inquirendum Nobis esse non censemus, neque anxii sumus, an et admodum callida sit, vt nullibi impingat, nisi quando nobis imponendum est. Dignius multo de conspicua Vestra prudentia iudicamus, quam vt negotia, quibus tot populorum tranquillitas constat, adeo incaute tractari sinat. Istius rei indignitas, facile mouisset Regiae Maiestati dubium, quomodo aequissimum esset, eam excipere, tandem tamen sufficere sibi rata est, literas neque recipere, neque internuntium admittere. Praeterea vero cum nihil illi potestatis esse intelligeret, nisi vt iterum de praeparatoriis ad pacem ageret, et alia quaecunque, antequam ea firmata sit, inani opera proponantur, moneri illum benignissime voluit, ne alias quascunque literas a Rege suo expectare constitueret, Serenissimo enim Regi Domino Nostro Clementissimo id esse propositum, ipsi indicatum fuit, vt, quamuis declarationi suae, CANAZILIO datae, vlterius quidem obstringi non possit, cum hactenus irrita fuerit, diuelli se tamen a constanti instituto non passurus sit, quo pacem caeteris omnibus ambagibus antehaberet, modo de illa, sicuti CANAZILIO dictum est, et ex necessitate horum temporum, promte agatur, et ea obtineri possit, qua Dignitati Regiae, regni subditorumque suorum securitati in posterum satis prospectum videat. Eadem, vt Nos illustrissimis Vestris Dominationibus perscriberemus, haec potissimum suasit ratio, quod mentem atque institutum Serenissimi R. N. genuinis verbis innotescere Vobis cuperemus. Id enim est de amplissimo Ordine Vestro S. R. Maiestatis honorificum iudicium, et ita Nobis est persuasissimum, vt quum viris egregia prudentiae laude insignibus, in Patriae suae conseruationem propensissimis, et antiquae gentis suae generositatis aemulis emineat, tum praesentium temporum et rerum omnium momenta nullibi accuratius, quam apud Illustrissimas Dominationes Vestras examinari arbitremur. Nos quidem cum penitius nonnihil inquirimus, vbi vitia lateant, vnde irritus toties extitit pius in tranquillitatem nostram conatus, non dubitamus eorum instinctui illa adscribere, qui, nisi aliquid semper moueant, quod diffidiorum nostrorum memoriam et acerbitatem exacuat, satis cauti sibi esse non videantur. An vero ea sit expeditissima sanandi vulneris ratio, obductam cicatricem frequenter infricare, ipsae Illustrissimae DD. Vestrae secum cogitent. Arduum omnino fuit, et vix etiam post ingentes bellorum clades licuit, flagrantibus primo feruore animis persuadere, vt arma deponerent, et indulgerent sibi nonnihil interualli, vnde leniri possent. Postquam vero Dei Optimi Maximi beneficio, inprimis sex, deinde viginti sex annorum induciis, modus repertus esset, ampliſſimum profecto spatium patuit, quo infensissimi etiam cuiuscunque affectus, vel rerum ipsarum circumstantiis, vel ipsa temporum diuturnitate, quieti publicae mitigarentur. Inducias dispendio, etiam eximio Prouinciae amplexi sumus, neque eo, vel etiam aliocunque nomine, ingratae nobis adeo extiterunt, vt vnquam commoti simus ad captandas eas occasiones, quae vel ex propriis viribus, vel aliunde in incommodum Vestrum enatae fuerunt. Serenissimi Reges Nostri suis priuatim studiis in Serenissimos Principes Consanguineos suos, inprimis hodiernum Regem Vestrum, certa indicia deesse noluerunt, adeo quidem, vt quidquid Seren. Regina CHRISTINA, commendatione sua apud Rempublicam Vestram assequi potuerit, id omne ad prouehendam Serenissimi Regis Vestri electionem impenderit. Lites enim

enim nostrae si sopiri debebant, mutua paulatim officia, non irritamenta conueniunt. An vero pari voluntate ex parte Regum Vestrorum responsum Nobis fuerit, et an ea, quae in contrarium facta intelleximus Reipublicae etiam Vestrae culpa contigerint, examinare nunc nobis in animo non est. Agitari complura in detrimentum Nostrum, et praeteritis antehac temporibus, et hodieque non ignorauimus quidem adeo, quam negligenda existimauimus, quod liberius imminere nobis liceret, tranquillandorum Nostrorum dissidiorum occasionibus. Tandem vero, cum eodem quoque momento, quo pacis consilia nobiscum ineunda perhibentur, et apud alios non exigua, in praeiudicium regni huius fieri cognoscamus, et ipsae Regis Vestri credentiales literae, non careant vilipendio Regis atque status Nostri, Illustrissimis Dominationibus Vestris, haec significanda duximus, vt illae iudicent, an sic nobiscum agi nunc oporteat, et num id, excitando, in vsum ac quietem communem, affectui nostro, congruat. 1655

Quicunque euentus votis nostris integerrimis mansurus est, literas hasce cupimus testes esse, sincerae et pacis ineundae, et securitatis nostrae conseruandae intentionem, illustrissimis Dominationibus Vestris, ex parte nostra fuisse detectam. Quae vti Nos, pro integerrimo nostro affectu in regni vtriusque incolumitatem, illustrissimas Dominationes Vestras ignorare noluimus, ita, de reciproco earum candore non dubitantes, reipublicae Vestrae salutaria quaeque precamur, et illustrissimas Dominationes Vestras optime valere cupimus. Dabantur Stockholmiae 8 Martii M DC LV.

Haec summa ad Polonos Sueciae senatorum. Obstupuit ad tantum verborum, non rationum, strepitum Poloniae senatus. Neque mora blande eisdem in haec vere concepta rescripsere verba:

Senatorum Poloniae literae ad senatores regni Sueciae.

Nos Senatores inclyti regni Poloniae, magni ducatus Lituaniae, illustribus, magnificis et generosis Dominis Senatoribus regni Sueciae, vicinis et amicis Nostris obseruandissimis, salutem et prosperam rerum incolumitatem.

Illustrissimi, Illustres et Generosi Domini,
Vicini, Amici obseruantissimi,

Non veteris tantum inter inclyta regna hoc est instituti, sed conuentionum et pactorum fide stabilitum, vt quamuis Serenissimis Regibus Nostris non desint aliquae dissentiendi causae, Regna tamen haec ampliſſima, quae publicae conuentiones expresse voluerunt esse nominata, in eo debeant impendere curam ac solicitudinum vires, quatenus gentium ac populorum vtrorumque regnorum publicae sit prospectum tranquillitati, idque muneris, vel vtriusque gentis ampliſſimo senatui est commissum, vt, eo mediante, fida pax, et fides pactorum inconcussa maneat. Rite igitur atque ordine id a Dominationibus Vestris factum est, quod vetusto mori insistentes Vestrae illustrissimae Dominationes, de his quae ad communem regnorum quietem visum est pertinere, per literas suas, quas ab ablegato earundem non ita pridem accepimus, Nobis prout candor mutuus postulat, aperire voluerint, quod pronum, in vtilitatem publicam, studium, Vestrarum illustrissimarum Dominationum, vt gratissimo acceptamus animo, ita praeter omnem spem ac expectationem, imo meritum nostrum, intelleximus, Vestras illustrissimas Dominationes nos remissae curae pacis arguere. At nos conscientia pactorum tuti, iudicem orbem christianum non fugimus, nihil a Nobis commissum nec omissum esse, quod ad mutuam beneuolentiam, sacrosanctam pacto-

1655 rum fidem, inter hos Reges et populos facere videbatur. Quamprimum enim, *S. R. Maiestas*, Dominus Noster Clementissimus, rerum in Polonia potitus est, quamuis adhuc haud paucorum annorum induciarum continuandarum restaret spatium, auctor tamen Sereniſſimo Regi fuit hic senatus, vt interuentu Principum Christianorum pax solida et duratura vtriusque constaret populis. Quo nomine viri illustrissimi legati Ordinis Senatorii et equestris missi erant Lubecam, vt ea, quae pacis sunt, agerent. Quod vt factum est, ita studium legatorum nostrorum illustrissimorum, quo ferebantur in solidam coniunctionem inclytorum regnorum, viderunt Principes amici vtriusque gentis, et sinceritatis ac candoris nostri omni exceptione maiores extiterunt testes, ita vt, quamuis primus re infecta solueretur conſessus, continuare eundem paucorum mensium interiecta mora, pacis studio non dubitarent. Quibus autem de causis et continuatus actus iste non fortitus sit optatum finem, id iudicii nobis non sumimus. Cum autem vltimis Standorffensibus pactionibus prouisum sit, ne ex: leuibus occasionibus in odia publica et bella exasperentur Reges et Regna nostra, ac non semel tantum, sed et iterum, durante interstitio, hi pacis publicae tractatus reassumerentur, et quamuis iidem non succederent, illaesae tamen ab vtrinque manerent inducíae, Nobis auctoribus ablegauit in Sueciam *S. R. Maiestas* delegatum CANAZILIVM, qui et testaretur pronam suae Maiestatis voluntatem, et Vestram expiscaretur. Qui, quamprimum detulit hoc *Sacrae Regiae Maiestati* Domino Nostro Clementissimo, Vos non alieno animo esse ad reassumendos tractatus, et compendii causa inuitare, vt Sacra Regia Maiestas, Dominus Noster Clementissimus, et respublica, cum plena potestate legatos ablegarent Stockholmiam, qui ibidem de negotio principali transigerent, ipsa intempesta hyeme, occluso Oceano, misit ablegatum suum, generosissimum Dominum MORSTENIVM, qui aperte testaretur, non simulatam Maiestatis suae in pacis studium voluntatem, ac is idem, vt esset praenuntius futurorum legatorum, qui iam tum viri illustrissimi erant destinati. Quamuis enim satis graue visum sit *Sacrae Regiae Maiestati*, non intermedio loco reassumi debere tam grauissimum negotium, facile tamen assensa est *S. R. Maiestas*, cum non id tantum animo conciperet, vt per hos legatos vetusta componerentur dissidia, sed praecipue, vt, compositis iis, strictior amicitia et foedus perpetuum contra communes hostes iniretur. Qui legati, cum iam essent in procinctu moram promouendi, iter destinatum interposuit non habita accepti internuntii nostri notitia, de quo postmodum ex literis illustrissimarum Dominationum Vestrarum intelleximus, quod in conspectum Regis Vestri ne admissus quidem est, tum nec literae fidei ab eo acceptae, nec auditus a Rege Vestro, vt exponere posset Regis nostri desiderium sincerum pacis. Quo autem nomine reus fuerit hic internuntius, certe satis leui, vel Vobis ipsis iudicibus, si praeiudicium deponatis, ob intermissam vnam interpretationem, quae non a legibus pactorum est iussa, sed exemplo tantum eorundem pactorum inter nos inoleuit. Quod ipsum nec studio factum fuisse, in promptu Nobis erat, cum proxime praeteritas literas ad Sereniſſimum Regem Vestrum per generosissimum Kochium exaratas, legissetis e voto Vestro et intentione scriptas, cum ipse internuntius alias venturas e Polonia promitteret, atque promisso iam steterit. Cum certe tam leuis iste defectus, affectum ab vtrinque sincerum, ad conciliationem animorum, negotiumque stabiliendae pacis inter haec Regna perpetuae, turbare non debuisset. Quo factum est, vt nescii legati nostri, quo tandem res eruptura esset, subsisterent paulisper ad informationem internuntii, quo tandem dirigendum esset iter, cum iterum aliae expectantur literae e Polonia in Sueciam; Princeps legationis vir illustrissimus Castellanus Kiiouiensis fato cedit,

cedit, ac ita noua succeſſit cura Sereniſſimae Regiae Maiestati, de surrogandis 1655
nouis legatis, qui et iam nominati sunt, his diebus abituri cum plena potestate a Sereniſſimo Rege et republica. Quod quidem negotium, longe grauissimum, quamuis optaremus tractari interuentu mediantium Principum, quod etiam ex pactis conuentis faciendum esset, et ne optime meriti de Nobis Principes, qui nobis iam operam suam semel impenderant, immerito a Nobis excludi videantur. Si tamen Sereniſſimo Regi Vestro, ac Vestris Dominationibus illustrissimis magis expedire communi tranquillitati videatur, eo compendio rem tanti momenti transigi, nec nos ab eo consilio alieni sumus, saltem tamen *Serenissimi Regis Christianissimi*, et Electoris Brandeburgici oratores in Vestra Regia existentes, adhibendos esse putamus. Interim vero non dubitamus de Sereniſſimi Vestri Regis, inter Reges vsitata humanitate, quod et grate iam nostrum ablegatum acceperit, atque eundem cum testificatione reciproci affectus, ac pronae in tranquillitatem publicam voluntatis dimiserit. Caeterum quemadmodum nihil antiquius habuimus, quam conseruationem publicae fidei initorum pactorum, ita declaratae illustrissimarum Dominationum Vestrarum erga Nos voluntati, parem studiorum significationem referimus, ac prosperrima omnia, diuturnamque incolumitatem ex animo precamur. Datae LOVICII 15 Maii M. DC. LV.

LIBRI V. CAPVT V

SYNOPSIS

Caroli Ferdinandi, Poloniae principis, immaturum fatum. Idem Vàrsauiae tumulatur. Sarcophagi inscriptio. Comitia Varsauiae. Accusatur palatinus Smolenscensis deditae vrbis. P. Caruat S. I. praesagium. Dignitates ecclesiasticae distributae. Legati in Sueciam destinantur.

Haec summa literarum Poloniae senatorum ad Sueciae proceres. Sed ego a conuocatione, de qua superius innui, ac furenti Marte, ad luctuosa tantisper aliquot procerum transeo funera. Occurritque primum SIGISMVNDI Comitis a DÖNHOFF, Socalienſis gubernatoris, magni quondam Syradienſis palatini filii, quem vniuersa luxit Siradienſis prouincia. Hunc paulo post subsecutus est GREMBOSZEWSKI, Vrzendouienſis gubernator, quondam regis familiaris amicus, ad extremum hostis. Horum omnium luctuosius accidit, praematurum fatum CAROLI FERDINANDI, Poloniae Principis. Vnicus is augusto Regi frater, SIGISMVNDI III, ac CONSTANTIAE proles, Vratislauienſium ac Plocenſium cum dispensatione Summi Pontificis, Antistes. Ratiborienſis ac Oppolienſis Dux; in spem regni viuebat, auctoritate apud Polonos, fama apud exteros clarus, adeo, vt Rex VLADISLAVS aeger valetudine, et adulantibus circum, qui finem regni adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit: *Habere subsidium rempublicam.* Rogantibus deinde in quo potissimum? cum duo adhuc restarent principes sanguinis? addiderit: *In* CAROLO FERDINANDO. Corpus defuncti apud religiosos societatis IESV Varsauiae in regia Masouiae, magna pompa et luctu tumulatum est. Addita sarcophago magnifica patrum inscriptio huiusmodi tenoris:

Donhoffii mors.

Caroli Ferdinandi immaturum fatum d. 9 Maii.

Varsauiae tumulatur. 5. Iulii.

1655

Sarcophagi inſcriptio.

D. O. M.

Quicunque magna ſollicitus quaeris:
accede propius: magnum hic habes contractum
in exiguo ſpolium mortis.
CAROLVS FERDINANDVS Iagellonius
Poloniae et Sueciae Princeps hoc tumulo
clauditur.
Quantum dixi Principem cum CAROLVM
Ferdinandum dixi.
Quantus hic eſt tumulus Principem qui tantum
Capit?
SIGISMVNDO III. Poloniae Rege Auguſtiſſimo natus.
Oculis tunc grande quid ſpirantibus
Aulam Poloniae ſerenauit.
Nunquid omnium virtutum ſuauiſſima medulla
compactus Pater Rex, Filium Principem generare
potuit, non virtutum omnium lectiſſimo flore
concretum?
At non vna decoratum Corona ſanguinem
a Genitore traxit.
Abauum enim habuit GVSTAVVM, Proauum HENRICVM,
Auum IOANNEM, inclytos Sueciae
Reges.
CONSTANTIA Auſtriaca, Caroli Archiducis Tyrolenſis Filia,
FERDINANDI Caeſaris II. ſoror,
FERDINANDI Caeſaris III. Amita
Mater illi fuit.
Quantum hinc illi Decus acceſſit?
Cum Caeſares ſimul et Reges ſanguine miſtos
in ſe Vno circumferret?
VLADISLAVM IV. et IOANNEM CASIMIRVM
Poloniae et Sueciae potentiſſimos Reges
Germanos Fratres ſuos natu maiores
in ſolio ſalutauit.
Sed nitidum Sereniſſimae Proſapiae iubar
raro ipſe ſuarum fulgore virtutum auxit.
Caeſarea Ferdinandi II. Auunculi, et Regia
Sigismundi III. Parentis nominatione,
Vratislauienſis et Plocenſis Antiſtes
renunciatus, nihil antiquius habuiſſe
viſus eſt, quam vt hominem exutus
migraret in angelum.
Ne videlicet humanos illi humeros oneri ſubiiceret,
quod humeri vel angelici reformidant.
Ducatibus Oppolienſi et Ratiborienſi in Sileſia
cumulatus,
Sacram Praeſulis authoritatem addita Ducis maieſtate
Fecit auguſtiorem.

Neutri

1655

Neutri tamen defuit: ex aequo ſe partitus vtrique.
Principum nempe animarum munus eſt,
Vaſti licet imperii, veluti magni corporis
membra omnia aequaliter informare.
Clarae Tumbae praefuit Adminiſtrator, Praepoſitus
Miechouiam rexit, prudentia et charitate pari.
Non enim eſt ſolum Principis virtus maxima,
noſſe ſuos, ſed eosdem etiam amare.
Suae monumentum immortale munificentiae
Domum profeſſam Societatis IESV Vilnae
in Lituania ampliſſimo ſubſidio ſtabiliuit.
Non poteſt proinde nobile CAROLI FERDINANDI nomen
aliquando ſilere fama: quod in omnem aeternitatem,
facunda marmora praedicabunt.
Ingenioſam nobilium adoleſcentum indolem,
non vno in Athenaeo bonis inſtructam artibus
vidit Polonia ipſo liberaliter ſuppeditante
ſumptus.
Sic errata ſtuduit corrigere fortunae, quae
ingenia illuſtriora, non raro vel negligit, vel
non videt, genio ſemper ſolita regi caeco.
Rempublicam difficillimis belli temporibus,
contra Rebelles, copiis et auro iuuit.
Religioſas familias, et cuiuscunque Ordinis
mortales rerum inopia oppreſſos erexit,
non amica minus quam liberali manu,
foeneratus ita DEO dum pauperi
largiebatur.
Sic hominum vniuerſitate obaerata in cenſum
certi titulo Vadimonii iam ceſſerat
ipſa Diuinitas.
Cuius aeque debitam, atque exoptatam, vt iniret
poſſeſſionem, dum votis omnium expetitur
immortalis, importunae mortis inuidia
eripitur Vitae.
Magno mortalitatis damno miſerioris, quae
viuaciſſimo ipſius beneficentiae ſpiritu
recreabatur.
Recuſato maiorum ſepulchro Cracouiae,
Voluit Varſauiae ſepeliri, vnus ipſe.
Regibus animi magnitudine non impar,
Regium ibi ſepulchrum facturus,
vbi iaceret.
Iacere voluit apud Patres Societatis IESV,
ab iis ſe diuelli non paſſus, in morte, quos
dilexerat vnice, dum viueret.
Obiit VISCOVIAE Anno M. DC. LV. die IX Maii.
Aetatis ſuae XLII.
Abi iam Viator,

1655

Vt plura laudum alibi legas encomia, neque enim
totus hic iacet, qui glorioſi nominis fama,
vbique terrarum viuit

CAROLVS FERDINANDVS [65].

Comitia Varſauiae d. 19 Maii. Accuſatur Palatinus Smolenſcenſis deditae vrbis. P. Caruat S. IESV praeſagium.

Redeo ad comitia, a quibus morte Principis digreſſus ſum, quae, vt innui, Rex in maximo tunc animi, totiusque regni luctu celebrauerat, principio et exitu admodum turbida, quaſi expiratura. Occaſionem autem palatinus dederat Smolenſcenſis, PHILIPPVS ORVCHOWICZ, quem dediti Smolenſcii auctorem, vniuerſa tunc incuſabat respublica, donec, adnitente rege, ſopiretur negotium, dilata quaeſtionis cauſa, ad ſequentia ordinum comitia. Palatinus nihilominus tunc praeſens, ſenatorio loco cedere iuſſus eſt. Pridie comitiorum ſatis docte et pathetice concionem habuit, pater CARVAT ſocietatis Ieſu theologus, regius eccleſiaſtes, accepto argumento ex Iſaiae 51 capite. *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem, quoniam ebibiſti de manu Domini calicem irae eius, bibiſti ad ſatietatem, bibiſti vsque ad faeces, non eſt inuentus, qui te ſuſtentet, de filiis quos genuiſti, non eſt inuentus, qui tuam apprehendat manum, de filiis, quos enutriuiſti etc. etc.* Subiunxit finem inſtare patriae peccatis, vindictam repoſcentibus. Tandem reſipiſcentiam, diuinique irati Numinis reconciliationem proponebat, finito in haec verba ſermone: Vbi, inquit, ceſſabunt humana, diuina procul dubio appropinquabunt auxilia.

Dignitates eccleſiaſticae diſtributae.

Auxerant comitiorum frequentiam Lituani Proceres, RADIVILVS, GONSIEVIVS, SAPIEHA, PACIVS, praeter Poloniae optimates, LVBOMIRSCIVM, LESCYNIVM, OPPALINIVM, KOBIERZICIVM, KRASINIVM, DZIALINIVMque. His acceſſit frequens eccleſiaſticorum ſenatus. Duo archiepiſcopi, cum ſex epiſcopis. Initio itaque comitiorum, ſopita ad tempus palatini cauſa, rex Plocenſem cathedram IOANNI GEMBICKI, Culmenſi tunc offert antiſtiti, promoto ad Culmenſem LESCYNIO, Kiiouienſi epiſcopo tunc temporis. Cathedra Kiiouienſis THOMAE VIEISKI, praepoſito Varmienſi, abbatiae Plocenſis ceſſit adminiſtratori. Reliqua quoque ſacerdotia, in hunc modum diſtributa ſunt: Miechouiae praepoſitura, quae quinque aureorum excedit millia annui reditus, KORYCINIO, Cracouienſi canonico: Clarae Tumbae abbatia, Leopolienſi Archiepiſcopo, Paradienſis NIEBOROVIO, defuncti Principis cancellario.

Legati in Sueciam deſtinantur.

Conſultatum deinde de legatione in Sueciam ablegando, ZBIGNAEO GORAISCIO per eos dies in bonis ſuis extincto, qui legati munus, paulo ante in ſe ſuſceperat. Etenim nuntiabatur parari Sueticas legiones, quae ſuperiorem inuaderent Poloniam, deſtinataque excidio Poſnaniam. Ergo omnium calculis palatinus eligitur Lencicienſis, IOANNES comes de LESZNO, vna cum ALEXANDRO NARVSZEVIC, referendario Lithuaniae, Lidenſi gubernatore, qui iter mari aggreſſi STOCKOLMIAM, regiam Sueciae, ſecundo vento appulere. Excepti a proceribus regni illius magno cum applauſu.

LIB. V.

65) Haec ſarcophagi inſcriptio non adulatorio, ſed re ipſa hiſtorico ſtilo exarata. Ex hiſtoria enim ſcimus Polona, CAROLVM FERDINANDVM, omnes principis virtutes vita factisque expreſſiſſe, poſteritatique omni exemplar boni principis reliquiſſe imitandum. Tam eximium eſt bene audire a poſteris, et ſi omnia, quae terrarum orbis continet, futilia ſint, hoc vnicum magnum bonum eſſe videtur, cui tanta ſit conceſſa a Deo felicitas, vt viuus et mortuus in omne aeuum homines virtutem doctrinamque poſſit edocere.

LIBRI V. CAPVT VI

SYNOPSIS

Comitia finita. Legati in Sueciam proficiſcuntur et Stockholmiam veniunt. Reſidentes ſalutant. Roſenhemius Senator Sueciae bellum Polonis declarat. Reſpondet palatinus. Naruszewicz regem Sueciae ſalutat. Reſpondet cancellarius Sueciae. Palatinus reginam inuiſit. Cancellarius legatos inuiſit. Eius de bello ſenſus. Reſpondet palatinus. Suecis offertur pax etiam iniqua. Cancellarius ſilet. Palatini ad cancellarium Sueciae verba. Legati regi Sueciae valedicere volunt. Tractatus incipiunt ſed non finiunt. Armiſtitium petunt Poloni, nec impetrant. Polonorum manifeſtatio. Regi valedicunt Poloni et munera accipiunt. Rex Sueciae in Pomeraniam nauigat, legati in Poloniam reuertuntur.

1655

Interea comitia terminabantur trigeſima poſtquam incoeperant die, in quibus generalis motus nobilitati indictus per vniuerſum regnum, contra hoſtilia appropinquantia agmina. Iam enim furentes, ac omnis humani diuinique iuris violatores Coſaci Camenecum obſederant, nec, parte ab altera, feriabantur Moſchi, MINSCIO iam in fauillas redacto. Miles quoque tunc ex LANEIS [66]) colligi iuſſus, vniuerſa ſubſcribente nobilitate, atque clero. Lex ſumtuaria Lycurgi Numaeque promulgata, cuius poſtea executio in inſtanti euanuit. Lectae quoque Chani Crimenſis literae, quibus omnia pollicebantur facturum ſe, ſi reſpublica tantum conſcriberet exercitum, qualem ſub BERESTECKO obſtupuit Ruſſia. Caeterum exiguo, aut fere nullo Polonorum comparente exercitu, non teneri ſe pro Polona republica vltro oppetere, perireque in alterius victoria.

Comitia finita.

Eo modo finita ſunt Poloniae comitia, in quibus illud quoque memoria calamoque haud indignum accidit, quod certe ſtupebit poſteritas, inuentum fuiſſe audaciorem iuuenem KRASINIVM familia, qui terreſtris legati tum functus officio, contradicentem ſibi LASOCIVM genere itidem natalitiisque illuſtrem iuuenem, primo conuitiis adortum, ad extremum ſtricto eundem petiit ferro; ictus tamen inclinatione corporis a Laſocio euitatus, inanis excedit; non ideo tamen deſiit Kraſinius, inuolansque in os Laſocii, eadem celeritate, qua coepit, opus perfecit, acerba manu percuſſa Laſocii gena. Et haec facta praeſente rege, pleno ſenatu, totaque republica, impune, quis non miretur, male quoque de tam inordinata auguraretur Polonia? Fuerat quidem in ſpeciem in Kraſinium animaduerſio, ſed illa, inſtante palatino Plocenſi, patruo, poſt aliquot euanuit horas. Eo peracto ſcenae epilogo, digrediebantur a rege optimates, paulo poſt ſub ſignis alterius comparaturi regis, in perniciem ſui, propriaeque patriae. Tunc quoque primo modus regnandi coepit in Polona aula, hactenus exoſus, altius ſecreta celandi.

Turbidis finitis comitiis, iuſtisque perſolutis CAROLO FERDINANDO, fratri optimo, rex vnum totus ſequi decreuerat Martem. Inde nouo feruore, nouo conſilio, nouis etiam viribus dimicare ſtatuerat, ſi non proceſſiſſent optata ac oblata cum Sueciae rege foedera, hocque conſilio Germanus miles ex Lituania redire iuſſus eſt in Pruſſiam. Ipſe Mariaeburgum properare quantocius decreuerat; praemiſſo ante aduentum Hungarico peditatu, Germanorumque ſelecto equitatu.

Abeunti

66) Iam dixi, quod *laneus*, vox barbara, iugerum ſeu *manſum* ſignificet. Miles igitur *ex laneis colligi iuſſus*, idem eſt, ac ſi auctor dixiſſet: miles ex contributione agraria, vulgo in lingua Polona LANOWE dicta, colligi iuſſus.

1655 Abeunti Varſauia, nuntiatur legatos Poloniae Gedanum rediiſſe, ac propediem, ſi per regem ipſum liceret, futuros Varſauiae. Admonitus periculi ea denuntiatione rex paululum ſubſtiſtit, certiora a legatis opperiens reſponſa.

Legati Poloni in Sueciam proficiſcuntur. Stockholmiam veniunt. Reſidentes ſalutant.

Sed Poloni legati, vigeſima nona Iunii Olandiam praeteruecti, nuntium illico miſere cum literis Stockholmiam, qui adfuturos diceret legatos. Reſcripſere Sueciae proceres, gratiſſimum fore legatorum aduentum, ſimul quoque miſſi ſunt, qui hoſpites ſalutarent, regioque exciperent hoſpitio. Summa itaque magnificentia excepti ſunt legati, iisque primis quinque diebus regio ſumtu omnia abunde ſuppeditata, ſecretario legationis interim inuiſente ac ſalutante legatos, Gallicum et Danicum, nec non Reſidentes in aula Stockholmiae, Caeſareum, Portugallicum, Brandeburgicum et Curlandicum. Sed nec ii humanitatis officio vinci ſe a Polonis paſſi, paria hoſpitibus reddiderunt humanitatis officia: innuente Gallico legato, aduentu Polonorum, aliquantulum imminutum eſſe iratum Sueciae regis animum. Caeterum, antequam ad regis admitterentur conſpectum, ROSENHEIMIVS BANNERVSque, ambo Sueciae ſenatores inuiſere Polonos, priorque Roſenheimius, in haec praeconcepta locutus eſt verba:

Roſenheimius bellum Polonis declarat.

Sereniſſimus ac Potentisſimus Rex Sueciae, Dominus Noſter Clementisſimus, per me, atque etiam collegam meum Excellentiis Veſtris teſtatum eſſe cupit, aduentum ipſorum, ſimul quoque Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae animum, admodum ſibi gratum eſſe, atque adeo nihil velle intermittere, quod ad cognoſcendum vicisſim ſtudium, et optimae voluntatis ſuae propenſionem ab Excellentiis Veſtris expectari poſſet. Hoc tamen vnice dolet, quod cum plures etiam nuntii hic comparuerint, qui ſolidam partis vtriusque compoſitionem pollicebantur, id ad hoc vsque tempus protractum eſſe, cum interim Suae Maieſtati ea, quae ſunt iuris gentium agere, et ea, quae hactenus ad hunc finem non fecerunt, vindicare neceſſum ſit. Nihilominus non recedit ab eodem etiamnum ſtudio, vt id negotium, ſub armis vtrinque iam fulgentibus et clypeo, tractari poſsit. Quoniam vero Regia Maieſtas itineri iam accincta eſt, id Excellentiis Veſtris conſiderandum relinquit, vtrum hic (quod iam vix fieri poteſt) an ſub armis et clypeo id negotium agere velint? id omnino Excellentiis Veſtris notum eſſe cupiens, ipſam Maieſtatem, tam hic, quam vbique ſtudium pacis ſectari, et ad eam pronum ſemper animum habere. Qua in parte nobis, voluntatem Excellentiarum Veſtrarum intelligere, atque etiam ſibi referre iuſsit.

Auide excepere Roſenhemii orationem Poloni legati, neque mora in haec fere extemporanea verba reſpondit Palatinus:

Reſpondet Palatinus.

Inopinata ſane nobis ea Sereniſſimae Maieſtatis Sueticae venit ſignificatio. Primum enim reuocatis iis, quae Lubecae acta ſunt, non noſtra ſolum, ſed ipſa etiam Excellentiae Veſtrae ibidem tum praeſentis conſcientia fatendum eſt, difficultatem negotii illius ſanciendae pacis perpetuae, non modo per mediatores Principes et reſpublicas, verum etiam per ipſas partes vtrasque agnitam fuiſſe. Nihilominus illinc ita pacatis et coniunctis etiam, atque contentis animis, ab vtrinque ipſa Excellentia Veſtra teſte diſceſſimus, vt nulla ſubinde animorum mutatio ſperari potuiſſet. Cum vero tractatus ipſi pacis perpetuae ex praeſcripto induciarum, ſemel atque iterum reaſſumi debuiſſent, quod de pluribus etiam vicibus intelligendum eſſe nemo ambigit, huic negotio continuando, tempus adhuc iuſtum et ſufficiens reſtare videbatur. Praeſertim cum vigore ipſarum induciarum, etiamſi tractatus huiusmodi non ſucceſſiſſent, tamen induciae ſemper ſaluae et illaeſae eſſe debuiſſent. Ad quas abrumpendas, cum nullae iuſtae contra Nos adduci poſſint rationes, admodum mirum eſſe nobis debet, Excellentias Veſtras ſub clypeo armorum nobis tractationem pacis offerre, cum ſub

ſub clypeo induciarum, non iniuriarum, tractare debeamus. Neque huc ſolummodo huius negotii, ſed etiam maioris firmandi nexus, et neceſſitudinis gratia, ab Excellentiis Veſtris inuitati venimus: quin etiam tanta humanitate excepti ſumus, quantae vtrum ea Excellentiarum Veſtrarum ſignificatio, reſpondeat, illarum ipſarum iudicio relinquimus. Porro quid ad huiusmodi propoſitionem reſpondeamus deliberandum nobis eſt. Quam tamen deliberationem noſtram breuiter expedire, et Excellentiis Veſtris aperire non negligemus. 1655

Sequenti deinde die, quae ſeptima Iulii erat, reſpondere Poloni, per legationis ſecretarium, ROSENHEMIO BANNERoque, Sueciae ſenatoribus: *Se inſtructioni regiae, et mori omnium aularum et gentium inſiſtere, atque inprimis audientiam regiam poſtulare, et quocunque iam in ſtatu res ſint, ea quae ad amicitiam vtriusque regni pertinent, ſibique commiſſa ſunt, exponere velle.* Quod illi regi ſuo ſe relaturos obtulerunt. Hora itaque diei vndecima, miſſae rhedae duodecim, vna cum Roſenhemio Banneroque, quibus obuiam proceſſit etiam Marſchalcus, eoque modo ad regem in ſolio conſiſtentem deduxit. Rege aliquot paſſibus erga legatos progeſſo, et ad ſolium reuerſo, ALEXANDER NARVSZEWIC M. D. Lituaniae referendarius, latina facundia paucis multa complexus, peroravit. Vicinitatis iura memorans, deceſſorumque pacta, ſaepius ingeminans. Cui Sueciae cancellarius in hunc conceptum reſpondit modum:

Naruſzewic Regem Sueciae ſalutat.

Reſpondet Cancellarius Sueciae.

Regem ac regnum hoc nihil magis ſemper deſideraſſe quam pacem, et vetuſtam illam vtrorumque regnorum renouandam amicitiam, ac proinde ſibi ſtudium huiusmodi Regis atque reipublicae Polonae, nec non etiam aduentum Dominorum legatorum eſſe gratiſſimum, cum quibus ita aget Rex et regnum hoc, vt ipſi ſinceritatis eius teſtes eſſe poſſint.

Allocutus deinde palatinum rex, vehementer ſciſcitari coepit, de regis ſacra valetudine, tum et de aliis, quae in ſpeciem humanitatis omittere nec barbari ſolent.

Palatinus reginam inuiſit.

Luce proxima palatinus vti reginae Poloniae marſchalcus, Sueciae inuiſit reginam, nomine dominae ſuae, a qua eidem reddidit literas, quas illa muliebri excepit comitate, ſollicita in ſpeciem de eiusdem valetudine, quam vbi bene valere intellexit, hilariori vultu quam antea exhibito, legatum dimiſit. Anxios tunc habebat Polonos Sueciae regis, haec ſub clypeo armorum tractatio pacis, nec minus admirationi fuit, tanta Suecorum in Polonos, vt in hoſtes prodigalitas, vnde attonitis, et fatali morbo medicinam ab vtrinque exquirentibus, ſuperuenit Sueciae cancellarius, vna cum magno DE LA GARDE, theſaurario, ac BIELKE, ſecretorum arbitro. Hi miſſos ſe a rege dixerunt, qui heſterna a Polonis propoſita melius digererent puncta. Aſſenſit palatinus regio voto, repetiitque heſternam propoſitionem, adductis rationibus contra Moſchum, cuius perfidia regi regnoque Sueciae pariter metuenda eſſet. Cui cancellarius Sueciae ex parentis codice, quem ad ſubleuandam attulerat memoriam, tanquam e rationario imperii reſpondit:

d. 8. Iulii.

Cancellarius legatos inuiſit, eius de bello ſenſus.

Nihil quidem Regi deſiderabilius fuiſſe, et eſſe ipſa pace, inter haec inclyta regna, quae fundamentum amicitiae eſſe debet, ſed cum iam aduentum DD. legatorum omnino non ſperaſſet et ſe itineri accinxiſſet, in hoc primam difficultatem verti. Iam enim eo ventum eſt, prout nuper DD. legatis nuntiari fecit, vt arma in Poloniam inferre coactus ſit, idque grauiſſimis ex cauſis, quae DD. legatis conſtabunt, et etiam toti orbi palam fient. Vt enim alia multa omittantur, meminerunt bene CROCOVIO cum exercitu, per ditiones Polonicas, cum magna incommoditate exercitus Suetici, tranſitum permiſiſſe, tormenta certis in locis defodiſſe, BOTIVMque in Liuoniam certa cum caterua miſſum, tractatus Danicos ratione Oſiliae inſulae, (de quo extant originales literae) impediuiſſe: et nuper de mari Balthico cum Hollandis tractauiſſe: inſuper MORSTINIVM, cum illis ipſis, propter quae bella geſta ſunt, irritamentis, ad

1655 hoc regnum miſiſſe. Vnde rex et regnum aliter facere non poterant, nec debebant, niſi vt ſecuritati et tranquillitati ſuae, tali modo proſpicerent. Interim tamen Regem ſuum omnino optare pacem, ſi modo ſincere de ea ageretur, ſed cum iam tractationem huiusmodi locus et tempus ob diſpendium Regis, non exiguam exercitus partem hic habentis, et momenta bellorum, non admittant; optare vt DD. legati, vel alium locum eligerent, vel Regem in Pomeraniam comitarentur, vbi eo maiori ſpatio et commoditate tam graue negotium tractari poſſet.

Reſpondet Palatinus.

Haec memoranti cancellario reſpondit palatinus:

Cauſas tam inſperati contra rempublicam noſtram progreſſus, a Domino cancellario productas, non ſolum pleraſque inueteratas, ſed et omnes iuſtitia et aequitate plane vacuas eſſe, ſeque et rempublicam in his conſcientiam habere immunem. Quod attinet ad CROCOVIVM, nullis pactis ſtringebamur, vi quorum illi pacificum tranſitum negare debuiſſemus, ſed cum nobis non conſtaret, quo animo ipſe tunc ditiones regni armatus, ſine quauis denunciatione propria ſua auctoritate ingreſſus eſſet, copias certe noſtras illi oppoſuiſſemus, ſi aliquas tunc in propinquo habuiſſemus; ſed cum aliter fieri non poterat, id etiam cum iniuria, noſtra ex parte, ſuſtinere debuimus. Posnaniam tamen eidem intrare non permiſimus, donec certos obſides de pacifico et indemni tranſitu ſuo dediſſet. Et nonne Bannero quoque Veſtro cum ſuis et reliquorum militum pignoribus, ac mille ducentis militibus, per regnum noſtrum, vltro et beneuole tranſitum permiſimus? Imo eundem omni humanitate excepimus. Non enim ad contrarium, aut imperio, aut per pacta cum vtriſque habita, obſtricti ſumus aut fuimus. Factum BOTII inſcia republica, vna cum VLADISLAO rege extinctum eſt. Nec talia a Vobis in tractatibus Lubecenſibus propoſita fuerunt. De tormentorum defoſſione, et Oſilia inſula prima vox eſt, quam ex ore Excellentiae Veſtrae excipio. Nec de Hollandicis tractatibus multum mihi dicendum eſt, cum ad eos nullus reipublicae conſenſus acceſſerit. Cum vero ſemper ſuſpicaremini de Regibus noſtris, idcirco rempublicam noſtram fideiuſſorem pro illis eſſe voluiſtis, cum eaque ſimul foedera induciarum pepigiſtis, vt Regibus talia non permitteret, quod et factum eſt, adeo vt nullam cauſam iuſtam abrumpendi foederis contra nos protendere poſſitis. Quantum ad MORSTINIVM, et tituli occaſionem: Scimus Regem Anglum, Franciae, Danum, Gothorum et Vandalorum, Gallicum, Polonorum titulo, et alios per multa tempora, etiam ex nullo aut leuiſſimo praetextu vſos, non tamen bella ex his geſta eſſe. Sed his in partem ſepoſitis, cum ſincere ab vtrinque agendum ſit: proponite media: *Etiam cum aliqua commoditate Veſtra, dummodo cum decore et dignitate Regis et reipublicae noſtrae,* vt inde ſinceritatis noſtrae argumenta capiatis. Quod, etſi magnitudo, negotii aliter exigere videatur, vel in aliquot tamen dierum ſpatio ab vtrinque demonſtrari poſſit: Et vt materia huiusmodi durior, ſuauius procedat, fiat haec ſi non per mediatorem, ſaltim per interpoſitorem aliquem, qui mentes partium ab vtrinque referat.

Suecis offertur Pax etiam iniqua.

Cancellarius ſilet.

Talibus argumentis cancellarii Sueciae rationes confutabat palatinus. Fuitque illa tam ſolida confutatio, vt cancellarius palam faſſus ſit, opus eſſe ad reſpondendum parente ſuo, qui melius iſtarum rerum gnarus fuerat. Subriſit deinde interpoſitoris audito nomine, proponenda potius cenſendo media, quae ille regi ſuo ſe relaturum declarauit. Ita eo die ſeſſio finita eſt, quam excepit Polonorum Gallici legati reciprocum humanitatis officium, cui omnia praemiſſa retulere fideliter. Ille operam omnem pollicitus, regem tunc adiit,

adiit, cum eoque ſub veſperam, extra vrbem rheda vectus multa de Polonis diſſeruit, effecitque, vt rex in ſpeciem pacis abitum ſuum differret in quintam vſque diem. Interim ſecreta miſcebantur conſilia, nemo comparebat, qui palatini reſponderet rationibus, aut coepto negotio finem imponeret, omnes bellicae accincti profectioni, bellum cogitarunt, pacem oderant. 1655 d. 9 Iulii.

Palatinus, vbi vidit, rem eo iam deductam eſſe, vt non niſi armis decerni deberet, Suecos pacem ridere, bellum voluere, cancellarium adiit, multiſque diſſeruit: Diſceſſum huiusmodi non eſſe ad pacem, imo ad exacerbationem et incommoda vtriuſque nationis. Non enim ſtatus noſtri adeo deſperatas eſſe res, vt conſeruationem noſtri deponendam eſſe nobis exiſtimemus. Romani vni incluſi capitolio, tandem hoſtes ſuos deleuerunt. Gallia ab Anglis tota occupata et obſeſſa, tandem Aurelii vna ad defenſionem inclamante virguncula, cum pernicie hoſtium ſuorum ſeſe vindicauit. Et quis nouit ſenſum Domini? cuinam noſtrum, an etiam vtrique ruina abunde expectanda ſit? Non quidem nos cum gloria et vanitatibus huiusmodi huc venimus, non tamen virorum officium deponere debemus, ideoque, ſi pacem ad quam vocati ſumus, hic non reportauerimus, Dei arbitrio hoc negotium committere debebimus. Deinde audientiam petiit regis, cui iam vltimo valedicere vellet. Aſſenſit cancellarius palatini poſtulato, eumque verbis ad pacem pronis, re autem ad diſceſſum compoſita, affatus, ad limina domus deduxit, regii colloquii conſtituto ei tempore hora tertia pomeridiana, quam praeuenit ſtatus ſecretarius CANTERSTEINIVS, requirens a legatis, nomine Suedici ſenatus, vt autographa mandatis libere agendi inſtructa, vna cum apographis, commiſſariis mitterentur. Adiunxit tractatus pacis hic inchoandos, commodius autem in Pomerania ob propinquitatem loci perfici, et felicius concludi poſſe. Ad haec palatinus: Vbi, inquit, incipiendum, ibi concludendum cenſeo. Etſi enim magnitudo negotii tot annis congreſſus fatigaſſet, vnam tamen horam, ſi mutua adſit voluntas, feliciorem eſſe poſſe, praeſertim cum nobis amicitiae fructus hinc, non e Pomerania ſperandi ſint, et induciarum mens eſt, vt emollitis, non exacerbatis animis, tractetur pacis negotium, quod inter arma ſine exacerbatione fieri non poteſt: Imo ipſa inter arma tractatio impoſſibilis videtur. Autographa cum apographis interim deferente commiſſariis ſecretario legationis, receptis autographis apographa ibidem reliquit.

Palatini ad Cancellarium Sueciae verba.

Legati Regi Sueciae valedicere volunt.

Ventum eſt ergo citra verborum ambages, citra ſolennitatum inania, citra denique dicta laeſura, ad ipſa negotii capita praecipua, de iisque actum eſt tribus ſeſſionibus.

Tractatus incipiunt; ſed non finiunt.

Primo autem omnium refutauit palatinus ea omnia, quibus ruptam ex parte Polonorum induciarum fidem eſſe, cancellarius Suedicus aſſerebat. Poſtea de iure regni, mox de Liuonia actum eſt. Interim ita procedere videbatur negotium, vt non adeo multis diebus confici potuerit, ſi rex Sueciae moram aliquam itineris ſui decreto iniici paſſus fuiſſet. Sed ille nullis rationibus, nulla ſuada permoueri potuit, vt maneret diutius. Praecipue vero obtendebat, res ſuas et regni, requirere omnino ſuam in Pomerania praeſentiam, porro executionem eorum, quae a legatis Poloniae et delegatis ſuis tranſacta fuerint, melius iſtic fieri poſſe, ſi ipſe haud procul abeſſet. Non diſſimularunt Poloni, diſplicere ſibi nimiam regis feſtinationem, in medio curriculo relicturam tractatus. Cum illum tamen immobilem et certum prorſus eundi viderent, fieri aliter non potuit, quam vt in alium conuentum extra Sueciam habendi conſentiretur vtrinque.

Poſtulauere deinde Poloni, armiſtitium vt eſſet interim, neque vero decorum, imo contra omne fas eſſe, ſtrepentibus iam armis, tractare illa, quae ſub induciarum clypeo tractari debuiſſent pacis negotia. Sed Suecis non eſt viſum e re ſua, motum ſemel gladium ſtatim recondere. Ergo poſt multa ab vtrinque iactata, ad extremum conuentum fuit, vt decima quarta Auguſti ſtylo nouo, denuo legati STETINVM conuenirent, et coepta perficerent, prout ex Polonorum manifeſtatione haec clarius patent.

Armiſtitium petunt Poloni nec impetrant.

Nos Sereniſſimi et Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini IOANNIS CASIMIRI Poloniae Regis, Magni Ducis Lithuaniae etc. etc. Domini Noſtri Clementiſſimi, et reipublicae Polonae legati, extraordinarii, IOANNES

Polonorum manifeſtatio.

1655 comes de LESZNO, palatinus Lencicienſis, Mariaeburgenſis gubernator, et ALEXANDER NARVSZEWICZ, M. D. Lituan. Notarius, Lidenſisque gubernator, notum teſtatumque facimus, quod, cum a Sereniſſima Maieſtate et republica Polona, ad Sereniſſimum et Potentiſſimum Dominum Dominum CAROLVM GVSTAVVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Ducem Finlandiae etc. ablegati ſimus, vt de pace perpetua, et Vtriuſque Regni commoditatibus ageremus, et tractaremus, ac coeptos iam per Nos ab vna, et illuſtriſſimos, illuſtres, magnificos ac generoſos eiusdem Sereniſſimi et Potentiſſimi Regis et Regni Sueciae commiſſarios, Dominum HENRICVM OXENSTIERNA comitem Moreae auſtralis, liberum Baronem in Kinuncko, dominum in Tydoo, Vibii et Subſtad, nec non iudicem prouincialem occidentalium Norlandiarum Lapponiaeque, Horredaliae et Templiae Dominum, MAGNVM GABRIELEM de la GARDIE, comitem in Leckoo et Arrenſturii, liberum Baronem in Eckholmen, Dominum in Rolka, Kyda, Hapſala, Runſza etc. S. R. M. regnique Sueciae theſaurarium, gubernatorem Liuoniae, exercituum in Liuonia, Eſthonia, Ingermania, ſupremum praefectum, academiae Vpſalienſis cancellarium, in Vormlandia et Dalia legiferum. Dominum GVSTAVVM BIELKE, liberum Baronem in Compo, Dominum in Vſara et Aeberoo, ſupremi dicaſterii regii Stockolmienſis conſiliarium, omnes S. R. Maieſtatis regnique Sueciae ſenatores, nec non Dominum LAVRENTIVM CANTERSTEIN, haereditarium in Bogaw, et Richolm, S. R. M. ſecretarium ſtatus, ab altera partibus, tractatus ob magnitudinem grauitatemque negotii, et diſceſſum ſereniſſimi et potentiſſimi Sueciae regis, hic Stockolmiae perfici nequeant, idcirco cum abrumpi eosdem, ab vtriuſque partis inſtituto alienum ſit, ita conuentum vtrinque eſt, vt STETINI in Pomerania dicti tractatus ſint continuandi, et redintegranda eorundem continuatio, quarto die ſtylo veteri, menſis Auguſti huius anni. Eaeque rationes diuina fauente gratia ineundae, quae ad ſupremam manum tam ſalutari negotio imponendam facere poſſint. Actum Stockholmiae, quarta die menſis Iulii ſtylo veteri. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto.

Regi valedicunt Poloni. Munera accipiunt. Rex Sueciae in Pomeraniam nauigat, in Poloniam reuertuntur legati.

Sequenti deinde die palatinus regem adiit, a quo perhumaniter exceptus eſt, vbi tamen ad negotii principalis mentionem ventum ſuſpenſis verbis rex vſus eſt, dubioque reddito reſponſo, palatinum dimiſit, vna et Naruszeuicium onuſtos donis, quae octo aureorum nummorum excedebant millia, vna et promiſſis, quibus regna capiuntur, non aliter ac viſco volucres, aut hamo piſces. Tali ratione vterque ab inuicem digreſſi ſunt, Rex Sueciae Stetinum in Pomeraniam, Polonorum legati Gedanum in Pruſſiam.

LIBRI V. CAPVT VII

SYNOPSIS

Rex Poloniae ſollicitus de bello Suedico. Literae Witembergii ad palatinatus maioris Poloniae. Reſponſum ad Vitembergii literas. Pacis conditiones Polonos et Suecos inter. Poſnania ſequitur exercitus Poloni deditionem. Eius deſcriptio. Branecius victima cadit. Tota maior Polonia Suecis ſe dedit Varſauiae timor. Regina Cracouiam diſcedit. Czarnecius regi Polono ſe coniungit et Caliſſii Polonos profligat. Sueciae rex Posnaniam ingreditur. Manifeſtationem vulgat. Literae Sueciae regis ad Caeſarem Ferdinandum III.

Rex Poloniae ſollicitus de bello Suedico.

Audito Polonus rex legatorum reditu, certus quoque de Suecorum hoſtilitate, expeditionem generalem bellicam vniuerſae indicit Polonae nobilitati, ſimul quoque inſtantis periculi admoner vicinos principes, miſſo ad ſacratiſſimum caeſarem ſacro oratore, Culmenſi

menſi antiſtite, qui auxiliares ſollicitaret copias. Romam quoque expediuerat MONKOVIVM ad ſummum pontificem ALEXANDRVM VII, nec non in Hiſpaniam ad auunculum regem, caeterosque Italiae ac Germaniae principes. Scripſit et Galliae regi, quid eius foederatus moliatur princeps. Nec hoc ſatis, miſſi Byzantium legati, ad magnum Orientis imperatorem, rogaturi ſuppetias. Expedito curſore ad Chanum Crimenſem, ſollicitati Coſaci ad mutuam concordiam, Hungari ad mutuam victoriam, Germani ad mutuum ſubſidium. 1655

Haec dum aguntur magno cum ſtrepitu, maiori cum tumultu in Polona aula, WITEMBERGIVS callido RADZIEIEVII, qui tunc ab exilio redibat, vſus conſilio, congregatis, ad Huſce oppidum, maioris Poloniae palatinatibus, iuuentuti in haec verba ſcribit:

Illuſtriſſimi et excellentiſſimi Domini,

Literae Witembergii ad palatinatus maioris Poloniae.

Qualiter illuſtriſſimus Dominus, HIERONYMVS de Radzieiewice RADZIEIEWSKI, regni Poloniae vicecancellarius interceſſionem ſuam apud me interpoſuerit, ex propriis ſuis ipſi cognoſcent literis. Cum itaque indubiam ſpem foueat, Dominationes Veſtras auertendorum imminentium grauium incommodorum cauſa, nonnullos mihi in occurſum miſſuros, eaque media propoſituros, quibus ii, qui protectionem ſubire in animum induxerunt, conſeruari queant, nolui ipſi, iterumque ſerio vrgenti, literas haſce ad Dominationes Veſtras, in ſecuritatem eorum quos miſſuri eſtis, denegare: pro mea parte vnicuique tutelam S. R. Maieſtatis, Domini Mei Clementiſſimi, amplecti cupienti, conſeruationem ſuam haud inuidendam cenſeo, et illuſtriſſimo vicecancellario promiſi, me, ſi ex iis aliquos ad me ablegare decreuerint, Dominationes Veſtrae, eos non modo ſecure ac tute admiſſuros, ſed et propoſitionem ipſorum libenter auditurum, ac deſuper ſecundum exigentiam negotii, et prout ratio belli poſtulare videbitur declaraturum, eosque pariter ſecure ad ſuos dimiſſurum. Quod Dominationes Veſtras latere nolui, quibus de caetero incolumitatem apprecor. Dabantur Stetini. Duodecima Iulii M. DC. LV.

Haec ſumma Witembergii literarum, quibus adiecit et proprias Radzieieuius, multorum ante ab innocuo principe alienatum obſeruans animum, praecipue CHRISTOPHORI OPALINII, Poſnanienſis Palatini, cui iam pridem ſecretum perdendi patriam reuelauerat. His igitur literis nobilitatem a rege abſtrahere, perfidiam a ſubditis extorquere agitauit; et vtrumque obtinuit, a maleuolis, pridem regio infeſtis nomini, prout in tempore memorabo. Ergo literis Witembergii in haec verba reſcripſere palatini:

Illuſtriſſime et excellentiſſime Domine,

Reſponſio Poloniae ad Witembergii literas.

Literas Dominationis Veſtrae ad Ordines palatinatus Posnanienſis et Caliſſienſis datas die heſterna accepimus, ad quas illico reſpondere nobis viſum eſt. Latere Dominationem Veſtram non putamus, ante aliquot hebdomadas ex vi pactorum inter haec duo regna initorum, tum et pacis, perpetuaeque tranquillitatis ſtudio (ad quam nos licet ex ſe promptiſſimos, epiſtola ſenatorum regni Sueciae, ad ſenatum noſtrum nuper miſſa eo magis accendit) legatos cum ſuprema ad tractandum et concludendum, facultate a tota republica ad ſereniſſimum Regem Veſtrum, ablegatos eſſe, qui negotium hoc, aeternum duraturae pacis, Deo adſpirante, conficerent. Cum vero ratio ſtatus noſtri, et huius reipublicae conſtitutio vetet, ne inconſultis reliquis eiusdem reipublicae membris, priuatos aliquos commiſſarios, praeſertim in re nos ipſos concernente, ablegemus; nullatenus dubitamus, legatos ab vniuerſis ordinibus nuper miſſos, rem confectam, et toti chriſtianae reipublicae ſalutarem allaturos. De caetero, ſi quid contra euenerit, omnia noſtra Deo committimus, nec aequitati

1655 cauſae vllatenus diffidimus. Dominationi Veſtrae proſperam valetudinem apprecantes. In caſtris decima quinta Iulii M DC LV.

Witembergio ſe dedit Polonorum exercitus d. 24 Iulii.

Eadem et Radzieieuio reſponderunt, quanquam diuerſa voluerent animo. Paulo enim poſt, nempe nono Calendas Auguſti appropinquanti VITEMBERGIO ad oppidum Huſce, coniunxere ſe trepida Polonorum agmina, ducibus OPALINIO, GRVDZINIOque, illo Poſnanienſi, hoc Caliſſienſi palatino. Illorum trepidatio pro victoria Witembergio fuit. Ita ſtatim omnes maioris Poloniae copiae, oſtentata ſpe pacis, oppreſſae ſunt. Ita ſine caede et ſanguine viginti millium exercitus, quod mireris, proditorie per ſummum nefas, Suedicam tunc adorauit purpuram. Ita per deditionem Witembergius exercitum accepit. Conſcripti deinde articuli compoſitionis, in haec genuina concepta verba:

Articuli compoſitionis Pacis Sereniſſimi Regis Suecorum nomine, inter Regni Sueciae Generalem Campi Mareſchalcum, Illuſtriſſimum Dominum Arnolphum Comitem de Wittenberg, et inter Vtriusque Palatinatus Poſnanienſis et Caliſſienſis, Illuſtriſſimos Dominos Palatinos, et Caſtellanos, Senatores, totamque Nobilitatem vnanimiter, mediante Illuſtriſſimo Domino Radzieiewski Poloniae Procancellario, ſanciti et promulgati die $\frac{15}{25}$ *Iulii Anno M DC LV.*

Pacis conditiones Polonos et Suecos inter.

Poſtquam ſereniſſimi Regis Suecorum exercitus, ſub directione illuſtriſſimi domini generalis campi mareſchalci comitis de Wittenberg ad oppidum Huſce peruenisſet, et nobilitatem vtriusque palatinatus Poſnanienſis et Caliſſienſis, cum exercitu ſimiliter ſuo in campo offendiſſet, factum eſt, vt conſilio et perſuaſione illuſtriſſimi domini RADZIEIEWSKI regni Poloniae procancellarii, rebus vltro citroque probe penſitatis, omnes et ſinguli praenominato illuſtriſſimo domino generali mareſchalco conuenerint, et ad ſereniſſimi Suecorum Regis futuram ratificationem, hanc pacis vniuerſalis compoſitionem iniuerint tali nimirum modo et pacto.

Primo vt a principio compoſitionis, ab hac die, nunc et ſemper palatinatus vterque Poſnanienſis et Caliſſienſis, maneat ſub protectione ſereniſſimi Regis Suecorum, cui fidelitatem quoque et obſequium, ſicut hactenus Regi Poloniae praeſtiterunt, pari tenore praeſtituros ſeſe promittunt.

Secundo, ſereniſſimus Rex Sueciae bona regalia quaecunque, tam ſpiritualia quam ſaecularia, pro arbitrio ſuo diſponendi facultatem habebit. Telonia quoque eorumque reditus ad vſum ſuum et reipublicae conuertet.

Tertio, citra moram illico Poſnaniam, Caliſſiam, Miezerice, et reliqua loca, praeſidiariis militibus firmabit, ne quis in poſterum occaſionem arripiat vtrumque palatinatum turbandi.

Quarto, Nobilitas ad nullum vniuerſalem motum, ſicuti hactenus cum maximo ipſius damno factum eſt, prouocetur. Verum militibus ex aerario conducendis, aduerſus hoſtem pugnetur.

Hinc fidelitate et obſeruantia ſatis ſuperque contestata, viciſſim ſereniſſimi Suecorum Regis nomine illuſtriſſimus dominus generalis mareſchalcus, fide publica promittit vniuerſis et ſingulis, cuiuscunque ſtatus et conditionis fuerint, libertatem religionis.

Secundo, nullam legum vel conſtitutionum mutationem in regnum introducendam, ſed pro maiori tranquillitate omnium normam vetuſtiorem obſeruare et retinere ſpondet.

Tertio, nobilibus nulla moleſtia fiet a militibus aerario publico ſuſtentandis, ſiue ſtationem hybernam, ſiue vraticum petere voluerint, ſecus ſi fecerint, poena cuilibet facto condigna irrogabitur.

Quar-

Quarto, iudicia more ſolito per nationales Poloniae nobiles et alios de 1655
gente ſubdelegatos agentur.

Quodſi forſitan aliquis refractarius hiſce compoſitionis articulis contradicere praeſumſerit, et qui Regi Poloniae, denuo adhaerere voluerit, proſcriptione Palatinatus vtriusque et confiſcatione omnium bonorum ſuorum punietur. In quorum fidem et ſecuritatem, tam ſereniſſimi Regis Suecorum generalis campiductor, quam illuſtriſſimi Domini ſenatores, et proceres palatinatus vtriusque ſubſcripſerunt, et ſigillis propriis obſignarunt. Factum in caſtris. Die et Anno vt ſupra.

ARNOLPHVS COMES DE WITTENBERG, Sereniſſimi Regis Suecorum nomine.	CHRISTOPHORVS DE BNIN OPALINSKI, Palatinus Poſnanienſis ſuo et totius Palatinatus nomine.
ANDREAS CAROLVS GRVDZINSKI, Palatinus Caliſſienſis, ſuo et totius Palatinatus nomine.	PAVLVS GEMBICKI, Caſtellanus.
MAXIMILIANVS MIESZKOWSKI, Caſtellanus.	ANDREAS SLVPECKI.

Poſnania ſequitur deditionem exercitus Poloni, d. 29 Iul. Eius deſcriptio.

Die deinde quinta, ipſa vrbs Poſnania, iisdem proditoribus patriae adnitentibus dedidit ſe protectioni Suedicae. Eſt autem POSNANIA vrbs regia maioris Poloniae metropolis, quam Germani POSEN dixere, ad Wartam fluuium nauigabilem et Proſnam amnem inter colles condita, muro duplici, foſſaque profunda cincta. Huic vrbi haud perexiguum decus conciliauit epiſcopalis dignitas, quae idem initium cum chriſtiana religione in Polonia habuit, vtpote a MIECISLAO, (qui primus e Poloniae regibus ſacro tinctus lauacro) chriſtianorum ſacra et ritus accepit. Ius praeterea cudendae monetae, caeteraque regia, VLADISLAVS cognomento SPVTATOR eius loci contulerat epiſcopo. Vrbs ipſa aedes pulcherrimas e ſectis lapidibus conſtructas habet. Baſilicas quoque diuerſarum religionum, vna cum academia, ac patrum ſocietatis collegio.

Branecius victima cadit. Articulus 3.

Vix intrauerat Poſnaniam WITEMBERGIVS, cum ecce aperuit ſcenam Polonis actu tragico BRANIECKI eius loci ſuffraganeus. Cauſa violentae mortis haec erat. Poſtquam Suecis ſe dederat Poſnania, Vitembergius iuxta articulum compoſitionis eandem ſtatim firmari opere iuſſerat, atque adeo ex ignauis hucusque Polonis, bonos operarios tunc effecerat. Hinc quaerelae et lachrymae ciuium, ſortem ſuam deplorantium, hinc maledicta in Palatinos, vt regis ſui deſertores. Sed haec minora. Maius fuit, vidiſſe debachantem ſectarum, in exedra primariae cathedralis eccleſiae, quae dum fieri prohibet, fidelis paſtor ſuffraganeus, tribus ex improuiſo, iuſſu Witembergii, traiectus globis, pro fide et eccleſia, in ipſo eccleſiae gremio martyrium ſubiit, vir natalium ſplendore illuſtris, ac in primo haereſeos victoriarum curſu prima hoſtia. Ad haec ingemiſcere vniuerſa coepit Polonia, ſed maxime clerus, ſectariis interim de catholico triumphantibus nomine.

Tota maior Polonia Sueucis ſe dedit.

Poſnaniam reliquae maioris Poloniae vrbes, GNESNA, CALISSIVM, MIEDZIERZICIVM, LESZNO, WSCHOVIA, ſecutae ſunt. Ita pandentibus vbique portas vrbibus, quid mirum? ſi fortuna tunc non tantum Sueca, ſed et caeca ingreſſa ſit Poloniam, aggere nudam, foſſis inualidam, muro haud munitam.

Varſauiae timor. Regina Cracouiam diſcedit. Rex Varſauia Louicium mouit inde Volboriam. Czarnecius

At Varſauiae nondum cognito quis fuiſſet exitus in maiori Polonia, audito Sueciae legionum in Polonia motu, trepidare ciuitas coepit. Neque mora, reginam ſenatores Varſauia Cracouiam, vna et regiam gazam abducunt. Miles interim Ruſſia vocabatur, quo demum aduentante, rex decima ſeptima Auguſti, Varſauia LOVICIVM mouit, inde VOLBORIAM, epiſcopi Cuiauienſis reſidentiam; praemiſſo CZARNECIO Kiiouienſi caſtellano, Polono ſcipione, qui maiores Polonos, aut ad ſaniorem reuocaret mentem, redire volentes, aut rebelles regi ſuo domaret ferro. Ille accepto mandato recta CALISSIAM perrexit, ibidemque male cautos Polonos, quorum aliquot micuere ſigna, vna cum ſocciis Suecis, fama citius oppreſſit, caeteris in fugam actis. Ferunt ipſum RADZIEIEVIVM tunc Caliſſii praeſentem vix CZARNECII euaſiſſe manus beneficio noctis.

1655 Haec tunc in regio Poloni regis satis exiguo ad Volboriam agebantur exercitu,
Regi se coniungit. transmarino rege interim Posnaniae triumphante, cuius triumphalem antequam subiret
Calissii Polonos profligat. portam, manifestationem in caecum vulgus sparserat huiusmodi tenoris. Adeo introiisse Witembergium victoria fuit.

Sueciae Rex Posnaniam ingreditur. *Breuis ac praeliminaris enumeratio causarum, ob quas sereniſſimus et potentiſſimus princeps ac dominus, dominus Carolus Gustauus, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque rex, magnus princeps Finlandiae, dux Esthoniae Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae et Vandaliae, princeps Rugiae, dominus Ingriae et Wismariae: nec non comes palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux* etc. *coactus est regem Poloniae bello adoriri.*

Manifestationem vulgat. Vetus verbum est: *Furor fit laesa saepius patientia.* Quod autem non patientia duntaxat Suecorum, verum etiam ipsa pactorum religio, a parte Polonorum multis modis laesa et violata sit: denique necessitate adactam esse S. R. Maiestatem ad capienda aduersus Regem Poloniae arma, anteuertendaque ea mala, quae sibi a dicto Rege iamiam imminere vidit, id sequentibus comprobabitur.

Nam etsi pactis Stumdorffiensibus sancitum est, vt Reges regnumque Poloniae omni hostilitate abstineant, durantibus induciis, aduersus Reges regnumque Sueciae, eisque mediate, vel immediate per subiectas prouincias, castra, ciuitates et territoria, nec quidquam per se moliantur, ac tentent, tentariue faciant, in horum detrimentum aut praeiudicium: tantum tamen abest, vt credi possit, BOTIVM cum militaribus copiis, inscio et inuito Rege Poloniae VLADISLAO IV, tot prouincias et ducatus dicti regni persuadere potuisse, ad infestandam armis Liuoniam: quin potius certis documentis constat, instigasse Regem Poloniae eundem BOTIVM, vt illam expeditionem susciperet. Quod ante memorati Botii institutum etsi effectu suo, in aliquibus caruit; plurimum tamen mali inopina illius irruptio subditis regni Sueciae ibi locorum attulit: nam multi pactorum religioni fidentes, trucidati, bona eorum direpta et spoliata, magnusque metus illi prouinciae illatus. Ac licet ea de re per literas quaesti sunt senatores regni Sueciae, apud senatores reipublicae Polonae magnique ducatus Lituaniae, nihil tamen solatii retulere; vt argumento sit, hoc non tantum scientibus, verum etiam impellentibus Polonis accidisse: proinde nec a veritate alienum est, habuisse tum temporis Lituanos exercitum ad manus, quo recuperarent Liuoniam, exercitu et praesidiis tunc destitutam, si propositum Botii ex voto succeſſisset; ad minimum illius facti auctores merito censentur, quod, vbi voluissent, impedire potuissent.

Par etiam ratio irruptionis CROCOVII in Pomeraniam fuit, quae a parte Polona auerti potuisset, nisi res Suecorum in Germania turbatas, eamque prouinciam, proximum afflictis rebus perfugium, deuastatam voluissent. Nec satis fuit Polonis Crocouio transitum indulsisse: Verum etiam ex Putcensi fortalitio, aliisque in Boruſſia locis, auxilia et tormenta eidem submissa. Et nisi hostiles illae copiae, ope comitis Königsmarckii, tum temporis generalis vigilum praefecti, eiectae fuissent, eam prouinciam, vt et adiunctam illi prouinciae maris Balthici oram, in summum discrimen adduxissent. Et, si culpa vacare voluissent Poloni, vtique petentibus Suecis, vt reditus Crocouio per Poloniam prohiberetur, vel vt eundem persequi sibi liceret, haud facile denegassent, manifesto tum hostili erga Sueciam animo.

Qui-

Quibus machinationibus Oeselia insula, quae postremo cum Rege Daniae bello, factaque ad Bromsebroam pace, regno Sueciae cessit, a Rege Poloniae Vladislao sit tentata, quamue cessionem illius insulae impedire sit conatus: Eiusdem ad ordines Oeselanos literae ac diploma cubiculario suo BERGIO traditum, quo eos ad defectionem sollicitauerat, satis superque commonstrant. Nam tametsi nihil vnquam iuris sigillatim in ante memoratam insulam, toto illo tempore, quo sub ditione Regis Daniae fuit, praetendit, atque cessisse eandem Regi ac regno Sueciae, certis cum rege et regno Daniae pactis, sciuit, christianissimo Galliarum rege, et dominis ordinibus generalibus foederati Belgii mediationis officia praestantibus, non destitit tamen hostilem in Suecos animum, re ipsa testatum facere, et fortasse nec spe sua frustratus fuisset, tam recenti mutatione imperii, nisi prouida gubernatoris Suecici cura, hanc Poloniae Regis machinationem interuertisset. 1655

Ad haec tentatam fuisse fidem subditorum regni Sueciae in Liuonia, haud incertis testimoniis constat; qui, etsi in officio permanserunt, non potuit tamen Rex Poloniae violatorum pactorum culpa carere.

Nec defuere cum Rege Daniae CHRISTIANO IV, tum temporis alieniore, vt et ARNHEIMIO et BAVDISIO molitiones in perniciem Sueciae, quae singula recensere longum foret, et a proposito nobis compendio alienum.

Haec tempore Vladislai IV patrata; nunc ad ea tempora, quibus Fratris sui Successor, Rex IOANNES CASIMIRVS Poloniae rebus praefuit, deueniendum. Etenim constitutum sibi habuit, Sereniſſima et Potentiſſima Suecorum Regina, Domina CHRISTINA, cum principibus regni Poloniae, sinceram amicitiam colere, vtpote tam propinquo sanguine sibi iunctis, et quod satis longinqui temporis induciae spem facere viderentur, consopiri aliquando posse, mutuas vtrorumque regnorum controuersias, stabilemque necessitudinem, inter principes tam arcto sanguinis nexu deuinctos, reduci. Eoque rogatu dictorum principum, videlicet IOANNIS CASIMIRI et CAROLI FERDINANDI, Fratrum, haud grauate commendatione sua, apud senatores ordinesque regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae interceſſit, vt in electione noui Regis, praecipue dictorum principum, rationem habere vellent. Addidit etiam deinceps hoc singulare affectus sui erga modernum Poloniae Regem documentum, vt illius causam reipublicae sigillatim commendaret, annitereturque omni modo, vt ante memoratus Rex voti sui compos fieri posset. Quod Reginae studium etsi prosper et voti dicti Regis congruens euentus consequutus est: Eum tamen nihilo mitiorem se praebuisse, et ad aeternam cum Regina Sueciae pacem propensiorem, sequentibus probabitur.

Initia insignis illius amicitiae, quae tum promittebatur, haec fuere, vt in commercio literarum cum Regina Sueciae latina lingua vti noluerit, nullam aliam ob causam, quam vt hocce modo deuitaret eam titulorum rationem, quae pactis induciarum est expressa, titulumque Sueciae Regibus adstruit, Poloniae vero Regibus derogat; id vnice agens, vt hac via ipsum pactorum fundamentum conuelleret.

Deinde insudasse Regem Poloniae indigitatae superius defectioni subditorum Suecicorum in Liuonia, et Rigae capiendae consilia agitasse, certo certius liquet.

1655 Ad haec Cosacorum gentem a Rege Poloniae saepius inuitatam fuisse, vt in Liuoniam irrumperet, resque Suecorum ibi locorum turbaret, haud leuibus indiciis compertum habet Sacra Regia Maiestas. Ita infesto Regis Poloniae erga Suecos animo, nihil defuit, nisi vt pessime cogitata aduersum innoxios et pactorum obseruantes (quos nec vnquam fractae pacis causa gens Polona culpare potuit) exequi non potis fuerit, sic disponente Diuini Numinis iustitia.

Sunt et multa alia contra pacta, fidemque publicam, subditosque Sacrae Regiae Maiestatis factitata, quae vberiori causarum declarationi ex ipsis actis deducendae relinquuntur. Et potuissent haec fortasse aliquanto diutius inulta tolerari. Verum ex quo Sueciam Rex et Respublica Polona, ostentatione perpetuae pacis toties ludificauit, et interim crebris internuntiorum missitationibus, interim binis Lubecae, inter vtriusque partis commissarios congressibus fucum Suecis fecit, non esse se a perpetua pace alienum, nullo alio fine, quam vt tempus traheret, nocendi facultatem captaret, varios in regnum Sueciae hostes concitaret, occasionemque Suecis adimeret, finiendae grauissimae illius controuersiae, quae vtraque haec regna maxima bellorum calamitate per multos annos afflixit; necessitatem S. R. Maiestati regnoque Sueciae dictus Rex imposuit inferendi belli. Nam vt caetera omittantur, haec quae obiter dicenda sunt, docere possunt, quam parum animi Regi, regnoque Poloniae ad pacem perpetuam fuerit.

Quippe primo congressu Lubecensi, commissarii Poloni plurimis vitiis refertas plenipotentias adduxerunt, vbi titulum S. R. Maiestatis Sueciae sibi arrogauit Poloniae Rex, subruto hocce modo ipso pactorum fundamento. Ac licet ante nominati commissarii agnito errore suo, fidem legato Gallico fecerint, habituros commissarios Sueciae intra trium vel quatuor hebdomadarum spatium, alias et emendatas plenipotentias, atque commissarii Suecici ea spe Lubecae tamdiu praestolati essent, nullae tamen aduenere, coniecta in semetipsos culpa, quod Regem suum a tam praeiudicioſa sibi, vt putabant, mutatione alienum, ea de re compellare non sint ausi.

Secundo Lubecensi congressu, hoc praeter alia in mora fuit, quod sigillo plenipotentiae Regis Poloniae, insignia regni Sueciae essent impressa, contra, quam pactis congruens erat, et alias obseruatum fuisse, testimonio magni tum cancellarii regni Poloniae ZADZIKII, Principis ea tempestate legationis Polonicae, legatorum Angliae, et foederati Belgii, satis superque constabat. Et licet etiam hacce vice commissarii Suecici testati sint, velle se emendatam plenipotentiam, vbi haberi posset, expectare, nihilo tamen magis, res aequissima Polonis, adnitentibus mediatoribus, potuit impetrari: Ita vt haec potissima cura Regi Poloniae fuerit, quo tempus falleret, atque tanta praeliminarium mora obiecta, Suecos impediret, quominus ad tractatum ipsum deuenire possent, adeoque de violatione pactorum quaeri, et satisfactionem exposcere.

Hisce et id accidit, quod quamuis Canazilii in Sueciam missu, indicauerit Rex Poloniae, velle se legatos suos reipublicaeque Polonae ad Sacram Regiam Maiestatem ablegare, qui tractatum de perpetua pace coram Sua Maiestate auspicarentur, absoluerentque, atque in id consenserit S. R. Maiestas, ea tamen lege, vt legati Polonici propere accederent, licet non obligata fuisset Sacra Regia Maiestas ad resumendos tractatus, cum semel atque iterum frustra tentati fuissent; nihilo tamen magis legati condicto tempore accessere, sed illorum loco internuntius quidam, IOANNES MORSTENIVS appellatus, qui nullas ad tractandum

dum statuendumque de pace perpetua, plenipotentias adduxit, verum literas 1655
tantum fidei a Rege, id praeiudicii inuoluentes, vt sub annis regnorum suorum (cum tantum habeat, videlicet Poloniae regnum) ad calcem literarum annotatis, innueret, se esse Sueciae Regem, titulumque illius regni, quem in fronte literarum S. Regiae Maiestati ex pactorum praescripto tribuisset, esse frustraneum et inanem, vt silentio transeatur, omissam vnam etcaeterationem in titulo S. Regiae Maiestatis, quae paritati inter vtrosque Reges ex pactorum praescripto obseruandae derogaret.

Sed quod inter praecipua censeri merito debet, ne quidquam intactum relinqueret Rex Poloniae, quo iugulum status Suedici peti posset, peregrinas etiam classes, in mare Balthicum non ita pridem inducere est conatus, foederaque cum variis principibus, populisque, qui dictum mare accolunt ac frequentant, inire, Sacra Regia Maiestate sola excluſa; vt luce meridiana clarius sit, dictas classes aduersus Sacram Regiam Maiestatem Regnumque Sueciae fuisse destinatas; cum tamen pactis Stumsdorffiensibus statutum sit, ne Reges aut respublica Polona, aduersus Reges Regnumque Sueciae, subiectasque ditiones ac prouincias, classe vlla maritima nauibusque vtantur, durantibus induciis, indicantibus hoc etiam Regis Gustaui Magni cum vrbe Dantiscana pactis, Ducumque Borussiae et Curlandiae cautionibus. Deinde, nulla tali classe, hoc praesertim tempore, opus habuit Rex Poloniae, cum mare Balthicum a turbamentis sit immune, nec a quopiam libertas eiusdem, commerciorumque infestetur; ita vt illi potissimum rei intentus fuerit ante memoratus Rex, quo tutelam saepe dicti maris, ab antiquo Regum Sueciae peculiarem, turbaret, illudque Sacrae Regiae Maiestati, iisque, quorum salus in eiusdem commerciorum libertate sita est, infestum redderet, et inita cum aliis societate, hoc pacto inter Sacram Regiam Maiestatem, amicosque suos diffidentiam excitaret, eosdemque ab inuicem seiungeret, complures S. Regiae Maiestati Regnoque Sueciae ea ratione inimicos parando.

Cumque non dubitet S. Regia Maiestas, quin Rex Poloniae, apud imperitos rerum et ignaros, actiones S. Regiae Maiestatis sit traducturus, vel pactorum obtentu vel aliis rationibus: Videlicet primo: debuisse controuersias exortas, per commissarios vtriusque gentis, ad fines Liuoniae sopiri, decidique. Secundo: licet tractatus pacis perpetuae semel iterumque non successissent, firmas nihilominus et inuiolabiles manere debuisse inducias, ad exitum pactorum. Tertio: supradicta haec verba, semel iterumque non pro binis vicibus accipi debere, sed pro pluries repetitis, eoque ad tractatus, non ad arma descendi oportere. Contra primum hoc reponi potest: per commissarios ad fines Liuoniae nihilo plus obtineri potuisse, quam per binos Lubecae solennes conuentus; deinde quae spes fuisset decisionis controuersiarum per commissarios ad dictos Liuoniae fines, vbi ne praeliminaria quidem iterato Lubecae congressu, adnitentibus etiam mediatorum legatis, pertractari potuere. Ad secundum. Cum nihil praesidii in pactis habuerit S. Regia Maiestas, quippe toties a Rege Poloniae violatis, ad arma decurrere necessum eidem fuit. Ad haec ea etiam est contractuum et pactorum ratio, vt, cum mutua stent obligatione, altera partium non teneri se vlterius pactis putet, vbi ab alterutra violata sunt; nec sine maximo detrimento S. Regiae Maiestatis regnique Sueciae expectari pactorum exitus potuisset, tam frequentibus et exitialibus Regis Poloniae machinationibus. Tertio, vt pluries, quam bis, commissarii vtriusque partis conuenirent, contra

1655 ſenſum eſt pactorum, quae neceſſitatem quandam partibus hoc ipſo imponere voluerunt abſoluendi negotii, ne irritus et repetitus ſaepiſſime congreſſus, mentes exacerbaret, et partes omnium gentium ludibrio exponeret, maximarumque impenſarum cauſa eſſet. Eo tamen ſe adduci paſſa eſt Sacra Regia Maieſtas, vt pro ſuo ad pacem perpetuam ſtudio, conſenſerit in tractatus ſtabilis et duraturae amicitiae, ea conditione, vt legati Polonici, pro ſpe a Canazilio facta, nulla interpoſita mora aduenirent.

Ex hiſce omnibus orbi Chriſtiano liquido conſtare poteſt, quam iuſtum S. Regiae Maieſtatis contra Regem Poloniae bellum, quamue neceſſarium ſit, ad anteuertendas pernitioſas ſaepe dicti Regis Poloniae machinationes. Proinde S. Regia Maieſtas non tantum coram orbe Chriſtiano excuſatam ſe fore confidet: Verum etiam has rationes omnibus iis, qui haec introſpicient, etiam ſubditis reipublicae Polonae, harum machinationum ignaris, probare poſſe.

Scripſit et literas ad Sacratiſſimum Caeſarem, FERDINANDVM III, quas praelum Stetinenſe per ea tempora vulgauerat in haec concepta verba, rem haud indignam, quam poſteritas ſciat.

Sereniſſime et Potentiſſime Imperator,
Domine Frater Conſanguinee et Amice Chariſſime.

Literae Sueciae Regis ad Caeſarem Ferdinandum III.

Etſi non dubitamus, quin *Maieſtas Veſtra* iam diu ex Reſidente ſuo, in aula noſtra hactenus commorante cognouerit, cui fini apparatum armorum, in regno et prouinciis noſtris vltra ſolitum proxime praeteritis menſibus inſtitutum deſtinauerimus, ſuadent tamen amicitiae et vicinitatis leges, vt *Maieſtati Veſtrae* occaſionem et cauſas actionis, quam nunc contra Regem Poloniae aggredimur, etiam literis apperiamus. Interceſſit iamdiu inter anteceſſores noſtros Reges Sueciae ex vna, et Poloniae Reges ex altera parte controuerſia. Quae quia in herba non potuit ſopiri, bellis ſatis diuturnis et grauibus vtramque gentem implicuit, et tandem vna cum Sueciae ſceptro ad nos eſt deuoluta; ſed tamen cum quadam armorum ceſſatione, ita vt, cum gubernacula regni ſuſciperemus, ex induciis anni circiter ſex reſtarent. A nobis itaque, rerum in Suecia potitis, muneris noſtri ratio exigebat, praeuidere, quid hactenus durantibus induciis, inter vtraque regna actum, et quo loco res vtrinque tum eſſent, ne, dum et animi noſtri inclinatione, et ex lege conuentionis Stumsdorffienſis, conſeruationi induciarum pacique perpetuae faciendae conſuluerimus, praeter ſpem tricis ineuitabilibus, et bello exitiali inuolueremur. Vt autem tota haec res melius intelligatur, conſiderandum venit, quod inter alia, dictis induciarum pactis, conuentum ſit. Primo, vt ex regno Poloniae, magno ducatu Lituaniae, et caeteris ditionibus Polonicis, nullae molitiones, nedum hoſtiles actiones tentarentur, aduerſus Reges et regnum Sueciae. Deinde, vt Rex et reſpublica Polonica, aduerſus Regem et regnum Sueciae nulla claſſe vtatur, vel aliis quibuscunque auxilio ſubmittat. Tertio, vt currentibus induciis agatur de pace perpetua, ita tamen, vt ſi tractatus eiusmodi, ſemel aut iterum, non ſucceſſerit, firmae nihilominus et inuiolabiles manerent induciae. Quod contra expreſſas haſce pactionum conditiones Poloniae Rex VLADISLAVS, nunc hoſtilem irruptionem in Liuoniam ſiue conniuentia, ſiue auxilio promouerit; nunc alibi aliorum nobis tum infeſta arma adiutauerit, nunc Sueciae a Dania ceſſam et debitam inſulam Oeſeliam ſubtrahere, et quocunque alio modo ex amicis inimicos, et hoſtes Sueciae reddere, imo ſubditos ad defectionem ſollicitare anniſus ſit. Ita omni-

omnibus vicinis, tam ex rerum notorietate, quam publicis ſcriptis nota ſunt, et vlteriori deductione nunc non egent. Nos noſtris temporibus propiora partim ludibria, partim damna, et quidem nobis ipſis et regno noſtro a moderno Poloniae Rege, ſub ſpecioſo pacis ſimulacro praeparata, et iamiam imminentia, exitioſa conſilia paucis commemorabimus. Cum honoratiſſima noſtra mater et conſanguinea, ſereniſſima et potentiſſima Sueciae Regina, CHRISTINA, poſt mortem Regis Poloniae Vladislai rogaretur, vt fratres eiusdem principes ſuperſtites, IOANNEM CASIMIRVM, et CAROLVM FERDINANDVM, commendaret ſenatui, et ordinibus Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, quo eorum cumprimis ratio in electione noui Regis haberetur. Id equidem pro ambobus ſingulari cura fecit, et cumprimis Principis IOANNIS CASIMIRI, vt aetate prouectioris promotioni omnem ſuam operam et ſtudium accomodauit, hoc ſibi emolumenti exinde expectans; vt vel ipſe Princeps Ioannes Caſimirus ad regiam dignitatem euectus, tanto ſincerius ad pepetuam pacem aequis conditionibus faciendam excitaretur, vel ſi eam negligeret, orbi tamen conſtaret, quantum heroica mens propinquo ſibi ſanguini tribuiſſet. Verum enim vero, quam Ioannes Caſimirus princeps commendationis cauſa venerabatur, eandem poſtea corona Poloniae inſignitus, contra pactorum praeſcriptum, debito coronae honore afficere detrectabat. In ipſis induciarum pactis, expreſſa eſt mutuae titulaturae ratio, quae ceu fundamentum ceſſationi armorum ſubſtructa, vtrinque poſtea erat obſeruanda, idque in tractatu Stumsdorffienſi ratione Poloniae, eiusdem primarius commiſſarius, datis literis ad Sueciae partis primarium commiſſarium, teſtatum fecit: confirmantibus inſuper id ipſum non modo Regis Angliae, et ordinum vniti Belgii legatis, ſed ipſo etiam vſu. Hanc mutuae correſpondentiae baſim ſubruturus hodiernus Rex Poloniae, vel non dedit alte memoratae Reginae titulos ſtylo pactorum congruentes, vſus Gallico ſermone, a titulorum congerie alieno, vel in latinis literis et ſcriptis, titulum quidem regni Sueciae ei attribuit, ſed ſibi et titulos et inſignia regni Sueciae reſeruando: idque nunc in literarum et procuratoriorum ſcriptura, nunc in ſigillorum, partim integra ſtructura, partim eorundem ſiue incruſtationibus ſiue inuolucris. Cum mediatorum interuentu Lubecenſes bini congreſſus ad pacem perpetuam conſtituendam eſſent decreti, inſtitutique, primum et praecipuum obſtaculum, tam ſalutari propoſito obiecit Rex Poloniae, indebita ſibi titulorum vſurpatione. Nam praeterquam quod Polonici commiſſarii ibi producebant plenipotentias, variis vitiis refertas, etiam Rex Poloniae in iisdem ipſis plenipotentiis ſibi titulum Regis Sueciae retinuit, et cum inculcatum ſatis eſſet, talia praeiudicium afferre conuentioni, vſitato ſtylo, et tractatus tum praeſentis initio progreſſuque commiſſarii Polonici, agnoſcentes errorem, fidem dant Regis chriſtianiſſimi legato, intra tres, vel ad maximum quatuor hebdomadas Sueciae commiſſariis iri ſatisfactum. Verum tantum abeſt, vt ex dicto emendatas retulerint plenipotentias, vt poſt longi temporis iacturam tandem ſint cauſati, ſe non fuiſſe auſos compellare Regem ſuum ſuper tituli Suecici omiſſione. Huic irrito congreſſui, alter eiusdem modi et euentus. Nam tum quidem Rex Poloniae in procuratorii ſcriptura, titulis Sueciae abſtinebat, verum retinuit eosdem et regni Sueciae inſignia in ipſo ſigillo, plenipotentiae adnexo. Paratis Sueciae commiſſariis expectare emendationem ſigilli, vt ita integris procuratoriis, rem ſibi propoſitam aggrederentur, tandem aliquando reſpondetur: Regem Poloniae Coſacis debellandis occupatum vix admiſſurum hanc ſigilli mutationem, et ſi illud induci poſſet, non habiturum illic locorum artificem nouo ſigillo conficiendo idoneum: adeo, vt ob hanc tergiuerſationem alter congreſſus ſit abru-

1655 ptus: et honoratiſſimae Noſtrae Matri et Conſanguineae, tum Sueciae imperanti, ſatis ſuperque patuerit, Regem Poloniae mutatis tantum ludificationibus, tempus trahere, et inſidiari eiusmodi occaſione, qua rebus domi compoſitis Sueciae poſſit imminere. Cum alte memorata et honoratiſſima Noſtra Mater ſuperiori anno, rerum in Suecia adhuc potiretur, et miſſus tum illuc, nomine Regis Poloniae internuntius, CANAZILIVS, conteſtaretur; Regem ſuum et rempublicam Poloniae velle legatos ſuos plena cum poteſtate Stockolmiam ablegare, de toto negotio tranſacturos: Eidem Polonico delegato Nos illico poſt ſuſceptum regni ſceptrum per Noſtrum, regnique Noſtri cancellarium fecimus ſignificari. Nos quidem teneri ſingulari deſiderio componendi haec diuturna et cruenta diſſidia, ſed antecedentium tractatuum veſtigiis admonitos, vereri, vel ingeſta hactenus ludibria, et iniurias, vel rerum inanes et eluſorias procraſtinationes. A parte Sueciae abunde eſſe ſatisfactum pactis induciarum, quod ſemel atque iterum in Lubecenſi congreſſu ludibria Regis Poloniae tolerata ſint. Quod vero tam ſolenniter per primi congreſſus acta admonitus idem Rex, ſuſtinuerit tamen in altero repetitis vicibus, in eius vſque finem priori ludificationi inſiſtere, id vel patientiſſimi Principis animum laederet. Si Regi Poloniae cordi eſſet ſolida et duratura pax, miſſis non neceſſariis, et praeiudicioſis miſſitationibus, cito et ſine ambagibus per ſuos et reipublicae plenipotentiarios, in rem praeſentem veniret, experturus in omnibus aequanimitatem noſtram: Sin pergeret in propoſito ſuo, mittendis ſcilicet illis ad decipiendum Nos orbemque vniuerſum, internuntiis, literisque, iuribus et dignitati Noſtrae Regiae derogantibus, non poſſe Nos, tot documentis edoctos, aliud de illius actionibus iudicium ferre, quam Regem Poloniae ſuſque deque habere ſacroſanctam pactorum fidem. Hiſce tamen ſpretis, venit praeterita hyeme in Sueciam, non legatio aliqua Polonica, cum plena poteſtate, ſed vt ipſe praeſeferebat; praeliminaria, ratione loci et temporis ad futurum congreſſum complanaturus, Regius cubicularius MORSTENIVS. Apographum literarum fidei, a Rege Poloniae ad Nos directarum, continebat equidem titulos Vtrique Noſtrum conuenientes, ſed Rex Poloniae, vt imaginarium illud ius, quod in regnum noſtrum praetendit, aliqua ratione, expunctis iam titulis Sueciae, reſeruaretur, in fine literarum adſcripſit ſibi plura regna, quum tamen vno tantum gaudeat. Vt nihil addamus de intermiſſa vna ex pactorum praeſcripto et ſtylo inſerenda etcaeteratione, quo etiam defectu Regum aequalitati derogatum ibat. Non potuimus non aegreferre, nobis poſt ſincera illa monita, quibus CANAZILIVS dimittebatur, ita adhuc illudi. Qui ſine praeiudicio rem conſiderat, deprehendet, non leuem et minutulam interpungendi rationem hic verti, ſed iniuſta plurium regnorum vendicatione, quaſi graui ictu, concuti et regiam noſtram coronam, et fundamentum pactorum, praeciſa plane ſpe futurae tranſactionis. Paſſi itaque ſumus, vt Noſtri regnique Noſtri ſenatores apud ſenatum Poloniae ſuper hac indignitate quaererentur. Interea et dum haec agitantur, ex variis locis certiores reddimur, eundem Regem Poloniae, non modo ſuperius indigitatae Suecicorum ſubditorum defectioni in Liuonia magno ſtudio inſudaſſe, ſed pacandis etiam Coſacis Liuoniam praedam et ſedem iamdiu offerre. Et quod Nos, regnum, prouincias et ſubditos Noſtros quam maxime afficit, eo ipſo tempore, quo Rex Poloniae apud Nos videri vult ſerio agere de pace, vicinos et amicos Noſtros, praeſertim mare Balthicum vel accolentes, vel frequentantes, ad communem ſocietatem, Nobis excluſis, pellicere, et concepta iam foederis formula, peregrinam claſſem dicto mari, in manifeſtum et irreparabile iuris et rationum noſtrarum, praeiudicium, inferre ſatagit. Qui vel non ſatis conſideratis partium rationibus, et rerum cir-

circumſtantiis, vel Poloniae addictiores, de ſupradictis vltimis incidentibus iu- 1655
dicium ferre deprehenduntur, ingerunt, tam graues quaerelas vigore pactorum et induciis ſaluis, ab vtriusque partis commiſſariis, loco aliquo ad Liuoniae fines debuiſſe ventilari, decidi, et ſopiri. Niteretur haec eorum obiectio aliqua iuris ſpecie, ſi Polonia tum, cum vel ſenatores Sueciae, vel armorum Suecicorum ductores, aliique miniſtri ſaepius quaeſti ſunt de Poloniae Regum molitionibus, et hoſtilibus attentatis aduerſus Sueciam, Commiſſionem talem medendis iuſtis Sueciae quaerimoniis, vel ſemel ſerio procuraſſet. An Rex celauerit ſenatum, et ordines quaerelas Sueciae, vel ipſa reſpublica ſe talium conſiliorum participem fecerit, nunc non inquirimus. Hoc tamen certum eſt, Sueciae quaerelis aliquando reſponſum eſſe, vel facti extenuatione, vel eiusdem ignorantia, quandoque nihil reſponſi relatum eſt. Nemo a partium ſtudio alienus iudicauerit, conſiliis, animisque Polonorum ita comparatis, eſſe e re et decore Regum Sueciae, commiſſiones a Regibus Poloniae emendicare. Et quis commiſſionum ad Liuoniae fines inſtituendarum, alium ſibi euentum, quam habuere binae illae Lubecenſes, praefiguraret. Nam in eiusmodi commiſſionibus nihil, quod ſummam rei concernat, poteſt agi abſque plenipotentiis, et Lubecae protulerunt Poloni vitioſiſſimas. Quum itaque Poloniae Rex, legitimis tranſigendi modis ſpretis, ludibria ludibriis cumulet, floccique faciens damna antea Sueciae illata, nunc vltimo ſtatus Noſtri iugulo exitium admouere paret, Maieſtati Veſtrae perpendendum relinquimus, quid ipſa in tali rerum articulo ſibi faciendum iudicaret. Nos, fruſtra tentatis omnibus mitioribus, et pactorum tenori conformibus remediis, id demum, quod tutandis, vindicandisque Noſtris iuribus, conſeruandae dignitati, et protegendis ſubditis, ditionibusque Noſtris Diuina Nobis Maieſtas concredidit, arripere ſumus coacti. Quae omnia et ſingula, vel ideo *Maieſtati Veſtrae*, nunc paulo fuſius exponimus, vt ipſa non modo huius Noſtri contra Regem Poloniae facti, rationes penitus videat, ſed ſimul etiam certior reddatur: Nos velle non modo pacem Oſnabrugis et Monaſterii Weſtphalorum factam ea cura, qualem data fides et pactorum religio requirunt, ſeruare, ſed praeterea etiam nihil eorum intermittere, quae ad bonam amicitiam et correſpondentiam facere videbuntur. Quibus *Maieſtatem Veſtram* Diuinae tuitioni peramanter commendamus. Dabantur Wolgaſti die Decima Octaua Iulii. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto.

Maieſtatis Veſtrae

Bonus Frater, Conſanguineus
et Amicus

CAROLVS GVSTAVVS.

M. Biörenklau.

Retuli fideliter ſummam literarum ad ſacratiſſimum Caeſarem FERDINANDVM III, quibus Polono regi illudebat Suecus, cauſis obtentis, quas vel Cyclops reiiceret, an autem Europa acceptrauerit dubito. Conſtat cauſam belli non approbaſſe ipſos Sueciae ruſticos, qui in illo regno quartum conſtituunt ordinem.

1655

LIBRI V. CAPVT VIII

SYNOPSIS

Palatinus monet Cantersteinium elapsi temporis. Ille Palatino rescribit. Rex Poloniae Przyiemscium expedit ad regem Sueciae. Eius oratio ad Sueciae regem. Sueciae rex quid Przyiemscio respondeat. Eius literae ad Poloniae regem. Suecorum confoederati. Polonus rex Suleiouiam castra mouet. Quem sequitur Vitenbergius. Louicium ingreditur victor, deinde Varsauiam. Varsauiae descriptio. Radzieieuius Sueciae regem solennibus excipit epulis. Relinquitur Vicerex in Masouia vna cum Benedicto Oxenstiern. Rex Sueciae Varsauia discedit et Vitenbergio se coniungit. Poloniae regem Polonia pellit, ac Cracouiam occupat.

Palatinus monet Cantersteinium elapsi temporis.

Interim decima quarta Augusti aduenerat dies dicta tractatibus Stetini reassumendis, nemini dubium erat triumphantem Suecum reiecturum foedera, quae Poloni vltro offerre videbantur. Caeterum ne ex parte reipublicae regiaeque Maiestatis quidquam solicitudinis omitterent legati Poloni, Gedani tunc residentes, monuerunt per literas Cantersteinium, status Sueciae secretarium, elapsi temporis. Ille dubio dato responso in haec verba palatino rescripsit Lencicienſi:

Ille Palatino rescribit.

Cum ex literis *Excellentiae Vestrae*, haud pridem ad me perscriptis, intelligam destinasse eandem per maiorem Poloniam Stetinum contendere, ad continuandos illico, cum S. Regiae Maiestatis, Domini Mei Clementissimi commissariis tractatus, iudicio Excellentiae Vestrae, hisce praemittendum duxi. Anne? e re mutua vtriusque partis et maximo dictis tractatibus compendio futurum existimet, si obuiam nunc S. Regiam Maiestatem in maiori Polonia salutauerit, compellaueritque, quippe et necessitas id ipsum videtur postulare, mutato haud parum post discessum Excellentiae Vestrae rerum statu, et vtilitas suadere, vt ex mente S. Regiae Maiestatis circa totum tractatuum negotium penitus cognoscat; Excellentiae Vestrae et saluo conductu, et misso tibicine satis consultum puto. Verum si adhuc quidpiam desiderabitur, quamprimum consultum in Excellentiae Vestrae, nomine S. Regiae Maiestatis promitto, spondeoque. De caetero Excellentiam Vestram Diuinae tuitioni commendo, recteque valere cupio. Datum in castris ad Tysyum sexta Augusti, MDCLV.

Haec summa literarum Cantersteinii, quibus ille animauit palatinum ad reuerentiam Sueciae regis, exigua de tractatibus iniecta mentione. Caeterum Sueciae rex, confirmatis superioris Poloniae nobilium animis, duce RADZIEIEVIO vicinae insidiabatur Masouiae, opposito Witembergio regiis ex aduerso castris. Quinque illi peditum, duo equitum merebant millia, vltra Witembergii copias, quae viginti millium in proximo erant.

Rex Poloniae Przyiemscium expedit ad Regem Sueciae.

Haec dum Polono regi exploratores referunt, ille CHRISTOPHORVM PRZYIEMSCIVM ire ocius ad Sueciae regem iubet, illiusque intimos penetrare sensus, quae causae irarum? quae tanta vis consilii? quis finis tam cruenti inter affines belli? Paruit PRZYIEMSCIVS mandato Poloniae regis. Neque mora regem Sueciae cicra PIATEK oppidum assecutus in haec verba salutauit:

Eius oratio ad Sueciae Regem.

Mirari satis non potuit Sereniſſimus Rex ac Dominus Meus Clementiſſimus IOANNES CASIMIRVS cum Senatu suo, accepto primo nuntio, intrasse exercitum *Maiestatis Tuae* duce Witenbergio fines regni sui, tum vero stupere etiam

1655

etiam magis coepit, cum et personam *Regiae Maiestatis Tuae* alio exercitu stipatum intellexisset. Me igitur tam Sereniſſimus Rex meus, quam senatus ad *Tuam Maiestatem* ablegare voluerunt, vt tandem scire possimus, quis ille sit effectus et animi et impetus? qui *Maiestatem Tuam* eo vsque impulerit? Vehementem enim esse oportet, qui nullis huc vsque mediis, non de pace tractatibus, non legationibus in Sueciam missis, non seueris foederum et induciarum vinculis cohiberi potuit, ad iram et indignationem non satis causae videmus. Quid enim tantum facinus, vel Reges nostri, vel respublica commiserunt, vt tam seuera vltione vindicare illud *Maiestas Tua* in animum induxerit? Nos Deo teste nihil tale scimus. Inducias semel factas sanctiſſime semper coluimus. Suecis in Germania bellum ferentibus, et nostris rebus pace tum florentibus, licet multoties in societatem belli contra ipsos inuitaremur, nunquam publice nocere voluimus. Antiquior enim nobis semper fuit fides, quam publica vtilitas. Quod si priuati aliqui rebus Caesaris fauebant, multi etiam fuerunt, qui Suecis operam suam nauabant, tot Domini Liuones, Curlandi, regno Poloniae subiecti, tum et ipsi Poloni nemine prohibente, in vestris castris militarunt. Testis vel frater meus germanus SIGISMVNDVS PRZYIEMSKI, bene *Maiestati Tuae* notus, et iam trisi hoc bello nostro a barbaris extinctus. Vel ego ipse, qui non tantum sub signis GVSTAVI illius Magni Auunculi *Maiestatis Tuae* tyrocinia mea exercui, sed etiam non ita pridem Galliae Regi, Sueciae foederato, non contemnendam Polonorum manum ad expugnationem DVNKERKIANAM adduxi, nec inutilem, vt credo, per triennium operam praestiti. Cancellariae enim errores, vel alia minutiora, non tanta fuere, vt armis vindicari deberent. Aliquid igitur aliud subesse debet. Dicerem esse cupiditatem diuitiarum, sed scimus hoc vitium, a natura *Maiestatis Tuae* abesse, ex regnoque tam misero, lacero, et deuastato, quid iam amplius extorqueri potest? Octennium est, ex quo regnum hoc bellis, et quidem atrociſſimis affligitur, et quot anni, tot fere clades, et exercitus, vel caesi, vel dissipati, totque iterum reparati. Quale tandem imperium, quod tantis calamitatibus non succumberet, quales thesauri, quin exhaurirentur? Intrasti, Rex, potentiorem prouinciam opimiorem, scilicet maiorem hanc Poloniam, et, vt ab incommodis belli remotiorem, ita etiam feliciorem. Considera miserorum hominum pauperiem, et inde de aliis iudica prouinciis, quomodo ab illis exercitus tui ditantur. Nullae hic vrbes opulentae, non mercatores diuites, non auri vel argenti fodinae. Diuitiae nostrae, annui fructus sunt, et pecora campi, quae omnia, si ab exercitibus, tam *Maiestatis Tuae*, quam Nostris consumentur, agricultura cessabit, nullaeque vnquam contributiones sperandae, imo metuendum, ne Nobis et exercitibus Tuis fame sit pereundum. Si igitur nec satis causae ad iram, nec multum irritamentorum ad cupiditatem *Maiestas Tua* habeat, suspicari cogimur, *Maiestatem Tuam* aliis stimulis adactam, vt nobis bellum inferret, fama nempe et gloria, carissimis ingenii humani oblectamentis. Sed quae haec gloria, cum nos cum hostibus immaniſſimis, pro salute et vita decertamus, Tu Rex potentiſſimus nos armis occupas. Si gloriam vis, veram non vanam quaere. Vera enim erit, si aliena non expetes, suum cuique tribues. Rumor est apud Nos, velle Te protegere rempublicam, si hoc est, protegas gentem contra hostes immaniſſimos, populo libero libertatem non adimas, Regi legitime a Nobis electo, et Tibi sanguine iuncto, regnum serues, tunc Te non pro Protectore tantum, se etiam pro benefactore habebimus, et conseruatori Nostro, Tibi, trophaeum erigemus. Maiorem inde consequeris gloriam, quam si maxima ampliſſimo Tuo adiicias regna. Sed si hoc regnum, vi et armis *Maiestas Tua* oc-

1655 cupare in animum induxit, putat ne hoc firmum fore imperium, et Suecis iungi Polonos? Disiunctiſſima ſunt haec regna, diuiſit natura mari, diſſociauit inſtitutis, religione, legibus, moribus, habitu, lingua. Sic populi nulla re ſibi ſimiles, niſi ferocia, diſſidiorum omnium fomite. Vt igitur petitum imperium bonis artibus adminiſtrare poſſit *Maieſtas Tua* non ſperet, ſed ſemper ad ſecures et ſupplicia recurrendum erit. Quae vero haec gloria ex principe benigno et clemente mutari in crudelem et truculentum Dominum? Aliam ergo, magnanime Princeps, ingredere gloriae viam, et Nobis parce, iam pacem petimus, deprecamur bellum, et quid a Nobis *Maieſtas Tua*, poſtulet, vt aperiat, rogamus. Nos *Maieſtati Tuae* in omnibus ſatisfacere ſatagemus, gradum tantum ſiſtat, cum armis vlterius non progrediatur, et de pace toties oblata nobiſcum tractare non dedignetur.

Sueciae Rex quid Przyiemſcio reſpondeat?

Haec ſumma PRZYIEMSCII ad Sueciae regem. Cui ille breuibus reſpondiſſe fertur. *Cauſas moti belli iam orbi vniuerſo conſtare*, nec eſt opus, quod amplius inquirat Polonus rex, cum haec ſint ipſo ſole clariora. Caeterum, ſi pacem bona fide poſcet, poſſe continuare tractatus pacis Stockolmiae inchoatos, modo illi e re Suecica procedant. Adiecit et codicillos ad regem huiusmodi tenoris:

Carolus Guſtauus, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiae etc. Sereniſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, et Vicino Noſtro, Domino Ioanni Caſimiro, Regi Poloniae, Magno Duci Lithuaniae etc. etc.

ſalutem et incolumitatem.

Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee et Vicine.

Eius literae ad Poloniae Regem.

Si Serenitas Veſtra, pacis perpetuae tam fuiſſet cupida, vtique tot occaſionibus conficiendi negotii non defuiſſet, nec tantam ſemper praeliminarium obiecciſſet moram, idque nec praeter omnem opinionem *Maieſtati Veſtrae* accidere potuit, quod toties eluſi, laceſſiti, et male habiti contra pacta, bellum *Serenitati Veſtrae* intulerimus, infeſtiſque exercitibus noſtris ante decurſum induciarum ditiones eiusdem intrauerimus. Quippe cum nec ceſſare inſtitutum *Serenitatis Veſtrae* videremus, quin tempus oſtentatione pacis perpetuae *Serenitas Veſtra* traheret, complureſque interea aduerſum nos inimicos excitaret, indigno contra honorem noſtrum iure, pactorumque praeſcriptorum debito, neceſſum habuimus ad arma decurrere, eaque mala, quae nobis a *Serenitate Veſtra* imminebant, anteuertere, ſueto omnibus gentibus modo, iureque naturae comprobato. Ante finem induciarum etiam *Serenitatem Veſtram* aliis bellis diſtentam, (cum nil vlterius praeſidii haberemus in pactis, vtpote a parte Serenitatis Veſtrae temeratis) peruertere voluimus. Neque iuſtitiam cauſae noſtrae improbare videtur conſcientia ipſa *Serenitatis Veſtrae*, cum aliquando licet non talem hoſtilitatem commeruiſſe, velut tacita conſenſione *Serenitas Veſtra* affirmet. Caeterum cum *Serenitas Veſtra* teſtetur, ſe habere notum perſpectumque animum Noſtrum, perſuadereque ſibi, nos viciſſitudinis humanae gnaros, caſibus Serenitatis Veſtrae indolituros, eoque mittere ad Nos generoſum dominum PRZYIEMSKI, camerae ſuae familiarem, vt animum Serenitatis Veſtrae pacis cupidum nobis conteſtetur, ad eamque tractandam nomine Serenitatis Veſtrae Nos inuitet. Idcirco pro indole noſtra ad pacem et tranquillitatem propenſam mentem Noſtram hiſce duximus explicandam. Videlicet non eſſe Nos a pace alienos, ſi modo honeſta, tuta, et decora ſit, eoque iterum haud aegre conſentire, vt coepti Stockolmiae tractatus continuentur, exiſtimantes, eam ſortem fore, vt propinquus aliquis

aliquis Nobis vtrinque locus dictis tractatibus decernatur. Quocirca et ad 1655
perficiendum tanto breuiore temporis ſpatio tam ſalutare negotium, haud paruum profectum arbitramur, ſi *Serenitas Veſtra* legatos ad Nos mittat, ſufficientibus plenipotentiis a Serenitate Veſtra et republica Polona inſtructos, cum quibus de loco, tempore, conuentu, a legatis Noſtris agi, tractarique poſſit. Interim non dubitamus, quia Serenitas Veſtra cum republica Polona has initura ſit rationes, quae ad terminandum fideliter deſtinatum conatum pertinent, et ad ſecuritatem et ſatisfactionem Noſtram, regnique Noſtri, prout res Noſtrae nunc ſunt. Quod reliquum eſt, optaremus Serenitatem Veſtram et rempublicam Polonam meliori in ſtatu eſſe, rectiuſque antehac rebus ſuis conſuluiſſe, quo eisdem ad haec extrema non fuiſſet deueniendum. Ita tum amore Regii ſanguinis, tum humanitate tacti, et viciſſitudinum rerum humanarum, probe gnari, infortunio Serenitatis Veſtrae dictaeque reipublicae ex animo indolemus. Quibus Serenitatem Veſtram recte valere cupimus. Dabantur in caſtris noſtris prope Colo.

Haec ille ad afflictum Poloniae regem, magna ſui confidentia, maiorique deſpectu. Interim reſtaurabatur indies nouis delectibus Suedicus exercitus. Poloniae magna pars, regis ſui deſertores, ad Sueciae regis tranſiuerant partes. Dux IANVSSIVS RADIVILVS, laetis Suecorum in Polonia ſucceſſibus, laruam exuerat, Lituaniamque Sueciae ſubmiſerat protectioni, vt infra memorabo. RADZIEIEVIVS omnia tentabat excitandae ad Varſauiam ſeditioni. Nec vani conatus, vna et conſpirabat Boruſſiae dux, impatiens ſui, et nouorum amans. Protector Angliae alebat cum Suecis commercia, et minabatur Polonis. Hollandi Boruſſiae iam ante confoederati duci. Dux Curlandiae Suecorum incantamentis faſcinatus. Quanta haec in Polonum regem factio? qui tunc primo VOLBORIAM, mox SVLEIOVIAM mouebat caſtra, Witembergio vbique terga regii exercitus inſequente et premente. Ipſe Sueciae rex, RADZIEIEVIO OXENSTIERNIOque ducibus, magna velocitate confecto itinere, occupato Louicio, archiepiſcopi Gneſnenſis reſidentia, quam vacuam inuenerat, VARSAVIAM regiam Maſouiae, nemine reſiſtente, triumphanti ſimilis intrat, ipſo die natali virginis caſtiſſimae. Adeo vidiſſe Varſauiam Sueciae regi viciſſe fuit. Eſt autem Varſauia ad Viſtulam ſeptemtrionis nobiliſſimum fluuium ſita ciuitas, totius ducatus Maſouiae metropolis, regumque Poloniae ſedes perpetua. Aedificiis procerum toto regno celebris, Baſilicis ſanctorum tota Europa illuſtris, adeo populoſa ciuitas, vt ducenta animarum haud ita pridem in ea numerarentur millia. Acceſſit comitiorum frequentia, quibus creuere in immenſum Varſauienſium opes [67]). Hanc vrbem leui praeſidio Polonus rex defendendam VESELIO Makociienſi commiſerat gubernatori. Ille audito magnis itineribus properare Radzieieuium, quondam ſibi palam hoſtem aemulumque potentiae, vrbem deſerit vna et incolas. Tantum pauoris incuſſerat illi Suecorum Radzieieuiique aduentus. Ita exiguo ſatis defenſam milite ingreſſus Varſauiam Sueciae rex, magis diſcordiae Polonae fiducia, quam virtutis ſuae. Ita dum Radzieieuius propria bona Varſauiae repetit, tota Polonia trepidatum eſt: ita tunc regia occupata ſedes, huc vſque intacta, prophanatae aedes ſacrarum virginum diuae Clarae. Ita introducta in Mazouiam haereſis, dum Radzieieuius propriam vlciſcitur iniuriam.

Suecorum confoederati.

Polonus Rex Suleiouiam caſtra mouet, quem ſequitur Witembergius.

Louicium ingreditur victor, deinde Varſauiam.

Varſauiae deſcriptio.

Frequentia.

Curioſius deinde luſtrauit vrbem aemulam Stockolmiae, vrbiſque intima, collaudata regii palatii mole. Tandem Vladislauianum inuiſit armamentarium, vbi centum bellicas maiores machinas, totidemque nitrati pulueris ſic dictas tonnas ſeu cados, laetus reperit. Neque mora, relicto Radzieieuio, vna et Oxenſtierno, illo ad praeſidium, hoc ad regimen vrbis, rex cum duorum equitum millibus, quinto poſt die, bellicis machinis, vna ſecum auectis, quo terribilior videretur, Witembergio ſuas ad PRZEDBORIAM coniungit

Radzieieuius relinquitur vice Rex in Ma-

67) Cum auctor viueret, Varſauienſium opes forte maiores quam nunc fuere. Non in immenſum, vt Rudauſcius dicit, nunc augentur, ſed potius, increſcente luxu, inter ciuicas praecipue foeminas, commercioque ſenſim decreſcente, quotannis fere imminuuntur.

1655 iungit vires. Quem lethaliter ſagitta tranſſixum, fama tunc Varſauiae vulgauerat. Nec Mazouitis pro rege Polono ad vltionem deerat animus, ſed ducem non habebant.

ſouia, vna cum Benedicto Oxenſtierno.

Varſauiam ſequutae ſunt vicinae Maſouiae arces, Nieporetum, Cerſcia, Oſiecko Warka, quas nullis praeſidiis firmatas occupat Suecus. Adeo omnia ſubito Sueci impetu oppreſſa ſunt. Nec multo poſt iuſſu Radzieieuii, Varſauienſes ita exarmantur, vt vix illis relictum ſit ferrum, quo terra colitur. Saeuitum deinde in abſentes ciues et nobiles, milites et paganos, eorumque bona haſtae omnia ſubiecta ſunt. Nec ſacris altaribus pepercit Oxenſtiernius, quae taxata in immenſum, militari intulit aerario.

Rex Varſauia diſcedit.

Witembergio ſe coniungit.

Witembergius ſe coniungit.

Coniuncti exercitus regii cum Witembergii caſtris nuntius, perculit Polonorum animos, maxime nobilitatis, procerumque, qui ad caſtra hac aetate noſtra legibus trahuntur, nec generoſitate ducuntur, vt ante, ſiue hoc aetatis vitium, omnia in deterius corrumpentis, ſiue philoſophiae nimia efficiat applicatio, cuius argumentis docemur in bello fugere vulnera, quae tamen pro patria et religione excipere olim virtutis ac dulcedinis maioribus fuit, et nunc apud pleraſque nationes in deliciis eſt. Vix igitur conſpecta Suecorum acie, Polona nobilitas, dubium, per timorem, errorem, an ſeditionem, gradum retro dedit, excepta veteranorum manu, haud multo poſt rebelli.

Witembergius caſtra diripit Polonorum.

Didicerat tunc, eheu, nimium incredulus Polonus rex, timere ſemper Polonos, vt Appios et Claudios. Witembergius obſeruata turpi nobilium Polonorum fuga, non auſus fugientes inſequi, caſtra inuadit, occupat, diripitque, trium millium curruum onuſtorum auctus ſuppellectili, vna et annona. Credo tunc ipſum ingemuiſſe coelum, ad tantam Polonorum perfidiam aut timorem. Ita diſſipata Polonorum nobilitate Witembergius, Polonum regem vrbibus exutum, etiam finium ſuorum, regnique fugitiuum ſequi decreuerat, qui tunc Przedboria Cracouiam verſus, pedetentim recedebat, ab omnibus deſertus, et ſoli Deo confidens.

Regem ſequitur.

Nec ſegnius Suecorum rex, ſua promouebat caſtra, infeſtoque agmine Cracouiam petens, regis Poloniae premebat veſtigia. Ille vbi Sueciae regem adeſſe videt, Cracouia Tarnouiam, Tarnouia Sandeciam, Sandecia Glogouiam, in Sileſiam ſecedit. Antequam tamen Cracouiae vltimum vale diceret, praemiſſa regina in Sileſiam ante, Czarnecio Kiiouienſi caſtellano, viro fortiſſimo, vrbis tradit cuſtodiam, regimenque, vna et peditatus lecti millia quinque. Adiungit praeterea VOLFFIVM, GISSIVM, MACHOVIVM, veteranos ordinum ductores. Eoque praeſidio firmata Cracouia, ipſe vt ſuperius dixi Tarnouiam diſceſſerat. At Sueciae rex interim, RADOSZYCE, MALOGOSTIAM, GOVARCZOVIAM, CHENCINY, ANDREOVIAMque tranſgreſſus, KIELCIAM, VISLICIAM, PINCZEVIAM, WISNICZ, LANCKORONAM, BOCHNAM, WIELICIAMque, vrbes haud clauſis moenibus firmas, occupat, diripitque. Ratus depulſo Polono rege, poſſe abſque mora Cracouiae epulari, quod et accidit, vt libro ſequenti memorabimus.

Adeo ante in vltima Polonia fuit Wittembergius, vna et rex Sueciae, quam ab vltimo venire timeretur ſeptemtrione. Quid prius in hoc mirere bello? velocitatem, quod ſexageſimo die oppugnauerit coeperitque Cracouiam? an caecam felicitatem? quod paucis ſuorum amiſſis, florentiſſimum occupauerit regnum? more fulminis, quod vno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit. Nec vana de ſe praedicatio eſt regis Sueciae: *Ante victum Polonum eſſe, quam viſum.*

HISTORIARVM POLONIAE
AB EXCESSV VLADISLAI IV
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS
LIBER SEXTVS.

LIBRI VI. CAPVT I

SYNOPSIS

Radiuili cum Radzieieuio comparatio. Radiuilus cauſa belli Lituanici. Vilna capitur diripiturque a Moſcho. Kowna et Grodno dedunt ſe Moſcho. Radiuilianae propoſitioni contradicunt Lituani. Radiuilus Gonſieuium capit contradicentem ſibi. Lituanorum puncta Suecis oblata. Bychouiam poſt trium annorum obſidionem, Coſaci Moſchique capiunt. Siradienſis palatinatus Sueco deditur. Reſponſum ciuitatis Gedanenſis Sueciae regis miniſtro. Claſſis Suedica ad portum Gedanenſem appellit. Loca in Pruſſia per Suecum occupata. Literae Steinbokii ad Thorunenſes. Pruſſiae ducalis quis ſenſus de Suecorum progreſſibus. Electoris Brandenburgici in Pruſſiam aduentus. Eiusdem militaris apparatus. Gedani ſolenniter excipitur.

1655

Radiuili cum Radzieieuio comparatio.

Tempeſtas Radzieieuiana latius tunc per Poloniam diuagata, deinde in vicinam deflexit Lituaniam. Quanquam Lituaniae clades non tam RADZIEIEVIO, quam IANVSSIO duci RADIVILO adſcribenda eſt. Fuit ille primus mali motor, primusque patriae proditor direptorque, quem ad funditus tollendam rempublicam, primum vindicta, deinde egeſtas compulerunt. Hunc genere Ducem, diuitiis potentem, dignitate florentem, auctiores opes ad mala adegerunt conſilia. Forſitan et Caluiniana auita profeſſio capite et corde caluum effecerat, ac in turbido reipublicae ſtatu piſcari docuerat. RADZIEIEVII rabies intra Mazouiam ſe praecluſerat quaſi expiratura. RADIVILI furor Ruſſiam, Lituaniam, Samogitiam, Curlandiam Podleſiamque corripuit. Nec de Lituanis quaeri poteſt Lituania, extrema tentaſſent illi, ſi RADIVILVS voluiſſet, cuius fidei commiſſa tunc ampliſſima regio fuit. Primum eius facinus, primaque de patria extitit victoria, irrita ſenatorum comitia. Hinc clades ſubſecuta Battouiana, vt ſupra memorauimus. Faſces deinde imperatoris dum auidius Varſauiae ſectatur, Smolenſcum amittit, vno verbo, initium et cauſa belli Lituani, inexplebilis honorum Radiuili fames, qui alter Romanorum Marius potentia valens, Gonſieuium non ferebat aemulum potentiae, quem millies perire volebat. Ita Radiuili auiditas imperandi, perdidit ſepeliuitque Lituaniam. Mohilouiae mercator, Vilnae praedator nobilis, quam vt perderet, prius vniuerſam voluit perdere Lituaniam, voluntaria ſuorum fuga, quam nec ipſe ſtator Iupiter ſtitiſſet. Igitur melius Radiuilianum quam Moſchouiticum hoc ego dixerim bellum, potiusque ciuile quam externum. Quanquam nec Moſchus defuit ſibi, qui tunc nemine reſiſtente MINSCIO in fauillas et cineres redacto, vbi vidit omnes ſui terrore corripi, vacuam Vilnam ingreſſus eſt. Erat tunc terror ingens, a Radiuilo auctus in immenſum, quaſi a tergo Sueci, a latere Moſchi inuaderent vrbem pulcherrimam, GEDIMINII opus, Lituaniaeque caput. Dicti omen euentus docuit, antequam enim Moſchi conſpexerint vrbem, Radiuilus celeritate vſus, ciues bonis ſpoliare, eccleſias inuadere, abdita ſcrutari, diripere publicum aerarium, et tot annorum congeſtas opes, denique, qualia nec Moſchus videbatur optare, agreſſus eſt: demum aduentante Moſchorum caeſare in Samogitiam Keidani ſeceſſit, onuſtus ſpoliis Lituaniae. Ita apertis pene portis, capitur a Moſcho vrbs, eo compendio quo ſcripſimus, quam tamen prius coeperat Radiuilus. Hinc Moſchorum in Vilnam, Vilnenſesque

Radiuilus cauſa belli Lituanici.

Vilna capitur, diripitur a Moſchis.

1655 ſesque ſaeuitia tanta, vt ſolo fere aequaretur Lituaniae caput, nec facile in ipſa Vilna hodie reperies Vilnam. Quanta vrbs deleta ſit, vt de caeteris taceam, vel ignium mora probari poteſt, quippe per continuos decem et ſeptem dies, vix potuit incendium extingui, quod domibus et templis Moſchi immiſerant. Tali ratione capta eſt Lituaniae Carthago, aemula Cracouiae, et cum ea ſexcenta amplius procerum caſtella vaſtata ſunt.

Cauna et Grodna dedunt ſe Moſcho.

Vilna capta in ſaltus et paludes, genus omne diffugerat mortalium. Igitur Moſchus caede et incendiis in omnes graſſatus, primo Caunam deinde Grodnam capit incenditque. Radiuilo a longe tam pulchrum vidente ſpectaculum. Et iuiſſet vlterius Moſchus, niſi illum victricia per Poloniam Suecorum arma, vna et Radiuili ſtitiſſet deditio. Ille enim diu ante meditatum facinus, tunc coacta vniuerſae Lituaniae perfecit deditione. Diſplicuit hoſtis commutatio Lithuanis proceribus, potiſſimum GONSIEVIO, LEBOVICIO, SAPIEHAE, IVDICCIO, PACCIO. Diuerſa igitur, quam RADIVILVS mandauerat, illi cenſuerunt:

Radiuilianae propoſitioni contradicunt Lituani.

Ne Pax fieret inſcio Rege ac Republica.
Ne Commutatio hoſtis reciperetur, ac pro Moſcho triumpharet de Lituanis Suecus.

Radiuilus Gonſieuium capit contradicentem ſibi.

Radiuilus contradicentem Gonſieuium, Iudicciumque, Melitenſem equitem, ſub ſpecie cuiusdam arcani accerſitos, cuſtodiae tradit. Ita carceris ſupplicio fortiſſimi imperatoris Gonſieuii damnata fidelitas a Radiuilo. Sed non ideo deformatus eius honor, remerata conſtantia, imo his omnibus potentior, ipſisque hoſtibus, potiſſimum Radiuilo, admirabilior, Magno Gabrieli de la Garde amabilior. Quid enim aliud vinctus egit tunc GONSIEVII animus, quam triumphum de duce, et fortuna perfida. Gonſieuio ea arte capto, caueaeque incluſo, liberius pro voto ſuo omnia faciebat Radiuilus. Neque mora, Magno Gabrieli de la Garde Liuoniae proregi, exemplo maioris Poloniae procerum vniuerſam ſubiicit Lituaniam. Acceptat ille Sueci regis nomine Magni Ducatus protectionem, quam in haec verba conceperat Radiuilus.

Poſtquam turbulentiſſima rerum moderna tempeſtate, non aliter, nec commodius fieri potuit, ſubſidio Sereniſſimi Regis Poloniae plane ſublato et emortuo: Nos Proceres et Ordines Magni Ducatus Lituaniae, protectioni Sereniſſimi Regis
18 Auguſti Sueciae, neceſſitatis telo adacti, ſeſe certis conditionibus dediderunt.

Lituanorum puncta Suecis oblata.

I. Vt arma vtrinque coniungantur, contra communem hoſtem, excepto Rege Regnoque Poloniae.

II. Bierze Munimentum et Caſtrum Sueciae Regis ex nunc reſtituet Vicario Radiuilus cum cautione.

III. Bonorum eccleſiaſticorum, ac totius Reipublicae diſpoſitio arbitraria penes Regem Sueciae ſit, prout hactenus penes Diuos Reges Poloniae fuit, ſaluis per omnia iuribus et praerogatiuis Religionis Catholicae.

IV. Amiſſas Prouincias, Vrbes, Arces, earumque Prouentus recuperabit Rex Sueciae, illasque propriis reſtituet Dominis, ea belli occaſione deiectis.

V. Libertas Religionis ſalua per omnia erit, ſimiliter omnes dignitates, immunitates, priuilegia, libertates, conſuetudines, cuiuscunque religionis, Epiſcoporum praeeminentiae, Senatorum ſubſellia, Iuriſdictiones Ordinis Equeſtris, tum Abbatum, Praepoſitorum, Canonicorum, Parochorum, Monialium, Collegiorum, Monacharum, Religioſorum, Religioſarumque, auctoritas, bona, iura, Priuilegia, Fundationes, Obuentus, Perſonae, in integro manebunt.

VI. Magnus Ducatus Lituaniae, nullatenus Regno Sueciae incorporabitur, ſed gens Suecorum genti Lituanae, ſenatus ſenatui, equites equitibus aequiualebunt.

VII. Libertas vocis in comitiis nemini denegabitur.

VIII. Se-

VIII. Sereniſſimus Rex Sueciae operam dabit, vt Moſchorum exercitus, 1655
ex omnibus Lituaniae finibus ſecedat, et ab vlteriori machinatione, penitus abſtineat.

IX. Tractatus ſi aliqui fuerint cum Regno Poloniae concluſi, ab illis Lituania ne excludatur. Quodſi plura Poloni impetrauerint a Sua Maieſtate Sereniſſimo Sueciae Rege, eadem gratia gaudeat Lituania, quae vltro et libere nunc protectionem Magni Regis ambit.

X. Ad extremum diſciplina militaris ſeruabitur.

Haec ſumma aureae libertatis Lituaniae, quam breui ferrea ſeruitus poſtea ſubſequuta eſt Suecorum. Mirabitur certe poſteritas, quatuor ſideribus Poloniae turpiſſimum rebellionis ſcelus agitatum fuiſſe. Aequiori animo vtcunque ferrem, ſi plebeii Duces, aſſiduis, iniuſtis, ſeruilibusque operibus vel maxime attriti, aut ſi nobiles tenuioris fortunae, magnanimi ſpiritus, Ducatum ſceleri praebuiſſent, ſed RADIVILVS, RADZIEIEVIVS, GRVDZINIVS, OPPALINIVS, Palatini, proceresque regni. Ita Poloniam ſequuta eſt Lituania, nec deinde toto regno, quidquam intactum armis fuit, plane quaſi annus hic feralis, ac vltimus videretur regno male ſibi cohaerenti, ac in partes diuulſo. Sueciae admiſſa protectio Caeſarem Moſchouiae depellere Lituaniae finibus videbatur, ſed non ideo ceſſit ille, quamuis eius victoriarum curſum nonnihil impediuerit. Circa Bychouium tota eius belli moles fuit. Quippe quod vallo et propugnaculis militari arte exquiſitiſſime cinctum, ter mille Sapiehani defendebant fideles milites: adeo tota peruagata Lituania pudor Moſchos incendebat, triumphare fidele Bychouium, magnorum Sapieharum munimentum, quod ad extremum, poſt productam trium annorum per Coſacos obſidionem, fames domuit, ac in deditionem redegit. Hinc de totius Lituaniae viribus, de mala Radiuili fide, iudicent externi. Quid opus fuit alienam acceptare protectionem? qui maior ipſa numeroſiorque fuit protectione? Suecorum tum tria tantum, Lituanorum triginta numerabantur millia, acceſſiſſent plura, ſi ruſticis imperare non abhorruiſſet Radiuili elatus animus, aſſuetus alias Regi ſuo minari, ſupra quem et credidit ſe fore. Peſſima reuera ſubditi cum Domino comparatio, quae vbi Principi innoteſcit, ferenda non eſt. Sane melius ſibi tunc Polonus conſuluiſſet Rex, ſi in tempore turbulenta Radzieieui Radiuilique capita virgula decuſſiſſet iuſtitiae.

Bychouiam poſt trium annorum obſidionem, Cosaci Moſchique capiunt.

Lituania vti Poloniam, ita Lituaniam excepit Maſouia. Maſouiam deinde ſecuta eſt minor Polonia, cuius primarius Siradienſis Palatinus, Witenbergio tunc reſiſtere non valens, aut nolens, Sueciae Regis admiſit protectionem. Conſcripti deinde articuli in haec genuina Verba:

Siradienſis Palatinus Sueco deditur.

Articuli Pactionum Conuentionis, inter Sereniſſimum Carolum Guſtauum Regem Sueciae, et Palatinatuum Siradienſem, per mediationem Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi Hieronimi Radzieiewski, Regni Poloniae Procancellarii, Caliſiae conſcripti et concluſi.

Poſtquam Illuſtriſſimus Dominus Wittembergius campi Generalis Marſchalcus per literas ſuas ingreſſum Sereniſſimi et Potentiſſimi Sueciae Regis in Poloniam intimauerit, nobisque propoſuerit, Nos exemplo maioris Poloniae Palatinatuum, qui beneuolentiam Sereniſſimi Regis, ac contra communes Reipublicae hoſtes protectionem experti ſunt, ductu et perſuaſione Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi Domini HIERONIMI de Radzieiewski RADZIEIEWSKI, Regni Poloniae Procancellarii, cum vniuerſa nobilitate Palatinatus Siradienſis, ſeria ac matura deliberatione praemiſſa, taliter cum Excellentiſſimo Domino Generali Campi-Marſchalco, ſub ratificatione Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae conuenimus:

Inprimis conuentum ac concluſum eſt, ab hac die Palatinatum Siradienſem cum omnibus ſuis terris, ciuitatibus, ac bonis Regalibus, generaliter omni-

1655 bus, sub protectione Serenissimi Regis Sueciae, Domini Nostri Clementissimi manere, cui fidem nec non obsequium tale, quale Regibus Poloniae hactenus praestabant, promittunt ac pollicentur omnes proceres cum vniuersa nobilitate dicti Palatinatus Siradiensis.

Regem Poloniae CASIMIRVM non amplius pro Rege Poloniae agnoscent, aut eius Cancellarios.

Regalia omnia bona disponenda, item ecclesiarum, prout hactenus Rex Poloniae habuit, tum thelonea, ac omnem prouentum ante hac extradi solitum, Serenissimus Rex Sueciae habebit.

Securitati huius Palatinatus Siradiensis prospiciendo, vbicunque in bonis Regalibus, locum commodum pro fortificatione et praesidio Sacr. Reg. Maiest. Sueciae, seu eius Ministri iudicauerint, liberum erit munire et praesidio firmare.

Peditatum et praesidium Palatinatus Siradiae hoc instanti regimini ac imperio Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae deferunt.

Excellentissimus vero Dominus Wittembergius campi Generalis Marschalcus, Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae nomine, fide publica Palatinatui Siradiensi cauit et assecurauit:

inprimis, vt vnusquisque, cuiuscunque status et conditionis, in sua religione tute ac secure permaneat, religionemque suam in suis ecclesiis exerceat.

Item vnusquisque in sua veteri, et priuilegiis tot Regum legibusque approbata maneat libertate.

Statiua nulla hyberna, tanto magis laesiones, direptiones, depraedationes, iniuriaeque in bonis terrestribus nobilium fient, imo si similia per militum licentiam fient, seuere in tales animaduertent Ministri Serenissimi Regis.

Iudicia ac omnes veteres iurisdictiones, vt vnicuique ius suum reddatur, sub nomine Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, vti Protectoris exercebunt, tum etiam Dignitates Senatoriae, ac officia, a Regibus Poloniae conferri solita a Sacra Regia Maiestate Sueciae, incolis Poloniae conferentur.

Si vero aliquis ex incolis huius Palatinatus Siradiensis eidem transactioni, tanquam bono publico, publicaeque tranquillitati contradixerit, vel factioni Casimirianae adhaeserit, eius bona haereditaria, dispensationi Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae Domini Nostri Clementissimi ac fisco illius cedent.

In cuius rei fidem ac testimonium, manu nostra subsignauimus. Actum Calissii, die 17 Augusti M. DC. LV.

His Siradienses articulis Sueciae Regis admiserunt Protectionem, etiam postquam audiuere violatam Posnaniae a Wittembergio publicam fidem, in publico Dei ministro suffraganeo eius loci: maluerunt tamen libertatis tunc, quam sanguinis et fortunarum iacturam pati, si aduersus conciues maiores Polonos pugnare coacti fuissent.

Melius agnouit Borussia fraudulenta oscula Suedica, quibus, sub titulo protectionis, Dominatum affectabat maris Balthici, vna et Prussiae. Risit ergo fallacias fucatae Religionis, quam restauraturum simulabat, et boni publici colores. Nam quid praeclarius Gedanensium responso? cum trahenti in partes Sueciae, Regio Residenti MARTINO KOCHIO, responsuros se, post sexennium demum promiserunt, vbi Suecorum induciae cum Polonis expirassent. Et certe fraudes latuisse, sub specie beneuolentiae, haud multo post deprehenderunt. Classis enim Archithalasso VRANGELIO, viginti septem nauium, in ipso maris Vistulaeque confinio, ad portum appulerat Gedanensium, ast pauci milites. Is descensum minoribus cymbis prima quaque moliebatur die in Pucensem terram, sed frustra. IACOBVS siquidem VEIHERIVS, Marieburgensis Palatinus, aduersum defendebat litus

Responsum ciuitatis Gedanensis Sueciae Regis Ministro.

Classis Suedica ad portum Gedanensem appellit 4. Sep.

littus, vir magni animi, virtute Christiana et bellica inter paucos. Enimuero maiori terrore quam clade affligebant Veiherianos tormenta bellica, continuo et successiue disploſa, a nauibus Suedicis, donec ventorum vi, et inuicta Herois constantia, contagiosisque morbis, Balthico ad extremum, Decembri mense, pellerentur mari. 1655

Haerenti ad Pucense munimentum, quod nostrates PVCHWINCKELL nominant, Suecorum thalassiarcha, Wrangelio, terrestres Suecorum copiae, a maiori venientes Polonia, Fordanum, Bydgostiam, quam Germani BRAMBERG indigitant Coiniciam, Suecium, Neiburg, aliaque Regalis Borussiae occupant loca, magis procerum Polonorum incuria, quam virtute sua, doli et mille artium callidi artifices. Iamque in conspectu Thorunensium grassabatur Suecus, nullas non adhibens artes, quibus in partes suas traheret vrbem semper fidelem Regibus. Extat GVSTAVI OTTONIS STEMBOCK, Sueciae per Masouiam Generalis, exarata ad Thorunenses epistola huiusmodi tenoris: Loca in Prussia per Suecos occupata.

Nobiles, Spectabiles, et Consultissimi, Literae Stembokii ad Thorunenses.

Non potest vos latere, quibus de causis mota sit Sacra Regia Maiestas ad capienda aduersus Regem Poloniae arma, anteuertendaque ea mala, quae Sua Maiestas a dicto Rege iam iam sibi imminere vidit. Huic armorum Suedicorum iustitiae, ita suffragata est Diuini Numinis bonitas, vt salua et incolumis, atque sine vllo impedimento, ante aliquod tempus Varsauiam peruenerit, veteremque Poloniae Regum intrauerit Regiam. Cui accessit et hoc, quod Deus Optimus Maximus ita benedixerit armis Serenissimi Regis nostri, vt factu suo, ductu meo Masuros compresserit, qui nobis sese opposuerant, totaliterque in fugam profligauerit, atque praeter centenos aliquot caesos, vexilla, tormentaque eorum, et vehicula omnia ceperit. Ita ergo constitutis Sacrae Regiae Maiestatis Domini Mei Clementissimi rebus, cum vrbs Vestra, inter primas vetustissimas Euangelicae Religionis in Borussia sit, amice Vos hisce commonendos esse duxi, vt ad Clementiam, tutelam et protectionem Sacrae Regiae Maiestatis Domini Mei Clementissimi propere confugiatis, certi, Sacram Regiam Maiestatem, et pro mutuo Religionis vinculo, et pro innata sibi benignitate saluti et incolumitati Vestrae abunde consulturam. Si vero expectationi Sacrae Regiae Maiestatis defueritis, et obstinata magis consilia, quam tuta et salutaria sequi volueritis, in culpa ipsimet eritis, si quid aduersi et infesti Vobis, Vrbique Vestrae a partibus Sacrae Regiae Maiestatis acciderit. Ego meliora de Vobis sperans, responsum Vestrum fiduciae meae congruens praestolor. Atque hisce Vos Diuinae tutelae amice commendo: Dabantur in castris ad Nouodwoi. die 21 Septembr. Anno M. DC. LV.

Vester Beneuolus

GVSTAVVS OTTO STEMBOCK.

Thorunenses nec aspernantur, nec penitus acceptam habent, oblatam gratiam Stembockii, remissoque dubio responso rem in suspenso habent, donec vlterioribus successibus, quid opus facto, fortuna ostenderet.

In his tunc motibus Regalis Borussia erat, nec Ducalis otiabatur, audito Suecorum classico. Arma igitur toto Ducatu iussu Electoris Brandeburgici colligebantur. Vocati ad arma equites, conscripti pedites, accincti cuncti stabant milites. Ipse Elector FRIDERICVS VILHELMVS Berlino ex Pomerania Regiomontum in Borussiam venit. Merebant illi viginti millia conscripti, ex subditis in Borussia, exercitus. Bis quater secum adduxerat, machinas praeterea murales, puluerem tormentarium, pilas, et si quid armorum est. Intrantem ex Pomerania in Borussiam, primo VEIHERIVS in bonis suis, mox Oliuae Abbas eius loci ALEXANDER KESSOWSKI, tandem Gedanenses solenniter excipiunt. Abeunti Borussiae ducalis quis sensus de Suecorum progressibus? Electoris Brandeburgici in Prussiam aduentus.

1655 Abeunti noua munimenta, noua THAVMATVRGI oſtendunt miracula, attonito Principe, et eius vrbis patrocinium vltro ſuſcipiente. Egere gratias oblati patrocinii Gedanenſes, ſeque lecti exercitus ad manum habere duodecim millia reſponderunt, habituros et plura, vbi opus fuerit; neque diffidere iuſtae Polonorum cauſae, quae procul dubio ad extremum triumphatura eſſet.

Eiusdem militares apparatus. Gedani ſolenniter excipitur.

Abeuntem deinde Electorem eo honore, quo ſuſceperunt, ad duas circiter ab vrbe deduxerunt leucas. Ibat tunc Elector albo ſublimis equo, rubra illi exterior veſtis, auro decorata, quae hoſpitem decebat. Antecedebant duodecim phalerati generoſiſſimi equi, ſequebantur quingenti corporis milites. Adequitabat Principis lateri IACOBVS VEIHER Marieburgenſis Palatinus, eoque modo ſuſceptus et dimiſſus eſt Marchio Brandeburgicus, Sacri Romani imperii Archi-Camerarius, et Elector, in Pruſſia Dux.

LIBRI VI. CAPVT II

SYNOPSIS

Comitia Boruſſiae Marieburgi. Comitiorum articuli. Pruſſiae deſcriptio, nomen, foecunditas, vrbes, portus, militia. Auxelii Oxenſtiernii conſilium regi ſuggeſtum Sueciae. Refelluntur aduerſariorum ſophiſmata et argumenta contra Auſtriacos. Polonorum circa Poſnaniam tumultus. Comes Naſſau traiicitur. Literae Sueciae regis ad maiores Polonos. Edictum vniuerſale Sueciae regis.

Comitia Boruſſiae Marieburgi.

Vix diſceſſerat Elector, cum Palatinus Culmenſis, cuius (abſentibus Varmienſi aut Culmenſi epiſcopis) ſumma in Pruſſia auctoritas, ſtatibus ordinibuſque Boruſſiae, Mariaeburgi, conuentum indicit. Aderant Electoris legati, protectionem vniuerſae offerentes Boruſſiae nomine Principis. Caeterum ob abſentiam Thorunenſium legatorum conuentus limitatus ad 15 Octobr. Maiori ergo numero quam ante confluebat ad dictum diem Nobilitas. Comparuit ipſe ſtatus tunc, Ordinumque Boruſſiae Praeſes, VENCESLAVS COMES de LESZNO, Varmienſis et Sambienſis Epiſcopus; tres Palatini, quinque Caſtellani, praeter legatos externorum, Brandeburgici et Maſouiae nobilitatis. Aderat et Poloniae Regis Orator. Omnes diuerſa proponebant, diuerſa diſputabant, diuerſa ſentiebant. Poloniae Regis legatus animabat Ordines ne deficerent a legitimo Rege ſuo, breui adfutura auxilia, ſi tantillam habuerint patientiam. Brandeburgicus vltro ſuam regali ac epiſcopali Boruſſiae offerebat protectionem, armorum praeterea mutuam proponebat coniunctionem. Mazouiae quoque proceres, per KRASINIVM NARZEMIVMque: hunc Wyſogrodienſem caſtellanum, illum palatinum et generalem Maſouiae, ſocia contra Suecos poſcebant arma.

Regis legatus vice inſtigator regni Ianski.

Diu procerum Boruſſiae reſponſa pendebant in ambiguo, donec capta Cracouia vicini admonerentur periculi. Finiit igitur congreſſus, ad mentem et vota Electoris, coniunctioque a proceribus acceptata, exceptis vrbium legatis, qui ſuſpectum habebant Electoris pro Pruſſia nimium zelum. Coniunctio deinde iſta animorum, armorum, et conſiliorum in haec genuina concepta eſt verba:

Comitiorum Articuli.

Notum ſit omnibus ac ſingulis quorum intereſt. Inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgicum S. R. Imperii Archicamerarium, et Electorem etc. etc. tanquam Ducem Boruſſiae ab vna, tum Reuerendiſſimos, Illuſtriſſimos, Illuſtres, Magnificos et Generoſos Dominos Dominos ſtatus, ſenatorii et equeſtris Ordinis, terrarum regalis Boruſſiae in conuentu Marieburgenſi congregatos, ab

ab altera parte, mutuam animorum et conſiliorum coniunctionem, pro defendenda contra quoſcunque impetus, et hoſtiles inuaſiones in vtraque Boruſſia initam et prout ſequitur concluſam eſſe. 1655

I. Sit haec coniunctio abſque Regiae Maieſtatis Poloniae praeiudicio.

II. Maneant omnibus ac ſingulis, tam publica quam priuata, tam eccleſiaſtica quam politica, tam generalia quam ſpecialia iura ſalua et integra.

III. Nullum praeiudicium fiat religioni Romano-Catholicae, vel bonis eccleſiaſticis, ſecundum leges Regni Poloniae.

IV. Ad nullius offenſionem, ſed ſolum ad vtriuſque partis defenſionem tendat, et ad promouendam tranquillitatem harum Prouinciarum directa ſit.

V. Sancte et inuiolabiliter ſeruetur, ac cuſtodiatur, et neutra pars abſque alterius conſenſu ab ea decedat.

VI. Neutra pars, abſque communi voluntate et conſenſu, pacem, inducias, neutralitatem, vel quodcunque aliud pactum ineat.

VII. Liceat Sereniſſimo Electori in Regia Boruſſia, vel huius caſtris ſuos habere conſiliarios, et idem licitum quoque ſit coniunctis reliquis in Sereniſſimi Electoris caſtris.

VIII. Habeat Sereniſſimus Elector militiae coniunctionis huius, et omnium, quae ad eam ſpectant, vel ſpectare poſſunt, ſupremum directorium.

IX. Siſtent Status et Ordines regalis Boruſſiae ad hanc coniunctionem quatuor millia militum ſtipendiariorum, et conſcriptorum, et praeterea Sereniſſimi Electoris milites praeſidiarios, in ſingulis Boruſſiae ciuitatibus arcibus et fortalitiis, in ſequentibus articulis comprehenſis, degentes, alent et ſuſtentabunt; ita tamen, vt inter quatuor millia regalis Boruſſiae militum ii connumerentur, quos regalis Boruſſiae Status in praeſidiis collocarunt.

X. Simul ac coniunctio haec concluſa, et capita ſuperius poſita, et infra ponenda, ab vtraque parte probata fuerint, mittatur ad Regiam Maieſtatem Poloniae, vt Regia eius Maieſtas de hac conuentione et coniunctione certior reddatur, et conſilium eius Maieſtatis petatur et conſenſus.

XI. Eodem modo mittatur ad Regiam Maieſtatem Suecicam, et eidem Regiae Maieſtati exponatur, quod conuentio et coniunctio haec concluſa ſit, et a Regia eius Maieſtate decenti modo contendatur, vt copias ſuas a finibus harum terrarum abducere, loca occupata reddere, et pacem ſincere colere velit. Coniunctos paratos eſſe omnia conferre, quae modo vnquam ad ſtabiliendam et reducendam pacem generalem, et fidem facere poſſint, abſque tamen Regiae Maieſtatis et Coronae Poloniae praeiudicio.

XII. Quodſi vero Regia eius Maieſtas hiſce poſtulatis et petitis locum dare, et ſinceram pacem cum hiſce terris colere recuſet, vtraque pars omni fide, ope, auxilio, et viribus, prout conuentum, ſibi inuicem adſiſtat.

XIII. Interim, vſque dum, quid Regia Maieſtas Suecica hac in parte decreuerit facere, conſtet, ad Generales Suecicos communi nomine ſcribi et illi moneri debent, vt ab omnibus inuaſionibus, direptionibus, locorum occupationibus deſiſtant. Sin autem nolint, et non expectata Regia reſolutione, conatibus ſuis inhaerere, et vlterius progredi tentent, vi vlterius progredi prohibeantur, et quouis modo progreſſus eorum ſiſtantur, quocunque tandem locorum, ſiue in Ducali, ſiue in Regia Boruſſia, irruptio facta fuerit, idque coniunctis fiat viribus, vt tamen coniuncta vis ei hoſtili expeditioni opponatur, quae magis nociua et cum periculo coniuncta deprehendetur.

1655 XIV. Si exorto bello, et durante eo, loca quaedam a Sereniſſimo Electore et eius exercitu in Regia Boruſſia occupata fuerint, ea, poſtquam bellum, vel pace, vel tranſactione, vel alio quocunque modo ſopitum fuerit, coniunctis tanquam veris Dominis reſtituantur.

XV. Neutrius partis exercitus coniunctis damna inferat, vel rapinas, latrocinia, aut furta exerceat, et ſi tale quid factum fuerit, in auctores ſeuere animaduertatur.

XVI. Quoties viſum fuerit, coniunctio exercituum fiat, ita tamen, vt hoc et omni alio caſu Sereniſſimo Electori ſupremum maneat directorium. Super Poſpolite Ruſzenie [68]) vero is iuriſdictionem habeat, cui ea ex conuentione, inter Illuſtriſſimos Dominos Palatinos deſuper habita, obueniet.

XVII. In vtroque exercitu omnia ordine gerantur, et id ſerio operam dare debent Generales et Officiales, vt et exercitus et ſubditi ſimul conſeruentur, ſiue intra ſiue extra bellum geratur.

XVIII. Bellum quantum fieri poteſt, vt et Statiua et Quartiria extra fines coniunctorum et geratur et habeantur. Quodſi tamen neceſſitas aliquando requirat, vt vel propter nimium frigus, vel aliam aeris iniuriam, exercitus in campis ſtare nequeat, et ita intra fines Boruſſiae regalis quartiria ordinanda ſint, fiat id a Sereniſſimo Electore, communicato, cum illuſtriſſimo Domino Generali regalis Boruſſiae, vt et Commiſſariis eiuſdem regalis Boruſſiae, conſilio, et poſtea ad requiſitionem Sereniſſimi, illuſtriſſimus Dominus Generalis aſſignabit ea, prout ratio et ſtatus belli deſiderauit.

XIX. Mariaeburgenſi tam in ciuitate, quam in arce iam commoranti, et quingentis militibus conſtanti Regio Polonico praeſidio, ſuum Sereniſſimus Elector totidem capitibus conſtans iunget. Quodſi tamen vrgens ratio, vel neceſſitas belli deſiderauerit, liberum erit Sereniſſimo Electori praeſidium hoc pro libitu augere, collato tamen prius cum iis conſilio, quibus a Regia Maieſtate commiſſa et vrbs et arx eſt; nimirum cum illuſtriſſimo Domino Palatino Mariaeburgenſi, et illuſtriſſimo Domino SIGISMVNDO libero Barone de GVLDENSTERN, cui vti hactenus, ita et in poſterum, ſalua et integra maneat oeconomia, cum iuriſdictione ad eam ſpectante. Idem quoque ſit ſupremus praefectus ciuitatis et arcis, afferuetque ſecum portarum claues, et teſſeram militarem praefecto electorali, caeteris inferioribus Officialibus, ab ipſo diſtribuendam dictitet. Quod ſi vero Dominus Guldenſternius peregre abeat, claues Sereniſſimi Electoris praefecto interim tradet.

XX. Im-

68) *Poſpolite Ruszenie* ſignificat in Polonorum lingua *generalem motum*, ſeu expeditionem militarem totius nobilitatis, quae propriis ſumtibus vi conſtitutionum regni militare tenetur. Haec autem nobilium ad defendendam patriam expeditio generalis ſine conſenſu eorum in comitiis prouincialibus a Rege inſtitui non poteſt, niſi in ſummo reipublicae periculo, vi conſtitut. a 1517, neque haec expeditio generalis nobilium prius, quam ipſe hoſtis foedus violauerit, decernitur, per legem conſtit. a. 1515. Cautum etiam lege a. 1573, ne exercitus huius expeditionis generalis vltra regni fines educi a rege, vel precibus vel ſolutione, poſſit. Euocantur autem ad hanc bellicam expeditionem generalem omnes nobiles poſſeſſione gaudentes, tam priuati quam in dignitatibus conſtituti. Excipiuntur cancellarii, miniſtri aulae reginae, miniſtri aulae archiepiſcopalis, legati ad exteras gentes miſſi, capitanei ſic dicti limitanei, vel eorum vices gerentes, tribuni arcium et burggrauii Cracouienſes etc. viduae vero, orphani, minorennes, ſenes, aegroti per neceſſarios vel alios nobiles militant. Tam magnus conflari poteſt ex nobilibus in Polonia exercitus, vt ducentum millia ſuperet, qui etiam eſſet formidabilis, ſi ordo accederet. Cum autem maxima nobilium pars armis non ſit aſſueta, bellique incommoda diu ferre haud poſſit, neque diſciplinae locus ſit militari ſeuerae, eiuſmodi exercitum, licet copioſiſſimum, Poloniae hoſtes minime omnium reformidant. Polonos caeterum bonos eſſe milites, ſi diſciplina militari extranea fuerint inſtituti, numerus eorum, qui ſub Boruſſorum Regis ſignis militant, ſatis magnus, abunde teſtatur.

XX. Imponit quoque Sereniſſimus Elector praeſidium ſuum ſequentibus 1655
locis, vt quadringentos peditum et centum equitum Dirſchouiae, vnam compagniam Tragunerorum [69]), et vnam compagniam equitum Leoburgo: Trecentos Strasburgo: Centum equites et centum pedites Graudentio. Quae tamen praeſidia, ſi neceſſe fuerit, Sereniſſimus augere poterit, vt tamen ceſſante periculo praeſidium ad priſtinum numerum reducatur.

XXI. Mariaeburgo, eius arci, et omnibus modo enumeratis et nominatis locis et ciuitatibus, Status regalis Boruſſiae, de neceſſariis, annona, et rebus, tam ad maiora, quam ad minora pertinentibus, quantocius proſpicient.

XXII. Praeſidia haec alent et ſuſtentabunt, Status et Ordines regalis Boruſſiae, atque ita Sereniſſimo Electori, ſingulis menſibus, pro vnoquoque praeſidiario milite, connumeratis etiam officialibus, a Statibus regalis Boruſſiae ſoluantur duodecim floreni Polonici vel quatuor imperiales, vna cum Salgamo vulgo *Seruis*, pro more apud militem Polonicum recepto. Quodſi etiam Status non poſſint integram ſummam numerata pecunia ſoluere, licitum eis ſit partem commeatus ſuppeditare, quae pro rata detrahatur a pecunia numeranda, ita tamen, vt aequo et currente pretio militibus addicatur ſupradictus commeatus, et prout in foro eius ciuitatis, in qua praeſidium collocatum eſt, venditur.

XXIII. Dragani aequale cum Muskietiriis accipiant ſtipendium, et praeterea equis eorum conſuetum et neceſſarium detur pabulum.

XXIV. Equiti ſingulis menſibus ſoluantur viginti duo floreni Boruſſici, vel ſeptem imperiales, et octo groſſi boni, ita tamen, vt et hi, ſi parata ſemper non adſit pecunia, partem commeatus loco pecuniae, ſecundum articulum XXII accipere obſtricti ſint.

XXV. Quodſi etiam loca in articulis XIX et XX enumerata, magis et melius adhuc munienda Sereniſſimo Electori viſum fuerit, Status regiae Boruſſiae vi huius coniunctionis obſtricti ſint, tot ſubminiſtrare ſubditos, quot ad opus perficiendum ſufficiant. Ad idem teneantur, ſi Sereniſſimus e re communi exiſtimauerit ad Viſtulam, vel alibi locorum extrui fortalitia. Liberum tamen erit ad requiſitionem Sereniſſimi Illuſtriſſimo Domino Generali regalis Boruſſiae ex quibuſcunque regalis Boruſſiae locis voluerit, mittere, qui operi manum admoueant, et ad finem et perfectionem ſuam perducant.

XXVI. Omnes ſuperius ſpecificatae ciuitates, arces et fortalitia a Sereniſſimo Electore, contra hoſtes vtriuſque Boruſſiae conſeruentur et defendantur. Tranſacto vero bello reddantur, et abſque vlla praetenſione reſtituantur, vt et nouiter extructa fortalitia, vel deſtruantur, vel Dominis reſtituantur.

XXVII. Miles ex ſtipendio vbique viuat.

XXVIII. Si ad hanc coniunctionem accedere plures velint, tam ex regionibus regni Poloniae, quam aliis, accedant et recipiantur, imo et inuitentur.

XXIX. Contributiones nullae nouae, irrequiſita Nobilitate, inſtituantur, vel requirantur.

69) *Compagnia Tragunerorum*, vt et *Dragani cum Muskietiriis* n. XXIII, ſunt floſculi Latinitatis vulgaris Polonae, quos in tabulis publicis obelo notare, vel corrigere, nefas eſſe duxi, alioquin dixiſſem Latine: *centuria equitum deſultoriorum*, et *equites leuis armaturae cum peditibus, vel peditatu.* Haec tamen intelligi poſſunt. Quid autem ſit: *vicinus nobilis in ſpatione Kopcorum ad defendendam parietitatem citari debet*, nemo Latinorum capiet, Polonae linguae expers. Significat autem: *vicinus nobilis in congeſtione acerui ad determinandos limites praeſens ſit ad tuendos ſuos fines.* Sed in diſtribuenda iuſtitia Latinitatem non curamus. Caeterum florentibus magis magiſque ſub feliciſſimo indulgentiſſimi patriae patris AVGVSTI III imperio, in Polonia ſcientiis, indigenae etiam natiuum illum ſermonis Latini leporem aſſequuntur.

1655 XXX. Ciuitates maiores, an accedere huic coniunctioni velint, intra 20 dierum spatium se declarent.

XXXI. Omnes legationes et missiones, communi vtriusque partis sumtu expediantur, ita tamen, vt Status regalis Borussiae, qui nunc contraxerunt, pro tertia sui parte teneantur.

XXXII. Praefectus praesidii, iudicium militare, ex vtriusque partis praesidii officialibus constituat, et eius erit director. Quodsi delictum capitale fuerit, executio per illum instituatur, sub cuius praefectura delinquens stat, eamque a praefecto iussus neutiquam differre debet. Leuiora vero suorum commissa vel delicta quilibet praefectus coerceat.

XXXIII. Nemo intra ciuitates, vel arces recipiatur vel intromittatur, cuius nomen prius ad praefectum praesidii non fuerit delatum.

XXXIV. Damna seu depraedationes, per Sereniſſimi Electoris militem antehac factas, si a commissariis vtrinque constitutis, pro liquidis et veris agnitae fuerint, depraedator restituat, et si in aere non habet, aliter luat.

XXXV. Statim a die conclusae huius coniunctionis Status regiae Borussiae copias suas, exceptis iis, quae in praesidiis sunt, in vnum contrahant; et Illustrissimi Domini Palatini vniuersalia edant, et vti vocatur Pospolite Ruszenie conuocent.

XXXVI. Vterque clerus tam Braunsbergensis, quam Culmensis, Monasteria, collegia patrum Societatis Iesu, scholae seu Gymnasia, sarta tectaque sint, religionis Romano-catholicae liberum exercitium, et nullum publicum alterius a Romano-catholica dissidentis.

XXXVII. Illustrissimi et Reuerentissimi Episcopi Varmiensis et Culmensis, vna cum Venerabilibus Capitulis, totisque episcopatibus pactis hisce et coniunctioni includantur, saluis iuribus et priuilegiis, et immunitatibus episcopatuum.

XXXVIII. Praesidium Braunsbergae Sereniſſimi habeat praefectum Romano-catholicae religionis, si in exercitu Sereniſſimi aliquis inueniatur, cui concredi locus possit.

XXXIX. Domus episcopalis Braunsbergae sita, ab omni militis praesidiarii, officialium et praefecti praesidii hospitatione et habitatione immunis sit, in cuius vsu et possessione pacifica, Illustrissimus et Reuerentissimus episcopus, siue eius officiales, absque vllo praeiudicio et impedimento quouis maneant.

XL. Ratione augmenti in praesidiis faciendi, promiserunt Statuse t Ordines regalis Borussiae, praeter duo millia conuenta, adhuc alere, et sustentare trecentos, si necesse fuerit.

XLI. Quodsi Sereniſſimus Elector in castris praesens non sit, Serenitatis eius Generalis, habeat potestatem et facultatem electorali exercitui imperandi, et omnia ordinandi, quae ad militiam hanc pertinent. Polonicae vero copiae maneant gubernandae Illustrissimo Domino palatino Mariaeburgensi. Tesseram militarem quod spectat, inter Illustrissimum Dominum palatinum, et Dominum Generalem, modo nominatos, ex aequo et amice conueniat.

XLII. Promiserunt praeterea Status et Ordines regalis Borussiae, se statim et actutum facturos, vt pons super Vistulam sternatur, atque ita transitus et reditus, vtrique parti liber et facilis sit et maneat. Locus, vbi poni pons debeat, habito desuper inter vtramque partem consilio, assignabitur. In maiorem, rei sic et non aliter gestae, fidem, duo exemplaria eiusdem tenoris confecta, et inuicem extradita sunt. Actum est Rinskii die 12 Nouemb. M DC LV.

Nos Senatorii et equestris ordinis regalis Borussiae Status, vnanimi consensu praesentibus promittimus: Nos operam sedulo daturos, et pro posse Nostro promoturos,

turos, vt Serenitati Electorali pro meritis in prouinciam hanc et rempublicam collatis, condignum redhostimentum a Sacra Regia Maiestate et Republica Polona concedatur. Actum vt supra. 1655

Serenissimus Elector praesentibus cauet, quod Sua Serenitas erga regalem Prussiam ratione huius suprapositi promissi, nihil velit praetendere; sed quod tantum Illustrissimi status, ad sedulam operam et promotionem, quantum possunt, sint obstricti. Actum vt supra.

Interim dum Marieburgi consulitur, Suecorum exercitus Prussiam ingressus, eandem occupat, Electore haud prohibente, imo Thorunensibus, ob non acceptatam armorum societatem, infensissimo, ac palam hoste. Ita dum Romani deliberant de suppetiis Sagunto ferendis, vrbs capitur: dum Prussia alienacircumspicit praesidia, amittitur.

Sed mihi de Prussia toties mentionem facienti, operae pretium videtur, aliquid de eiusdem origine, opulentia, viribus, militia, et populorum genio dicere; rem haud Germaniae inutilem, quae illi cedat, in augmentum gloriae et potentiae. Prussiae descriptio.

Prussia, olim Vlmigauia, hodie apud externos Borussia appellata, portio Europae perexigua, caeterum toto Septentrione pulcherrima plaga est. Nihil vberius foecundiusque solo, quod bis floribus vernat, praesertim in depressiori situ, quem maiores WERDER, dixere. Nihil commodius mari. Hinc illi nobiles portus vrbesque ad mare Balthicum siue Germanicum potentissimae. Puckum, Brunsberga, Pillauia, Memelium, Regiomontum, Elbinga, et ipsum caput vrbium GEDANVM siue Dantiscum, hodie inter tres maximas, Amsterodamum, Venetias, et Vlysiponam numerata. Porro omnis Prussiae regio in ducatus duodecim diuisa est, scilicet, Sudauiensem, Sambiensem, Natangiensem, Nadrouiensem, Slauoniensem, Bartoniensem, regionem Galindiae, Varmiensem, Hogkerlandiam, Culmensem, Pomesaniensem et Michalouiensem. Vrbes in ea, siue moenibus clausae, siue clausis magnitudine pares, nonaginta duae, arces septuaginta septem, pagi maiores vltra, quinque millia numerantur. Militum quoque numerum cuiuis regno parem, aut superiorem, tempore belli educere, peditum triginta, equitum viginti millia, in plano est. Nomen. Foecundia. Vrbes et status. Militia.

Vidimus per aetatem nostram, ipso hoc tempore, quo scribimus, conscripta in ducali Prussia, ab Electore viginti millia hominum, illorum tantum, qui gleba terrae ante a dominis donati, militari seruitio sese obstrinxerant, sine conducto milite, sine nobilitatis motu. In regali vix sex comparuisse millia, sub diuersis signis, non inficior, sed hoc Polonorum stetit negligentia, qui pulsis aut emunctis colonis, praedia mallebant et pecora, quam milites militantes. Tres iunctae in vnum ciuitates, Thorunium, Elbinga et Gedanum, octo conduxerant millia. His accessit Varmiensis episcopatus, in quo tria militum numerabantur millia, vna cum nobilitate eius prouinciae. Ita non facile quis contemnat Prussiae populos, eorumque vires.

Miror certe ego augustissimae domus Austriacae ministros, parum hucusque curasse Prussiam, Germaniae certe portionem nobilissimam, ac Germano imperio debitam semper 70). Mens Suecis fuit, cancellariique consilium, quod moriens inter arcana imperii referre volebat et retulit, Prussiam occupandi. Hinc Europae dominationem, Romanumque imperium transmarino promittebat imperatori, si Prussia potiretur. Nec vana promissio. Aduertit quippe ille callidus Balthici maris speculator, e nemore Borussiae nauigari in Indias. Vidit in vna depressioris terrae glebula, plus praegnantium aristarum, spicarumque producere terram, quam in tota montosa, sterili et effoeta Suecia. Plures generosos equos, alere Borussum rusticum, quam magnatem Suecum. Res namque in confesso est, vnum Auxelii ab Oxenstiern consilium Regi Sueciae suggestum.

70) *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Prussia nunquam fuit Germaniae portio, neque Germanio imperio debita. Abrogato enim crucigeris iusta ex causa imperio Pruthenis libertas restituta est, qui deinde vi pacti deditionis Poloniae regibus se submiserunt. Recte ergo dicit celeberrimus GODOFR. LENGNICH in norma regiminis, quae Prussiae ex praescripto iurium competit p. 4. *Nec Germanorum caesari ius aliquod competebat, cuius nullum ante secessionem exiterat vestigium, quod alio tempore et loco monui.*

1655 vnum rusticum Borussum quinquaginta quandoque centenos numerare equos [71]). Nec pecunia deest Prussiae, quam Indorum Ganges Hollandico Oceano, et hic Balthico seu Borussico transmittit freto. Hinc Auxelius inter alia dominationis arcana sepoſuerat Borussiam, vt fame vrgeret Europam, quisquis Suecorum Regum eam prouinciam, claustraque terrae ac maris, quamuis leui praesidio, aduersum ingentes exercitus insedisset. Hinc victricia per Balthicum, inde per Oceanum circumferre posse GVSTAVVM docuit arma. Nec nauticae artis experti sunt populi, consentitque illorum ingenium cum aquis quibus innatant. Terra vbique frugum ferax, Campaniaeque aemula, nisi quod asperius coelum, vires deneget incolis, qui Germani sunt, nec Germanum aspernantur imperium, Germanice loquentes. Quanquam quod Polono hucusque subsit imperio Prussia, pietas potius Austriacorum sanguinisque nexus cum Regibus Poloniae, quam iustitia fuit [72]). Hinc exteri discant, Austriacis infensi, et hostes, quid potuerit Germanus in hanc diem caesar? et facere noluerit? quae eius cum vicinis principibus amicitia? quam sacrosancta foedera?

Refelluntur aduersariorum sophismata et argumenta contra Austriacos.

Rideo ego GRAMONDI Galli, KOBIERZICII, PIASECII aliorumque Polonorum, magnique illius IOANNIS ZAMOISCII, nescio quae de Austriacis somnia, ac temerata iudicia, quasi mens illis non alia esset, praeter Europae dominationi, totique veteri et nouo inhiare mundo. Hinc illae de Austriacis apud GRAMONDVM vanae quaerelae, quod Cardinalem CLESELIVM vincula, quae meruerat, subire coegerint, quod rebellem FRIDERICVM Electorem, primo Bohemiae regno, mox palatinatu Rheni proscripserint: Quod archiepiscopum Treuirensem, sub protectione Regis christianissimi manentem, nouorum amantem, captiuauerint: quod Treuiros interceperint, aut potius propria recuperauerint, caeso ad internecionem milite Gallo. Quod Rupellae Hispanus Rex subuenire voluerit per Fridericum Toletanum. Quasi vero longe maiora non fecerit Galliae Rex, vnde iram mereretur Austriacorum, et aeternum totius Germaniae odium. Bellum Bohemicum, Austriacum, Lusaticum, Morauicum, Silesiacum, palatinatus Transyluanicum, Mansfeldicum, Danicum, Brunsuicense, iterumque Transyluanicum, Mansfeldicum, secundum Austriacum, tertium Transyluanicum, Magdeburgense, Hollandicum, Italicum, iterumque Magdeburgicum, cum quarto Transyluanico, confoederatio Lipsiensis, Gustauique molimina, fulmina, tonitrua, grandines, et omne mauortis tempestatis genus, Galli Regis fuerunt instinctu, stipendiis, opera. Clausit ipse scenam vltimo Gallico, et haeretico bello. Nec hic finis malorum. Initum saepius Turcas inter et Regem christianissimum foedus, continuata cum haereticis in hanc diem amicitiae vincula, odio in Augustam domum Austriacorum, adeo centum et amplius annis, toto coniurato orbe petitur haec coeli domus, nec expugnatur, quia aeterna est. Caeterorum odia, calamique licentiam, vt minorum volucrum, iouis minister contemnit volatus, quanquam hostes Austriacis non sunt, nisi haeretici eorumque fautores.

Redeo in Prussiam, vnde parum deflexeram in Austriam. Rebus in hunc modum, vt superius innui, Mariaeburgi cum Electore compositis, felicior caeteris regni Poloniae prouinciis videbatur Borussia, si tam fidelem inuenisset socium, quam vafrum inuenerat patronum, vt infra memorabimus.

Polonorum circa Posnaniam tumultus.

Haerenti ad Cracouiam Sueciae Regi, maiorem Poloniam seditio incessit. Noua quippe pax displicuit Polonis, genti haud assuetae freno seruitutis. Hinc generosae illorum ceruices, ab impositio nuper passim resiliebant iugo. Caesa ad internecionem Koscianensi in arce Suecorum praesidia, quasi de industria prospera aduersis radiarentur, sed omnium luctuosius tunc accidit fatum FRIDERICI comitis NASSOVII, qui, dum hospes Koscianensem

71) Sed non omnis rusticus Borussus tam grandem facit pecuariam; iique tantum, qui loca depressiora maxime fertilia (die Werder) incolunt, Thorunio Gedanum versus. Nostris temporibus forte nullus inuenitur rusticus, qui centum aleret equos, non pauci autem quinquaginta et plures possident, ii nempe, qui equarias res (Stutereyen) habent.

72) Aperte haec verba Augustissimae Austriacae domui, sub cuius inuictissimo scuto, non Germani solum, sed omnes Christiani protecti viuunt, adulantur, quae autem huiusmodi hominum vmbraticorum assentationes generose hucusque contemsit. Prima veri historiarum scriptoris virtus est, neque amicis neque inimicis adulari, vel maledicere, et vbi nullo modo veritatem scribere licet, melius certe est tacere, quam assentari.

sem amicam arcem securus ingredi tentat, quo per Posnanienſis aeris intemperiem seceſserat, forte fortuna a Babimossensi gubernatore agnitus, iussusque ponere arma, et se vinctum tradere, dum inscius instructae tragoediae comes vlcisci iniuriam cogitat, bina lethali traiectus glande in ipso arcis aditu occumbit. Audito Suecus maioris Poloniae tumultu, cognatique morte, illico quatuor legiones eo ire imperat, addito militi seueriori mandato, vt iam non amplius quasi alienam, sed quia amiserat, quasi raptam, iure belli repeterent, nec parcerent ferro in rebelles et contumaces, diruerent moenia, excitarent noua munimenta, diuiderent agros, pueros iuxta ac senes, infantes ac mulieres, trucidarent, abigerent latrocinia, compescerent furentes sacrificulos, excuterent infestos turbantium cuculos, efferrumque genus Polonorum fodere terram cogerent. Haec dicta ad terrorem quis ignorat, vt, qui resistebant, talia nuntiarent caeteris. Addidit ad palatinatuum proceres literas mitiores, huiusmodi tenoris: 1655 Comes Nassau traiicitur.

Literae Sueciae Regis ad Maiores Polonos.

Nos Carolus Gustauus, Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Esthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae et Vandaliae, Princeps Ruggiae, Dominus Ingriae et Wismariae: nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux etc.

Illustrissimis, Reuerendis, Magnificis et Generosis Senatoribus, Dignitariis, officialibus, totique equestri ordini, Posnanienſis et Calissienſis Palatinatuum sincere et fideliter Nobis dilectis, Gratiam Nostram Regiam.

Non dubito in viridi memoria et obseruantia Clementiam Nostram Vobis haerere, quam circa primum in Poloniam exercitus nostri ingressum per illustrissimum comitem a Wittemberg Campi Marescalcum, et Ducem exercitus Nostri declarauimus, dum Vos bonaque Vestra sub patrocinium Regium, regimen, tutelamque Nostram susceperimus, conditioneſque initas ad instantiam primariorum Senatorum eorundem Palatinatuum benigne confirmauerimus. Sperabamus itaque neminem reperturum in iis Palatinatibus, qui clementiam Nostram, qua ab extrema Vos vindicauimus ruina, debita gratitudine et subiectione non agnosceret et reciperet. Verum cum intellexissemus multos, ex equestri imo et senatorio ordine reperiri in palatinatibus Vestris, qui spreta et contemta gratia Nostra, pactis sese opponunt, nec iisdem submittere se volunt, vnde etiam poenarum in eisdem pactis contentarum sese reos demonstrant. Ne itaque innocens cum nocente puniatur, et notitiam fidelium et refragorum habere possimus, Vobis omnibus praenominatis, Senatoribus, dignitariis, officialibus, et equestris ordinis hominibus innotescimus, idque a Vobis clementer postulamus, vt omnibus quibuscunque placebit, sub patrocinio Nostro manere, pactaque Vscensia firmiter obseruare, nomina sua ad acta Castrensia Posnanienſia, Calissienſia et Wscouienſia, ac declarationes fidelitatis suae erga Nos inscribi et inseri, intra decursum trium septimanarum faciant, recognitioneſque eo nomine ab officio Castrensi vel commissario Nostro recipiant, qui, quod praestabunt fideliter et sincere, a Nobis omnem gratiam, clementiam, protectionem et defensionem, iuxta praedicta pacta Vscensia expectabunt, et ne illa a militibus Nostris iniuria afficiantur, procurabimus. Qui vero secus fecerint, gratiam nostram contemserint, et articulis Vscensibus se opposuerint, pro hostibus nostris eos declaramus, iuxtaque articulos praedictos bona illorum fisco nostro applicabimus. Quod vt vnicuique innotescat, per ministerialem regni id ciuitatibus maioribus publicari, actisque siue castrensibus, siue ciuilibus, literas hasce

1655 Noſtras inſeri mandauimus. Datum in ciuitate Caſimirienſi penes Cracouiam, Die 28 Septembr. M. DC. LV.

CAROLVS GVSTAVVS.

L.S.

Quod haecce cum ipſo originali regio verbotenus concordent Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae: Ego per maiorem Poloniam, conſtitutus militiae commiſſarius, et inſpector primarius, vigore ſubſcriptionis propriae, et ſigilli appoſitionis confiteor ac confirmo. Datum Poſnaniae, Die 13 Octobr. M. DC. LV.

A. Weeſemu mpp.

LS

Eodem quoque tempore Maſouitae inermes, armatos validoſque Suecos per Maſouiam territabant, quaſi aliquis fuiſſet, qui Maſouia Suecos tunc pellere potuiſſet, vna et Radzieieuium. Sed vanae ſine viribus et potentia minae. Callidam gentem, viribuſque promtiſſimam, potiſſimum Ciechanouienſium, vnicum huiuſmodi Sueciae Regis edictum ſedauit et compeſcuit.

Vniuerſale Edictum.

Edictum vniuerſale Sueciae Regis.

Nos Carolus Guſtauus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Eſthoniae, Carnielae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae, et Vandaliae, Princeps Rugiae, et Viſmariae: nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iulii, Cliuiae et Montium Dux etc. etc. Senatoribus, Dignitariis, et vniuerſae Nobilitati Terrae Ciechanouienſis, in Palatinatu Maſouienſi, Gratiam et Fauorem noſtrum ſingularem.

Non poteſt Vos latere, quam grauibus cauſis moti ſumus, ad capienda aduerſus Regem Poloniae arma, praeuertendaque ea mala, quae Nobis regnoque Noſtro, a dicto Rege iamiam imminere videbamus. Huic armorum noſtrorum iuſtitiae, ita ſuffragata eſt Diuini Numinis bonitas, vt ſine impedimento non modo noſtrae poteſtatis, coeperimus vrbem ſedemque Regiam, Varſauiam, ſed etiam ſelici progreſſu magnam partem Poloniae victrici noſtra manu peruagati ſumus. Spe certa freti, Deum Optimum Maximum conſilia actioneſque Noſtras fore proſpero euentu beaturum. Quamuis vero arma noſtra vlterius proferre poſſemus, atque eo, quo datum eſt, modo, victoria vti, aduerſus eos, qui partibus noſtris ſeſe non adiunxerunt, tamen cum ea ſit indoles noſtra, vt clementiam et benignitatem Noſtram potius, quam iram et indignationem teſtatam facere velimus. Proinde Vos hiſce clementer, ſerioque inuitamus, vt viſo lectoque hoc diplomate, propere ad protectionem, tutelam, et patrocinium Noſtrum confugiatis, et omni cum Rege Poloniae commercio renuncietis, intraque diem vigeſimam veteri ſtylo (proxime inſtantis menſis Octobris) Varſauiam, vel ipſi veniatis, vel deputatos Veſtros ſufficientibus mandatis inſtructos, mittatis. Quod ſi feceritis, promittimus libertatem religionis conſeruatam iri immutabiliter. Deinde milites noſtros, ab omni procerum et nobilium, ciuitatum et ſubditorum, violenta inuaſione, depraedatione, ac direptione inhibebimus, atque commercia cum finitimis, quantum ob iniurias temporum fieri

fieri poterit, tuto et ſecure praeſtabimus: ac poſtremo eorum deſideriorum, quae ſtatum, dignitatem, et iura Veſtra concernunt, dignam rationem habebimus. Si vero hanc gratiam, et benignitatem Noſtram aſpernati fueritis, nec Vos a Rege Poloniae ſeparaueritis, neque quiete vixeritis, Vos pro hoſtibus habituri, et poſſeſſiones, bonaque Veſtra, fiſco Noſtro ſubiecturi ſumus. Quibus Vos Deo clementer commendamus. Dabantur Caſimiriae ad Cracouiam die 30 Septembris M. DC. LV. 1655

CAROLVS GVSTAVVS

Sueciae Rex.

LIBRI VI. CAPVT III

SYNOPSIS

Cracouienſis obſidio. Puncta deditionis. Rex Sueciae declarationem ſuam palatinatuum deputatis tranſmittit. Literae Sueciae Regis ad Regem Polonum. Miles Polonus ſacramentum dicit Sueciae Regi. Moſchi Potocium profligant. Coſaci Leopolim obſident. Chmielnicii cum Grodecio colloquium. Grodecii reſponſa. Chmielnicii reſolutio et concluſio. Soluitur obſidio Leopolienſis. Chmielnicius in reditu incidit in Tartaros, ac cum illis paciſcitur. Pacis conditiones Tartarum et Coſacum inter.

Ita Maſouitae ad praeconis vocem ferociam depoſuere. Maiorum autem Polonorum motum, primo virga et lictor, mox praeſidia ad cuſtodias diſpoſita, caſtellaque amplius viginti domuerunt. Ea denique tunc in Polonia pax erat, vt mutati homines, alia terra, coelum ipſum aliud videretur. Accedentes ad conuenticula nobiles, depoſito ad portas acinace, Sueci Regis audiebant iuſſa, ea modeſtia, vt diſcipulos docentem magiſtrum auſcultare diceres. Dignus vel ideo Radzieieuius lauro viſus ab omnibus exteris, qui per Suecica arma Polonam cicurauerit effrenam licentiam, legibuſque parere docuerat efferam gentem, et hucuſque indomitam. Terra ipſa alias ſterilis, tunc iuſſis obtemperabat Suecorum; coelum denique ipſum Septemtrionalis aeris compeſcuerat ſaeuitiam, dum mollius ſolito videbatur, vergente in hyemem anno. Et haec adhuc ante captam Cracouiam, Maiora longe euenere, poſt actos de Cracouia triumphos, quae ad extremum poſt tot, tantoſque labores Suecorum ceſſit fortunae in hunc modum.

Profugo, vt ſuperius innui, Polono Rege, primo Tarnouiam, mox Sandeciam, tandem per Czorſtinii, Zyueciique montium iuga errante, et iam vltima regni ſui tenente, Suecorum Rex, Caeſaris, Alexandri, aliorumque felicitate ac celeritate vſus, Cracouiam obſederat. Eſt autem Cracouia regia Poloniae, totiuſque regni gaza ad Vauel montem, immani holophago quondam celebrem, ſituata, et a CRACO conditore, Poloniae principe, Cracouia appellata. Nobiliſſima totius Sarmatiae, et celeberrima vrbs, regni metropolis, Regumque domicilium. Solum habet, qua viridanti arborum planitie, qua agrorum, hortorumque cultura, qua Viſtulae Rudauaeque commoditatibus, non modo amoeniſſimum ac peropportunum, ſed frumentis etiam ac frugibus, nec non auro, argento, ſale, plumbo, cupro, ferro, lapide calaminari, marmore, atque alabaſtro, aliiſque terra prouenientibus, foecundum. Aere puro ac ſalubri gaudet. Vrbs ipſa aedificiorum ſplendorem Germanis debet, vt et caeterae ciuitates Poloniae, ignauiam in ſcrutandis eruendiſque metallis ipſis Polonis, qui omnia contemnunt. Vrbi palatina arx imminet Boneri opus, in Vauel collis lato admodum ſituata vertice, tam ampla, vt iuſti oppidi potius, quam arcis ſpeciem praeſeferat; tam magnifica, vt cum Iulii tectis certare potuiſſet. Nec ſua illi moe- Cracouienſis obſidio.

1655 nia ac propugnacula desunt, vltra praetorianos milites, qui minoris Poloniae praefecto generali immediate parent. Palatii autem cura, magno, vt vocant, relicta manet procuratori. In hac arce, vt caetera taceam, Regum Poloniae sacri asseruantur cineres, apud diui Stanislai, eius quondam loci pontificis, basilicam, cui sacella variorum Regum XXIII. adiacent, chorus sacerdotum LXXX numeratur. Extat et alia in eadem arce ecclesia D. Michaeli Archangelo sacra. Praepositi titulo insignita, quam Melitensis ordinis praetendunt equites. His accedunt D. Georgio ac Vladislao erecta oratoria. Haec intra arcem includi, quis non miretur? Iudicent ergo de magnitudine vrbis externi, qui tantae molis procul dubio obstupescunt arcem. Cracouiae duae praeterea adiacent ciuitates, Casimiria nomen sortita ab eo, cui Magni cognomen fata dederunt, et res gestae posteris tradiderunt, altera STRADOMIA, de quibus cum alii fusius, in theatro mundi edisseruerint, ego manum de tabula leuo, vnicum adnectens coronidis ergo. Cracouiam literaria academia celebrem, Parisiorum aemulam, nec non sanctorum sanctarumque reliquiis, B. Salomeae, Floriani, Hyacinthi, Stanislai, aliorumque sacrorum corporibus, vix vrbi ipsi cedere: amplitudine, opibus, incolarum multitudine, peregrinorum frequentia, templorum maiestate, commerciorum copia, sede principum virorum nulli secundam. Et vt nihil tantae vrbis magnitudini desit, palatini, castellani, maioris generalis, salinarum praefecti, magni procuratoris insignitur nominum vocabulis 73). Vnicum dolendum, quod hosti proinde omnia sic ac amico pateant, vt et in caeteris Poloniae vrbibus.

Hanc tam vastam mole vrbem, quam nullus vnquam per annos CCCLXV concussérat metus; Sueciae Rex oppugnare coeperat, vltimis Septembris diebus 74). Occupataque principio impetus Casimiria, facile deinde vrbi ipsi, admotis machinanis, defossis cuniculis, interitum minabatur, praemium victoriae obtendens Poloniam. Tota hic regni felicitas, bellique moles fuit. Defendebant strenue maximam ciuitatem, CZARNECIVS, WOLFFIVS, GISSIVS, aliique; Vallo, fudibus, et fossa, inductoque fossae Rudaua flumine, sed frustra. Cessit illa tandem ad extremum redacta, post continuatam trium hebdomadarum obsidionem victoriae Suedicae perpetuum monumentum, fortunaeque CAROLI aeternum trophaeum. Victi eas subiere conditiones pacis, quae magis victores illos, quam victos declarabant.

Puncta deditionis.

Puncta circa compositionem pacis, cum Serenissimo Rege Sueciae et praesidio vrbis Cracouiensis.

I. Vt religionis Romanae libertas, eiusque vsus et exercitium publicum salua et integra seruentur, neque vllis infestationibus, quae contemtum reddant, aut molestiam inferant perturbentur, basilicae, templa, collegia, monasteria, xenodochia aliaeque omnes religiosorum et religiosarum domus, cuiusuis ordinis, et instituti suis possessionibus liberae et illaesae maneant, atque suis iuribus, immunitatibus, priuilegiis, fundis ac prouentibus integrae ac sine vlla diminutione gaudeant ac vtantur: vtque eaedem basilicae, templa, collegia, monasteria, xenodochia, atque omnes omnium religiosorum atque religiosarum domus, insuper quorumuis ecclesiasticorum domicilia: praesertim quae sunt iuris ecclesiastici, nullis vsibus profanis, ac statiuis militum, (multo minus equorum) eorumque sustentatione onerentur, nullis militum direptionibus obiiciantur, sed ab omni omnino infestatione, a bonorum et suppellectilis, tam ecclesiasticae quam domesticae, distractione liberae habeantur, nec status ecclesiastici vllis pensionibus nouis et insolitis grauentur, sed omnes ecclesiasticae personae, tam saecularis, quam

73) Vult nempe Rudauscius dicere, castellanum, palatinum etc. ab vrbe nomen habere: Est enim castellanus Cracouiensis, nostris temporibus illustrissimus STANISLAVS PONIATOWSKI, primus inter *saeculares* regni senator, secundus palatinus Cracouiensis, nunc illustrissimus IOAN. CLEMENS BRANICKI, qui et supremus in Polonia belli dux, inter quem et palatinum Posnaniensem alternis vicibus prior sedes est.

74) Cracouia fuit occupata a Tartaris anno 1290
ergo 1290
365
1655.

quam regularis status, vtriusque sexus immunes ab omni iniuria, contemtu, infe- 1655
statione seruentur: iisdem liceat suis legibus, moribus, consuetudinibus, ac institutis viuere, ac agere citra vllum a quopiam impedimentum, quae omnia Serenissimus Rex Sueciae, speciali diplomate suo firmet.

II. Officiales arcis Cracouiensis, nobiles in praesenti obsidione existentes, vt omnimodam securitatem bonorum suorum mobilium et immobilium, terrestrium, regalium et ciuilium, atque personarum suarum, vbicunque locorum in regno et extra fines regni cum liberis hinc inde transitum habeant, quibus omnia iura, priuilegia, libertates, praerogatiuas, immunitates, iuxta nexum et praescriptum statutorum et constitutionum regni Poloniae saluae et illaesae conseruentur, et quicunque eorum in possessione bonorum suorum quorumuis permaneant, et praesertim in iisdem officiales arcis Cracouiensis iuxta receptam consuetudinem relinquantur, et citra quamuis exceptionem liberi permaneant. Eandem securitatem ante memoratam, Serenissimus Rex Sueciae, speciali diplomate, quoadusque Respublica quid plenius cum sua Regia Maiestate constituerit, cauere dignabitur.

III. Vt ciuitas Cracouiensis circa priuilegia omnia, et praerogatiuas, libertatesque ciuitati a diuis Poloniae Regibus concessas, potissimum Portorii libertatis, a quibusuis teloneis ac stationibus aulicorum, ac militum, ciues praesertim, magistratus, et officiales conseruentur, et omnes personae pro tunc in magistratu et officio existentes, in suis magistratibus et officiis, et locis maneant; in locum vero decedentium, personae catholicae ecclesiae Romanae, vt perpetuo substituantur, omniaque eorum priuilegia, et decreta confirmentur, nec vlla extraordinaria contributione, grauentur, neque ciuitas exarmetur.

IV. Vt Academia Cracouiensis, circa omnia iura sua, atque praerogatiuas, publicis regni constitutionibus firmatas conseruetur, nec doctores alterius religionis, aut professores in eam introducantur, et vt ordinariis suis prouentibus gaudere possint.

V. Vt Serenissimus Rex Sueciae, Illustrissimo Domino Castellano Kiiouiensi Gubernatori pro tunc arcis et vrbis Cracouiensis, tum et aliis maioribus et minoribus officialibus, quam et omnibus militibus, cum armis suis cuiuscunque generis fuerint, vexillis expansis, funiculis accensis, cum sonitu tympanorum more militari, liberum et securum exitum prouideat et praestet.

VI. Vt prouisionem militibus, praesertim vero pro legione Illustrissimi Domini Castellani Kiiouiensis, tum Illustrissimi Domini Colonelli Volffii legionibus, aliquot bona regalia in finibus regni Silesiae existentia ad statiua pro trimestri assignentur; iisdemque vt postea liceat, cum omnibus militibus suis libere abire quocunque voluerint.

VII. Peditatus a palatinatibus et districtibus ad expeditionem hanc submittatus, omnes cum omnibus item armis suis, more militari ad suos palatinatus et districtus secure redeant, ibique iussa palatinatuum suorum recipiant.

VIII. Vt currus omnes cum omnibus rebus et equis, militibus pertinentibus, libere dimittantur, et ad locum assignatum a militibus Sereniissimi Regis Sueciae securitatis causa, comitentur.

IX. Tormenta bellica cum omnibus attinentiis suis, quae huc Cracouiam aduecta sunt, cum equis et vectoribus illorum, libere vt dimittantur, et penes Illustrissimum Dominum Castellanum Kiiouiensem maneant.

X. Officiales omnes, et alii aulae ministri Sereniissimi Regis Poloniae vt libere dimittantur, iisdemque securus ad Sereniissimum Regem Poloniae abitus praestetur, et ad meliorem securitatem, vt tibicen a Sereniissimo Rege Sueciae addatur.

1655 XI. Captiui vtab vtraque parte liberi dimittantur, et cum aliquot Moſchorum captiuos habeamus, eoſdem in manus Sereniſſimi Regis Sueciae conſignabimus, obnixe rogantes, vt Maieſtas Sua Sueciae, captiuos item noſtros a Moſchis eliberet, praeſertim Generoſos Ioannem et Paulum Potocios, Balabanum, Machouium, et alios aliquot.

Occupata in hunc modum Cracouia, maior tunc erat fortuna Sueciae, quam vt vllis externis viribus extingui poſſet: nec amplius Polona aquila Septemtrionis auſa eſt reſiſtere leoni. Fatum igitur nidi ſui voluens, maluit triumphantem recipere, quam victum in viſcera ſaeuientem experiri. Tertio igitur, poſtquam intrauerat, die, de ſubactatriumphans Polonia, deputatis palatinatuum, Cracouienſis, Sendomirienſis, Kiiouienſis, Ruſſiae, Volhyniae, Lublinenſis, et Belſenſis, huiuſmodi per deputatos ſuos dedit declarationem:

Sueciae Rex declarationem ſuam palatinatuum deputatis tranſmittit.

Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae declaratio, data Deputatis Palatinatuum Cracouienſis, Sendomirienſis, Kiiouienſis, Ruſſiae, Volhyniae, Lublinenſis et Belzenſis, ſuper iis, quae eorum nomine Sacrae Regiae Maieſtati a dictis Deputatis propoſita ſunt.

Quandoquidem ante memorati palatinatus, imperio ac protectioni Sacrae Regiae Maieſtatis ſe ſubdiderunt; idcirco vt et eiſdem conſtet, hanc eorum venerationem et obſequium Sacrae Regiae Maieſtati gratum eſſe clementique affectu excipi, promittit, ſpondetque Sacra Regia Maieſtas dictis palatinatibus:

I. Libertatem conſcientiarum et exercitium religionis, ſartum, tectum, et inuiolatum fore.

II. S. Regia Maieſtas ſub imperium, protectionem, et tutelam ſuam recipit eoſdem palatinatus, cum omnibus ſuis officialibus et incolis, eorundemque bona mobilia et immobilia inibi ſita, quaecunque a Moſchis et Coſacis, nondum occupata ſunt, pro poſſe proteget et defendet: denique eorum, quibus bona ablata ſunt, condignam rationem habebit.

III. Promittit S. Regia Maieſtas, ſe militeſque ſuos, ab omni procerum et nobilium, ciuitatum, caſtrorum et ſubditorum in ſupradictis palatinatibus violenta inuaſione, depraedatione, ac direptione inhibituram, atque commercia cum finitimis, quantum ob iniurias temporum fieri poterit, tuta et ſecura praeſtituram.

IV. Bona nobilium haereditaria penes poſſeſſores ſuos manebunt, nec ſtatiuis militum contra morem, legemque patriae onerabuntur. Si vero neceſſitas vel ratio belli ſuaſerit, vt militibus per eadem bona ſit tranſeundum, tunc diſciplina inter eos exacte erit obſeruanda.

Haec tamen ea lege promittit Sacra Regia Maieſtas:

I. Vt ſaepius nominati palatinatus abdicent Regem IOANNEM CASIMIRVM, omnique cum eodem vel eius adhaerentibus, iiſque qui S. Regiae Maieſtati quomodocunque nocere ſtudent, commercio renuncient.

II. Vt omnes et ſinguli eorum palatinatuum incolae S. Regiae Maieſtati Sueciae, vt vero Regi ſuo, fidos et obſequentes ſe praeſtent in omnibus, et contra omnes.

III. Vt in poteſtate S. Regiae Maieſtatis ſit, loca ad ſecuritatem ſuam Poloniaeque facientia, vbicunque eidem Maieſtati viſum fuerit, muniendi, ac praeſidiis firmandi, vſque dum hoc belli incendium ſedatum fuerit.

IV. Vt

IV. Vt principales ſupranominatorum deputatorum, literis reuerſali- 1655
bus ſe quamprimum obſtringant, quod de eorum obſequio, fideque certa tutaque eſſe poſſit S. Regia Maieſtas.

V. Vt vrbes arceſque regiae, in iiſdem palatinatibus ſitae, S. Regiae Maieſtati tradantur, praefectique et praeſidia inibi exiſtentia, ſi mutare eadem noluerit S. Regia Maieſtas, ſacramento S. Regiae Maieſtati obligentur.

VI. Vt ſubſidia tam ratione peditatus, in ſingulis palatinatibus, quam ratione contributionis in vſum belli, proxime praeteritis comitiis decreta, continuentur, vſque dum hiſce malis, quae Poloniam exercent, finis impoſitus fuerit, eaque quae adhuc reſidua, nec ex decreto praeſtita ſunt, S. Regiae Maieſtati rite praeſtentur.

VII. Vt nobilitas palatinatuum, quae ſtipendia non meret, ad ſua recedat intra quatuordecim dierum ſpatium, ibidemque quiete degat, niſi bona et poſſeſſiones ſuas fiſco S. Regiae Maieſtatis ſecundum tenorem vniuerſalium ſubiici velit. Actum Cracouiae die XXI Octob. M. DC. LV.

Non diu reſtiterunt Polonorum vota poſtulatis Sueciae, qui, nimio vrgente Rege, illo ipſo ſub veſperam die, *reuerſales literas* Regi Sueciae praeſentarunt huiuſmodi tenoris:

Nos infraſcripti Palatinatuum deputati, omnibus et ſingulis, has viſuris lecturiſque notum teſtatumque facimus.

Quandoquidem Sereniſſimo et Potentiſſimo Principi ac Domino Domino CAROLO GVSTAVO, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Principi Finlandiae, Duci Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae, et Vandaliae, Principi Rugiae, Domino Ingriae et Viſmariae, nec non Comiti Palatino Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Duci, Domino Noſtro Clementiſſimo, pro innata ſibi benignitate, et optimo erga eoſdem Palatinatus affectu ſuo, viſum fuit, humillimis eorundem deſideriis, eo, qui in declaratione Regia, deſcriptus eſt, modo, annuendi, idcirco nomine ante memoratorum Palatinatuum ſincere ſancteque promittimus.

I. Eoſdem palatinatus Regem IOANNEM CASIMIRVM abdicaturos, cum eodem vel eius adhaerentibus, iiſque, qui S. Regiae Maieſtati quodammodo nocere ſtudent, commercio renunciaturos.

II. Recipimus omnes et ſingulos eorum palatinatuum, incolas ſacrae Regiae Maieſtatis Sueciae, vt vero Regi ſuo fidos et obſequentes ſe praeſtituros, in omnibus et contra omnes.

III. Dicti palatinatus literis reuerſalibus ſe quamprimum obſtringent, quod de eorum fide certa tutaque eſſe poſſit S. Regia Maieſtas.

IV. In poteſtate erit S. Regiae Maieſtatis, loca ad ſecuritatem ſuam Poloniaeque facientia, vbicunque S. Regiae Maieſtati viſum fuerit, muniendi, et praeſidiis firmandi, vſque dum hoc belli incendium ſedatum fuerit.

V. Vrbes, arceſque Regiae, in iis palatinatibus ſitae, S. Regiae Maieſtati tradentur, praefectique et praeſidia inibi exiſtentia, ſi mutare eadem noluerit, S. Regiae Maieſtati ſacramento obligentur.

VI. Subſidia tam ratione peditatus, in ſingulis palatinatibus, quam ratione contributionis, in vſum belli, proxime praeteritis comitiis decreta continuabuntur, donec hiſce malis finis impoſitus fuerit quae Poloniam exercent, eaque quae adhuc reſidua, nec ex decreto praeſtita ſunt, S. Regiae Maieſtati rite praeſtabuntur.

1655 VII. Nobilitas palatinatuum, quae ſtipendia non meret, intra quatuordecim dierum ſpatium ad ſua recedet, ibidemque quiete deget, ſub poena confiſcationis bonorum, ſi ſecus faxit. In quorum fidem maiorem praeſentes manibus noſtris ſcriptas, ſigillis firmauimus. Actum Cracouiae XXI. Octob. M. DC. LV.

STANISLAVS a Brzezie CHRZASTOWSKI, Subiudex Generalis Cracouienſis.
PACOSLAVS a Brzezie LANCKORONSKI, Ductor diſtrictus Proſzouienſis.
ANDREAS a Przeslawice PRZESLAWSKI. ADAMVS SKARBEK.
CHRISTOPHORVS a Samki WISZOWATY. ANDREAS BRONICZKI, ex palatinatu Cracouienſi.
MARTINVS a Dębica DEBICKI, Vexillifer Generalis palatinatus Sendomirienſis, Nuntius terreſtris nomine totius nobilitatis.
STEPHANVS a Czernichow NIEMIERZYCZ, Pincerna Kiiouienſis, Nuntius terreſtris palatinatus Sendomirienſis, nomine totius nobilitatis.
ANDREAS a Rokitnicza DERSNIAK, Capitaneus Radoſycienſis, Nuntius terreſtris Sendomirienſis, nomine totius nobilitatis.
PAVLVS SZVLISZEWSKI, Nuntius terreſtris Sendomirienſis.
STANISLAVS de Ozarow OZAROWSKI.
Ex palatinatu Ruſſiae, Nuntius ex terra Leopolienſi, NICOLAVS BIEGANOWSKI, Vexillifer eiuſdem terrae, Capitaneus Moſtouienſis.
STANISLAVS RZEWVSZKI. ALBERTVS CHROSNOWSKI.
ALEXANDER NIEZABITOWSKY.
STANISLAVS KOZLOWSKI, Pincerna Sandecenſis.
ANDREAS SOKOLMICZKI. NICOLAVS a Nieczuiow WAPOWSKI,
ADAMVS PSCZONKA.
IACOBVS TOMASZEWSKI ex palatinatu Belzenſi nomine nobilitatis, quem nec dum Moſchi et Coſaci debellarunt, ſubſcribo.
PETRVS THOMISLAWSKI.

Cracouiam ſolenniter ingredientem Sueciae Regem, pathetica oratione excipit, ADAMVS BROCHOWSKI, Caſtellanus Sochaceuienſis, Poloniae Regis legatus in haec genuina verba:

Scit vtique Regia Maieſtas Veſtra legationem hanc meam, non nunc primum, velut ſub manu natam, quae dicere Varſauiae debui, intra portas vrbis huius in medium affero. Quod vt ſerum et praepoſterum quibuſdam videatur, nondum tamen, meo quidem iudicio, terras iſtas tot fatis exercitas, adeo profligata deſtituit pietas, vt litigantibus inter ſe cognatis Principibus, et erecto ferro, caedes mutuas ferentibus, benigno Numine interuenire dedignetur. Arrexere fugitiuam ad nouas ſpes, praeclara vtrinque Regii ſanguinis indoles, et raro in priuatis quoque nota naturae humanitas, non in exitium, vti reor, generis, ſed quaeſtum gloriae tanto impetu nitentibus. Nec alienum ab imperatoria laude Sereniſſimus Rex meus exiſtimat, ſi nec dum decretoriis armis pugnans, claſſicum tantiſper ſiſtere iubeat, reductaque a capulo manu, iungat dextras, et ex caſtris per me oratorem ſuum, Regiam Maieſtatem Veſtram pacatus alloquatur. Fuerit aliquando temporum locorumque incuria, (nam et Deos, et fata, et quiduis potius, quam mores Veſtros, quotquot eſtis, o Reges, accuſare maluerim) quod tanto terrarum, pelagique ſpatio diſiunctos, pene ſaeculares controuerſiae tenuerint, neque opportune per legatos, expedita remedia tam luctuoſo, ac, vt ita dicam, inceſtuoſo bello modum finemque ſtatuerint. Nunc cum vtriuſque partis capita in proximo ſint, quid vetat, integra belli fama, poſitis tantiſper armis, morbi

morbi huius fibras ſcrutari, vt ſanitatem quaeramus, bellique tractatus ſerio innouari? 1655
Quid enim expectamus, vt ſolitudo et vaſtitas, belli finem faciat, et gladiatores toto orbe collecti, non ſine horrore, diſcrimineque, quod abſit, etiam victorum, ad tumulum expirantis patriae noſtrae decertent? Errat enim vehementer, quiſquis putat tam luculentam ſibi haereditatem quiete obuenturam! ſcilicet tot competitores aequis oculis alienam ſpectabunt felicitatem? et non magis quiuis finitimorum Principum ſcenam hanc ſuo commodo claudere volet? Reſpice, Sereniſſime Rex, duo ex aduerſo imperia, quo Turca, Germanique gloriantur, tertiumque Septemtrionis horridi, iam non minores ſpiritus noſtris cladibus gerens. Quid deinde maritimae potentiae hinc et inde aemuli? num ſinent Maieſtatis Veſtrae res iam ante formidatas tam immenſum creſcere, et non magis vſitato Chriſtianis gentibus more, aequilibrii ſtatera contineri omnia volent? Credat Maieſtas Veſtra quantum virtuti bellicae propior (patere haec fiducia moderationis Regiae dici) tantum periculo, inter conſpirantes aemulos eris, et ſi nos perimus, Tu periclitaris. Collidentur inter ſe factionis capita, et bella ex bellis ſerie infinita naſcentur. Vtor iterum beneficio Tuo, o Rex, et amplius dico: haec eſt victoria, quae fructum victoriae perdit. At illa quanto pulcriora, quanto certiora ſunt, partae iam gloriae acquieſcere, cogitare ſe hominem eſſe natum, et largiendo potius quam eripiendo hominibus beneficia Deum imitari? Duae legitimae quidem bellorum cauſae cenſentur, ſui defenſio, et tutela ſociorum. His adde, vt Politicis noſtris placet, gloriae et proferendi imperii rationes. Quantum ad Nos, certe neque offenſas concupiuimus, qui miſſis legationibus vltro amicitias petiuimus, neque alienarum rerum quidquam attrectauimus. Porro Maieſtati Veſtrae ſi proferre fines placet, ſi gloriam venari, quanta illa, ſi percuſſis cum amica gente foederibus, contra foedifragum Moſchum cauſam noſtram agendam ſuſceperis? neque ad laudem hanc minor fieret potentiae acceſſio, dum arma Septemtrionis iunctis cum Polono manibus, ſceptri Suedici legibus nullo negotio parere continenti terrarum filo docueris. Haec noſtra inuicto Neptuno, quam male, et quibus ex cauſis cohaereant, pro innata prudentia, Sereniſſime, cogitabis. Nec pro magno putaueris, ſi ita fato viſum, inſignem belli fama populum inuaſiſſe. Scient vtique ſecula, feſſis et ſauciis, et nihil minus quam Suecorum arma meditantibus, improuiſum et integrum ſuperueniſſe Te, Magnanime Princeps: Nonne Dominus exercituum Deus eſt? nonne Dei noſtri eſt, tam in paucis, quam in multis ſaluare? Et licet noua Politico-Statiſtarum commenta, ſaepius bella euentu aeſtiment, quoad cauſam tamen hanc, rarenter diuidi poſſunt. Annon etiam Mars communis eſt, vt cum vires noſtras probauimus, ſimul fortunae cogitemus? lubrica Dea eſt; non illi minus, quam optimae creditur. Rerum quoque humanarum ludibria toties docuerunt, inter ſolium et aliena genua momentum intereſſe. Vis fortunam Tuam propriamque facere, o Rex, moderatam effice. Nam et magna nauigia mergunt ſaepius, quam regunt. Praeterea quatenus omnes ſeruos facere non potes, elige, quos amicos habeas. Noſti fidam et candidam gentem, fraudium ignaram: non dedecores erimus, qui ſocii vocemur, ſecundis ornamentum, aduerſis praeſidium. Ego vero Maieſtati Veſtrae gloriam citra obtrectationem, acceſſiones fortunae ſine rixa apprecor, praecipue cum non deſint occaſiones aliae, in quibus ſe Regia armorum voluptas exerceat, et inſuper in hoc regno, niſi omnia tanquam ex victis concupiſcas. Quod ſatis ſit, ab amicis iure ſociali feres, idque comitiali auctoritate deſignati legati, qui iam Varſauiae Maieſtati Veſtrae praeſto ſunt. Vbi viſum erit telam hanc ordiri, certius expedierint, quos ego allectitius collega, totis campis Serenitatis Veſtrae veſtigia relegens ibidem praeſtolantes reliqui.

1655 Libeat modo breuem moram, dum ciuiliter ea disceptantur, ab armis largiri, vt christiano sanguini, cuius apud optimos Principes semper honesta est parsimonia, aliquid indulgeat. Verba literarum Serenitatis Vestrae, quibus locum, tempusque continuandis tractatibus, iudicio Domini Mei Clementissimi permittit, humanitati Regiae, Serenissimus Rex meus imputat, et vicissim optionem defert, vbi commodum visum, hoc praesertim rerum statu, sine vlla protestatione aut ex propinquo, vbi legati nostri literis Maiestatis Vestrae prouocato negotio attendunt. Hic ipse locus, Cracouia vrbs dominatrix, domicilium Regum Polonorum, nunc exercitibus Suedicis insessus, hic ipse locus, quo fragilitatis humanae partes vtrimque admoneantur, limes odiorum et pacificationis mutuae in disceptando terminus esto. Quod vt intrinseca beneuolentia agi fidem faciat, captiuos omnes, quot quidem ego abiens in castris reliqui, missos facit, et liberos pronuntiat Serenissimus Rex meus, natura cognatus, et Frater consortio dignitatis. Dixi.

Tali ratione in Sueciae Regem CAROLVM GVSTAVVM florentissimum Europae regnum, violenta nimis fortuna ad momentum transtulit. Quanquam ille quasi ambiguus imperandi, omnia tunc, tanquam vetere republica incipiebat: nec tractatus cum profugo Polono Rege aspernabatur, reddito per palatinum Lencicienſem eidem responso, se a tractatibus pacis nequaquam alienum esse. Adiecit et literas huiusmodi tenoris:

Nos Carolus Gustauus Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Esthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae et Vismariae; nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux.

Literae Sueciae Regis ad Regem Poloniae.

Serenissime Princeps, Frater Consanguinee et Vicine.

Tametsi prosperante Diuino Numine magnos victricibus armis Nostris progressus fecimus, non mutauimus tamen propensum ad pacem animum. Cumque in rem sit, locum continuandis tractatibus designari, iudicio Serenitatis Vestrae permittimus, anne constitutis, vt nunc sunt, rebus, et vbi arma nostra perpetim circumferre necessum habemus, fixus certusque locus statui possit: et anne rei expediat tam salutari, vt destinatus a Serenitate Vestra legatus Palatinus Lencicienſis, quamprimum de conditionibus pacis a parte Serenitatis Vestrae edoctus fuerit, nos sequatur, quo negotium tanto melius perfici possit. Quod nihil validius procurabit, quam si Serenitas Vestra considerato praesenti rerum statu, et quo loco res nostrae sint, quodque incrementum Diuino beneficio capere adhuc possunt, eas rationes iniuerit, quibus nobis plene et ex voto satisfieri possit, dictique tractatus quamprimum accelerari, constituique. Quae omnia Generosus Adamus Brochowski Castellanus Sochacouienſis Serenitati Vestrae vberius referre sciet. Nos vicem Serenitatis Vestrae optimo affectu dolentes, atque prosperiorem eidem successum precantes, Serenitatem Vestram bene valere cupimus. Datum Casimiriae ad Cracouiam die XXIX Septemb. M. DC. LV.

CAROLVS GVSTAVVS.

Haec in speciem scripsisse ad circumueniendum Polonum Regem, quis ignorat? Tractare cum exule de regno, terrore sui acquisito, etiam occupato, nemo certe politicorum credidit, quanquam famae hoc etiam dederat, vt vocatus, electusque potius a republica videretur, quam per ambitum irrepsisse. Occupata igitur Cracouia, regni sede, ruere in seruitium Sueciae Regis, Poloni patres, eques, excepto clero; quanquam ante captam

ptam adhuc Cracouiam, primi ex militibus praetoriae cohortis duce Koniecpolscio, in verba iurauere Sueciae Regis. Mox capta Cracouia, secutus senatus, miles, et populus. Auxit metum Chmielnicii Moschorumque societas. Eodem enim tempore caesus ad Sloni Grodek summus belli imperator POTOCIVS, capti Polonorum praecipui duo Potocii nepotes, Balaban, Golinski, Machowski, et alii plerique ordinum ductores. Incidit haec Polonorum clades in Septembris diem XXVIII. quarto a Leopoli lapide. 1655 Miles Polonus sacramentum dicit Regi Sueciae.

Tunc CHMIELNICIVS pro natura ferox, et habendi Leopoli cupidus, triginta millibus suorum, quadraginta Moschorum Leopolim obsederat; addita frequentior oppugnatio per duos continuos menses, donec autumni iam adulti pelleretur asperiori coelo. Vrbem defendebat fortissimus GRODZICKI Cudacensis ante annos octo propugnaculi gubernator, quem Chmielnicius palam per obsides ad se euocatum, sollicite sciscitari coepit, de Sueciae Regis armorum successu, de Ioannis Casimiri casu et fuga. Descendit deinde ad causas Suedici belli, ad proprias illatas iniurias, ad Moschorum contemtum. Haec rite memorantem Chmielnicium interpellat GRODZICKI, coepitque illi recitare de Sueciae Regis fallaciis, regnandique tyrannide, de IOANNIS CASIMIRI procliuo in Cosacos, potissimum Chmielnicium animo, de eiusdem viribus, quas propediem restaurare debebat Romanus Caesar, vna et Tartarus Rex. Nec de Polonis dubitare, breui illos ad saniorem redituros mentem, vbi graue Suecorum senserint iugum. Se quod attinet, sciret Chmielnicius potius millies mori velle, quam fidem dictam Principi, exuere. Tum CHMIELNICIVS: *Quandoquidem*, inquit, *talia mihi memoras de Sueciae Rege, scire te volo, me quoque fidelem Casimiri Regis ministrum esse, cuius rei symbolum praeproperum discessum meum ab vrbe habe, Regique significa. De Moschis, vt velis, statue, ego illos hic desero, priorque vlteriorem repeto Russiam.* Egit gratias GRODECIVS relictae vrbis Chmielnicio, illoque die sub vesperam iterum Leopolim rediit. Cosaci Leopolim obsident d. 30. Sept. Chmielnicii cum Grodecio colloquium. Grodecii responsa. Chmielnicii resolutio et conclusio.

Sequenti luce, hora circiter decima diei, promissi memor Chmielnicius, prior discessit ab vrbe, commeatus penuriam, autumnique acerbitatem causans Moschis. Nec Boturlinus Moschorum exercitus imperator diu substitit, altero enim post Chmielnicium die, et ille cum suo numeroso mouit exercitu. Vix vrbem reliquerat Chmielnicius, securuſque vlteriorem, vt dixi, repetebat Russiam, cum ecce insperate ad Iezieruam in Tartarorum incidit Regem, ab eoque circumuentus, tandem post continuata duorum dierum colloquia, veterem renouarunt ab vtrinque amicitiam conscriptis in hunc modum articulis. Soluitur obsidio Leopolensis. Chmielnicius in reditu incidit in Tartaros, ac cum illis paciscitur.

I. Ab hac die sit perpetua pax inter MACHMET GEREVM Tartarorum Regem, eiusque successores, gentemque Tartarorum parte ab vna, et BOGDANVM CHMIELNICIVM, Zaporouiensis exercitus ducem, eiusque successores, exercitumque Zaporouianum parte ab altera. Pacis conditiones Tartarum et Cosacum inter.

II. Vigore huius perpetuae pacis, Chmielnicius Regem Poloniae, IOANNEM CASIMIRVM, eiusque Successores legitimos Reges Poloniae, pro veris, naturalibus et legitimis Dominis agnoscet cum toto Cosacorum exercitu, moderno insuper Regi Poloniae, nouum super hoc dicet fidelitatis sacramentum.

III. Foederi Moschorum renuntiabit, nullasque in posterum coniunctiones cum exteris, inscio Rege et Republica Polona faciet.

IV. Libertatibus antiquis gaudebit Russia, habitura in posterum Cosacorum numerum sex millia.

V. Arma iunget Chmielnicius cum Tartaris aduersus Sueciae Regem, quandocunque iusserit Polonus Rex.

VI. Moschorum praecipuos quos ad praesens habet, Tartarorum Regi reddet Chmielnicius.

LIBRI VI. CAPVT IV

SYNOPSIS

Moſchi Lublinum oppugnant. Lublini deſcriptio. Lublinum diripitur. Pars crucis Dominicae in Moſchouiam auehitur. Chmielnicius contemnit Regis Poloni poſtulata. Eiuſdem reſponſum et conſilium datum Sueciae Regi. Mutatur Chmielnicii animus, ac cum Polono Rege ſentire videtur. Occaſione Chmielnicii Poloni generales Sueciae Regi valedicunt. Regis Poloni regno excedentis verba. Literae Caeſaris Ferdinandi III. ad Sueciae Regem, ad Regem item Poloniae. Rex Poloniae Oppolium conuocat ſenatores. Senatorum Poloniae in caeſarem Auguſtiſſimum vota. Palatinus Lenciciae legatus deſtinatur Viennam. Eius legationis ſeries. Caeſar Regem Poloniae admonet reditus in Poloniam. Procerum Poloniae literae et vota Regem Caſimirum reuocantium. Alexander VII pontifex Caſimiro ſubſidium mittit.

1655 Ita tunc pro abſente Polono Rege pugnabat Tartarus, quod miraculo ſimile omnibus viſum, Tartarum Regem expugnaſſe tunc Coſacos, quos inuictos hucuſque fama vulgauerat, Polonique toto octennio experti ſunt. Hinc prima Suecorum labes, hinc Polonorum fortuna melior, vt infra memorabimus. Paulo enim ante, dum Leopolim circumdaret Chmielnicius, ſubmiſerat Zlotorenko vna cum Daniele Wychowski, haud cum exigua Coſacorum manu Sueciae Regi. Aderat Coſacorum ſocius, Petrus Iwanowicz Moſchorum Generalis cum triginta millibus Moſchorum lecti exercitus, iamque Poloniae pene extrema tenebant, ad oppugnationem properantes Cracouiae, cum, mandato Sueci Regis, a Caſimiria reuocati inferiori, receptui cecinerunt. Primum nihilominus Sueciae Regi fidelitatis ſymbolum ad Lublinum ſtatuens Chmielnicius praedam egit de nobili ciuitate.

Moſchi Lublinum oppugnant.

Lublini deſcriptio.

Eſt autem Lublinum Cracouiae viribus inferior, virtutis nomine et honore par omnibus, ſummumque palatinatus Lublinenſis decus, Vladislai ducis opus, quondam Tartarorum nobilis remora, nunc Coſacorum ſuperbum ſpolium, regni tribunalis alterna ſedes, ſacrorumque virorum refugium, ſanctarumque virginum domicilium, vrbs maxima et commoditatibus opportuna, ſi induſtria adeſſet, qua fere extreme laborat Polona plebs, procerumque ceſſaret inſolentia, quae omnia in praeceps agit. Hoc tunc Lublinenſes fuere, nunc fuiſſe vix conſtat, ſpolia certe maxima, ad magnum ducem Moſchouiae reportata, cum minori parte Crucis Dominicae, quae hucuſque intacta magna veneratione apud patres Diui Dominici aſſeruabatur, futurorum malorum omen infallibile, quod ſaepius, ſed maxime anno octauo ſupra quadrageſimum huius aetatis patuit, dum ſanguine maderet ſatis iuſto tempore, variaſque referret figuras, viſu dictuque horrendas [75]). Eademque viſa eſt praedae magnitudo, vt duo ferociſſimi hoſtium contenti fuerint, quos nec Indi, nec Arabes, ſatiarent auro ſuo. Adactus magiſtratus magno duci Moſchouiae iuramentum dixit, ad extremum, Caſaco ad direptionem vrbis vocato, Moſchus, Craſnoſtauiam verſus, ea, qua venerat rediit via, vna cum Coſaco. Ita infelicem Octobrem expertum eſt Lublinum. Quanquam nec Polonus ſibi tunc ea tempeſtate defuit Rex, vocato in auxilium contra Sueciae Regem Chmielnicio. Obtulit eidem Ruſſiae partem, quam ante flagitauerat, ſpolia praeterea de gente ſuperba. Sed nihil tunc valuerunt apud armatum, inermes Poloni Regis preces, certus quoque de Sueciae Regis ſocietate, Poloni Regis damnabat conſilia, fortaſſis et ignauiam.

Lublinum diripitur.

Pars Crucis dominicae in Moſchouiam auehitur.

Chmielnicius contemnit Regis Poloniae poſtulata.

Nihil tunc Coſacorum animis feruidius, nihil armis potentius erat, quae Chmielnicius vltro Sueciae Regi ad domandos rebelles offerrebat Polonos. Certe mihi altius Chmiel-

75) Ad me non pertinere arbitror, eiuſmodi miracula vel refutare vel confirmare. Eruditi philoſophi, me non innuente, ſciunt de huiuſmodi portentis quid tenendum.

Chmielnicii ſcrutanti conſilia, potiſſimum illud videtur fuiſſe: Chmielnicium ſemel in perpetuum victam voluiſſe Poloniam, Polonoſque: hinc arma contra Polonos Sueciae Regi obligata, cuidam Poloni Regis reſpondiſſe fertur legato. Diffidebat ſiquidem Polono Regi, quem in felicitate tumidum, in miſeriis ſupplicem toties expertus erat, verebaturque ne victor Coſacorum armis, conceſſa Polonis praeteritorum venia, poſtea eorundem precibus adactus Ruſſiam inuaderet, diriperetque egenus miles Polonus. Vnde Poloni Regis praeoccupatus conſiliis, offerebat tunc Sueciae Regi nouae potentiae hoſpiti auxilia, qua draginta millium lecti exercitus; vteretur Martius Sueciae populus contra Polonos manibus atque armis ſuis. Ita maiori, quam vnquam, bello implicare volebat Polonos, quorum ruina creſceret ille, vna et Ruſſia, cui famulari volebat Poloniam. Vnde autem inopinata illa in animo Chmielnicii tunc mutatio, ego non inuenio. Sunt qui aſſerunt, precibus hoc donaſſe vxoris ſuae, cui paulo ante magni pretii gemmam Oppolio tranſmiſerat Regina. Alii grauem et intolerabilem Moſchorum potentiam, hoc facto Chmielnicium infregiſſe ſuſpicati ſunt. Nec defuerunt, qui crederent, vltro euocatum tunc a Chmielnicio Tartarum Regem ſedibuſque excitum ad fallendos Moſchos. Quicquid ſit magnum tunc reuera beneficium a gentili Rege expertus eſt CASIMIRVS. Audito enim Potocius, Lanckoronius aliique duces, Coſacorum cum Tartaris arctiori vnitatis vinculo, illico Sueciae Regi valedixerunt. Opinione maiorem Tartarorum Coſacorumque cauſati per literas Duglaſſio potentiam, quod infra memorabimus. 1655

Eiuſdem conſilium datum Sueciae Reg.

Mutatur Chmielnicii animus ac cum Polono Rege ſentire videtur.

Occaſione Chmielnicii Poloni Generales Sueciae valedicunt.

Haec in Polonia geſta ſunt maiori celeritate, quam ſcribimus. Polono Rege interim Oppolii reſidente. Cui tunc primum exuli et profugo, indolere vehementius coepit Europa, nec quiſquam adeo rerum humanarum immemor fuit, quem non commoueret illa facies, Polonum Principem, et Sueciae ante haereditarium Dominum, relicta fortunae ſuae ſede, per ſubditos exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audiuerant. Repentina vis Angliae Regem CAROLVM oppreſſerat, occultae alias ſaepius inſidiae. Pauca quoque et praeſenti moeſtitiae congruentia Marſchalco LVBOMIRSCIO locutus: *Cedere ſe pacis et Reipublicae cauſa, retinerent tamen memoriam ſui.* 1649

Regis Poloni Regno excedentis verba.

Interea Auguſtiſſimus FERDINANDVS III. Romanorum Imperator ſuam Caeſaream interponit auctoritatem, quam in Reges de iure habet, ſcribitque in haec genuina concepta verba Sueciae Regi:

Ferdinandus Tertius, Diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Rex, Archi Dux Auſtriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Wittembergae, Comes Tyrolis.

Ferdinandi III. literae ad Regem Sueciae.

Literas Serenitatis Veſtrae 12 menſis proxime praeteriti, Caſimiriae ad Cracouiam datas, accepimus, et ex iiſdem praeter ea, quae de ſuis in dicto Regno ſucceſſibus Nobis benеuole communicat, perquam libenter intelleximus, nihil ipſi in illa vicinia prius antiquiuſque fore, quam vt et amicitiam noſtram, omni meliori ratione tueri et iis rebus ſtudere poſſit, quae vicinitatis leges inter amicos ſibi vendicare videntur, prout etiam confidat nos ſemper paria relaturos, affectumque noſtrum erga Serenitatem Veſtram integrum illibatumque ipſi conſeruaturos eſſe. Et admonuit ſane nos tam amica conteſtatione Serenitas Veſtra, non modo eorum quae Serenitas Veſtra partim per literas, partim per Miniſtros ſuos iam ante in hac materia ad Nos perſcripſit, et perferri voluit, verum etiam reſponſi ad eam a Nobis 24 Auguſti proxime elapſi dati, quo eam cum de mutuo ſincerae beneuolentiae affectu aſſecurabamus, tum id quoque in proximis ſignificabamus, nihil nos magis optare, neque Reipublicae Chriſtianae quidquam magis expediens ac neceſſarium iudicare, quam vt exortae inter ipſam, et Sereniſſimum Regem ac Regnum Poloniae differentiae, quantocyus amicabili compoſitione ſopirentur, quae quidem literae, quin recte ad eandem Serenitatem Veſtram peruenerint neutiquam dubitamus.

1655 Iam quod ab illo tempore eadem illa pacis reſtaurandae cura, apud nos minime diminuta, ſed aucta potius intenſaque fuerit, vtpote qui concurſum et ſtrepitum, tot tamque variorum armorum in vicinia, nonniſi grauiter ſentire poſſimus, exiſtimamus Serenitatem Veſtram pro ſua prudentia facile iudicare poſſe. Fuit quidem ea ſpes noſtra, vt tractatus amicabiles communi conſenſu Stockolmiam ac poſtea Stetinum indicti ad effectum perducerentur; perque eos periculum S. R. imperio et finitimis eiuſdem prouinciis, ex illo tot tamque variarum gentium in Regno Poloniae inter ſe digladiantium concurſu imminens auerteretur. Et dolemus ſane, quod vel primus ille exardeſcentis belli impetus, vel aliae forte cauſae tranſactioni illi locum tunc non dederint, et habuit interim Serenitas Veſtra eos in illo Regno ſucceſſus, de quibus per nouiſſimas ſuas amice Nobis ſignificare voluit. At enim cum per eos, vt belli facies alterata ſit, cauſas tamen eius mutatas, aut animum Serenitatis Veſtrae a pacis conſiliis auerſum eſſe cenſendum non ſit, cum id Serenitatis Veſtrae conteſtatum ſemper amicae compoſitionis ſtudium non ferat, nobiſque perſuadere permittat. Quippe quam (vt de aliis taceamus) non lateat, quanti totius Chriſtiani Orbis interſit, Regnum Poloniae, quod propugnaculi loco contra quoſuis hoſtiles inſultus ſtetit, poſt tot aliunde perpeſſa bellorum incommoda, non eneruari penitus et ad extremae debilitatis terminos reduci; omnino confidimus, eandem noſtram reducendae pacis ſollicitudinem a Serenitate Veſtra non aliter quam in optimam partem acceptam iri.

Et quandoquidem non dubitamus, quin Sereniſſimus Rex et Regnum Poloniae ad eandem compoſitionem non minus propendeant, pro eo ſane munere, quod Nobis in Republica Chriſtiana, inter Reges et Principes eiuſdem, ſuprema Diuinitas ſummum impoſuit, aliter non potuimus, quam vt tot tamque praegnantium rationum ad id nos impellentium momentis manus daremus, adeoque operam interpoſitionis noſtrae ad reconciliandos animos inter ſe diſſidentes vtrique parti amice offerremus. Cumque eam in aequanimitate Serenitatis Veſtrae repoſitam habeamus fiduciam, fore vt nec ipſa huic pacificae, et cum ad vniuerſae Reipublicae Chriſtianae, tum non minus Serenitatis Veſtrae, quam cuiuſuis alterius partis bonum collimanti intentioni noſtrae ſit aduerſatura, ſed potius gratam acceptamque eandem habitura, quin etiam moderatae pacis gloriam, cuiuis alii non ſine multorum innoxiorum ſanguine parto vel pariendo triumpho praelatura, ac vel maxime cum non dubitemus, quin et Diuina bonitas huic conſilio noſtro benigne adſpiratura, idque conceſſura ſit, vt bello ſanguinolento omniaque vaſtanti ad omnium per aequam ſatisfactionem ac ſecuritatem finis imponatur.

Idcirco Serenitati Veſtrae cum per literas haſce noſtras, tum per earundem exhibitorem expreſſum ablegatum noſtrum Comitem a POETTINGEN de hoc conſilio noſtro ſignificare voluimus, prout non minus, per alium expreſſum ablegatum noſtrum, praedicto Sereniſſimo Regi Regnoque Poloniae ſignificandum curamus, expectaturi ſuper hoc a Serenitate Veſtra non modo deſideratam, de qua non dubitamus, declarationem, verum etiam expreſſionem quo loco et tempore id negotii, pro commoditate tam ſua et Sereniſſimi Regis Regnique Poloniae quam noſtra ſuſcipi, quam opportuniſſime eſſe exiſtimet, quo et nos, et Sereniſſimus Rex Poloniae, quae ad id inchoandum promouendumque pertinent, mature diſponere et apparare poſſimus. Caeterum ſicuti Nobis ea quam Serenitas Veſtra nobis tam per literas, quam conſiliarium etiam ſuum, hic ad aulam noſtram reſidentem de ſincero ſuo in nos amicitiae et beneuolentiae ſtudio prae-

praeſtare voluit, conteſtatio admodum grata accidit: ita eandem de pari noſtro 1655
in ſe affectu ſecuram eſſe volumus. Quoad reliqua a dicto Reſidente Serenitatis Veſtrae ſcripto propoſita ad reſponſum noſtrum ſuper his eidem datum nos referentes: Serenitatem Veſtram Diuinae tutelae ex animo commendamus. Viennae 16 Nouemb. 1655.

Addidit et ad IOANNEM CASIMIRVM Codicillos huiuſmodi tenoris.

Ferdinandus III. Diuina fauente Clementia Electus Romanorum Impe- Eiuſdem Caeſaris ad Regem Poloniae.
rator ſemper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Rex, Archi Dux Auſtriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Witembergae, Comes Tyrolis.

Reddidit Nobis literas Serenitatis Veſtrae prima huius ex ſuperiori Glogouia datas, eiuſdem Reſidens Baro IOANNES BAPTISTA VISCONTI, ſimulque tum viua voce tum ſcripto fuſius retulit, quibus cauſis coacta Serenitas Veſtra tandem in Ditiones Noſtras ſe recipere debuerit; explicando etiam prout alias ſaepe in quas difficultates ac anguſtias ipſa reſque ſuae, ac inclyti Regni Poloniae, ex bello a Sereniſſimo Rege Sueciae, ſibi illato ſint redactae.

Quemadmodum igitur vices, ſtatumque afflictum Serenitatis Veſtrae, et florentiſſimi nuper Regni, pro eo, quo cum erga omnes, tum vel maxime erga eum, qui Nobis ob Regii faſtigii dignitatem frater, et ob ſanguinis coniunctionem Conſobrinus, et affinis ſit, tum etiam erga Regnum vicinum et amicum propendemus affectu, non poſſumus non condolenter conſiderare. Ita pergratum Nobis fuit intellectu, quod Serenitas Veſtra vti nunquam, ſic ne nunc quidem, ab amicabili aequaque compoſitione abhorreat. Non omiſimus quidem Nos ſupradictum Sereniſſimum Regem Sueciae, etiam poſt bellum motum, cum de eius cauſis ad Nos fuſius perſcripſiſſet, ad pacem hortari. Ac tametſi deinde ea ſubito rerum in Regno Poloniae ſucceſſerit mutatio, vt facile coniicere liceat, animum inde Regis, non ad aſſumendum Tractatus compoſitionis, ſed bellum proſequendum propenſiorem eſſe factum. Non idcirco tamen Nos curam pacis noſtram remittendam, ſed pro eo, quod Deus Optimus Maximus ſummum Nobis inter Reges et Principes Chriſtianos impoſuit munere intendendum, potius et augendum, adeoque ſaepe memorato Sereniſſimo Regi Sueciae, (quod certis de cauſis hactenus diſtuleramus) officium interpoſitionis Noſtrae, ad compoſitionem aequam inter ipſum et Serenitatem Veſtram conciliandam vltro offerendum duximus: prout tam per litteras, quam expreſſum etiam ablegatum Noſtrum (tit.) Franciſcum Euſebium Comitem a Pöttingen offerrimus. Et cum pro illa, quam cum in aequanimitate et moderatione Serenitatis Suae, tum conteſtato quoque ſaepius pacis ſtudio repoſitam habemus fiducia, omnino ſperemus, eam huic conſilio, optimaeque intentioni Noſtrae minime repugnaturam eſſe. Quippe qui nihil aliud quaerimus, quam vt extincta feralis, omniaque deuorantis belli flamma, aequaque, et tam vni quam alteri parti non poenitenda conſtituta pace vlterior Chriſtiani Sanguinis effuſio ſiſtatur, maioraque pericula, (niſi aqua affundatur) non in Regna modo Prouinciaſque Noſtras haereditarias, aliaſque finitimas ditiones, ſed in vniuerſum Orbem Chriſtianum eruptura videntur; adeoque ſpem firmam foueamus, Supremam Diuinitatem in cuius nomine totum hoc negotium ſuſcipimus, id ita felicitaturam eſſe, ne optato careat exitu. Tum etiam Nobis non poſſit, nec debeat eſſe dubium, quin Serenitas Veſtra cum inclyto Regno

1655 Poloniae pro eo, quod ſemper prae ſe tulit ſtudio, hanc eandem pacis curam Noſtram ſit approbatura; officiumque praelibatae oblationis Noſtrae grato animo acceptatura. Beneuole eidem cum per haſce Noſtras, tum per expreſſum etiam Ablegatum (tit.) Comitem a KVFFSTEIN de eo ſignificare voluimus. Expectamus ſimul per eundem reſponſum optatum Serenitatis Veſtrae, quo et Nos, quae ad id negotium inchoandum promouendumque pertinent, mature diſponere et apparare poſſimus. Qui de caetero Serenitati Veſtrae affectum beneuolentiae Noſtrae Caeſareae amice conſeruantes, eandem Diuinae tutelae ex animo commendamus. Viennae Auſtriae 16 Nouemb. 1655.

Miſit et ad Pruſſiae ducem, Electorem Brandeburgicum, eadem de cauſa Oratorem, Comitem de STERENBERG, ſed omnia vano et irrito conatu. Quis enim victori Sueciae Regi tunc diceret legem? longius ille iam progreſſus erat, quam vt regredi poſſet. Caeterum conſilii inops Polonus Rex, Glogouia Oppolium Senatores metu disiectos conuocat, ad diem 25 Nouembris. Praeuenerat rumor, eiurari ab eo imperium, ſcripſerantque varii amicis, viciniſque ſuis. Aderant primores Senatores, Archiepiſcopi duo, cum quinque Epiſcopis, et plerique Patres, omnis quoque Aula Regis.

Rex Poloniae Oppolium conuocat Senatores.

Senatorum Poloniae in Caeſarem Auguſtum vota.

Conſilium ibi ab omnibus datum eſt, offerre vicino Caeſari Regnum non iam electiuum, ſed haereditarium, quo magis Auſtriacorum contra Suecos concitarent arma. Caeterum ſi Regnum acceptare nollet Caeſar, mutuaret ſaltem militem, pignoris loco dari illi ex nunc Syradienſem et Cracouienſem Palatinatus, cum adiuncta Samborienſi praefectura ac Zywiecenſi comitatu. Turiſſimum e praeſentibus malis videbatur conſilium, transferre Regnum in Principem Catholicum, et fuiſſet ſane, ſi acceptaſſet Caeſar. Hac igitur inſtructum legatione Lencicienſem tunc Palatinum, IOANNEM Comitem DE LESZNO, Viennam dimittunt nullo ſucceſſu. Palatinus ſiquidem Viennam tunc veniens, Patris GEORGII SCHENOFFII Societatis Ieſu Presbyteri altiori, vt videbatur, vſus conſilio, legati exuit perſonam, priuatumque ſe fingit, qui publico admotus muneri fuit. Ratio huius ſophiſmatis prima debetur ipſi Palatino, qui aureae, vt aſſerebat, libertatis Polonae faſces, nondum Auſtriaco voluit ſubmittere imperio, ſcilicet fallaci ſpe circumuentus, adfutura breui aliunde auxilia, quae Polonam iterum reſtaurarent libertatem. Accendebat Palatinum Schenhoffius, tanti arcani conſcius, ne ſceptrum vltro deferret Polonum; cunctatione potius tereret tempus, exquireret interim, quid valeret Caeſar viribus, potentia, et neruo belli pecunia: hoc ipſum referret iterum Polono Regi, auguſtoque Senatui. Addebat, melius conſultum iri, ſi Auſtria peteret Polonum diadema; tali enim caſu poſſe optime mercari cum Caeſare Regnum; infenſus deinde Auguſtae domui palam damnare coepit coram Palatino, Auſtriacorum conſilia, vt nimis tarda, vt Polonis ſemper ſuſpecta, vt ambigua, et ad abſolutum vrgentia principatum. Schenoffii orationem confirmauit Hieronymus Pinocci mercator Italus, et tunc eius legationis Secretarius, concludebatque homo alias rudis, nihil hac ſuper re, cum Principe ab Auerſperch, Caeſaris tunc primo miniſtro tractare, potius per Hiſpanum oratorem CASTEL RODRIGO, tunc in aula Imperatoris degentem, ſecreta via Caeſarem moleſtare, mitteret vt ſubſidia cognato Regi; ad extremum ſpem tantum Regnatricis fortunae a longe oſtendere, rem Hiſpano gratiſſimam. Ita factum arcanum legationis velatur, ipſeque Palatinus, vt priuatus accedit miniſtros Caeſaris, ſubſidia orans, Pinoccio interim Itala fallacia Hiſpanum circumueniente oratorem. Sed fruſtra Hiſpanum politicum mercator Italus fallebat. Vbi enim conſtitit aulae miniſtris, nihil aliud Palatinum quam ſubſidia orare nomine Regis, re tanti momenti in quaeſtionem vocata, differebant in dies Palatinum, ad extremum redditum reſponſum: *Fauere Caeſarem cognati Regis iuſtiſſimae cauſae, nec defutura ſubſidia, vbi ab impoſito Sueci Regis Polona nobilitas reſiluerit iugo. Caeterum abſque euidenti periculo, non poſſe perditis Poloniae rebus ſuccurrere, inuitis ipſiſmet Polonis.* Eoque accepto reſponſo infectis rebus rediit Palatinus in aulam Poloni Regis, furenti ſimilis, ſtatimque ſparſa volitabat per Europam fama. Nolle acceptare Caeſarem Polonum imperium, vltro a Palatino delatum. Auctor huius famae in abdito latuit, iucundiſſimaque ſcena fruebatur in angulo, dum interim auguſtum Caeſarem male traductum amicis hoſtibuſque iuxta inuiſum traduceret, male cautus Pater.

Eius propoſitiones.

Ac deinde ad eundem Legatio.

Palatinus quid Viennae egerit?

Caeſaris reſponſum.

Interim

Interim conſultanti per eos dies Regi literae Oppolium afferuntur a Senatoribus Polonis, ſcilicet Zaſlauienſi Duce, LVBOMIERSCIO, WIELOPOLSCIO, ZAMOSCIO aliiſque Lubomliae congregatis proceribus, quibus praeproperum Regis ſui, ad Regnum ambiebant aduentum. Idem per oratorem ſuum Comitem Kuffſtein admonebat Caeſar. Idem ſtimulabat per legatum pontifex: eadem Regina ſentiebat, totuſque Senatus. Vrgebant etiam Gallorum mathematici, dum nouas victorias, et clarum ſubſequentem Caſimiro annum, obſeruatione ſyderum affirmabant [76]). Aſſenſit tandem Rex, communi omnium voto, auctus per ea tempora centum florenorum millibus viatico Roma, a nouo creato Pontifice ALEXANDRO VII, in hunc effectum liberalius ſubmiſſo. Neque mora per Carpatium montium iuga dat ſe viae, ſaeuientis Decembris die XXII. quod infra ſuo loco memorabimus.

1655 Poloniae Procerum literae et vota Regem Caſimirum reuocantium.

Caeſar Regem Poloniae admonet reditus in Poloniam.

Pontifex Alexander VII. Caſimiro ſubſidium mittit.

LIBRI VI. CAPVT V

SYNOPSIS

De la Garde circa Lituaniam ſollicitudo. Dux Radiuilus apud Suecos ſuſpectus. Inſtrumentum Lituanae deditionis. Conſeuii reuerſales literae. Sueciae Rex Sendomiriam pergit. Pruſſiam ingreditur et occupat. Thorunium et Elbinga deduntur. Puncta Elbingenſium cum Sueciae Rege. Elbingenſium conditiones. Suecorum Elbingam ingreſſus. Rudauii propoſitio. Elbingenſium reſponſum. Zytkiewicz auctor dediti Thorunii. Dolus Zytkieuicii, inſtigatoris vel fiſcalis regni. Regis Sueciae in Pruſſia felicitas. Eius literae ad Electorem Brandenburgicum. Vires eius, ac deinde ſenſus. Tractat cum Sueciae cancellario Electo. Electoris cum Sueciae Rege colluſio. Comitis Waldek minae. Reſponſum Caeſaris legato. Conditiones inter Sueciae Regem et Brandenburgicum.

De la Garde circa Lituaniam ſollicitudo.

Dum haec in Polonia Sileſiaque geruntur, interim ad Liuoniae plagam Magnus de la Gardie, eius Prouinciae gubernator, totiuſque Lituaniae adminiſtrator, expeditionem bellicam omni conatu promouebat, Liuones conſcribens, officia diſtribuens, nec minor illi difficultas, in extruendo ponte, iungendaque vtraque fluminis Niemenii ripa. Radiuilum quoque quindecim millium promittentem exercitum, ad ſocia inuitabat arma. Caeterum non comparente Radiuiliano exercitu, ipſe Radiuilus magnus in promiſſis, fallax in facto, a Magno de la Gardie, paulo poſt et pro ſuſpecto audiit. Et certe niſi literas reuerſales de fide ſubiectioneque Regibus et regno Sueciae aeternum praeſtanda, a proceribus et ordinibus Magni Ducatus Lituaniae tunc extorſiſſet auctoritate ſua RADIVILVS, firmaſſetque ſubſcriptione, actum fuiſſet de illo.

Dux Radiuilius apud Suecos ſuſpectus.

Inſtrumentum Lituanicae Deditionis.

Inſtrumentum Lituanae deditionis.

Nos Magni Ducatus Lituaniae Proceres et Ordines infraſcripti notum teſtatumque facimus. Quandoquidem in hac ſumma ſtatus noſtri, per potentiam hoſtilem oppreſſione, et armis ac protectione Sereniſſimi Poloniae Regis infelici auulſione, fatalis quaedam et prorſus ineuitabilis neceſſitas nos vrget, nec alius conſeruandi ſtatus noſtri modus, ſupereſt: quam vt alterutro bello nos prementium praeſenti adhaerere, et res ac fortunam noſtram committere cogamur. Sacrae autem Regiae Maieſtatis Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini CAROLI GVSTAVI, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis, Magni Ducis Finlandiae, Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini Pomeraniae, Caſſubiae, Vandaliae Ducis, Principis Rugiae, Ingriae et Viſmariae Domini; nec non Comitis Palatini Rheni, Bauariae, Iuliae, Cliuiae,

76) Ego etiam ex ſideribus obſeruaui, cum per aliquot annos aſtronomiae practicae incumberem iuuenis, omnes illos, qui ex aſtris futura in rebus politicis praedicere velint, ſtultos eſſe.

1655 et montium Ducis nomine Eiuſdem Sacrae Regiae Maieſtatis, Regnorumque Sueciae, Senator ac Theſaurarius Generalis Ducatus Liuoniae, Ciuitatiſque Rigenſis Gubernator, Generalis exercituum, ſtatuſque bellici per Liuoniam, Eſthoniam, atque Rugiam Vicarius, Regiae academiae Vpſalienſis Cancellarius, nec non Gothiae et Daliae Legifer, Illuſtriſſimus et Excellentiſſimus Dominus MAGNVS GABRIEL DE LA GARDIE, Comes in Leckoe et Arensberg, Liber Baro in Wilcholm, Dynaſta in Abſap, Magnus Hof et Hogendorff gratiam et beneuolentiam ſupra nominatae S. Regiae Maieſtatis Sueciae, nobis denunciaret, inuitaretque, vt Nos ſucceſſoreſque noſtros protectioni S. Regiae Maieſtatis mature ſubiiciamus, conditioneſque certas ab vtraque parte ſancte obſeruandas, recipiamus, atque eas ſubſcriptionibus et ſigillis noſtris, pro nobis noſtriſque poſteris promittamus et atteſtemur. Nos in fide et obſequiis erga S. Regiam Maieſtatem nobis oblatam omni excipientes cultu, protectioni S. Regiae Maieſtatis nos ſubiicere non detrectamus, atque in poſterum in fide et obſequio erga S. Regiam Maieſtatem, vt Magnum Ducem Lituaniae ac Dominum noſtrum inuiolabiliter permanſuros, praeſentibus hiſce ſubſcriptionibus, et ſigillis noſtris munitis, pro Nobis ſucceſſoribuſque Noſtris promittimus atque cauemus. Ita tamen, vt Illuſtriſſimus et Excellentiſſimus Dominus Comes viciſſim ſubſcribat, et nomine S. Regiae Maieſtatis Sueciae pro certo caueat, intra certum tempus ratificatum et confirmatum iri infra ſcriptas ab eodem Illuſtriſſimo Domino Comite propoſitas, et a nobis ad ſtatum noſtrum accommodatas haſce conditiones.

Copias noſtras militares omnes et ſingulares S. Regiae Maieſtati Sueciae obligabimus, et reliquis Regiis Suedicis coniungemus, quoties ex re et neceſſitate, atque communicato ab vtrinque conſilio opus fuerit, dummodo id non ſit contra Regem Regnumque Poloniae.

Rationem cum aliis Magni Ducatus Lituaniae Ordinibus inibimus, qua Regio exercitui Suedico, Lituaniam iam ingredienti, de commeatu et ſtipendio proſpiciatur, dummodo ratio habeatur deſolatarum et exhauſtarum prouinciarum, atque ſtatus ſubditorum peſſumdati, inprimis vero et ſolutionis, debitorum iam exercitui et praeſidiis Magni Ducatus Lituaniae ſtipendiorum et ſumtuum, praeterea in ſtipendia et alimenta eiuſdem exercitus et praeſidiorum in poſterum erogandorum.

Birzas ex amore in patriam et ſtudio erga S. Regiam Maieſtatem Sueciae, Celſiſſimus ac Illuſtriſſimus Princeps Dominus IANVSSIVS RADIVILVS, Dei Gratia Dux Birzarum et Dubinkorum, Sacri Romani Imperii Princeps, Neuelii et Sebeſſii Comes, Palatinus Vilnenſis, exercituum Magni Ducatus Lituaniae Dux Generaliſſimus, ad inſtantiam ſtatuum, Illuſtriſſimo Domino, Regis Locumtenenti Generali, eiuſue plenipotentiario tradi iubebit, modo caueatur reſtitutio, quamprimum bellum confectum fuerit, aut periculum ſubmotum, transferendi tum quando et quocunque libuerit mobilia omnia, tam celſiſſimi Principis, quam eorum omnium, qui eo periculi cauſa res ſuas contulerant, bellicamque ſupellectilem et apparatum, machinas aereas, et commeatum omnis generis, libera integra relinquantur, nec ex praeſidio quiſquam retineatur, aut recipiatur. Iuriſdictio, vſusfructus, poſſeſſio, et reditus, et omnia in ciuitate et vniuerſo Ducatu Birzenſi Celſiſſimo Domino proprietario integri maneant.

Omnia

Omnia Regalia, ac iura in bonis regiis, vt et iura patronatus, in eccle- 1655
ſiaſticis bonis S. Regiae Maieſtati integra conſeruabuntur, ſicuti hucuſque Regibus Poloniae competierunt, ſecundum ſtatuta et leges, et conſuetudines Magni Ducatus Lituaniae, conſeruando inprimis et integre eccleſiae catholicae Romanae et Graecae vtriuſque ritus, iura, priuilegia et conſuetudines, in collatione bonorum eccleſiaſticorum equitumque Melitenſium.

S. Regiae Maieſtatis Sueciae nomine, ab Illuſtriſſimo Domino Regis Locum tenente Generali, gratiam, protectionem, tutelam Regiam, omnibus Officialibus Magni Ducatus Lituaniae militibus, ſubditis, eorundemque bonorum mobilium et immobilium in Lituania ſitorum, quae a Moſchis et Coſacis nondum occupata ſunt, protectionem et defenſionem grato animo accipimus. Id porro poſtulantes, vt occupata etiamſi et quamprimum in priſtinum ſtatum redierint, proprietariis, et quocunque modo legitimo ac iuridico poſſeſſoribus reſtitutum iri, S. Regiae Maieſtatis Sueciae nomine caueatur, idque etiam in partibus Liuoniae nuper occupatis.

Non minus grato animo accipimus promiſſam religionis in Magno Ducatu Lituaniae et vbique immutabilem conſeruationem, hoc inſuper cauentes, vt priuilegia, iura, immunitates, vſus et conſuetudines, bonorum, perſonarum et omnium eccleſiaſticorum, cuiuſcunque religionis, inprimis autem eccleſiae catholicae Romanae praerogatiuae, honores, Senatorum, Epiſcoporum, dignitas et iuriſdictiones, religioſorum et religioſarum, conuentus et collegia omnia, Abbatiae, Praepoſiturae, Canonicatus, Parochiae, earumque reditus ac bona, nullis exceptis, nec non eccleſiae, Scholae et Xenodochia, omniaque loca ſacra, cum eorum fundationibus, priuilegiis, exercitiis religionis publicis et priuatis, ritibus et cerimoniis, et quidquid ad eorundem omnium dignitatem, decus atque honorem de iure pertinere poteſt, inuiolabiliter manu teneatur, et immobiliter conſeruetur.

Promiſſam pariter a militibus internam, et itinerum atque commerciorum externam ſecuritatem grato animo amplectimur, et vt id nobis diſciplina militaris praeſtet porro ab Illuſtriſſimo Domino Comite poſtulamus.

Gratiſſimum denique ſibi eſſe Ordines Magni Ducatus Lituaniae profitentur, quod promotorialibus ſuis apud S. Regiam Maieſtatem cauſae noſtrae prodeſſe Illuſtriſſimus Dominus Comes profiteatur, interim poſtulamus, vt ſtatum, dignitatem, iura, priuilegia, conſuetudines, libertates, immunitates, officia iudiciorum, formam, iuriſdictiones, nobis a S. Regia Maieſtate Sueciae conſeruatum iri, pro certo promittat. Atque quoniam fato et diuina deſtinatione eo ventum eſt, quod Magnus Ducatus Lituaniae ſub poteſtatem S. Regiae Maieſtatis Sueciae concedit, tum hic nobis quam optimo modo caueri poſtulamus, ne regno Sueciae Magnus Ducatus Lituaniae incorporetur, ſed cum eo pacto eodem vniatur, quo cum regno Poloniae hactenus fuit vnitus, vt nimirum gens genti, ſenatus ſenatui, equites equitibus per omnia aequentur. Iura tamen, ſtatuta, conſuetudines, et iudicia ſua vniuſcuiuſque maneant, libertas omnis, inprimis autem conſcientiarum M. Duc. Lit. illibata relinquatur, niſi quid forte ex conuentione cum S. Regia Maieſtate Sueciae, aſſentientibus nobis mutandum viſum fuerit, ad vtilitatem publicam. Quod vt tanto conuenientius promtum et firmius fiat, comitia vtrique genti ad conſtituendam communem rempublicam, vt a S. Regia Maieſtate Sueciae indicentur, loco vtrique genti poſtula-

1655 mus commodo, et id nobis conceſſum in Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae vnione Illuſtriſſimus Dominus Comes cauebit. Inprimis vero polliceatur S. Reg. Mai. Sueciae, omnia bello amiſſa et auulſa repetitum, et Magno Ducatui Lituaniae atque proprietariis, aut quocunque iuridico et legitimo modo poſſeſſoribus reſtitutum, quo et M. Duc. Lit. opem et auxilia conferre pollicetur.

Iſtas conditiones manuum noſtrarum ſubſcriptione approbamus et munimus, cauemuſque etiam, vt illis, qui abſunt, integrum ſit accedere, et ſubſcribere quamprimum hoc illis per rerum circumſtantias licuerit, neque interim in eos durius quidquam aut hoſtile admittatur.

Renuentium et Refractariorum, ſi admoniti intra certum tempus ex communi conſenſu determinandum, et ex aequo praeſtitutum ad ſubſcribendum non comparuerint, bona fiſco applicari aequo animo feremus. Id autem cauemus, vt ex confiſcatis, aut Regiis bonis, iis, qui poſſeſſionibus haereditariis a Moſchis exuti, haſce conditiones nobiſcum vna ſubſcripſerint, interim prouideatur, donec in poſſeſſiones ſuas reſtituantur. Pro hoſtibus autem etiam obnitentes habere, et eo nomine fratres pro ſe cuiuis adeo durum atque acerbum videtur, vt plerique eligant Moſchorum potius ſe dedere arbitrio, proinde caueatur, vt a delinquentium inſectatione liberis nobis eſſe liceat. Hoc autem ante omnia cauemus, vt S. Regiae Maieſtatis nomine Illuſtriſſimus Dominus Comes expediat, ad Magnum Ducem Moſchouiae eiuſque exercitus omnes, iiſque nunciet, ſub protectionem S. Regiae Maieſtatis Sueciae, M. Duc. Lituan. conceſſiſſe, ab iiſque poſtulet, vt idcirco ab omni contra Magnum Ducatum Lituaniae hoſtilitate ceſſent illico, ab obſidionibus abſtineant, et ſi quas ciuitatum, aut arcium forte obſederint, obſidionem ſoluant, ex iis regionibus, quae ſunt citra Boryſthenem exercitus reducant, Coſacorumque incurſiones inhibeant, ab omnibus Magni Ducatus Lituaniae finibus, regiones circa Boryſthenem, igne et ferro vaſtatas in medio relinquant, et ab inuaſionibus liberas faciant. Quod exercitus quoque Magni Ducatus Lituaniae a parte ſua praeſtabit, donec per pacta conuenta, de limitibus Magni Ducatus Lituaniae a S. Regia Maieſtate Sueciae cum Duce Moſchouiae conſtitutum fuerit. Quod ſi Moſchi obſtinate in vaſtando Magno Ducatu Lituaniae pergere, aut ciuitates et arces munitas obſidione aut oppugnatione premere praeſumſerint, vt exercitus S. Regiae Maieſtatis Magni Ducatus Lituaniae coniunctus, obuiam hoſtilibus Moſchorum conatibus eat, et tueatur armis ditiones et ciuitates Magni Ducatus Lituaniae protectioni S. Regiae Maieſtatis ſeſe committentes.

Si vero ad tractandum inter vtrumque Regem et regnum ventum fuerit, vt Magnus Ducatus Lituaniae ad eoſdem tractatus vna cum regno Poloniae admittatur, libereque prout tum res tulerit, cum S. Regia Maieſtate Sueciae negotia ſua componat, vt ſacroſancta vnione conueniens in eodem tractatu pacis ratio habeatur. Atque poſtea licet vnicuique in alterutram partem diſcedere bonis ſuis immobilibus diuenditis, aut alio quocunque modo legitimo alienatis, mobilibus vero ſecure et libere quocunque voluerint tranſportatis.

Quodſi quid praeterea a S. Regia Maieſtate Sueciae, regno Poloniae conceſſum fuerit, id Magnus Ducatus Lituaniae ſibi quoque concedi cauet, ſin autem regno Poloniae bello ſuccumbere et deterioribus conditionibus cum S. Regia Maieſtate componere res ſuas contigerit, Magnus Ducatus Lituaniae nihilominus, vtpote ſponte et libere accedens, has ſibi ipſas conditiones teneri ſtipulatur,

latur, nec niſi forte in comitiis ex pacto conuento cum S. Regia Maieſtate Sueciae, et libero ordinum Magni Ducatus Lituaniae aſſenſu immutari cauet. 1655

Haec omnia ſubſcripta et obſignata viciſſim propter maiorem fidem, firmitatem, et certitudinem ab Illuſtriſſimo Domino Comite ſubſcribantur, et ſigillo eorum muniantur. Actum in Caſtro ad Capodanum Anno 1655. die 18. Auguſti.

PETRVS PARCZEWSKI, Epiſcopus Samogitiae.

CASIMIRVS BIALOZOR, Archidiaconus et Adminiſtrator Epiſcopatus Vilnenſis.

IANVSSIVS RADIVILVS, in Bierze et Dubinki Dux, Palatinus Vilnenſis, Generalis Exercitus Lituanici.

VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, Supremus Magni Ducatus Lituaniae Theſaurarius, et Campi Ductor.

BOGVSLAVS RADIVILVS, Palatinus Minſcenſis.

ADAMVS KOMOROVIVS, Gubernator Vilnenſis.

ALEXANDER MIRZEVIVS, Aulicus Regius, et alii.

Per eam quoque occaſionem in ſemi-libertatem Magnus de la Garde Gonſieuium aſſeruerat, acceptis ab eodem literis reuerſalibus, huiuſmodi tenoris:

VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, Supremus Magni Ducatus Lituaniae Theſaurarius et Campiductor, etc. hiſce atteſtor, quod cum intelle- Gonſieuii Reuerſales. xiſſem me Diuina prouidentia ita permittente, hic detentum, priſtinam libertatem, nonniſi interueniente Sereniſſimi et Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini CAROLI GVSTAVI, Sueciae Regis, etc. etc. etc. iuſſu et mandato, hoc rerum ſtatu, ſperare poſſe, in firma ſpe gratioſae illius Regiae declarationis, tanto citius impetrandae, ab Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Domino, Domino Gabriele de la Garde, Comite de Lechoc, Regni Sueciae Theſaurario, et Regii exercitus locum tenente Generali impetraſſe, vt tamdiu caſtra eiuſdem excellentiae ſequi mihi cum comitatu meo aulico liceat. Vt autem praedictam ſuam Excellentiam ſecuriorem de mea perſona redderem, ſtipulata manu, et iuramenti loco verboque viri honeſti ſancte hiſce polliceor, et promitto, me neque fuga mihi in via conſulturum, neque conſilio, ſermone, literis, machinationibus, vel vllo facto, aut attentato, vel per directum, vel per indirectum, quidquam moliturum, ſed quietum Excellentiae ſuae caſtra ſequuturum, et S. Regiae Maieſtatis voluntatem ac declarationem patienter expectaturum. In maiorem huiuſce rei fidem, haſce reuerſales manu mea ſigilloque corroboraui. Dabantur Kaydani, 21. Octobr. 1655.

Tali igitur ratione Gonſzeuius ex Radiuiliana liberatus captiuitate, ſecutus eſt Sueciae Regis claſſicum, magis vmbra corporis, quam animo inuicto.

In hunc modum Polonia occupata, Lituaniaque ſubacta, Sueciae Rex Sendomiriam verſus caſtra mouere imperat, datis ad POTOCIVM, exercitus imperatorem literis, vt a dicto Poloni Regis recederet ſacramento. Dedit et Praetoriarum cohortium militibus centum viginti millia, ſpolia vrbis Cracouienſis, quae quinque millionum ſummam exceſſiſſe dicuntur. KONIECPOLSCIO, Bozencin vna et Ilzam, nobiliſſima Epiſcopatus Cracouienſis oppida, aliis alia, pleriſque ſacra, maiora promiſit legionariis Potocii, ſi ſua ſequerentur ſigna. Neque diu dubitauit Potocius acceptare praemia, quae per contumaciam Sueciae Rex Sendomiriam ream pergit.

1655 poterat deinde amittere. Vnde et ille Sueciae Regi tunc dixit sacramentum fidelitatis, in noua ciuitate Korczyn nominata. Consultatum deinde de vlteriori belli ratione, concluſumque est, Pruſſiam, hucusque intactam Prouinciam aggredi pari celeritate qua Poloniam. Dictum, factum, vnoque mense vix integro, tota illa regalis et episcopalis Boruſſia, vna cum Torunnio, ac fortiſſima ceſſit Elbinga, ea celeritate, vt quem venire non senserant Boruſſi, videre se vix crederent. Quanquam Elbingenses diu votis expetitum laeti susceperant Suecum. Referam eorum conditiones, quas sibi ipsis scripserant adhuc ante nascens Poloniae malum. Nam Torunenses suas tunc suppreſſerant. Causa deditae vrbis reiecta in DANIELEM ZYDKIEWIC, Regi Inſtigatorem Graeculum hominem.

Puncta Compoſitionis Pacis inter Regem Sueciae et ciuitatem Elbingenſem.

I. Ciuitas noſtra Elbingenſis, ipſiusque totum territorium, nunc et in perpetuum Regi IOANNI CASIMIRO renuntiet fidelitatem et obſequia, et Regem CAROLVM GVSTAVVM, vna cum suis legitimis haeredibus, pro naturali et vero Domino agnoſcat.

II. Suae Maieſtati iuramentum, quando voluerit, praeſtetur, non tamen illud fiet, ante regreſſum ipſius, et priusquam vniuersam Boruſſiam in securam poteſtatem suam redegerit.

III. Omnia Priuilegia, quae nobis a Regibus, Principibus, et Dominis elargita et conceſſa sunt, non solum obſeruari, verum etiam pro ratione temporis augeri, et confirmari debent.

IV. Debet ciuitas id temporis propter belli difficultates Regium tributum perſoluere, prout in futuro per noſtros Commiſſarios et ciuitatis noſtrae Deputatos decretum fuerit.

V. Tranquillitatis vero tempore ciuitas nullis exactionibus onerabitur, niſi quando Regnum et ciuitates in subsidium, vrgente periculo, venire tenentur.

VI. Sua Maieſtas procurabit, vt ciuitas cum extraneis maiorem prouentum ratione mercaturae poſſit obtinere.

VII. Sua Maieſtas quantum poſſibile ciuitatem ab omnibus grauaminibus liberabit.

VIII. Suburbia noua, et antiqua ciuitas, habebunt Regios praeſidiarios milites, horrea vero et frumentariae domus ciuium, manebunt sub praeſidio militum illorum.

IX. Ciues antiquae ciuitatis ex speciali gratia liberas obtinebunt aedes suas, a militum praeſidiariorum ingreſſu, et cohabitatione.

X. Mechanicorum socii et alii opifices, qui hactenus, inter milites ciuitatis conſcriptos, operam suam locarunt, dimiſſionem petituri liberi pronuncientur.

XI Bona mobilia securitatis cauſa in ciuitatem aduecta, sicut et perſonae, ad quas spectant, maneant illaesa, et fruantur protectione, niſi praeter opinionem aliqui refractarii quoque et maligni exiſtentes, obſequia debita detre-

detrectare viſi fuerint, quos sua Maieſtas sola sub iudicium et cenſuram 1655
vocabit.

XII. Contractus et obligationes inter mercatores manebunt inuiolabiles, nec caduco [77]) vel confiſcationi cedent.

XIII. Moenia, turres, valles, a ciuitate conſeruentur, et ſi quae nouae ſtructurae ac aedificia neceſſaria futura sint, Gubernator ciuitatis Regius, ratione sumptuum et expenſarum cum ciuitate citra difficultatem conueniet.

XIV. Tormenta bellica pro ciuitatis defenſione semper in loco manebunt.

His ita concluſis et ratificatis d. 22. Decembris, dies erat Mercurii, hora circiter quinta pomeridiana, Regni Sueciae Cancellarius ERICVS AVXELIVS AB OXENSTIERNA, Elbingam ingreſſus eſt, ciuibus per totam plateam ordine conſtitutis. Praecedebat Maior SACKEN eques solus, vultu minaci de induſtria compoſito, quo magis crederetur Mars fuiſſe Suedicus, hunc duae a tergo sequebantur cohortes, quas componebant centum Suedici milites. Vexilliferi duo, vnus albo, alter caeruleo et viridi vexillo ab inuicem diſtincti: hos duae iterum subsequebantur cohortes, centum Suecorum haſtiles lanceas portantium, totidem sclopetarii, cum suis vexillis diuerſorum colorum. Deinde sequebantur quatuor Elbingenſium Conſules rheda vecti. Tandem Cancellarius, inſidens equo calamiſtrato superbe ornato, solus incedebat vultu amoeno, et ad hilaritatem compoſito. Cancellarium sequebatur Campi Mareſchalcus DE LINDE Suecus, Gubernator vrbis Elbingenſis. Sub ingreſſum duodecim in veteri, totidemque in noua ciuitate explodebantur tormenta, laeta ac fauſta gratulantium applaudentiumque signa. Moniti a me Elbingenses de subsidiis Pontificiis, de Caesaris in Boruſſiam iure, de Poloniae Regi iurata fide, de Suecorum experta tyrannide. Immoti ad haec omnia reſponderunt: Pontificem non nominandum, quem peius cane et angue Elbingenſis odit populus: Vereri deinde, ne iſtis Pontificiis subsidiis liberati, concedant aliquando omnimode in Pontificum ius et iurisdictionem, quod alienum eſt ab inſtitutis illorum. Cum Caesare non bene conuenire Euangelicos, imo vbique sub graui Catholicorum gemere iugo liberos homines. A Polona aula laesos se esse grauiſſime conquaeſti sunt. Deinde exceſſiſſe Polonia Regnoque Regem, cui dixerunt sacramentum. Tyrannidem Suecorum nunquam se expertos esse, imo amplexus paternos Guſtaui, et tenerrimum defuncti Oxenſternii amorem, quem hucusque intactum plerique Elbingenſium in imis praecordiis conſeruant. Haec Elbingenses.

Suecorum Elbingam ingreſſus.

Rudauii Propoſitio.

Reſponſum Elbingenſium.

Torunenses, vt paulo ante innui, deditae vrbis suae auctorem dixerunt, Regni inſtigatorem DANIELEM ZYTKIEWICZ. Et fuit certe Graeculus homo, deceptor non poſtremus. Hac ratione Cancellarii Regni aliorumque Senatorum voto, expediuerat Oppolio inſtigatorem CASIMIRVS ad Chmielnicium, addidit eidem aliquot membranas (cartam bianckam Itali vocant) Regio subſcriptas charactere, quibus ille vteretur iuxta temporum momenta. Ita abunde inſtructum dimiſit ad Chmielnicium Coſacoſque Senatus. Ille loco Chmielnicii recta Sueci Regis victoris petiit caſtra, eique arcanum aduentus sui per Cancellarium Ericum ab Oxenſtierna aperuit, ratus, hoc facto mereri poſſe gratiam Sueciae Regis, auertereque in tempore imminentia capiti suo a Radzieieuio mala, quod et factum. Valuit in tempore arcanum inſtigatoris, tunc enim Torunium versus properabat Rex.

Zytkiewicz auctor dediti Torunii.

Dolus Zytkieuicii Inſtigatoris vel Fiſcalis Regni.

77) *Caducum* quid sit in Polonia, exterorum forte intelliget nemo, niſi suppeditata ante explanatione. Subintelligitur ius. Eſt autem ius caducum in Polonia lex, vi cuius Sereniſſimus Rex bona defuncti, nullos haeredes relinquentis, per priuilegium donat, cui velit. Lege autem publica cautum eſt, vt bona ſic dicta caduca nobilis, Rex non niſi Polono iterum nobili dare poſſit. Ciuium vero et exterorum, cui et quomodo velit, etiam extraneis: id quod claris verbis in conſtitutione A. 1576, Vol. II fol. 923, dictum: (Mieyſkie Kaduki moze Krol rozdawac komu, y iako chce). Neque obſtant illa verba, in conſtitutione A. 1607, Vol. II, fol. 1598, expreſſa: *bona caduca extraneis dari non debent* (Kaduki cudzoziemcom nie maią bydz dawane) quia ibi de bonis caducis nobilium sermo eſt. Vſus quoque ea, quae dixi, confirmat.

1655 Rex. Inſtigator, quo melius ſuum Regi Graecum ingenium commendaret, ſecretiora ſcribit ad Torunenſes, quibus illorum expugnaret conſtantiam. Ad extremum perſonam fingit legati a Rege CASIMIRO ad Thorunenſes miſſi. Res ioco ſimilis videbatur primo Thorunenſibus, ſcripſerat enim eadem in carta inſtigator, quaſi deſperatis rebus eiuraſſet iam CASIMIRVS Oppolii imperium, remitteretque populis iuratam fidem. Hoc ipſum viua voce millies in Torunenſi repetebat capitolio perfidus orator.

Indoluere Polono Regi Torunenſes, vbi toties facundum audiuere oratorem, promtis certantem rationibus. Fidem dicenti Regius adſtruebat character, quem omnes nouerant, Regia praeterea gemma, quae literas ſignabat, ad haec inſtigatoris fama, quae vulgabat Zytkiewicz omnium arcanorum Regiorum arbitrum ſecretiſſimum, et miniſtrum fideliſſimum. Venienti igitur Sueciae Regi aperiunt ciuitatis portas, veneraturi Dominum, quem Polonia vniuerſa, vt crediderant, dixerat Regem.

Regis Sueciae in Pruſſia felicitas.

Occupato Torunio, vbi priuatorum depoſita, quae duorum millionum fuiſſe dicuntur, militari Rex intulit aerario, nihil intactum tota Boruſſia fuit, recedente paſſim milite Brandeburgico ex occupatis propugnaculis. Nullo igitur opere inuictum alias Straſburgum, glorioſam Culmam, Suecium, aliaque Boruſſiae Regalis occupat loca, Elbingam vſque, quam vacuam, iurata fide, inuenit, vt ſuperius innui. Varmienſem deinde ingreſſus epiſcopatum Melſacum verſus iter direxit, poſitis caſtris ad pagum Curtzberg in Ducali Boruſſia. Vnde literis ex itinere ſalutauerat Electorem, quarum literarum hic tenor fuit.

Eius literae ad Electorem Brandenburgicum.

Nos Carolus Guſtauus Diuina fauente Clementia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae et Viſmariae, nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux. Sereniſſimo et Celſiſſimo Principi, Conſanguineo et Amico Noſtro chariſſimo Domino FRIDERICO WILHELMO etc. ſalutem etc.

Sereniſſime et Celſiſſime Princeps, Conſanguinee et Amice chariſſime.

Ad nullam vnquam expeditionem inuito magis animo, quam nunc in Celſ. V. Elect. Ducatum acceſſimus: non quod non iamdiu iuſtas indignationis et belli cauſas habeamus; ſed quod amicitiae noſtrae fundamenta, iura et commoda, vt et innocentia ſubditorum, ſacris iiſdem nobiſcum gaudentium, mitiora omnia ſuadeant, cumprimis vt Celſ. V. Elect. ſpatium cogitandi indulgeamus, et interea militem, quoad fieri poteſt, a violentiis cohibeamus. In eum finem die 3 huius menſis literas noſtras, cum Celſ. V. Elect. legato et conſiliario FREISTADIO expediuimus. Et quia heri demum reſponſum nobis de die 9 et 19 huius menſis Regiomonti ſcriptum deſuper eſt relatum, coacti ſumus hac interpoſita mora arma noſtra in viſcera Ducalis Boruſſiae proferre, vt hic tanto propius Celſ. V. Elect. vltimam reſolutionem cognoſcamus. Conatur Celſ. V. Elect. in ſupradictis ſuis literis culpam turbatae amicitiae a ſe amoliri, et eam in nos conferre, inter alia, allegans, primum quod noſtri Miniſtri, et quidem publica apud Celſ. V. Elect. legatione fungentes, ſibi indicarint, quae nos in animo haberemus de portubus Pillauienſi et Memelenſi, nobis adeo neceſſariis, deinde quod Stetini ſub initium tractatuum a nobis praeſentibus, non modo praedicti portus, ſed et in illis teloneorum participatio et commerciorum directio, aliaque duriſſima flagitarentur, et quod nos, non modo ab indigitatis non potuerimus dimoueri, ſed noua etiam, exiſtimationem et ſecuritatem Celſ. V. Elect. afficientia, poſtulata conatibus Celſ. V. Elect. oppoſuerimus.

mus. Acceſſerunt Campi Mareſchalli noſtri Comitis Wittembergii literae, quibus Celſ. V. Elect. ſcripſerat, ſe copias, quas Celſ. S. Veſt. ſuppeditat, aggreſſurum: imo nos legatis Celſ. V. Elect., apud nos non ſubſiſtentibus, ſaepius indicaſſe, nos cum Celſ. V. Elect. in Boruſſia non aliter, atque cum hoſte atque alio Poloniae ſtatu acturos. Haec et alia, quae in nos ibi cumulantur, niſi quodque eorum ad tempora ſua et in iis nata conſilia expendantur, facile imperitos rerum vtrinque geſtarum in ſiniſtras de nobis cogitationes coniecerint: Itaque breuibus faciem rei Celſ. V. Elect. ob oculos ponemus, vt vel ipſa actionum ſuarum meminiſſe poſſit, vel ſi iniuſſu eius quaedam geſta ſunt, de iis vlteriorem rationem ineat. Perpendentibus nobis mutuae amicitiae vincula, ſanguinis ſcilicet propinquitatem, ditionum vtriuſque vicinitatem, iurium item et rationum communionem, atque adeo noſtras vtrinque benefaciendi opportunitates, facile perſuaſa fuit Celſ. V. Elect. conteſtationes non in labris, ſed imis ſinceri animi penetralibus eſſe natas. Neque alienos nos a mutua propenſione oſtendimus, qui mox poſt ſuſcepta Regni noſtri ſceptra, priores Celſ. V. Elect. per Miniſtrum noſtrum inuiſimus, et omnibus deinde occaſionibus pignora ſinceri animi Celſ. V. Elect. exhibuimus. Nihil equidem dicto noſtro miniſtro in mandatis dedimus, quo reus poſſit peragi indicationis alicuius de portubus Pillauienſi et Memelenſi. Et neſcimus, quis alius ex noſtra mente ſecretum tale, quod animum noſtrum nunquam occupauit, euulgaſſet! Excutiantur omnes diſcurſus, et cognoſcetur, ex nimia et intempeſtiua ſollicitudine natam eſſe hanc ſuſpicionem. Tantum vero abeſt, vt dictos portus quaerere ex nobis ipſis intenderimus, vt decreto contra Poloniam bello, parati fuerimus, aſſecurare Cel. V. Elect. nihil exinde damni in Celſ. V. Elect. prouentum iri, modo Celſ. V. Elect. intra ſuos terminos ſe contineret, et nobis in nullo officeret. Verum Celſ. V. Elect. arctiori adhuc vnionis vinculo nobiſcum vinciri cupiens, vltro primum per principalem ſuum Miniſtrum, et deinde ipſa propria perſona Reſidenti noſtro ad aulam ſuam ſignificauit, ſibi et Anteceſſoribus ſuis Ducibus Boruſſiae, iamdiu tot a Regibus et Republica Poloniae ingeſta eſſe grauamina, vt quando nullum in iuſtis querelis remedium ſit inuentum, aliam viam iis excutiendis eſſe quaerendam, et dudum quaeſitam fuiſſe: Si ergo placeret nobis, adſciſcere Celſ. V. Elect. in belli ſocium, et in compenſationem et ſatisfactionem onerum belli, promittere eidem non modo epiſcopatum Varmienſem, titulo et iure ſaecularis Ducatus, ſed etiam partem Samogitiae et Lituaniae: atque adeo dictum Varmienſem Ducatum et Samogitiae, Lituaniaeque partes, vna cum Boruſſia Ducali, in plenum et abſolutum Dominum eidem confirmare, et in eo tueri, tum velle Celſ. V. Elect. vſque in finem belli contra Poloniam, et alios huic motui ſeſe immiſcentes, fideliter Nobis adſiſtere. Et vt tanti propoſiti conſilium, in ſecreto haberetur, et in Poloniam non emanaret, additum eſt, paucos eius eſſe conſcios. Nobis in tantum hoſtem moturis, et nonniſi ingenua ab amico Principe expectantibus non diſplicuit Celſ. V. Elect. intentio et ſocietas armorum: neque conditiones nobis propoſitae impoſſibiles, ſed immenſae videbantur. Conſtitutis ergo commiſſariis, qui menſe Maio proxime praeterito, cum Celſ. V. Elect. Miniſtris congrederentur, iniunctum a nobis fuit, vt (citra tamen ſcopi principalis laeſionem) iſtis duabus attemperandis operam omnem ſtudiumque impenderent. Quod vero portus iſtos duos Pillauienſem et Memelenſem, participationem teloneorum, et commerciorum directionem poſtea praetenderimus, cauſas habuimus et iuſtas et neceſſarias. Et vt a poſtremo poſtulatorum, commerciorum directione nunc inchoemus, Nos equidem tum nouimus Regibus et Reipublicae Poloniae, tam ratione Regiae Boruſſiae, quam directi dominii in Ducalem Boruſſiam,

1655 ruſſiam, non exigua competere iura, quae vero in particulari tum fuerint, non ita in promtu fuit diſcernere. De iure itaque Regis et Reipublicae Poloniae conuenturis, cautione vtique opus fuerat, dum cuique competentia iura elicerentur. In eiuſmodi pars altera alterius rationes indagat, non vt ſuis, ſi nullo fundamento nitantur, inſiſtat, ſed vt cognitis fundamentis, tanto ſecurius paciſcatur. Participatione teloniorum, vulgo Licenten vocatorum, quid iuſtius a nobis praetendi vnquam in tali caſu potuit? Introduxit illa glorioſiſſimae memoriae praedeceſſor et auunculus Noſter, Rex GVSTAVVS MAGNVS, iure belli. Et cum vigore pactorum inducialium nouiſſimorum deberent tolli, de facto a Celſ. V. Elect. tanto tempore contra pacta continuantur. Licuit itaque Nobis, ſiue noſtrum reſpectu Sueciae ius, ſiue foedus cum Celſ. V. Elect. et Regiam Boruſſiam ſpectemus, in hanc quaeſtionem venire, et continuandi telonii participationem, iure optimo nobis aſſerere; idque eo magis, quod merces, a quibus vectigal exigeretur, aeque a Regia Boruſſia ac Ducali deſcendant, atque ideo Celſ. V. Elect. non poſſit ſolo de iure ſibi vllos prouentus arrogare. Quod attinet portuum Pillauienſis et Memelenſis poſtulatum, ſi Celſ. V. Elect. Miniſtri occaſionem, cauſas, et quouſque illis potiri voluerimus, mature et ſincere explicuerunt, iam ipſa ex ſe nos illa ſuſpicione liberabit, quaſi loca illa, vnde ſalus et ſecuritas Ducalis Boruſſiae dependere dicitur, obtentu ſolius noſtrae vtilitatis praetenderimus. Cum in procinctu diſcedendi e regno noſtro ſtaremus, et deinde praeterito menſe Iulio in Pomeraniam eſſemus delati, intelleximus, Celſ. V. Elect. eodem tempore, quo nos ad commune foedus contra Poloniam inuitat, et ſuper eodem nobiſcum tractatum init, in praeiudicium iurium noſtrorum, et quidem eiuſdem contra Poloniam expeditionis ſummum impedimentum, in vnito Belgio foedus moliri. Suaſimus itaque, vt, ſi prius, quam noſter tractatus initium ſumſit, alter in Belgio eſſet inchoatus, coepto tum demum deſiſteret. Sed vbi ſine vlla noſtrorum monitorum conſideratione, Belgicum tractatum vrgeri audiuimus, vtique iure poſtulauimus, vt Celſ. V. Elect. omnino vellet Belgicum tractatum perficere, et ſerio tamen nobiſcum ageret, nobis ideo in finem vſque belli duos iſtos portus Pillauienſem et Memelenſem pro ſecuritate noſtra detinendos permitteret. Legatio Celſ. V. Elect. parum penſi habens circumſtantias huius iuſti noſtri poſtulati, loco adaequatae reſponſionis minas acerbas, et neſcimus, quas ex barbaris et ipſo orco contra nos arceſſendas ſuppetias iactans, Stetino diſceſſit. Cum ergo Stetini adhuc conſiſtentes illico copias Celſ. V. Elect. in Electoratu et Pomerania conuocari audiuimus, non ſine cauſa Campi Mareſchallo noſtro, Comiti Wittembergio in maiori Polonia conſtituto, mandauimus, vt talia et loquentibus et agentibus Electoralibus Miniſtris, frequentatiſque tum correſpondentiis inter Poloniam et Celſ. V. Elect. aulam, ſibi proſpiceret, admoneretque etiam Celſ. V. Elect. Generales, vt quamdiu foedere non eſſemus coniuncti, vel melius de Celſ. V. Elect. intentione certiorati, cum exercitu Boruſſiam non intrarent, niſi pro hoſtibus haberi vellent. Paulo poſt ipſi e Pomerania mouimus, atque in illo itinere die 4 Auguſti ad nos, limites Poloniae tum ingreſſuros, venit Celſ. V. Elect. legatio ad reaſſumendum priorem tractatum. An dici poſſit, nos tum ab indigitatis ſupra poſtulatis nullo modo potuiſſe dimoueri, atque noua ſubinde et exiſtimationem et ſecuritatem Celſ. V. Elect. afficientia, conatibus veſtris oppoſuiſſe, ipſa ex conſcientiae ſuae dictamine iudicet. Nouit Celſ. V. Elect. Nos tum condeſcendiſſe in Boruſſiae Ducalis et Warmienſis epiſcopatus, ſupremum et liberum regimen, reſeruato tantum nobis et noſtris ſucceſſoribus aliquali beneficentiae iure: nouit nos voluiſſe liberare eandem canone illo annuo: nouit etiam nos abſtitiſſe praetenſione por-

portuum Pillauienſis et Memelenſis. Quod vero viciſſim participationi teloniorum inhaeſerimus, et ſimul poſtulauerimus, vt foedus in Belgio ictum eatenus ceſſaret, quatenus huic a nobis ineundo praeiudicaret, nemo talium rerum aequius aeſtimator nobis vitio vertet. Quid praeter caetera ſaepe memorata poſtulata in Boruſſiam Ducalem praetenderimus, quia non exprimitur, Nos quoque ignoramus: niſi forte qualitatem dependentiae et inueſtiturae intellectum vult. Deſiderauit equidem Celſ. V. Elect. dictorum Ducatuum plenum et abſolutum dominium: ſed poſtmodum noſtrae remonſtrationis intuitu, legatio eiuſdem exhibito nobis die 9 Auguſti proiecto ſuo, in Rogoſno, agnouit Celſ. V. Elect. in perpetuum animi deuinctiſſimi teſtimonium, velle a nobis, et corona Sueciae ſaepe dictos Ducatus Boruſſiae, et Warmienſem in feudum recognoſcere. Ecquid aliud a Nobis in ſequentis diei proiecto exigitur, quod grauiſſimi poſtulati nomine poſſet indigitari? Et quandoquidem Celſ. V. Elect. nunc eſt contenta, tum in Rogoſno oblatis, cur tantopere Rogoſniana poſtulata incuſat? Quinimo Celſ. V. Elect. legatio abiens viſa Nobis eſt obtinuiſſe ſuum ſcopum, niſi quod cauſabatur, ſe ſuper quibuſdam non ſatis inſtructam, et propterea velle vlteriora a Celſ. V. Elect. mandata requirere. Nos freti Celſ. V. Elect. conteſtationibus firmandi rem, ſemel adeo religioſe inchoatam, et tractari coeptam, non in Boruſſiam, ſed verſus maiorem et minorem Poloniam arma noſtra vertimus. Dum die 5 Septembr. circa Opoczno ſubſtitimus, tertia vice ad nos venit ſaepe dicta Celſ. V. Elect. legatio, afferens nobis literas Celſ. V. Elect. propria manu ſcriptas, et priſtinum eumque infucatum erga nos amorem ſpirantes. Vbi vero dicta legatio, in rem praeſentem et ad ipſum tractatum reaſſumendum venit, nihil fere priorum accordatorum illaeſum reliquit: excogitatae ſunt rationes, quibus conuentarum conditionum aliae limitarentur, aliae exceptionibus eneruarentur, et totus tractatus in nihilum redigeretur. Interea, et dum Celſ. V. Elect. legatio ſub velo continuandi tractatum nobis imponere ſtudet, vrgetur a Celſ. V. Elect. in Belgio non modo commutatio ratificationum, ſed claſſis etiam mare Balthicum contra nos intratura. Exagerantur etiam paſſim propoſiti noſtri peruerſitas, et poſtulatorum iniquitas: quaſi a nobis omnia prouenisſent, et Celſ. V. Elect. nihil contra iura amicitiae admiſiſſet. Inuitatur etiam Boruſſiae et vicini Poloniae palatinatus ad communem contra nos defenſionem. Vbi nos talia deprehendentes legatis Celſ. V. Elect. dicimus, nos, ſi Celſ. V. Elect. in his actionibus perſeueraret, velle eandem non aliter, atque cum hoſte, aut Poloniae aliquo ſtatu agere, haud praeter meritum nos talia locutos exiſtimamus. Quod vero Celſ. V. Elect. legatio tanto tempore apud nos detenta ſit, non nobis, qui accordatis inhaerere voluimus, et diſcedere cupientes in nullo, niſi forte aliquantum per continuas belli actiones, ſumus remorati, ſed potius vel Celſ. V. Elect. intentioni in contraria omnia directae, vel legatorum alienis praetenſionibus erit imputandum. Celſ. V. Elect. potuit intra terminos amicitiae conſiſtere, et tum, vel danda a nobis ſcripta aſſecuratione, vel verbo regio, tuta in ſuis ditionibus manere. Sed ipſa elegit belli ſocietatem, qua intentione, ſincera ne, an vero, vt nos ea opinione deſtineret, dum ipſa poſſet armari, ipſius conſcientiae relinquimus. Certe cum in belli communionem contra Poloniam reciperetur, aliquandiu partes foederatus ſequi viſa eſt, ſed mox in contrarium verſa, nulla non hoſtilitatis indicia verbis, et re ipſa nobis oſtendit. Quod ſe Boruſſiae quibuſdam ſtatibus, conſilia et fortunam Regis Caſimiri ſequentibus aſſociare voluerit, quam maxime nos afficit. Erant, fatemur, dicti Boruſſiae Regiae ſtatus nondum omnes a nobis ſubiugati, et belli iure nobis ſubditi: ſed manſit illos eadem, quae caeteros fortuna: et inter Poloniae ſtatus in hoc caſu, nonniſi beneficio ordinis fruuntur.

1655 Poterunt dictorum Boruſſiae ſtatuum contra nos directae actiones aliqua ratione excuſari, eo quod nondum, vel exercitu noſtro eos adierimus, vel iis protectionem obtulerimus. Et euentus, et propria quorundam confeſſio nunc docet, multos eorum magis inſtigatione potentiorum, quam deſtinata opera, in extremam illam defenſionis aleam eſſe prolapſos. Celſ. vero V. Elect. quae nos in bellum paratos, ſuae ſocietatis oblatione, magis adhuc animauit, et Boruſſiam Regiam per pacta nobis, (ſi ſuas per omnia praetenſiones obtinuiſſet), dudum attribuere coepit, contra nos Poloniae et Boruſſiae rebus, vix ante ſe ingerere potuit, quam tractatui adhuc duranti debito modo renunciaſſet. Conuentum vtique fuit, vt Regia Boruſſia nobis cederet. In quo propoſito ita religioſa videri voluit Celſ. V. Elect. ante tractatus initium, vt nobis adhuc in Suecia exiſtentibus, per ſuum miniſtrum ſignificari fecerit, ſe velle in noſtrum, et communis foederis vſum, occupare locum quendam ad Viſtulam. Et cum legatio Celſ. V. Elect. adhuc Cracouiae apud nos haereret, miſſus eſt ad nos nobilis quidam PVTKAMER, vt conteſtaretur, Celſ. V. Elect. cepiſſe quaedam in Boruſſia Regia loca, ſuae ditioni vicina, ne colluuies perditorum hominum, hinc inde ſine alicuius imperio vagantium, ſe eiuſmodi locis infunderet, nobis eadem velle tradere, cum foederi vltima manus fuerit impoſita. Nunc confectis nouis in praeiudicium noſtri foederibus, oretenus traditionem promittit, re ipſa vero in perpetuum retinere intendit. Neque enim opus eſt monſtrare, an contra nos directum ſit foedus, cum quibuſdam Boruſſiae Ordinibus initum; quum clara ſint verba et conditiones nobis ſatis iniurioſae et iniquae. Iudicet iam orbis vniuerſus, imo iudicet Deus, vnde turbatae amicitiae rationes, vtrum a poſtulatis noſtris Rogoſznouianis, quae Celſ. V. Elect. iam adprobat, et iniquitatis accuſari nequeunt, an vero ab alio aliquo, qui inuidia progreſſuum noſtrorum Celſ. V. Elect. in nos, nihil tale meritos, animauit, arceſſendae ſint? Vtrum laedat, qui amicum et ſocium complecti, inque ſuis non modo conſeruare, ſed auctiorem etiam reddere cupit, an qui contra oblationem propriam, et conſtantiam verae amicitiae, in hoſtilia conſilia, nulla iuſta de cauſa prolapſus, vltima amico detrimenta parare videtur? Ea tamen eſt animi noſtri erga Celſ. V. Elect. eiuſque inclytam Domum verae amicitiae radicibus firmata propenſio, vt ſupradicta omnia perpetua obliuione ſepelire velimus, ſi modo aliquando videamus, ſerium nobiſcum tranſigendi propoſitum: nec tempus teri, vt nobis agendi opportunitates decedant, maleuolis vero noſtris accreſcant. Praecipuum et immotum eſt noſtrorum poſtulatorum, vt qui hactenus inter Regem IOANNEM CASIMIRVM et Rempublicam Poloniae ab vna, et Celſ. V. Elect. ab altera, ratione Ducalis Boruſſiae, viguit nexus, poſthac quoque inter nos regnumque noſtrum, vt et Celſ. V. Elect. quoque intercedat. Si Celſ. V. Elect. aliquid in reliquis mitigatum cupit, de eo, ſalua noſtra ſecuritate, amicabili et facili ratione conuenietur. Quodſi vero haec noſtra oblatio nunc non attendatur, fieri poteſt, vt et Prouincia penitus deuaſtetur, et Celſ. V. Elect. excidat tractandi occaſione et bono, eidem et inclytae eius domui poſthac irreparabili. Quibus Celſ. V. Elect. Diuinae tuitioni ſerio commendamus. Dabantur in oppido Boruſſiae Ducalis, *Creutzberg* die 16. Decembr. Anno 1655.

Haec ſumma literarum Sueciae Regis ad Electorem. Merebant tunc illi duodecim externorum millia, totidem Polonorum ad praedam adduxerat KONIECPOLSCIVS Regni vexillifer. POTOCIVS enim cum LANCKORONIO ad Sendomiriam ſubſiſtere iuſſus. Erat praeter Wittembergii Cracouienſe ſex millium praeſidium, Duglaſſiique, octo, lecti exercitus ad Sendomiriam, millia. Elector quoque Brandeburgicus quindecim tunc ſuorum conſcripſerat millia, vltra Marieburgenſe, Meuenſe, Stumenſe, Sluchouienſe, Brunſ-

Electoris Brandeburgici vires.

ber-

bergenſe, et Allenſteinenſe, praeſidia ſatis firma. Magnus reuera miles, certa et in manu Electoris poſita fuit victoria, ſi hoſtem agnouiſſet Suecum, quem hoſpitem inuitauerat, pridem ante foederatus Galliae et Sueciae Regibus. Igitur quaſi inopinato occupatus a Sueciae Rege, primo iraſci, furere, minari, deinde paueſcere, Caeſariſque inuocare patrocinium, debilitatem virium oſtentare Europae Principibus, ad extremum poſt ſex menſium continuatam fabulam, laruam deponere, perſonamque induere qualis ante fuit. Manſit tunc Regiomonti, tribus integris hebdomadis Regni Sueciae Cancellarius OXENSTIERNA, quaſi Electori pacis tunc proponeret conditiones, reuera autem, de continuando bello, de inuadendo Caeſare, de adiuuando Gallo, de diuidenda Polonia, ſermo illis et conſilium fuit. Eoque modo ſatis enormi illudere videbatur toti Europae Suecus et Elector. Quanquam prudentiores ſtatim ab initio belli, aliqui adhuc ante illata arma, callidum Electoris obſeruarunt animum. Auctus enim maſcula prole Elector, non alium quam Sueciae Regem filio ſuo dixit patrinum. Toto deinde menſe ſemimortuum Suecorum exercitum annona refecit, tandem poſt hoſpitii omnem exhibitam humanitatem, liberum per ditiones Pomeraniae in Poloniam dedit tranſitum. Acceſſit continuata commeantium huc illuc ſecuritas, nec deerant Comitis Valdeck, et FABIANI Baronis von Dohna minae: *breui adfuturos hoſpites qui Papiſtas pellerent Pruſſia.* Gubernatorem deinde Pillauienſem propugnaculo excedere iuſſit, nulla alia de cauſa, niſi quia fidelis audiebat Polono Regi. Interrogatus deinde a Comite STAREMBERG, legato Caeſaris, quid de bello ſentiret Boruſſico? ignorare ſe prorſus reſpondit. *Si enim*, inquit, *ſcirem interulam meam meorum conſiliorum eſſe conſciam*, mox exutam igni adiicerem. Similia amicitiae argumenta obſeruare potuit vel ipſe Cyclops in Sueciae Rege. Libera in Ducalem Pruſſiam nauigatio. Electoris filii Varmienſis Principis appellatio. Audita per eos dies inter epulas Regis liberior vox: ſe ab Electore in Poloniam euocatum, afflictis ſubſidio veniſſe. Aderant his ſimilia, quae Electorem ſuſpectum prudentibus reddebant.

Ac deinde ſenſus.

Tractat cum Sueciae Cancellario Elector.

Electoris cum Sueciae Rege colliſio.

Comitis Valdeck minae.

Reſponſum Caeſaris Legato.

Igitur decepta primo Polonia, mox Pruſſia, conditiones pacis in Regia Regiomonti publicat Elector, multum ſibi gratulatus, quod tali modo deceperit Papiſtas, Varmienſemque Epiſcopatum abſque ſanguinis occupaſſet diſpendio.

Puncta inter Sueciae Regem et Electorem Brandeburgicum Anno 1656. die ſeptima Ianuarii ſtylo veteri, inita et promulgata. 1656

I. Sereniſſimus Elector non tenebitur iuramentum fidelitatis Regi Sueciae praeſtare, priuſquam in publicis Comitiis coronetur et eligatur.

II. Feudum Poloniae, Pruſſiam Ducalem, Rex Sueciae, a regno non alienabit, niſi conſenſu Statuum regni Poloniae.

Conditiones inter Sueciae Regem et Brandeburgicum Electorem.

III. Tempore interregni conſtituet Elector tribunal, Conſiliariis ſex conſtans, ad quod remittetur appellatio, donec Rex Poloniae eligatur.

IV. Vbi pax inter Electorem et Regem Sueciae fuerit rata, foedus contra Suecos et Confoederatos Suecorum cum Belgis erit ruptum.

V. Pro damno a Suecis illato obtinebit Elector Boruſſiam Epiſcopalem, iure Feudi.

VI. Mille pedites, quingentos vero equites, Elector Sueciae Regi ex nunc tradet, et totidem toties, quoties requiretur, ſubminiſtrabit.

VII. Participationem theloniorum in Pilaw et Memel Sueciae Regi concedit Elector.

Concluſa in hunc modum pace, haud mora publicat edictum Elector Brandeburgicus Regiomontana in vrbe, quo excedere iubebantur Poloni pariterque Lituani Proceres, qui tunc eo confugerant. Summa Electoralis Edicti haec fuit:

1656 Edictum Electoris Brandeburgici.

Nos FRIDERICVS WILHELMVS, Dei Gratia Dux Brandeburgicus S. R. Imperii Archi Camerarius, Princeps Magdeburgenſis, Pruſſiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae, Vandalorum, nec non Sileſiae, Croſnae, Iegerndorffii Dux, Gubernator Direnbergenſis, Princeps Halberſtadii et Vendae, Comes Marchiae et Rauensbergii, Dominus in Rauenſtein etc. etc.

Omnibus et ſingulis, quibus intereſt, ſignificamus. Concluſis, ſingulari Gratia Dei, cum S. Regia Maieſtate Sueciae pactis, ad conſeruandos ſubditos praeuertendaſque ruinas Ducatus Noſtri; ſcimus variarum nationum homines ad Nos noſtraſque ditiones confugiſſe, contra quos S. Regia Maieſtas Sueciae hucuſque publicis litigat praeliis, quos et ſuſcipere non prohibuimus. Attamen ſcire cupientes, qualiter ſe conforment, his ictis foederibus ordinamus et mandamus, omnibus et ſingulis incolis, hucuſque in noſtris ditionibus commorantibus, vt intra ſpatium quinque hebdomadarum, a publicatione huius facta, apud nos compareant, parati iuramentum fidelitatis deponere, nobiſque omnem obedientiam praeſtare, vel reſpuentes hoc, e noſtris ditionibus intra nominatum tempus cum omnibus bonis ſuis, acceptis tamen prius literis paſſus, liberi cedant, atque aliquantum ibidem commorantes, ab omnibus machinationibus ſuſpectiſque factionibus deſiſtant; ſecus facturi, confiſcatione omnium bonorum ſuorum aliarumque poenarum conſtitutarum puniendi. In quorum fidem noſtro Ducali ſigillo inſigniri curauimus. Datum Regiomonti 31 Ianuarii Anno MDCLVI [78]).

LIBRI VI. CAPVT VI

SYNOPSIS

Poloni per Sueci Regis abſentiam, ab obſequio eius deficiunt. Confoederatio exercitus Poloni. Iuramentum belli Ducis. Iuramentum commiſſariorum. Iuramentum exercitus et nobilitatis. Minda penes Gedanum periclitatur. Czeſtochouiam obſidet Suecus, ſed vano conatu. Literae generalis Milleri ad patres Czeſtochouiam. Moritur Oppalinius Palatinus Poſnanienſis, Ianuſſius Dux Radiuilus, Georgius Tyskiewicz Epiſcopus Vilnenſis, Caſimirus Sapieha, et alii proceres.

Poloni per Sueci Regis abſentiam ab obſequio eius deficiunt.

Interim dum ad Regium Montem toto Ianuario menſe ſubſiſtit Sueciae Rex, Poloni per eius abſentiam liberiores facti iugum paſſim excutere coeperunt Suedicum, auxit coniunctus Tartaris Chmielnicius Polonorum animos. Neque mora primi exercitus Poloni imperatores, POTOCIVS, LANCKORONIVSQVE, caſtra deſeruerunt DVGLASSII, Sueciae Generalis. Sequuta ducum exemplum vniuerſa nobilitas, confoederationem cum iiſdem ducibus componit, vinculum vniuerſale denominans. Summa huius vinculi haec fuit:

Confoe-

78) Contra Synchroniſmum Rudauſcium hic peccaſſe, poſſet quis obiicere, cum prius de pacto inter Sueciae Regem et Electorem Brandenburgicum, quam de Polonorum mutuo inter ſe foedere, ſeu confoederatione, tempore priori, et mox infra ſecutura, dixerit. Sed hiſtoriarum nexus, quem obſeruare voluit auctor, facile eum excuſatum habet.

Confoederatio et vniuerſale vinculum, tam exercitus, quam aliorum incolarum Regni, in hoc calamitoſo Reipublicae ſtatu vnanimiter factum et iuramentis confirmatum. Tyskouiciis, 29. Decemb. 1655. 1655

Confoederatio Exercitus Poloni.

Non miretur terrarum orbis, nec quiſquam imponi ſibi patiatur, ac opinetur, quod inclyta Polonorum Gens, fictis blandiloqui et foedifragi Regis adeo ſit deluſa promiſſionibus, vt Principem ſuum legitime et liberis vocibus electum repudiauerit et deſeruerit. Agnoſci quidem poſſet, quod vterque ſtatus, tam praeeminentiae Regiae Maieſtatis, quam ordinis ſimul equeſtris, adeo aduerſa fortuna, vel potius fatali Regnorum reuolutione, et concuſſione preſſus, et ad tam arctos neceſſitatis terminos pertractus fuerit, vt propter incurſum ex omni parte hoſtium, in perniciem Reipublicae coniuratorum, Sereniſſimus Rex vltra limites Regni ſecedere, equeſtris autem ordo, et nonnulli Palatinatus Regis Sueciae potentiam reuereri, et in ipſius quaſi deuotionem ſe conferre debuerint. Quod factum forte poſſet aliquis iam pro fide data exiſtimare, et ad eam ſeruandam omnino pleroſque teneri. Verum ſi penitius rem inſpicere, et perpendere vellet, quod Rex Sueciae ſine vlla belli cauſa, imo contra pacta felicis memoriae VLADISLAI QVARTI, Regis Noſtri, Stumdorffii cum Regno Sueciae concluſa, Rempublicam inuaſit, ac cum exercitus et plerique Palatinatus (quibus omnimodam defenſionem, et patrocinium, ac Catholicae Sanctae Religionis in toto conſeruationem promiſit) ipſius ſe protectioni committerent, infelici hac et obtruſa protectione breui temporis interuallo, omnia in contrarium agere, et omnia prorſus inuertere et conuellere coepit. Idemque Rex Sueciae, bona Regni deuaſtare, ciuitates et domicilia Nobilitatis exſpoliare, et in nihilum redigere, exercitui ſuo permittit. Ordinem equeſtrem aliorumque ſtatuum homines exactionibus longe grauioribus, quam illorum prouentus et poſſibilitas ferre poſſunt, opprimit: ſine vllis comitiorum concorditer latis conſtitutionibus, pro ſuo arbitrio tributa imponit, exigit, et abſque omni mora extradi imperat. Magiſtratus et iudicia quaelibet, tam ſpiritualia, quam ſaecularia, ſtatutis antiquis et iure noſtro communi firmata, nulla eſſe aſſerit, atque id ipſum aliis perſuadet: Ad Gubernatores alienigenarum iura noſtra et conſuetudines tranſtulit: Qui aduenerunt Gubernatores, non iudicata nec audita cauſa, Sacerdotes Dei, et Nobilitatem captiuare, mactare ac tyrannice globis transfigere iubet: Tum vero, quod maximum et praecipuum eſt, aedes Sacras, tabernacula Dei viuentis, omnibus theſauris et ſplendoribus ſpoliat, religioſos viros incredibili vexatione perſequitur, eoſdemque, vt ſuppellectilem eccleſiaſticam, et aliud Chriſti patrimonium ſacrilege prodant, variis ad mortem vſque ſuppliciis afficit: Aera eccleſiaſtica, ſiue campanas templi donec intolerabilibus pecuniis pulſus redimat, pulſari non permittit: Imo Sacroſanctam aedem benedictae ſupra omnes mulieres Dei Matris, Czeſtochouiae, tot ſaeculis illuſtrem, non tantum in Republica noſtra, ſed in toto orbe Chriſtiano deuotione et votorum oblatorum effectu celebrem, propter eandem praedam, et theſaurorum Deo dicatorum ereptionem, obſidione cingere, armata ſeu potius ſacrilega manu aggredi, et expilare imperauit, vt hoc fundamento deuotionum noſtrarum inopinato ſecurius vlteriori progreſſu fidem catholicam exturbet et proſcribat, ac in illius locum alienigenas, diuerſarum ſectarum homines in Regnum introducat: Bona bene meritis a S. Regia Maieſtate ſecundum leges Reipublicae aduitaliter diſtributa (quae poſſeſſoribus conſeruare Sacroſancte promiſit) eripit, et violenter ex iiſdem eiicit: bona vero ſpiritualium, hominibus ſaecularibus, et vt plurimum diuerſarum impietatum ſectatoribus, in perniciem gloriae Dei confert: Prouiſione eccleſias et ſeruos

1655 Dei denudat, ſpoliatque: Inſuper bona regalia ſuis ſectatoribus, violando priuilegia, et peierando contra prius datam et expreſſam a ſe declarationem, diſtribuit: Renouationem pactorum cum Celſitudine Chani Crimenſis concluſorum et iuratorum negligit, imo cum infenſiſſimis patriae noſtrae hoſtibus coniunctionem armorum concludere nititur, ac tandem nos tot malis feſſos, bello Turcico in vltimam perniciem noſtram implicare intendit: Quidquid vero declarationibus ſuis falſis, tam exercitibus, quam Reipublicae deuouit, et inſtrumentis literatoriis manu propria ſubſcriptis aſſeruit, id totum, ſtatim in recenti fregit et violauit: Templa denique Dei, Clerum, atque omnem Magnatum, et ſupremum Reipublicae ſtatum, oppreſſit: Quare antequam, tam durus, grauis, et infidus Reipublicae vlterius vires ſuas extendat, et munitiones Regni, quae adhuc ſuperſunt, in ſuam poteſtatem redigat, antequam exercitus Gentis Polonae, militiae Suedicae, ſeu potius ſeruituti ſubiugetur, atque dum Sereniſſimus Rex Noſter IOANNES CASIMIRVS, liberis votis ac vocibus a nobis electus, Dominus Noſter, certos nos et ſecuros faciat, quod pro tuenda integritate fidei Catholicae pro Eccleſiae ſanctae et legum ac libertatum noſtrarum propaganda immunitate, libens lubenſque ſeſe offerat, ac caput ſuum Regium pro ſalute patriae animoſe omni periculo, vna nobiſcum, ponat et ſubmittat, potenteſque, pro ſuo intereſſe ſeu conatu, ſuppetias promittat. His proinde omnibus et ſingulis de cauſis, et ingenita Polonae genti erga ſuos Principes fide et obſeruantia, atque vlteriori eccleſiae Dei deſolationi, ac maiori patriae malo ac ruinae proſpiciendo, memoratum Regem Sueciae, nec habere nec pati poſſumus, omniaque illius facta, et quocunque modo collationes factas annihilamus, ipſum vero cum omnibus complicibus, qui illi adhaeſerunt, vel adhaerere voluerunt, etiamſi ciues et membra ſint, ex corpore Regni, niſi reſipiſcere velint, pro hoſtibus Reipublicae noſtrae declaramus, et contra vnumquemque talem atque adhaerentes ipſius, plane ſicut contra hoſtem eccleſiae Dei et Reipublicae Noſtrae nos acturos, pro fide ſancta Catholica, pro altaribus et templis, pro vindicandis grauiſſimis quibuſque eccleſiae et Reipublicae iniuriis, pro iuribus et libertatibus Noſtris, omnes inuicem, tam totus ipſe exercitus (non referendo cauſam cunctationis in retentionem ſtipendiorum, ſed illorum perſolutionem ad tranquilla, Deo iuuante, patriae tempora reſeruando) quam etiam equeſtris ordo (non obſtantibus quibuſque praeteritorum temporum legibus) coniunctis viribus, et indiſſolubili vinculo vniti, contra hoſtem nos proceſſuros ſtatuimus, et in hoc bello conſtantes permanſuros, donec patria pace et tranquillitate fruatur, ſubmittimus ac pollicemur, ac inuicem omnes Nobis iuramus. Quare nullus alterum in grauiſſimis etiam Reipublicae (quod Deus auertat) caſibus et periculis deſerere, aut in alienas partes tranſire poterit, nullas deinde ſeditiones et ſeorſiuationes, ac diſmembrationes, aut diſceſſiones ab exercitu, machinationeſque confoederationes, vinculo noſtro noxiales, circulos, atque conuenticula faciemus, et inter nos patiemur, vnanimes ipſi indiuiſum cor, ad defenſionem Reipublicae offerentes et adferentes. Quia vero in tanta Reipublicae perturbatione aliqui ex ciuibus patriae adhaerent hucuſque partibus Suecorum, ideo hos omnes ex certis rationibus inuitamus, monemuſque, vt antequam ad conflictum res cum hoſte deueniat, vinculo noſtro et defenſioni Reipublicae ſe adiungant, et nobiſcum ſimul haereditarium hoc gloriae Dei Dominium tueantur et conſeruent. Qui vero contumaces permanſerint, bona illorum iudicio Ducum et Commiſſariorum noſtrorum ſubiacebunt. Omnibus inſuper inferioris ordinis et conditionis hominibus, etiam extraneis, non tantum bene merentibus de Republica campum aperimus, verum etiam occaſionem damus et acceſſum ad praerogatiuas Nobilitatis,

tis, quicunque ſe pro poſſe ac viribus ſuis obſequio Reipublicae ac vinculo noſtro adiunxerit, ac patriae auxilio fuerit, vnanimiter offerimus et promittimus. 1655
Vt vero eo melius ſecuritati Reipublicae prouideatur, et firmius ſalubria ſtabiliantur conſilia, ad tractandum tantas taleſque res eligimus omnium conſenſu, Illuſtriſſimos, Magnificos et Generoſos Dominos et Fratres Noſtros, Illuſtriſſimum Dominum STANISLAVM a Podhayce POTOCKI Palatinum et Gubernatorem terrarum Kiiouiae, Ducem ſupremum militiae Regni Poloniae, Craſnoſtauienſem, Socalenſem etc. Capitaneum; STANISLAVM a Brzezie LANCKORONSKI Palatinum et Gubernatorem terrarum Ruſſiae, Campi Ductorem Regni, Scalenſem et Rauenſem Capitaneum: Adiungimus Commiſſarios ex Regni exercitu Illuſtriſſimum CHRISTOPHORVM TYSKIEWICZ, Palatinum Czerniechouienſem, Capitaneum Bytominenſem: Illuſtriſſimum de Potok POTOCKI, Caſtrorum Regni metatorem. HYACINTHVM SZEMBEK, Capitaneum Boguslauienſem, STANISLAVM a Sluzew SLVZEWSKI, Capitaneum Horodolſcenſem, STANISLAVM DOMASZEWSKI. Tribunos vero, Illuſtrem VENCESLAVM a Brzezie LANCKORONSKI, Tribunum, Dominum SAMOWSKI, Comilitonem vexilli S. Regiae Maieſtatis. Deinde Commiſſarios ex Palatinatibus. Equeſtris ordo vnum de medio ſui coniunctis et concordibus animis ad pluralitatem votorum eliget, qui dum patentes literas electorum pro tali electione exhibebit, prout iam aliqui Palatinatus fecerunt, et ſuos Commiſſarios elegerunt, conferentes omnem plenipotentiam nominatis commiſſariis, qui ad hoc negotium vocari debebunt, et abſque illis nihil concludetur, nulluſque illorum ſententiis contradicet, et votis refragabitur. Quoſcunque exorbitantes et exceſſus illorum definitiue iudicabunt et punient, omnibus Reipublicae periculis prouidere, et illam mutuis conſiliis iuuare tenebuntur. Legationes omnes excipient et expedient, cum exteris Principibus de rebus Patriae conſultabunt, conferentque, coniunctiones armorum, pacta et foedera concludent, pecuniarum denique vſum ad conſeruationem eiuſdem ſtatus habebunt. Horum autem omnium quanquam ſoli Deo rationem ſint reddituri, diligenter tamen attendere debent, vt quicunque ex noſtris ducibus, hiſce iudiciis bona Reipublicae in tanta neceſſitate noſtra procurabit, hoc ipſum S. Regiae Maieſtati ſcripto intimabit. Omnia conſilia, pluritates ſententiarum, aliquorum abſentia vbique non obſtante, concludi debent, non praeiudicando auctoritati Illuſtriſſimi Ducis militiae, quoad vſum poteſtatis et progreſſum atque modum rei militaris, vt vero conſilia haec et negotia Reipublicae, quam perfectiſſime peragantur, et aequo iure expediantur, vinculumque hoc tam ſacrum efficacius ſuo in vigore et valore permaneat, iuramento ad aram in templo per nos praeſtito, modo inferius deſcripto firmamus.

Iuramentum Illuſtriſſimi Ducis exercitus.

Ego N. iuro Omnipotenti Trino et Vni Deo, me ſecundum obligationem huius confoederationis, muneri ab exercitu et incolis Regni mihi impoſito, pro poſſe et viribus meis ſatisfacturum, et, vt fungar munere hoc, ſecundum Deum, conſcientiam, et ius commune curaturum, in cauſis tam Reipublicae communibus, aut publicis, quam iudiciariis militaribus, nullos reſpectus habiturum, nec propria commoda quaeſiturum, aut vlla cuipiam conſilia manifeſtaturum et enunciaturum. *Sic me Deus adiuuet, et Paſſio Filii Dei Noſtri Ieſu Chriſti.* Iuramentum belli Ducis.

1655

Iuramentum Illustrissimorum DD. Commissariorum.

Iuramentum Commissariorum.

Ego N. iuro Omnipotenti Trino et Vni Deo, me secundum obligationem huius confoederationis muneri ab exercitu et incolis Regni mihi impositi, pro posse et viribus meis satisfacturum, in sententiis et consiliis meis (quae conformia Deo, conscientiae, et iuri communi dabo) nulla propria commoda quaesiturum; in iudiciis nec amore amicorum, aut odio inimicorum, muneribus aut pollicitationibus, et spe lucri ducar atque capiar, curaturum: nullas conspirationes aut machinationes facturum, rectam rationem et conscientiam sequendo, Reipublicae bonum in omnibus negotiis et iudiciis spectaturum; nulla denique secreta, tam iudiciorum, quam quorumcunque consiliorum cuipiam manifestaturum, et enunciaturum. *Sic me Deus adiuuet, et Passio Filii Dei Nostri Iesu Christi.*

Iuramentum tam exercitus quam incolarum Regni.

Iuramentum exercitus et nobilitatis.

Nos iuramus quod secundum obligationem ducibus nostris et commissariis factam, pro fide et ecclesia Catholica, pro Sereniſſimo Rege IOANNE CASIMIRO Domino clementissimo et fidelissimo, pro libertate Legum et Reipublicae, velimus absque disiunctionibus et diffidiis quousque reddatur pacatissima Respublica, illique ratione eiusdem consensus et vinculi confoederationis nostrae famulari necessum sit, sub potestate atque regimine Ducum et Commissariorum esse, et constanter perseuerare, atque nullas admittendo largitiones seu corruptelas, nec priuatos respectus sequendo, nec conuenticula et seditiones faciendo, aut seditiosis adhaerendo, sed Deum tantummodo ipsum pure spectando, et integritatem patriae quaerendo, pro illa mori volumus et nos obligamus. *Sic nos Deus adiuuet et Passio Filii Dei Domini Nostri Iesu Christi.*

Iam itaque in nomine Domini, inhaerendo confoederationi huic, expeditionem generalem bellicam constituimus, et decernimus, illud addendo, vt omnes, prout nouis declarabitur literis, et tempore assignato, et ad locum destinatum veniant, omnique abiecta cunctatione adsint armiferi, sub poena colli et confiscationis bonorum. Quarum poenarum executionem supra inobedientes, et vinculo nostro vniuersali rebelles potestati Ducum et Commissariorum nostrorum committimus, volumusque, vt, si opus fuerit, vtantur legionaria cohorte ad hos tollendos, nullique personae et generi parcant. Iam vero, quia multi Deputati iudices ex Palatinatibus et terris Regni propter pericula praesentia adesse, tractando huic vinculo nostro et concludendo, non poterant; proinde fraterne Magnificos Dominos ad comilitium nostrum inuitamus, et, vt veniant, mandamus, eos, praeuiis similibus iuramentis, quae nos ipsi fecimus, in consortium et gremium nostrum susceпturi. Cui vnioni nostrae tam generali et vnanimi, Magni Ducatus Lituaniae exercitus, totamque nobilitatem pari alacritate et obligatione vires suas nobiscum in defensionem patriae iuncturam et accessuram non dubitamus. Ideoque vt promtius res acceleretur, animos omnium nostrum, studia, et vires, et quidquid demum defendendae Reipublicae nostrae, ac vnicae patriae litari potest, ipsis, vti fratribus nostris, libentes offerrimus, ac illustrissimis Dominis Ducibus ac Commissariis nostris, pro vlteriori confoederationis nostrae vinculo, cum illis statuendo et contrahendo plenam potestatem damus. Quam confoederationem nostram, et vniuersale hoc ac pium vinculum iuramentis nostris firmatum, et sub amissione honoris, vitae ac confiscatione bono-

bonorum factum, illustrissimorum Dominorum Ducum et Commissariorum nostrorum potestati ac executioni submittimus, illudque omnibus in punctis, tam in toto quam in parte, tenere, exequi, et adimplere sacrosancte promittimus. In quorum fidem maiorem, omnia haec concluſa et rata habere volentes, manibus nostris subscripsimus. Datum Tyskouiciis vt supra. 1655

Haec summa vinculi strictioris inter nobiles Polonos fuit. Hic vnicus modus saluandi patriam. Haec vnica via excutiendi iugum hostis. Persuasum quippe habebant tunc Poloni, illud Belgarum symbolum, concordia res paruas crescere, discordia maximas dilabi, eoque vinculo, posteritati memorando, quasi triplici funiculo infamem alias clauserunt annum. Sub cuius finem, magnum ciuitas Gedanensis apud Mindam adiuerat periculum, nisi proditores Deus ipse miraculo quasi ostendisset. Minda, castellum Gedanensium, est Vistulae flumini appositum, qua decliuis amnis Balthicum subit mare, vna fere leuca dissitum ab ipsa vrbe. Hoc castello quisquis potiretur, Gedanum supplex breui haberet. Haec tamen proditio caute tunc detecta, breui post sopita est, nulla in reos dicta quaestione, coniecta in Suecos milites proditio, quae fortassis in magnos alios ciues cadere debuit, finem tantae moli imposuit.

Minda periclitatur.

Nec multo post coenobium Clari Montis Czestochouiensis, in vltimis Poloniae finibus situm, ordinis sancti Pauli primi Eremitae, fossa, moeniis valentissimum, vbi totius regni admiranda patrona, cum sui filii sacratissima commoratur imagine, a Suecis fortissime oppugnatum, post ternos assultus, incantationes, cuniculos, assiduas verberationes, sex continuans obsidionem coelesti ope defensum est, Generali MILLERIO ac Comite WRZESOWICZ incassum adnitentibus. Referam Millerii iiteras, quas tunc ad patres scripserat:

Czestochouiam obsident Sueci, sed vano conatu.

Admodum Reuerendi ac Nobilissimi Patres,

caeterique arcis ac monasterii Czestochouiae inhabitatores,

Domini et Amici honorandi,

Literae Generalis Millerii ad Patres Czestochouiam.

Dominationibus Vestris cum significatione officiorum et beneuolentiae testatum facio. Cum S. Regia Maiestas Sueciae, Dominus meus Clementissimus, de rebellium quorundam in maiori Polonia conatibus certos accepisset nuntios, quod sua Maiestas non modo ad composcendos illos, sed et porro ad limitaneas arces, aduersus quamlibet inuasionem aliquo praesidio firmandas, me eo cum iusto exercitu mittere fuerit coacta. Quando igitur ad hos limites progressus sum, iamque et monasterio Vestro regius exercitus imminet, cui, vt conueniens praesidium imponatur, serium est S. Regiae Maiestatis mandatum. Vestro ex commodo fore putaui, si Vos eius rei gratia, primum ac mature commonefaciam. Quod dum facio, Vos serio adhortor, vt sine vlteriori circumductione, aliquos cum libera potestate mittatis, de quantitate praesidii, aliisque ad hanc rem pertinentibus, mecum deliberaturos. Facietis hoc ipso rem S. Regiae Maiestati gratam, quae non intermittet, Vos ac Vestrum monasterium omni regia clementia fouere ac tueri. Nec enim aliter vobis persuadeatis, quam Sacra Vestra omnino fore intacta, neque deuotionibus Vestris vllum impedimentum, multo minus contumeliam illatam iri, siquidem nihil aliud, quam tutela, Regni et securitas finium quaeritur. Caeterum si tota iam minore, maioreque Polonia, in potestatem S. Regiae Maiestatis Sueciae redacta, desperatisque omnibus auxiliis, obsistere tamen vlterius praesumatis; non aliter potero, quam praesenti armorum remedio, Vos et cum exustione totius monasterii ad recens compellere obsequium. Id ne fiat, Vestrum erit fato non resistere, sed honesta de-

 ditione

1655 ditione Sereniſſimi Regis noſtri clementiam amplecti. Valete. Dabantur in Caſtris $\frac{8}{18}$ Nouembris Anno 1655.

Veſter ſtudioſiſſimus

BVRCHARDVS MILLER,
Generalis locum tenens mp.

Moritur Opalinius Palatinus Poſnanienſis.

Eodem anno viri illuſtres in republica finiuere. CHRISTOPHORVS de Bnin OPALINSKI, Poſnanienſis Palatinus, quem deditae maioris Poloniae auctorem vniuerſa incuſabat Polonia, morbo extinguitur. Aula abſtinuerat antea diu, impatientia praelati ſibi KORYCINII in munere ſupremi cancellariatus, poſt amotum Radzieieuium. Hinc creditur, odia illum concepiſſe in Regem, quae deinde data occaſione erupere. Vir erat magni ingenii, haud impar natalibus, quos ducere e ſanguine antiquo natura dederat. Illi a pleriſque pro naeuo data, ſui aeſtimatio, at leuis hic naeuus viro ſenatori, qui ſi dotibus animi valet, cur diffiteatur naturae donum? Principibus conſcientia virtutis propriae nunquam vitio vertit, quippe raro in res magnas via eſt per ſui deſpectum. Multum intereſt Principem inter et priuatum nobilem. Ille ad famam omnia dirigit, hic continetur modicis, quod vitium huic, ſaepe illi virtus, quod homini priuato ſuperbia, Principi magnanimitas eſt.

Ianuſſius Dux Radiuilus.

Moritur Georgius Tyſkiewicz, Epiſcopus Vilnenſis.

Caſimirus Leo Sapieha Vicecancellarius M. D. Lituaniae.

Albertus Radiuilus, Cancellarius.

Franciſcus Comes Czarnkowski, Caſtellanus Poſnanienſis.

Ioannes Comes de Leſzno, Epiſcopus Culmenſis.

Nicolaus Comes ab Oſtrorog.

Frequentiora deinde procerum repetita ſunt funera. Eodem enim menſe IANVSSIVS Dux RADIVILVS, Sacri Romani Imperii Princeps, Palatinus Vilnenſis, Prorex Lituaniae, eiuſdemque ſupremus bellorum miniſter, ſupra ſortem ſuam Lituanis ferox, Polonis minax, extinguitur, ſuone, an alieno fato incertum. Sunt qui credant, conſcientia rerum nouarum, quibus ſe fautorem oſtenderat, tetra exhauſtum melancholia interiiſſe. Princeps reuera alti ſpiritus, et qui pro patria extrema tentauiſſet, niſi Regiae obſtitiſſent delationes. Vilnenſem Palatinum, breui quoque Vilnenſis ſequutus eſt epiſcopus GEORGIVS TYSKIEWICZ, vir ſummae in Deum pietatis, maximae in patriam charitatis, Regiomonti hic in exilio, media nocte die 17. Ianuarii ſubſequentis anni, aeternitatem ingreſſus eſt. Nec multo poſt idem fatum impleuit CASIMIRVS LEO SAPIEHA, Vicecancellarius Magni Ducatus Lituaniae, Breſtiae in Lituania. Vir proſapia illuſtris, opibuſque potens. LVDOVICVS item VEIHER, Palatinus Marieburgenſis. Nec multo poſt DOMINICVS, Dux Zaslauienſis. ALBERTVS Dux RADIVILVS, Cancellarius Magni Ducatus Lituaniae. FRANCISCVS Comes a Czarnkow CZARNKOWSKI, Caſtellanus Poſnanienſis. ALBERTVS GORAYSKI, Regens Cancellariae Regni. IOANNES Comes de LESZNO, Epiſcopus Culmenſis, peſte hic in fano diui Martini Italiam tunc peruagante, ſupremum diem obiit. NICOLAVS Comes OSTROROG, Gubernator Drohouicenſis, proſapia illuſtris, bonarum artium cultor eximius, muſarumque deliciae, arcana ſcientiarum edoctus a puero, quae magnum feciſſent in patria, ſi immatura morte praeuentus non fuiſſet.

LIBRI VI. CAPVT VII

SYNOPSIS

Caſimiri in Poloniam reditus. Confoederatio Ordinum et exercitus Poloniae. Polonorum arcana conſilia. Literae Poloni Regis ad magnum ducem Moſchouiae, et Senatores Moſchouiae. Caſimirus Leopoli reſidet. Literae Caſimiri ad Thorunenſes et Gedanenſes. Sueciae Rex Czarnecium profligat. Zamoiſcium oppugnat, ſed fruſtra. Praemislia deſcribitur. Duglaſſius oppugnat Praemisliam, eandemque paulo poſt intactam relinquit. Czarnecius Regem Sueciae adoritur et profligat. Eiuſdem ſtratagema et laus. Manifeſtatio Poloni exercitus. Rex Sueciae a Polonis obſidetur. Marchio Badenſis fert ſuppetias Sueciae Regi. Eundem Czarnecius profligat. Literae Adolphi Principis ad Regem Sueciae. Sendomiria recuperatur a Polonis. Stratagema Sueciae Regis eludentis Sapiehae conatus. Lublino potiuntur Poloni. Literae protectoris Angliae ad Regem Sueciae. Rex Sueciae Varſauiam redit, inde Elbingam. Eius edictum in Polonos nobiles. Marieburgi deſcriptio. Marieburgum Suecis deditur.

1656

1656

Caſimiri in Poloniam reditus.

Initium huius anni eſt a reditu IOANNIS CASIMIRI in Poloniam. Etenim, vt ſupra innui, reuocatus literis Polonorum procerum Rex, quibus diſplicuit Suecorum inſolentia. Certior quoque de eorum factus poenitentia, aduentuque Tartarorum ſecurior, e Caeſaris voto, ſummique Pontificis precibus in Poloniam per Carpatium montium iuga, huius anni initio venit, ſolenniter a LVBOMIRSCIO, Regni Archimarſchalco, ZAMOSCIO, WIELOPOLSCIO, Woinicenſi Caſtellano, aliiſque, primum Lubomliae hoſpitio exceptus, mox Croſnam, inde Landshutum ab iiſdem deductus, vbi confoederatio militum, paulo poſt ſequuta eſt huiuſmodi tenoris:

Confoederatio Ordinum et Exercitus Regni Poloniae, ad conſeruandam Sereniſſimi Regis Maieſtatem, et reſtituendam Reipublicae integritatem, in praeſentia S. Regiae Maieſtatis facta Landshuti, ſecunda Ianuarii 1656.

Confoederatio Ordinum et exercitus Poloniae.

Quemadmodum proprium eſt Diuinae dexterae opus, ſtabilitam multorum ſaeculorum ſucceſſibus et opinione hominum inuictam regnorum felicitatem exili aduerſae fortunae turbine euertere, ita eidem adſcribendum eſt, quoties irreparabilis humanis viribus ruina, magniſque attrita caſibus potentia, vno momento ad optimos rerum exitus aſſurgit. Agnoſcit hoc beneficium Polona Reſpublica, innumeris demerſa calamitatibus, quam non minus callidis perfidorum hoſtium ſubrutam machinis, quam ſpecioſis deceptam promiſſis, poſt tot aetatum ornamenta, vno prope ictu amiſſa, ex vltimis deſperatae melioris ſortis cineribus, Diuina benignitas erigere incipit, iamque ad latus Sereniſſimi Regis noſtri, liberis vocibus in Polonum ſolium electi, Senatum, equeſtrem Ordinem, atque exercitus hucuſque viribus et propoſito diuiſos rurſus colligit, quando emortuum in cordibus zelum, praeter omnem expectationem reaccendit, animiſque robur aſpirat, vt vnanimibus votis, iniuriam religionis et eccleſiarum, patriae ſalutem, nullo infamem maiorum dedecore gloriam vindicemus. Hic noſtrorum conatuum finis eſt, Diuinam in aduerſis venerari prouidentiam, noſtriſque ſtudiis eidem cooperari. Quoniam vero abſente Sereniſſimo Rege, Domino noſtro Clementiſſimo, Deus Optimus Maximus Ducibuſque eorum, exer-

1656 citibus, et equeſtri Ordini eam cogitationem immiſit, vt iuratum foedus ac concordiam ſub Tyſkouice auſpicarentur illi, qui in tam turbido rerum ſtatu adeſſe poterant, nunc accepta ſtabiliendi foederis poteſtate, eidem praeſenti, tanquam amantiſſimo patri, qui nos ſibi nouo amoris vinculo, promiſſiſque in rem noſtram curis deuinxit, accedimus, viciſſimque ſpondemus, ad maiorum noſtrorum exemplum, integram fidem, et animorum integritatem. Atque ita in praeſentia Sereniſſimi Regis noſtri, non minus viribus Reipublicae, quam cordibus inuicem coniuncti, ſancte iuramus, nos conſeruandae fidei auctoritati Regiae, ſaluti Reipublicae vitam noſtram libenter impenſuros, neque vllis, quantum erit poſſibile, periculis, aut priuatis ceſſuros reſpectibus, conſtantes, infractiſque animis, nullo libertatis excuſationum aut iuris noxii obtentu, Sereniſſimo Regi adhaeſuros, quamdiu votis laboribuſque noſtris optatus ſucceſſus non affulſerit. Exercitus quoque quantumuis nunc abſens per ſuos Duces ſacroſancte pollicetur fidem, et ſuos ad defenſionem orthodoxae religionis, Reipublicae auitae libertatis, indefeſſos bellicos conatus. Nemo arma ponet, nemo vrgebit ſtipendia, aut ſuas immunitates praetendet, ante reſtitutam poſtliminio in patria tranquillitatem. Vnus alterum etiam in grauiſſimis periculis non deſtituet, in alienas partes non tranſibit, factionibus aut ſciſſionibus accedet nullos circulos, aut conuenticula non colliget, aut illis ſe non implicabit. Sed vna erit omnium voluntas, vnum cor, labor in commune collatus vnanimis, quod totum ſacramento ratum eſſe volumus, Nos omnes quicunque huic confoederationi nomina dedimus, caeteros vero, quibus adeſſe per diſcrimina, inchoataſque alibi fidei ſuae curas adeſſe non licuit, ad idem iuratae ſocietatis vinculum inuitamus; et vt laudabili exemplo prouocati, eadem polliceantur, agantque per charitatem patriae, quae omnem aliam charitatem complectitur, atteſtamur. Porro, vt coniunctionis iſtius notitia, ad omnes ſinguloſque perueniat, Sereniſſimus Rex Noſter poteſtatem Nobis indulſit, intimandae confoederationis per vniuerſales literas, ac in diſtrictus, prouincias, atque palatinatus tranſmittendae, certus neminem ſuo muneri, amori in patriam, obedientiae ſibi debitae, defuturum; quin potius omnes egregium concordiae daturos ſpecimen, ſuamque mentem ſeparatis literis explicaturos. Faxit Deus immortalis, vt hoc nobile Polonae ingenuitatis opus, quod ipſemet benigne eſt exorſus, nobis cedat optime, et rurſus in Poloniae Regno, religio, gloria, Sereniſſimi Regis Noſtri potentia, per triumphos refloreſcat.

Conſultatum deinde de vlteriori belli ratione, concluſumque eſt:

Polonorum arcana conſilia.

I. Milites praetorianos vna cum Koniecpolſcio, Wiſniowiecio, Sobieſcio, aliiſque regni proceribus, qua largitionibus, qua promiſſis, a Sueci Regis auellere obſequio.

II. Gedanenſes, iamiam in fide fluctuantes de reditu Regis literis certiores reddere. Idem facere cum reliquis regni proceribus.

III. Confirmare in fide Brandeburgicum, quam iam exuerat.

IV. Tartarorum Chanum, qui iam Crimum verſus redibat, ocyus per legatum reuocare.

V. Nobilium vinculum approbare.

VI. Coſacos ſimiliter ad ſaniorem mentem reuocare.

VII. Rakocio per legatum certis conditionibus regnum offerre.

VIII. Moſchorum Caeſarem ad tractatus pacis, mediante Auguſtiſſimo Caeſare inuitare, quod et factum in inſtanti. Miſſae per legatum GALLINIVM literae huiuſmodi tenoris:

Inge-

1656 Literae Poloni Regis ad Magnum Ducem Moſchouiae.

Ingemiſcere cogimur fatalemque rerum noſtrarum agnoſcere periodum, dum citra omnem noſtram culpam, ea ſuſtinere nunc a ſupremo Numine compellimur, quae euentura nemo vnquam credidit, aut ſuſpicatus eſt. Hinc tantam ſanguinis Chriſtiani toto hoc biennio effuſionem, euerſas aras, conculcata ſancta ſanctorum, direpta monaſteria, graui cum dolore, vt par eſt, accipimus: omnia Deo iudici et vindici attribuentes, cuius eſt transferre regna de gente in gentem, potentiſſimoſque populos in ictu delere oculi. Neque nobis perſuadere poſſumus Maieſtatem Venerandam proprio motu, arma Nobis Prouinciiſque noſtris intuliſſe, potius id vaferrimo vicino Sueciae Regi imputamus, maleuoliſque aliquibus adſcribimus ſubditis noſtris. Caeterum cum belli cuiuſuis finis, pax optata ſit, proinde multorum Principum Chriſtianorum, et inprimis Sacratiſſimi ac Potentiſſimi FERDINANDI TERTII, Diuina fauente clementia Romanorum Imperatoris, ſemper Auguſti, Fratris noſtri chariſſimi, mentem ſecuti, mittimus legatum noſtrum Generoſum PETRVM GALINSKI, Orſanenſem Marſchalcum ad Maieſtatem Veſtram, qui nomine noſtro Regio, totiuſque Senatus Noſtri ampliſſimi, tractatus proponat pacis, calentemque ira Maieſtatis Veſtrae animum priſtino reſtituat vigori. Cui plenam fidem adhibeat Maieſtas Veſtra, eumque cum benigno et fauente ad Nos quantocius remittat reſponſo. Datum Croſnae die X Ianuarii, ſtylo nouo MDCLVI.

Haec ſumma literarum regiarum ad Magnum Ducem Moſchouiae, quibus Senatus ſuas quoque ad Senatores Moſchouiae adiecit huiuſmodi tenoris:

Ad Senatores Moſchouiae.

Adhuc ante initia funeſtiſſimi huius belli certiores a quibuſdam redditi, de intentione conſilioque Sereniſſimi Magni Ducis Veſtri, expediueramus vnanimes ſtatus et ordines, tam inclyti regni Poloniae, quam etiam magni ducatus Lituaniae ad *Illuſtritates Veſtras* cum literis legatum noſtrum, fraterne expoſtulantes, tantam animorum Veſtrorum a noſtris disiunctionem; verum nec legatus noſter hucuſque comparuit, nec literae aliquem ſortitae ſunt effectum; iniuſta tantummodo arma Veſtra ſenſimus, et pro literis retulimus cicatrices, contra pacta, et omnem aequitatem, cum ſumma ſanguinis chriſtiani effuſione, a qua, Deo iudice, cui corda et arcana mentis humanae patent, teſte vniuerſo orbe immunes ſumus, proteſtamurque nihil a nobis violatum, nihil contra pacta factum. Iam cum eo ventum ſit, vt mutua nobis poſtliminio fraterna beneuolentia, animorumque coniunctio reuocanda ſit, expediatque in bonam iterum coaleſcere vicinitatem, petiimus S. Regiam Maieſtatem, Dominum Noſtrum Clementiſſimum, quatenus ad Sereniſſimum Magnum Ducem venerandum legatum ſuum deſtinaret ad tractatus pacis, quod non grauate a clementiſſimo impetrauimus Principe; expeditusque eſt in inſtanti ad Sereniſſimum magnum Ducem Veſtrum, generoſus PETRVS GALINSKI, Marſchalcus Orſanenſis. Cui certa media ad vtroſque Principes conciliandos nos quoque adiunximus, quae ille *Illuſtritatibus Veſtris* nomine Sereniſſimi Regis, Domini Noſtri Clementiſſimi, proponet. Cedent autem haec omnia ad aeternam ſtabiliendam pacem, noſque beatos ab vtraque parte reddendos populos.

Caſimirus Leopoli reſidet.

Conſultatum et de loco regii domicilii, quo tutior Maieſtas eſſet; concluſumque Leopolim Ruſſiae fore locum aptiſſimum Regiae ad tempus vrbis; quippe Coſacis, Tranſyluanis Moldauiſque conterminum, cum quibus populis vnio ſperabatur contra Sueciae Regem. Electus quoque vnanimi voto STEPHANVS CZARNECIVS, qui hoſtem detineret tamdiu, donec aut praetoriani redirent milites, aut vniuerſa ad Regem ſuum congregaretur nobilitas. His ſic ſtabilitis et concluſis manum admouit Cancellarius expediendis

1656 ocyus legationibus intentus. Neque mora missus in Borussiam IOANNES ZAWACKI, regius apparitor, qui literas ferret ad IACOBVM WEIHER Palatinum Marieburgensem, magistratum Gedanensem, aliosque proceres scriptas. Additae et ad Serenissimum Electorem Regio exaratae charactere, quae postea apud illum ludibrio fuere.

Referam ad Torunenses et Gedanenses scriptas literas huiusmodi tenoris:

IOANNES CASIMIRVS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolensciae, Czerniechouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex.

Spectabiles ac famati Fideles Nobis dilecti,

Literae Casimiri ad Thorunenses. Aduersa Fidelitatum Vestrarum fortuna non mediocriter Nos afflixit, postquam intelleximus, quod hostis vrbem hanc nostram, praeclare seruata aliis occasionibus fide insignem, inter suam numeret praedam. Credebamus potius quod fractis ad ipsorum moenia suis viribus, pro gloria turpitudinem et audaciae suae poenam erat reportaturus, praesertim cum nihil Fidelitat. Vestr. ad sustinendam longiorem obsidionem defuerit. Sed quia casum hunc, siue necessitas, siue dolus extorsit, fato potius quam voluntati Fidelitat. Vestr. (prout relatum Nobis est) nudae perfidi cuiusdam traductoris insimulationi, non viso, nec habito vllo documento, cesserunt, cum asserere auderet, Prussiam a Nobis hosti esse concessam. Procul omnino ab ista cogitatione distamus, et quamuis hoc prosperum scelus, iam omnia spe deuorauerit, adest Nobis causa iusta et vindex Deus, qui inuasorem alienorum iustioribus terminis circumscribet. Non desunt et humana subsidia, iam etenim Regnum nostrum feliciter ingressi sumus: Cosaci qui tot malis nos implicauerant, praestito recenter fidelitatis suae iuramento, ad obsequium Nostrum suadente Tartarorum Principe redierunt: qui centum millia sui exercitus in auxilium Nostrum libens adduxit. Stipendiarius miles hosti infensus cateruatim ad Nos conuolat. Praecipui Regni Proceres, lateri Nostro adsistunt, quos promta sequitur Nobilitas. A Sereniſſimo etiam Imperatore auxilia promissa expectamus, apud quem per legatum Nostrum, magnificum Palatinum Lancicienſem Viennae praesentem, agimus. Quod significandum Fidelitat. Vestr. simulque easdem adhortandas esse duximus, vt memores iuratae Nobis fidei, quod subditos decet, cogitare et exequi velint, quo et iniuria Nobis illata resarciri, et huius vrbis spectatum nomen ad posteritatem celebre esse possit. De caetero Fidelitat. Vestr. gratiam Nostram Regiam offerimus. Datum Crosnae IV. Ianuar. Anno MDCLVI. Regnorum Nostrorum Poloniae VII. Anno.

IOANNES CASIMIRVS REX.

Spectabilibus ac famatis Burggrabio, Proconsuli, Consulibus, totique Magistratui et communitati ciuitatis Nostrae Thorunienſis Fidelibus Nobis Dilectis.

Scripsit et Gedanensibus, quarum haec summa:

IOANNES CASIMIRVS, Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolensciae, Czerniechouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Haereditarius Rex. *Specta-*

Spectabiles ac famati fideliter Nobis dilecti, 1656

Literae Casimiri ad Gedanenses. Tantum Nobis de integra erga Nos fide et constantia, obsequio pollicemur, quantum ab integerrimis subditorum erga Principem animis expectari et praestolari debet. Proinde postea quam intelleximus hostem ad interiora Prussiae infestanda cum exercitu suo se contulisse prioribus literis Nostris, confirmandas absque mora Fidelitates Vestras duximus, vt strenue ac laudabiliter in sua perseuerent defensione, quod iterum iterumque facimus, adhortando Fidelitates Vestras, vt bonum hoc propositum quam optimo euentu continuent, praesertim cum sciamus ea, quae ad propulsandum hostem necessaria Fidelitatibus Vestris abunde suppetere. Quia vero intelleximus, eo insolentiae quendam ex subditis Nostris esse progressum, vt ausus fuerit ciuitatem Nostram Thorunium dolo malo seducere, asserendo, Prussiam a Nobis hosti concedendam esse, praecustoditas hac in parte Fidelitates Vestras, esse volumus, ne vlli tam impio somniatori, si quidpiam similiter Fidelitatibus Vestris insusurrare voluerit, fidem adhibeant. Sequimur nos bono omine ductum coelestis clementiae, et iam feliciter ex Silesia reuersi regnum Nostrum ingressi sumus. Adest Nobis cum suo numerosissimo exercitu Tartarorum Princeps, cuius impulsu Cosaci iam ad obsequium Nostrum redierunt. Redit sponte et Nostер stipendiarius miles, promtum se omni modo ad exequenda iussa Nostra exhibens. Adhaerent praecipui lateri nostro regni proceres, et frequens nobilitas, quae imminens iugum ferre non potest. Deo proinde et causae Nostrae confisi, iterum armis hostem aggredimur, quem vt pariter Fidelitat. Vestrae, strenua firmitate distineant, voluntatem Nostram Regiam, et virtutem ipsam, quae vrbem Nostram tam insignem decet, suasuram et persuasuram non dubitamus. De caetero Fidelitatibus Vestris gratiam Nostram Regiam offerimus. Datum Crosnae IV. Ianuarii, Anno MDCLVI. Regnorum Nostrorum Poloniae et Sueciae Septimo.

IOANNES CASIMIRVS REX.

Haec summa literarum ad Gedanenses, quas illi magni fecere, gratulati Regi felicem reditum, promissa insuper strenua vrbis suae defensione, quod et fecerunt, vt infra paulo post memorabimus, cum immortali gloria Gedanensis ciuitatis.

Nec VEIHERVS segnior fuit in remittendis ad diuersos regiis literis Regiomontum, Thorunium, nec non in castra Sueciae Regis, ad Koniecpolium, Wisniouiecium, Sobiescium, aliosque praetorianarum cohortium primarios ductores, nec vano conatu, vt infra memorabimus.

Sueciae Rex Czarnecium profligat. Audito Sueciae Rex Poloni Regis reditu, furenti similis Februario mense, conscripto ad Strasburgum exercitu septemdecim millium, Varsauiam aduolat. Progredienti Lublinum versus, Vistulamque per glaciem transgredienti occurrit ad Golomb oppidum CZARNECIVS, cum lecta Poloni exercitus manu. Neque mora, conserere manus cum Czarnecio placuit Sueciae Regi, quem ex improuiso aggressum, haud exigua afflixit clade, recedere coacto Czarnecio Zamoscium versus. Hunc ad moenia vsque Zamoscenſis propugnaculi sequutus est Sueciae Rex, salutato adhuc ex itinere humaniter eius munimenti domino, IOANNE ZAMOSCIO, cui Lublinensem per Forgelium obtulerat paulo post tractum, si sponte Zamoscenſi cederet propugnaculo, aut saltim Suedicum admitteret praesidium. Nec deerant minae Duglassii, intra duos dies expugnandi munimenti. Disploſa in terrorem quadraginta tormenta, tot enim secum adduxerat Sueciae Rex e vicina Polonia, promouente toto conatu Regis sui primam in Russiam expeditionem Wittembergio, Prorege Poloniae. Sed frustra hi Suecorum ad Zamoſciam cessere conatus. Non enim Zamoscio venalis fides fuit, aut panicus timor, quem Duglassius ex composito fecerat. Igitur retrocedere coactus Sueciae Rex Zamoscio, Iaroslauiam versus castra mouere imperat, praemisso Duglassio, qui Praemysliam expugnaret.

1656 Praemislia describitur.

Est autem Praemyslia celebris Russiae ciuitas a Septemtrione SANO fluuio, qui e Sarmaticis montibus haud ita longe a Tibisci oritur fontibus, fossis praeterea aggeribusque satis munita, sed quae Suecorum diuturnam tolerare non posset obsidionem. Anno Christi MCCCCXCVIII. IOANNE ALBERTO Polonicum sceptrum tenente, a Stephano Moldauiae et Valachiae Regulo, vna cum innumeris fere oppidis et pagis, foede direpta atque incensa.

Duglassius oppugnat Praemysliam; eandemque paulo post intactam relinquit.

Duglassius vbi in conspectum Praemysliae venit, attonito similis haesisse dicitur, mirarique vnde tanta Russiae essent munimenta, Zamoscium intelligebat et hanc ipsam quam cernebat Praemysliam. Interim dum expugnandae vrbi aptum deligit locum, dum maiora a Rege expectat subsidia oppugnandae vrbis, certior ab exploratoribus factus, CZARNECIVM iterum collectis in vnum viribus, obsessis properare. Illo ipso territus nuntio, relicta Praemysliae expugnatione Iaroslauiam retrocedit, coniuncturus copias suas Sueciae Regi, qui iam ad Iaroslauiam in vicinia constiterat. Hunc sequutus non est Czarnecius, sed meliori vsus consilio, mira celeritate versis habenis, in Regis Sueciae extremum inuehitur agmen (quod nondum Sanum fluuium, propter male cohaerentem glaciem transire potuerat) tanta vehementia impetuque, vt praecipuis eorum deleris, Regiam quoque Sueci Regis caperet suppellectilem. Finxerat tunc CZARNECIVS in ipso praelii aestu suorum fugam, quo facilius insequentes Suecos profligare, talique ratione inter currus latitantes in apertum educere posset. Ita factum. Fugiunt Czarneciani et fugiendo pugnant, instat acriter Suecus, inhians capiendo Czarnecio, quem publicae de Polonis vltioni victimam destinabat. Furebat interim impotens sui Sueciae Rex, visa in aduersa fluminis ripa suorum miserrima clade, dum pars illorum aduersis caderet framearum ictibus, pars quae glaciem transire parabat, fluuii Sani sorberetur vorticibus. Atque ea tunc primum a Czarnecio de Sueciae Rege reportata victoria. Ferunt caesa tunc esse Suecorum millia duo lecti exercitus. Primusque Czarnecius illa die posse debellare docuit Suecos, quos in hunc diem inuictos fama vulgauerat. Celebris haec obtenta de Suecis victoria, LVBOMIERSCIVM Marschalcum Regni, simul et SAPIEHAM, Vilnensem renunciatum Palatinum, ab extremis finibus Regni egit, vt et illi Sueciae Regi, iuncti Czarneciano exercitui, resisterent. Igitur breui eorundem aduolant legiones, ad gloriam & victoriam, quas sequuti sunt alacres ipsimet Duces, KONIECPOLSCIO, WISNIOVIECIO, SOBIESCIO, aliisque proceribus, palam Sueciae Regi valedicentibus. Referam eorum manifestationem quam in haec genuina conceperant verba:

Czarnecius Regem Sueciae adoritur et profligat.

Eiusdem stratagema.

Et laus.

Manifestatio exercitus Poloni, cum Koniepolscio et Wisniouiecio a Suecis redeuntis.

Manifestatio Poloni exercitus.

Si vnquam alicui mortales, vitae fortunarumque suarum obligationem debent, eam iure merito post Deum prae caeteris, patriae ferre tenentur. Hinc enim summa mortalium est gloria, dum longa maiorum suorum heroum merita in patriam collata, propriis iungunt virtutibus, ac indefessam per saecula gentis suae demonstrant pro patria fortitudinem. Notum sit vniuerso orbi, qualiter inclytum Poloniae Regnum, totius Christianitatis antemurale, atque sacrosanctae Romanae Ecclesiae, fortissimum a tot saeculis propugnaculum, iam vero toto septennio continuis bellorum motibus, atque barbarorum irruptionibus, pene conuulsum, tandem anno praeterito, ea parte, qua maxime adhuc florens, potensque erat, CAROLI GVSTAVI Suecorum Regis, iniustis armis petitum et distractum sit. Is sola ambitionis et cupiditatis causa impulsus, pro iustitia belli opportunitatem aggrediendi, atque praedandi commodam occasionem sufficere sibi reputans, durante adhuc aliquot annorum cum Regno Poloniae induciarum tempore, gentem nostram aggressus est: neque tantum viribus suis armisque fidere ausus fuisset, si votis suis vnius perduellis et proscripti ciuis, perversa in patriam et Principem non adfuissent molimina. Sic proditoris in maiorem Poloniam ductus manu, perfidaeque protectionis ementitae vsus titulo, primum Palatinatus Posnanienſis, Calissienſisque, paucorum subscriptionibus (quos non tam perfidia, quam incauta credulitas seduxit) firmatis articulis recepit, ac post

post Magnum Ducatum Lituaniae, lupus iste ouina pelle obductus, intrauit, instantibusque genti Polonae ab Oriente Cosacis, a Septemtrione Moschis, Posnaniam, Varsouiam, Cracouiam, non tam vi aut armis, quam placida loquendo possedit. Non potuit tam repentinus casus in omnibus, nisi eam parere consternationem, quae etiam in constantissimos viros caderet. Hinc Regia Maiestas, Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, Dominus noster Clementissimus, diuertere etiam ad suos in Silesia Ducatus debuit, tot imminentibus periculis, et omnibus Regni incolis, ementita protectione Suedica fluctuantibus, permotus. Inde nobis quoque, ita rebus stantibus, tunc efficacius esse non poterat consilium, quam eidem praenominatae protectioni Suedicae semet subiicere, patriae religionem, iura et libertates eo modo conseruare. Quis enim de patria vno eodemque tempore, a tot tamque potentibus hostibus oppugnata, non desperasset? quis tam dulciter affricanti manum scorpioni, protectionem promittenti, non assentiretur? quis non credidisset sacro sancte oblatis promissionibus? quis verbo Regio non subiecisset omnem conseruationis patriae certitudinem? quis non dedisset fidem tot diplomatibus manu Regia firmatis? Sed mendax, egens, et Regnis Catholicorum inhians natio, non diu latere potuit. Monstrauit breui perfidiam perfidus Rex, complicatisque obtrusae protectionis vexillis, hostilia contra catholicam religionem, iura, et libertates Regni Poloniae, explicauit insignia. Ac vt primum vrbe Cracouiensi potitus, ratus iam vniuersam Polonam se debellasse gentem, in tyrannidem proripuit, conuentionem cum Castellano Kiiouiensi circa deditionem vrbis factam, et a se subscriptam, ac speciali diplomate firmatam, omnino confregit. Vniuersa non tantum aurea, et argentea, sed quacunque minoris etiam valoris suppellectili vrbis ecclesias spoliauit. Campanis ecclesiarum lytrum intolerabile imposuit, omnes ecclesias sacrilega manu perueſtigauit, et si quae cautius conseruata fuerant; inuenit et abstulit. Sacerdotes, Religiosos, Clericos, grauissimis carceribus pressit, et igne etiam ac equuleo probauit, quo thesauros ecclesiarum ostenderent, suasque ecclesias, contributionibus ab ipso impositis oneratas, quamprimum exsoluerent, Nobilium in vrbe domos rebus omnibus spoliauit, ciuibus Cracouiensibus sexcenta millia florenorum exsoluenda imposuit, optimo ad explendam auaritiam et cupiditatem suam vsus instrumento Afredo Wittemberg, ex vltimis finibus terrae progenito Finlando, cui cum a ciuibus Cracouiensibus pro tam ingenti summa iis imposita supplicaretur, ac triginta millium florenorum munus ab illis oblatum reciperet, pro munere illico Senatum ciuitatis illius carcere pressit, nec dimisit, quousque sexcenta et triginta millia florenorum non contulissent. Iam autem quousque sexcenta et triginta millia florenorum non contulissent. Iam autem extra vrbem quot ecclesias, quot conuentus religiosorum, pauperum xenodochia solo aequauit? In aliis vero ciuitatibus et locis per prouincias, omnes ecclesias Catholicas militari depopulationi tribuit; ita, quod e sacra suppellectili scorta militaria vestirentur, et Cyngari exercitum Suedicum sequentes, in casulis et aliis sacris vestimentis publice ad ignominiam ritus Catholici comparuerint, ipsa etiam mortuorum corpora in ecclesiis, et caemiteriis vltimum diem mundi expectantia Christiana quiete, impia manu perturbauit. Episcopatus, Abbatias, et alia bona ecclesiastica inter milites distribuit, ac pias antecessorum nostrorum fundationes, ad profanos vsus conuertit, potissimas eorum portiones haereticis concedendo. Bona nobilium ab omni ante hac onere immunia, intolerabilibus contributionibus afflixit, militum suorum depraedationibus subiecit, contra Christianum bellandi morem fictis verbis antea promissum, igne ferroque in patriam nostram saeuiit: Personas ecclesiasticas, et nobiles viros, e furca suspendere, rotis applicare, bombardis traiicere, igne admoto experiri, et aliis suppli-

ciis

1656

1656 ciis afficere, absque forma iudicii mandauit. Omnia promissa, transactiones, capitulationes a se subscriptas, et fide Regia firmatas, fregit et violauit. Magnum Ducatum Lituaniae contra priorem cum Palatino Vilnensi transactionem in prouinciam redegit, ac Regno Sueciae adiunxit, omnesque immunitates, priuilegia, ac libertates, iisdem in priori transactione concessas, contra fidem datam abrogauit: Vniuersas Poloniae ciuitates et oppida, quae fraude sua et pollicitationibus, ostentataque ementita protectione recepit, ita depraedatus est, vt cum nihil amplius, quod acciperet, supereſſet, marmora ipsa e palatiis auferre, ipsamque Regiam Varsouiae, marmoribus, picturis, statuis, et aliis eiusmodi ornamentis spoliare, et in Sueciam transferre non erubuerit: Arcem Wisnicz, ea ipsa die, qua omnem securitatem et immunitatem eidem verbo Regio cauit, equis omnibus, armamentario, et maioribus aeneis machinis spoliauit: ac paulo post partem arcis, exussit, et centum quinquaginta currus rebus inibi depositis onustos, ex arce eduxit, ipsum etiam arcis Burgrabium, cui fidem dederat, captiuum fecit: Officialibus militum tantam depraedandi licentiam permisit, vt quot illi essent, tot Reges videbantur in contributionibus imponendis, dandis iuribus et exequendis: Fortunas patriae nostrae ciuium saluis Guardiis ipsis manu sua firmatis, et militum praesidiis impositis, fide fracta vastauit, diripuit. Vnicum tandem Regni Poloniae solatium, beatissimae immaculataeque Virginis Czestochouiense coenobium, in quo tot per orbem Christianum miraculis clara beatissimae Virginis imago, a sancto Luca Euangelista depicta, asseruatur, euertere voluit, omnique armorum genere, globis maioribus et ignibus artificialibus, die noctuque illud petiit, ac quatuor septimanarum obsidione pressit, vt hoc Catholicae religionis propugnaculum, cultum nempe sacratissimae Matris e Catholicissimo regno aboleret, ac Lutheranae suae sectae populum fidelem eo facilius deuoueret. Quo vero facilius sacrilegum suum intentum, Ministris suis declaratum, de extirpanda e regno intra triennium S. Romana Ecclesia ad executionem deduceret, Brandeburgum ad belli societatem pertraxit, et foedifragum hunc, ac ingratum Regni Poloniae Vasallum, antiquum a Romana Ecclesia Apostatam, nouis spoliis, e bonis ecclesiasticis, episcopatu Prussiae, auxit. Tot itaque tantisque rationibus permoti, non possumus diutius sub tam impii Regis protectione permanere, huicque eius perfidae tutelae abrenuntiamus, et eandem eiuramus, ac ipsum Carolum Gustauum Sueciae Regem, hostem patriae et gentis Nostrae, ac sanctae Romanae Ecclesiae Catholicae, vna cum omnibus ei adhaerentibus declaramus, et contra ipsum eiusque sequaces, ad vltimum spiritum, pro aris et focis Nostris Nos pugnaturos sacrosancte vnus alteri iuramus. Accedimus itaque ad Nostram rempublicam, cui post Deum, vitam fortunasque nostras debemus, nec ab ea recedemus, quousque patriam Nostram ab hoste non vindicauerimus, Sereniſſimumque Regem Nostrum ac Dominum Clementissimum, IOANNEM CASIMIRVM, pristino et pacato Regni statui non imposuerimus, in quo, vt Maiestatis Diuinae auxilium humiliter proiecti imploramus, ita coram Maiestate Diuina, totaque curia coelesti, ac vniuerso orbe eadem manifestamus, ac de his omnibus solenniter protestamur. Quam nostram manifestationem et protestationem ad perpetuam rei memoriam, Actis terrestribus inseri curauimus. Datum in Zembrow die 2. Mensis Martii Anno Domini 1656.

Haec summa manifestationis exercitus Polonici a Sueciae Regis redeuntis obsequio.

Rex Sueciae a Polonis obsidetur.

Eo modo imminutus viribus CAROLVS Sueciae Rex, Iaroslauia Lezaiscum versus mouere iubet, volens imminentibus periculis suum subducere caput. Paulo enim post, ibidem assequuti Carolum, Lubomierscius, Czarnecius, Sapieha, Wisniouiecius, Sobieſcius,

scius, aliique optimates, arcta obsidione cinxerant Regem, quem et habuissent proeul dubio paulo post captiuum, si victoria vti sciuisset, qui vincere ad Iaroslauiam potuit CZARNECIVS, sed ille certior per exploratores factus, de subsidio Sueciae Regi per Marchionem Badensem ferendo, haud mora relicta tam nobili praeda Sueciae Rege, quem Palatino Vilnensi, Sapiehae custodiendum interim reliquerat, Varsauiam versus, vna cum Lubomierscio, Archi-Marschalco Regni, progressus, prope Czerscum in obuias Marchionis duorum millium inuectus copias, easdem ad internecionem deleuit, ad cuius victoriae nuntium Varsauiae trepidatum est, quod propriis literis postea a Polonis interceptis, non dissitetur ADOLPHVS IOANNES Germanus Sueciae Regis. Quarum literarum hic tenor erat: 1656 nis obsidetur. Marchio Badensis fert suppetias Regi, Eundem Czarnecius profligat.

Literae Adolphi Principis ad Regem Sueciae, Varsauiae d. 8. April.

Quoniam hesterna die prope Czerscum Margrabii cohortes maxima clade ab hoste affectae sunt, nec adhuc scire possimus, quo se nostri receperint, illorum autem, quos in acie succubuisse putauimus, nonnulli singulis horis compareant, ex consilio ac beneplacito Campi Marschalci, quemadmodum etiam aliorum S. Reg. Maiest. fidelium officialium, reliquias reliquarum cohortium, similiter eas, quas sub meo regimine habui, transire nouum per Vistulam extructum pontem iussi, propter annonam nobis ac Principi Radiuilo impetrandam faciliorem, nec non deinceps iuncta manu, si id succedat, eas collectas cohortes, secundum ripam fluminis in succursum Regiae Maiestati mittere valeamus. Quodsi vero difficile hoc in effectum deducere: Optarem, Regia Maiestas voluntatem suam quocunque modo declararet, quid ei consultum videatur, et quid nobis agendum; nam nil aliud nos attendimus, quam vt cum Regia Maiestate Vestra nos copias nostras coniungamus. Vtinam Margrabius non illo die tamdiu substitisset! Locum tenentis Ritteri Dragones vocaui, et colligere volui, sed nuspiam illos inueni. Si melius Regiae Maiestatis Vestrae mandatis innixus fuisset, ac cohortationes meas non neglexisset, non hic dolor capitis illum nunc cruciaret, nec tantam clademperpessus fuisset; quanquam incertas habemus vires hostium; attamen melius illi restitissemus, quam modo id fieri potest, tam exigua nostra manu. Significaui STEINBOCKIO et MILLERO, vt cum omnibus copiis ad Torunium coeant, ac castra metent, vtinam passus liberos illuc interea conseruare possimus, tum nil mali subuereremur. Princeps Radiuilus faciliorem quoque transitum ad Nos haberet; ad Vistulae pontem, victoriam optimam obtinuit, quod apparebit ex cuncta illius relatione. Antea Louicio tormenta huc adducere quaedam curauimus, quae nobis nunc optime seruiunt, et alia cohortibus concessimus. Nec non Steinbockius, aliquot pondera pulueris nitrati nobis submisit, quae nobis spem faciunt, quod non ita nobis facile exitio erunt, dummodo nobis adesset Princeps Radiuilus. Multa alia Maiestati Vestrae significare habeo, si id fieri posset propter periculum. Gedanenses Reginae Sueciae insidias struunt, quando ex Suecia huc vela dabit, vt illam comprehendant, non spero autem aliquid effecturos, optimum esset his in tempore occurrere. Optarem, vt possimus ad flumen Vistulae progredi, ac pedem alicubi figere, donec de Maiestatis Vestrae progressu ac motione certiores fieremus. Audiui Veiherum ad me habuisse literas, nullas autem conspexi, nescitur quo in hac confusione deuenerunt. Resto vsque ad mortem Regiae Maiestatis Vestrae humillimus ac fidelis seruus [79]).

ADOLPHVS IOANNES, Pfaltzgraf.

79) Nullus dubito, licet auctor id non adiecerit, literas has, vel Germanico, vel Gallico idiomate scriptas fuisse, cum exteri principes, literas, suis manibus in rebus arcanis, ad se inuicem dantes, raro, vel nunquam, lingua vtantur Latina. Translatio igitur est, id quod verisi-

1656 Haec ſumma literarum Sueciae Principis ad Sueciae Regem.

Hac duplici intra breue tempus CZARNECIVS potitus victoria, opimiſque de Suecis auctus ſpoliis, Varſauia Thorunium, inde maiorem petiit Poloniam, animo Pomeraniam ingrediendi. Peſſimum id reuera conſilium, et quod tota fere damnauit Europa, relicto Sueciae Rege in meditullio regni, remotas petere prouincias, et quae pro capite ſui vnius haud mora reſtituiſſet Rex. Haerenti interim ad Lezayſko Sueciae Regi, in conſpectu eiuſdem Sendomiria a Polonis capitur, eademque foedum in modum paulo poſt, dolo Suecorum, puluere in altum eiicitur, hilari Rege, qui aereos tunc ridebat Polonos in ſublime volantes. Paulo autem antequam caperetur diripereturque Sendomiria, Sueciae Rex, Nobilium nomina, qui ab ipſo defecerant, aut potius ad legitimum redierant Regem, patibulo Sendomirienſi curauit affigi [80]). * * *

1656 a Nobis nulla cauſa data ſit, quae ad tam damnanda conſilia, eos impellere potuiſſet. Enimuero, ſi alicubi per noſtros quidpiam patratum fuiſſet, quod ſtatum et conditiones in tabulis Protectionis noſtrae expreſſas videretur offendere, omnium primum ad prouidentiam et curam noſtram recurrendum fuiſſet, vt emergentibus malis in tempore occurrere potuiſſemus. Sed accidit praeter ſententiam, vt cum cunctos, promiſſorum et fidei memores, ſub protectione Noſtra, conſtanter manſuros ſperaremus, magnam partem ad illicita et Nobis aduerſa molimina exerraſſe animaduerterimus, quae nunc vindicare facile poſſemus, velificante et fauente ita armis Noſtris ſupremo Numine, vt ſpes non exigua ſubſit, ſupplicium iuſtum ab iis ſumi poſſe, qui a iuſti Domini moderato imperio reſilire veriti non ſunt, niſi omnibus in negotiis actionibuſque noſtris eam rationem praecipuam inire cupiamus, vt clementiae et manſuetudinis laudem caeteris omnibus anteponamus. Quae, vt denuo innoteſca, hiſce Vniuerſalibus omnes et ſingulos Proceres, Dignitarios, Officiales, Nobiles, et eorum ſubditos, qui Noſtrum pridem fauorem amplexi, ſollicitationibus vero inimicorum, vel aliis inuitamentis poſtea decepti, ad praua conſilia prolapſi ſunt, admonere ſtatuimus, ſicuti hiſce eoſdem ſeuere admonemus et hortamur etiam atque etiam, penſitent, quid commiſerint, quamque indignationem meriti ſint, atque inſuper iubemus, vt ſeſe ſine mora turbae rebellium eximant, omnique, cum iis et hoſte, commercio renuntient, ac poſt vigeſimum, ex quo praeſentes inſinuantur, diem, apud Generales Locumtenentes, Commiſſarios et Commendatores Noſtros, nomina ſua profiteantur, ibique acceptis atteſtatis, apud Nos poſtea ipſi, vel per Deputatos, edoceant reſipiſcentiae animum, et voluntatis ſuae commutationem. Quoſcunque vis, vel metus hoſtilis, ad talem datae fidei deſertionem coegit, eis ita proſpicietur, vt eorum ſtatus et dignitatis condigna ratio habeatur, curabiturque, vt, ſi in bona ſua tranquillo animo ſeſe receperint, cum vxore, liberis, et poſſeſſionibus, ſecure viuere queant. Reliquos autem, qui ſola perfidia, vel animi libidine, tranquillitatis publicae, et protectionis noſtrae leges rumpere non erubuerunt, quamuis iuſta indignatione eos perſequi poſſimus, ne tamen rigore vindictae, quam clementiae fama delectari videamur, monendos duximus, per hoſce viginti dies, tempus adhuc eſſe, in quo cum ſanis conſiliis in gratiam reuerti, et in partibus noſtris patrocinii curam quaerere, eandemque ſibi polliceri poſſint. Proinde intra praefinitum tempus, accepto pariter a Generalibus Locumtenentibus, Commiſſariis & Commendatoribus noſtris atteſtato, de renunciato cum refractariis rebellibus et hoſtibus omni commercio, culpam deprecaturi ad nos, ſiue ipſi, ſiue per deputatos, regrediantur, nouis obſequii ſtudiis gratiam noſtram ſibi conciliaturi, niſi in eas incurrere poenas malint, quas poteſtati Noſtrae rebellibus imponendas Deus et natura conceſſerunt, et Nos ſpeciali edicto exponemus; certo ſibi confirmantes, ſerae poenitentiae locum, quem nunc ex ſola Regia propenſione indulgemus, amplius integrum non fore. Haec eſt voluntas et benignitas erga vnumquemque noſtra, quam palam declarare, publicae rei intereſſe putauimus, atque vt eidem quantocius, vnuſquiſque ſeſe accommodet, fidemque et robur tribuat nominis Noſtri ſubſcriptione, et ſigilli Regii impreſſione, haſce communire voluimus, quas dedimus in Arce Marieburgenſi, 1. Maii, 1656. Anno.

CAROLVS GVSTAVVS.

(L. S.)

Edictum

1656

Edictum ſecundum.

Nos CAROLVS GVSTAVVS, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae et Wiſmariae; nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci & Montium Dux.

Notum teſtatumque facimus, quod, quemadmodum ſuperioribus de dato Marieburg. 1. Maii Vniuerſalibus, Senatoribus, Dignitariis, Officialibus, Nobilibus, et eorum ſubditis, qui protectionem Noſtram pridem amplexi ſunt, ſignificatum iuimus: adhuc eſſe tempus, in quo rebellioni et omni commercio hoſtili aduerſus Nos renunciare, et cum ſanis conſiliis in gratiam redire poſſent, quicunque quouis modo, ſpretis protectionis noſtrae legibus, ab obſequio et data Nobis fide reſilierunt, et hoſtibus ſeſe Noſtris adiunxerunt, ita iuſta et ſalutaria monita, fauoremque Noſtrum deinceps aſpernaturis, hocce notificandum decreuimus, vt, quanti illis obſtinata rebellio conſtare debet, euidenter intelligere poſſint. Ordinamus itaque et hoc patenti Diplomate conſtituimus, vt, qui Noſtris vniuerſalibus, de dato Marieburg. 1. Maii editis, ſecundum modum et tempus ibi praefinitum non paruerint, nec debitum reſpectum et obſeruantiam detulerint, iuſtam Noſtram indignationem non declinent, ſed in eas incurſuri ſint poenas, quas in ſequentibus deſcribimus, et ab omnibus in tempore obſeruandas eſſe monemus. Ac primo quidem ſtatuimus, vt quicunque Nobilis Nobilem in praefracta rebellione aduerſus Nos perſeuerantem comprehendere, vel occidere, noſtraeque poteſtati vel viuum, vel mortui eius caput tradere ſuſtinuerit, eidem ſic capti vel occiſi bonorum haereditariorum, ſeu terreſtrium dimidia pars, haereditarie vtenda, fruenda competat, quam vigore huius ei confirmaturos Nos recipimus. Deinde quicunque ruſticus, vel colonus, inque ciuitatibus vel pagis degens, Nobilem aliquem aut Dominum ſuum, rebellioni contra Nos contumaciter inſiſtentem, ſiue viuum, ſiue eius interfecti caput attulerit, eidem eiuſque liberis nonſolum libertatem perſonalem et agrum, quem colit, perpetuo immunem concedimus, ſed etiam Nobilis aut Domini ſui capti vel interfecti reditus, qui ex bonis eius haereditariis annuatim proficiſcuntur, per ſex annos vtendos, fruendos, indulgebimus, ac deinde ita cum illo agemus, vt probatae operae, et promptitudini eius ex voto ſatisfiat. Si vero ex plebeiis aliquis, Nobilem rebellem capturo, inſignem operam nauauerit, vel adiutarit, quamuis ipſe Nobilem nobis non tradiderit, eum tamen poſterorumque illius perſonas, in datae operae pretium, non ſolum a triſti et dura mancipii ſorte vindicabimus, ſed etiam illum agrum, cui inſidet, ab immodicis et infinitis oneribus ad determinatam et iuſtam conditionem reducemus, adeo, vt nec Domino amplius liceat ius aliquod vitae et necis in eum, eiuſue poſteros exercere, ſed etiam prouidebitur, vt ſecundum aequam proportionem annuae exactiones et operae, ad temperatas leges referantur, recognitioque mediocris et mitigata praeſtetur. De quibus ſingulis breui ſingularem a Nobis conſtitutionem, iuri Diuino rectaeque rationi quam maxime conformem, fieri curabimus, eandemque auxiliante ſupremo Numine, mediis a Deo et natura nobis conceſſis, ita manutenebimus, vt ſubditos noſtros fidelitatis ſuae nullo modo poenitere debeat. Atque cum inimicorum Noſtrorum perfida ſtudia, eo praecipue collimare deprehendamus, vt Poloniam iniuriis, vaſtationibus, deſolationibus et caedibus impleant et confundant, in id vnice incumbemus, vt hiſce aliiſque remediis, quae Deus, natura, et recta Nobis ratio ſuppe-

 ditant,

1656 ditant, omnes Nobis subditos, fideque immota deinctos, ab hostium et iniquorum Nobilium, Dominorumque suorum inhumanis, et a Christianitate abhorrentibus vexationibus, liberos praestemus, Poloniamque vniuersam christianae paci, et incolumitati suae restituere possimus. In cuius fidem, et voluntatis nostrae maiorem certitudinem hocce diploma, nominis nostri subscriptione, et sigilli impressione communiuimus. Qui hoc dedimus in Arce Marieburg. die 8. Maii Anno 1656.

CAROLVS GVSTAVVS.

(L.S.)

Haec summa rescriptorum Sueciae Regis, qui tunc Marieburgi securus, Gedanensem animo voluebat obsidionem.

Marieburgi descriptio.

Est autem Marieburgum ciuitas ampla, ad Nogatum, brachium Vistulae sexta ab vrbe Gedanensi leuca sita. Anno Domini MCCCII extructa. Arx vero Anno MCCLXXXI, a fratribus Teuthonicis erecta, sub Magistro Ordinis, HARTMANO, Comite Heldrouiense, natura loci munitissima, valloque fortissimo, et fossa profunda circumdata, muro et propugnaculis, ac commoditate adiacentis Istulae inuicta. Hanc ea tunc tempestate pro Rege Polono defendebant, VEIHERII fratres ambo Palatini, Iacobus et Ludouicus, hic Marieburgensis, ille Pomeraniae Palatinus, aderat SIGISMVNDVS GVLDENSTERN Stumensis Gubernator, eiusdemque arcis pro tunc Procurator, seu, vt vocant, Magnus Oeconomus. Oppugnabat toto Mense VON DER LINDE, Elbingensis Gubernator, Senator Sueciae, fortissimum Borussiae propugnaculum, duobus Suecorum millibus, fraude magis, suique Regis terrore, quam aperta vi. Paulo enim post, aeternum pudendam propugnaculi Veiherius facit deditionem, causatus annonae penuriam, pestiferosque morbos, quibus in ea obsidione amiserat fratrem Ludouicum. Eoque modo inuictum cecidit Marieburgum, quod alias triennalem facile potuit tolerare obsidionem: seu annonae copiam spectes, quam vicina subministrabat insula, de cuius vbertate paulo superius in descriptione Borussiae dixi, seu naturam loci, atque adeo ipsum opere admirando firmatum consideraueris munimentum, cuius crassitudo muri, triginta pedum cernitur; nec milites tali tuendo deerant operi, potius animus Veiherio, Guldensternioque, quos dediti propugnaculi auctores, vniuersa incusabat Europa.

Marieburgum Suecis deditur, d. 9 Martii.

1656

LIBRI VI. CAPVT VIII

SYNOPSIS

Solenne votum Poloni Regis. Chani Crimensis literae ad Regem Polonum. Eiusdem ad Electorem Brandeburgicum legatio et literae. Chmielnicii a Rege Polono postulata. Polonorum ad Cosacos legatio. Chmielnicii responsum. Varsauiae descriptio et oppugnatio. Literae cancellarii ad generalem Vitembergium. Responsum Vitembergii ad cancellarii literas. Sueci succurrunt Varsauiae, sed frustra. Deditur Varsauia Polono Regi. Conditiones vrbis Varsauiensis Regi Casimiro traditae. Varsauiae expugnatio. Nobilitas Varsauiensis Regi Casimiro traditae. Varsauiae expugnatio verba. Responsum Vitembergio exprobrat. Regis Poloni ad Vitembergium verba. Responsum Vitembergii. Regis decretum in captiuos Suecos. Vitembergii responsum. Captiuorum numerus. Petricouia deditur Polonis. Conditiones deditae ciuitatis. Leszno incenditur per Oppalinium. Sueciae Rex turbatur, ob captum Vitembergium. Consilium Radiuili Sueciae Regi suggestum. Radzieieuii rationes de Polonis et consilia. Poloni capta Varsauia domos redeunt. Rex subsistit ad Varsauiam, ibidemque nuntium accipit de hostili Brandeburgici in se animo.

Abeunte in extrema Regni, vt dixi, CAROLO, velut e somno excitus CASIMIRVS, primo solennes Deo exercituum agit gratias, ob reportatam de aemulo victoriam, ob promissa eodem tempore per reducem SZVMOVIVM a Tartaris auxilia, ob Moschorum Caesaris pronum tunc in pacem animum. Deinde solenne votum intra missae sacrificium Virgini deiparae nuncupat in haec sequentia verba:

Votum solenne

Votum Poloni Regis solenne.

A Sereniſſimo IOANNE CASIMIRO, Rege Poloniae, in templo cathedrali ad altare maius, coram imagine beatissimae MARIAE Virginis intra missae sacrificium, ab Illustrissimo et Reuerendissimo Domino Domino Nuntio Apostolico celebratum, immediate ante eleuationem venerabilis hostiae, vniuerso, Clero et Populo audiente et annuente, Senatuque ac tota aula verba Regia excipiente, seque iisdem obligante

factum

Leopoli 1. die Aprilis, Anno Domini 1656.

Magna Dei Hominis Mater et Virgo sanctissima, ego Ioannes Casimirus, Tui Filii Regis Regum, ac Domini mei, Tuaque miseratione Rex, sanctissimis Tuis aduolutus pedibus, Te in Patronam meam, meorumque Dominiorum Reginam, hodie deligo; atque me, meumque Regnum Poloniarum, Magnum Ducatum Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Liuoniae, Czerniechouiae, etc. Exercitus vtriusque Gentis, Populos vniuersos, Tuae singulari tutelae atque patrocinio commendo; Tuam opem ac misericordiam, hoc in calamitoso ancipitique Regni mei statu, contra hostes S. Romanae Ecclesiae supplex imploro. Et quia maximis obligatus beneficiis tuis, impellor vna cum gente mea, ad nouum idque feruidum Tibi seruiendi desiderium; promitto deinceps, meo, Satraparum, Populorumque meorum nomine, Tibi, Tuoque FILIO DOMINO IESV CHRISTO, me cultum vbique et honorem Tuum, per Ditiones Regni mei, omni studio propagaturum. Promitto praeterea ac voueo, me, vbi praeporenti Tua intercessione, et Filii Tui magna miseratione, de hostibus

1656 ſtibus et praecipue Suecis, victoriam obtinuero, apud S. ſedem Apoſtolicam procuraturum, Tibi, Tuoque Filio in gratiarum actionem; vt dies hic quotannis ſolennis et feſtus, idque in perpetuum, habeatur: daturumque cum Epiſcopis Regni mei operam, vt id, quod promitto, a populis meis impleatur. Cum vero (magno animi mei dolore) luculenter videam, propter gemitum et oppreſſionem hominum conditionis plebeiae, in Regna mea, immiſſa a Tuo FILIO iuſto iudice flagella, peſtis, bellorum et aliorum malorum per hoc ſeptennium; promitto inſuper ac voueo, me ſerio, cum vniuerſis ordinibus, pace conſtituta, rationes omnes initurum, vt a grauaminibus iniuſtis, et oppreſſionibus, Populus Regni mei eximatur. Fac o miſericordiſſima REGINA et DOMINA, ſicut eam mentem mihi ad haec concipienda vota dediſti; ita gratiam apud Tuum FILIVM ad eadem implenda impetres.

Similiter quoque factum a Senatoribus Regni.

Ita tunc primum ſubditorum oppreſſioni mederi voluit Polonia, tunc agnoſcere peccatum, iram Dei prouocans, tunc miſereri afflictis, quos continuo ab vno circiter oppreſſerat ſaeculo: Ita tunc ſapere docuit nolentem Deus Poloniam, quae eius ſanctiſſima ante mitigabat DECRETA. Lectae deinde in Senatu a Chano Crimenſi per Szumouium miſſae literae huiuſmodi tenoris:

Chani Crimenſis literae ad Regem Polonum.

Sereniſſimo ac Inuictiſſimo Monarchae IOANNI CASIMIRO, Regi Poloniae, Magno Duci Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, etc. nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Haereditario Regi, Potentiſſimus MECHMET GEREI, Chan Magnorum Exercituum, Crimenſis, Oczakouienſis, Nahaienſis, Perekopenſis, Petiorienſis, Circaſſienſis, Semenecenſis, Kuperacenſis etc.

Sereniſſime Rex et Vicine Chariſſime.

Legatus MAIESTATIS VESTRAE, Dominus SZVMOWSKI, Polonus, literas Nobis a Maieſtate Veſtra attulit, ſimul quoque multa arcana oretenus retulit, ſcitu digniſſima Noſtro. Quanquam nec Nos ex parte Noſtra quidquam omiſimus eorum, quae cum Coſacis ad aeternum ſtabilienda attinebant foedera: eoque fine Miniſtrum Noſtrum Agam, legatum ad eoſdem haud ita pridem expediuimus, pacem et bellum offerentes, prius tamen opinamur Nos aſſecuturos, quod reſponſum indies cum legato operimur. Caeterum in omnibus, in quibus gratum ſe Maieſtas Veſtra ſentit, abunde voluntati MAIESTATI VESTRAE ſatisfiet. Plura mentis noſtrae arcana referet Maieſtati Veſtrae legatus Noſter, quem vna cum Szumouio expediimus. Interim Maieſtati Veſtrae de hoſtibus triumphos, et poſt tot calamitates feliciora auguramur tempora. Bacciſarai 27. Februar. 1656.

Ad proprium Chani Potentiſſimi mandatum.

Eiuſdem ad Electorem Brandeburgicum legatio et literae.

Haec ſumma literarum Crimenſium Chani ad Regem Polonum. Addidit eiuſdem internuntius MECHMET ALI MVRZA, habere ſe ad Electorem Brandeburgicum literas, quas deferret, vna cum Polono legato, ſi per Regem liceret. Placuit Polonis Tartarorum ad Electorem legatio. Neque mora, vna cum PODLODOVIO, Radomienſi Gubernatore, Regiomontum expediunt Tartarorum internuntium. Hujus autem legationis exitus nullus, altius offenſo Electore Polonis, ob Czarnecium in Pomeraniam, vt aſſerebat, mandatum. Tartarus nihilominus Electori Brandeburgico Chani Crimenſis, Domini ſui, tradidit literas, quae apud Electorem ſuſpectae audiebant, quaſi a Polono Submiſſae Rege, inſtructo Tartaro, qui ſe legatum fingeret. Harum autem literarum hic tenor erat.

Non

Non dubitamus, quod Serenitas Veſtra notum habeat, Nos erga Sereniſſimum 1656
Regem Poloniae IOANNEM CASIMIRVM, Fratrem Noſtrum, immutatae amicitiae nexus iurataeque confoederationis vincula conſtanti animo hucuſque retinere. Omnes enim conatus Noſtros ad haec dirigimus, vt Sereniſſimus Rex Ioannes Caſimirus Frater Noſter, ſibi imperium a Deo conceſſum, quiete regat, Regemque Sueciae iuramenti et pactorum cum omnibus Vicinis immemorem, non ſolum proprio pellat Regno, ſed etiam Sueciae Regno tanquam ſua haereditate exuat. Quapropter Nos, dum reſciuimus, Serenitatem Veſtram partes Sereniſſimi Regis Ioannis Caſimiri, tueri; mittimus internuntium noſtrum, Mechmet Ali Murzam, amice poſtulando, vt eo conſtantius Serenitas Veſtra in tam glorioſo haereat propoſito, falſis pollicitationibus Regis Sueciae minime credat. Imo optamus, vt Serenitas Veſtra, eum, qui Principibus debetur, reſumat animum, ereptaſque in imperio ditiones, cui operi, nos quoque vires noſtras adiungemus, nunc recuperet. Perſuadebit Serenitati Veſtrae ad continuationem rectae intentionis, tum Sereniſſimo Regi Ioanni Caſimiro per ſanguinem, tum Regno per iuramentum, quod olim Anteceſſores Serenitatis Veſtrae ſancte obſeruarunt, confirmatus animus: neque permittet Serenitas Veſtra, eum in maiorem excreſcere potentiam, qui omnibus Vicinis ſolitis pacis conditionibus a ſe iuratis ſemper fidem fregit. Cedat itaque Serenitas Veſtra perſuaſioni, amiciſque poſtulatis, hoc pro certo habendo, Nos, quouſque vires noſtrae ſuffecerint, Sereniſſimum Regem Poloniae IOANNEM CASIMIRVM, nunquam velle deſerere, ſed amicorum eius amici, hoſtium hoſtes ſemper conſtantes exiſtemus. Interim ex animo optamus Serenitati Veſtrae congruam a Deo valetudinem proſperoſque ſucceſſus. Datum Bakuſarai, 20. Martii, Anno 1656.

Haec ſumma literarum Chani Crimenſis ad Electorem Brandeburgicum, quas ille ſeu falſas reiecit, nulloque legatum dignatus reſponſo, dimiſit, ſiue elegantia ſtyli ſcrupulum tunc mouerat Electori, ſiue nullum vnquam cum Crimenſi Chano literarum commercium talem ei tunc pepererat ſuſpicionem.

Chmielnicii a Rege Polono poſtulata.

Redeo iterum ad Poloni Regis conſilia, quae tunc agitabantur Leopoli. Expeditis in hunc modum, primo in Moſchouiam, mox in Boruſſiam, legatis, coepit per LVDOVICVM, Polonus Rex, etiam Chmielnicii pronum in pacem tentare animum, nec ille reſpuit tractatus pacis, modo illi e re vniuerſae fierent Ruſſiae. Adiecit, polliceri ſe omnia Poloniae Regi, ſi per futuros Commiſſarios liberum populum Ruſſiae declararet Polona Reſpublica, eo modo, quo Hollandos ante annos decem declarauit Hiſpanus Rex. Obſtupuit tunc primum Graecum Chmielnicii ingenium Polonus Rex, nihilominus ire ocyus Palatinum Ruſſiae LANCKORONIVM CZERINIVM iubet, Chmielnicium omnibus artibus ad ſe alliciendi, ſed cecidit in irritum totus ille Palatini conatus, Chmielnicio omnia in euerſionem molienti Poloniae. Etenim poſtquam Calendis Maii CZERINIVM Regiam Chmielnicii attigerat Palatinus, ſequenti ſtatim die, expoſita ſui aduentus ratione, mutatum iam Chmielnicii aduertit animum, omnia in deterius interpretantis, legationemque Palatini ſuſpectam habentis, quaſi qui Chmielnicii arcana, eiuſque intimos ſenſus Moſchorum reuelaret Caeſari, ſiue hunc metum illi Sueciae Regis praeſens incuſſerat legatus, ſiue illud ipſum cogitanti Chmielnicio, placuit ſtatim exprobrare Palatino, quo facilius deinde incautum feriret, ne tamen omnimode videretur reiicere tractatus, prior palatinum admonet, proponeret pacificationis media, qualia e Polonia attulerat. Caute tunc egit Palatinus. Igitur nihil niſi ſocia, contra Suecorum Regem poſcit Chmielnicii arma, nulla de Moſchorum Caeſare facta mentione. Ad eam autem Palatini propoſitionem, Chmielnicius primo ſubridere, mox iraſci coepit. Et quae, inquit, extrema Veſtri Regis, Veſtrique Senatus dementia eſt? Socia Coſacorum contra Suecos poſcere arma, quae haud ita pridem ad Stawiſzyn, anno elapſo, vno praelio delere voluiſtis, et nunc nulla certa pacis facta mentione, Coſacorum aburi vultis ſanguine? Vt qui per fortitudinem vobis reſtiterunt hucuſque, vt milites egregii, nunc pro Veſtra licentia, iidem cadant vt victimae? Abſit

Reſponſum Chmielnicii.

Ppp 2

1656 Abſit amplius fortibus illudere viris, ſatis ſtulte ſe hucuſque egiſſe, qui Polonis nimium fidebat, ſemper foedifragis; dolere nunc ſe, quod aliquando ad falſos pacis deſcenderit cum Potocio tractatus, ſed hoc tunc dediſſe ſe tempori, vna et ſeni imperatori, quem ſatis in Tartaricis afflixerat vinculis, dediſſe et Regi, quem alium ſuo fingebat in animo quam in re experiebatur; nunc ſciret Polonia, nullos ſe amplius velle admittere tractatus, niſi illi e re vniuerſae fierent Ruſſiae, ſcilicet, declararent Poloni liberos Ruſſos, colerent vt amicos et vicinos, non vt ſubditos et mancipia, eiurarent praetenſiones aeternis tabulis, ſi quas haberent proceres, quoniam ſimul incolere Ruſſiam pax et Polonus non poſſunt.

Haec minacius quam dolentius iactabat Chmielnicius, tacente Palatino, qui deinde paulo poſt ſimulans breui reditum, Czerinio rebus infectis diſceſſit.

Aderat interim Regiae ad Varſauienſia caſtra profectionis dies.

Varſauiae deſcriptio, et oppugnatio.

Vrbs eſt Varſauia Maſouiae metropolis, vt paulo ante innui, munimentis modica, et quam nunc primum, trium Poloniae Regum nobilitauerat domicilium, ſed nihil per ea tempora Suecis modicum, ex mappalibus ruſticis propugnacula, ex pagis vrbes inexpugnabiles compoſuerant. Quot vrbes, tot illis arces et praeſidia erant. Haec ſolo amoeno, ſed ſterili, genio loci inualida, haud multum arte valuit [82]). Primam eius expugnationis molem, Sapiehae Vilnenſi Palatino Rex commiſerat. Is cohortes Lituanas procul muris locauerat, non auſus furorem experiri Wittembergii, qui tunc pro Sueciae Rege defendebat vrbem, deterrimo ſane conſilio. Paulo enim poſt ſubmiſſi a BOGVSLAO RADIVILO ſexcenti pedites, ciuitatem, toto ſpectante Lituano exercitu, intrarunt; auctuſque eo numero militum Wittembergius, tentata ſaepius eruptione, caſtra inuadebat Lituanorum, parumque abfuit, quin ipſummet non caperet in tabernaculo ebrium imperatorem. Interim opportune Rex ipſe Polonus aduenit, cui magna quotidie ex Polonis augmenta erant; redierat CZARNECIVS, vna cum Marſchalco, ex maiori Polonia, et reduxerant militem. Zamoſcius bis mille pedites, vna cum maioribus tormentis adduxerat, comparuerunt victores maiores Poloni vna cum OPALINIO, Podoliae Palatino, cuius victoriam infra memorabo. Aderant prouinciarum in vniuerſum coadunatae copiae. In ſumma centum viginti millia Poloni exercitus ad Varſauiam numerabat Rex, iiſque viribus oppugnabat ciuitatem nouem continuis hebdomadis, quam et primo ſtatim occupaſſet impetu, niſi tanti nominis pepercisſet vrbi, cuius ruinam expectabat miles. Hinc ante generalem oppugnationem ſcripſit Wittembergio Poloniae Cancellarius in haec concepta verba:

Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine et Amice.

Cancellarii ad Generalem Wittembergium literae.

Variantis indies fortunae, cum vel ipſum praeſens bellum abunde ingerat exempla, tum ferocientem ex ſucceſſu arctare animum, atque ex mutatione proſperitatis, ab intutis ſeſe ſubducere neceſſitas ſuadet. Nec indecorum erit Excellentiae Veſtrae (antequam decretoriis armis Sereniſſimus Rex, Dominus meus Clementiſſimus, de hac vrbe ſtatuat) clementiae eius ſeſe committere. Non eſt enim quod Excellentia Veſtra auxiliorum ſpe alat animum, cum alter exercitus Noſter interiaceat obuiam futurus, quotieſcunque quid in rem Veſtram tentari perceperit. Haec licet non ignaro ſcribam, inde tamen initium viſum ſumere deſiderio ineundae amicitiae in poſterum valiturae, ad vlterius proſpiciendum, commoditatibus Principum, Statuum Regnorumque noſtrorum, quorum

82) Munimentorum noſtris temporibus neque rudera ſuperſunt. Caeterum vrbs ipſa, quae antiqua ciuitas appellatur, intra moenia, non omni ex parte, contenta, valde mediocris, tres habens portas, diu noctuque apertas, quaſque nullae excubiae cuſtodiunt, adeo, vt malefactores, qui per portam nouae ciuitatis educuntur, atque ab vrbe relegantur, altera die libere per aliam portam intrare poſſint. Suburbia autem, inprimis Cracouienſe, ſunt magna, ſpatioſa, pulcriſque aedificiis procerumque pretioſis palatiis ornata, ita vt Varſauia non adeo male dicatur, atque ab exteris etiam credatur regni metropolis, licet honor ille iure non Varſauiae, ſed Cracouiae debeatur.

rum miniſtri ſumus, et ſpero Excellentiae Veſtrae id non ingratum futurum, cui me ad praeſens commendo. Datum in Caſtris ad Varſauiam 3. Iunii 1656. 1656

Eiuſdem Excellentiae Veſtrae Amicus ad obſequia paratiſſimus

STEPHANVS DEPILCZA KORYCINSKI,
Supremus Regni Polon. Cancellarius.

His literis perſuadere conabatur Wittembergio Cancellarius deditionem, ſed fruſtra ille veterano militi, et qui viginti arctiſſimas in imperio tolerauerat obſidiones, talia memorabat. Reſcripſit ergo Cancellario Wittembergius in hunc modum.

Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine et Amice.

Reſponſum Wittembergii ad Cancellarii literas.

Tametſi fortuna non ſimpliciter eadem nobis ſemper faueat, eandemque plurimis exemplis haud ſemper benignam experti ſimus, tamen nondum eidem adhuc indignari debemus. Nec a viro honeſto Vobis petere ea licet, quae eidem dedecori et probro futura ſunt. Nullus integer noſtrum fiduſque ad Veſtram adhuc confugit clementiam, Veſtrae virtuti adhuc locus eſt, mihi tuendae vrbis cura commiſſa eſt, nec ſpes Diuinae opis in iuſtiſſima cauſa Sacrae Regiae Maieſtatis Domini mei Clementiſſimi deerit. Fiduciam quoque habendorum auxiliorum, vbi res et neceſſitas eadem poſcet, habeo. Haec cum credere Excellentiam Veſtram putem, pari deſiderio ineundae, quantum inter hoſtes fas eſt, cum Excellentia Veſtra amicitiae, reſpondeo, reſponſurus etiam ſtudio in iis omnibus a parte mea promouendis, quae e re orbis Chriſtiani, S. Regiae Maieſtatis Domini mei Clementiſſimi, patriaeque meae eſſe ſciuero. Quod vt Excellentiae Veſtrae perſuaſum volo, ita eidem me hiſce commendo. Datum Varſauiae 25. Maii, ſtylo veteri, 1656.

Eiuſdem Excellentiae

Amicus ad obſequia paratiſſimus.

AFREDVS WITTEMBERG.

Sueci ſuccurunt Varſauiae ſed fruſtra.

Interim IOANNES ADOLPHVS, Regis Sueciae frater cum Duglaſſio Generali laturi Wittembergio ſuppetias, ad Bugum amnem, quinto ab vrbe ſubſtiterant milliari, non auſi progredi vltra, certiores per exploratores tunc facti, de Polonorum immenſo robore, eorumque contra Suecos rabie, pugnandique auiditate. Igitur ſumma celeritate ab oppugnatione Gedanenſi reuocant Regem, qui tunc nouam cum Electore Brandeburgico, armorum concludebat coniunctionem. Neque ille diu moratus, relicta fortiſſima Gedanenſium vrbe, cum octo ſuorum millibus Varſauiam accurrit, quae iam vno ante die, nempe prima Iulii ſequentibus conditionibus Polono ceſſerat Regi.

Polono Regi deditur Varſauia.

Conditiones Deditionis vrbis Varſauiae, inter Illuſtriſſimos et Excellentiſſimos Deputatos ad id a Sereniſſimo Rege Poloniae, et inter Illuſtriſſimum et Excellentiſſimum Dominum Afredum Wittemberg, Comitem a Derben Regni Sueciae Campi Marſchalcum die 1. Iulii 1656. conuentae.

Conditiones vrbis Varſauienſis Regi Cæſimiro traditae.

I. Illuſtriſſimus et excellentiſſimus Dominus Campi Ductor Wittemberg, Illuſtriſſimus Comes Benedictus Oxenſtiern, Dominus Praeſes collegii militaris, Dominus commendans, Legionum Praefecti, Tribuni militares, reliquique, cuiuſcunque nominis officiales; vt et rei tormentariae adminiſtratores, item omnes officiales ciuiles, libere ab vrbe abſcedant, et tuto educantur. Praeſidium

1656 dium quoque omne vrbe excedet, hoc discrimine, vt qui natione Sueci, et naturales subiecti Sereniſſimi Regis Sueciae fuerint, ſine diſcrimine emittantur, et Thorunium deducantur a copiis Sereniſſimi Regis Poloniae. Subiecti vero et vaſalli Sereniſſimi Regis Poloniae, qui hactenus in vrbe, vel ſub ſignis Suedicis fuerunt, ſint in gratia Sereniſſimi Regis Poloniae; extranei vero, qui in vrbe ſtipendia merentur, et non ſunt ſubditi naturales Regis Sueciae, liberum habeant, vel cum praeſidio, Sueciſque abire, vel ſeruitium mutare, et ſub ſignis militare Polonis.

II. Praeſidium in inſtanti poſt ſubſignationem modernorum articulorum vrbe excedet, et Sereniſſimi Regis Poloniae praeſidio portae vrbis tres, arx ipſa, et clauſtra extra vrbem conſignabuntur, et obtinebuntur ab eo, ita tamen, vt officiales Sueci, quibus libuerit in hoſpitiis ſuis ſubſiſtere, ad triduum in vrbe, libere tutoque poſſint, poſt expirationem vero tridui, a moderna hora numerandi, plane et de toto, omnes vrbe abſiſtant, praeſidium vero ipſum in inſtanti ex vrbe, ad Palatium Oſſolinianum in ſuburbium educetur, ibique per triduum commorari poterunt. Excedet autem praeſidium vrbe expanſis vexillis, funiculis ardentibus, tympanis ſonantibus, inſtructis balis a puluere, et globis ori inſertis ritu militari.

III. Dicti officiales et praeſidium deducentur per exercitus et praeſidia Polonica Thorunium comitata, 100 equitum et 100 Dragonum, terra ſiue flumine abituri. Quibus ſaluus conductus viciſſim hoſtilia ingreſſis tutus erit.

IV. Tormenta bellica maiora minoraque in vniuerſum illuc ſpectantibus in vrbe relinquantur.

V. Aegroti et ſaucii, flumine tuto Thorunium deſcendant, illis vero qui per valetudinem agitationem itineris ferre non poſſunt, in vrbe commorari ad conualeſcentiam vſque liberum eſto, quibus, vbi conualuerint, caeteros ſequi cum comitatu permittatur.

VI. Corpora defunctorum itidem flumine vel aliter deducentur, modo ne ſub hoc nomine alia non conceſſa efferantur.

VII. Suppellectilem, ſarcinas, currus, equos, caeteraque rei familiaris et ſubſtantiam reliquam exportent ſecum obſeſſi, nempe ea, quae propria eorum ſunt, et antiquae poſſeſſionis. Ea vero, quae ex ſpoliis regni, priuatorumque et eccleſiarum, quae ſancta ſunt, vt clenodia, aurum, argentum, tam ſignatum, hoc eſt in nummis, quam fuſum, conflatum, in vaſiſque conſiſtens, veſtes et ornamenta eccleſiaſtica, aliaque periſtromata, et reliqua ſuppellex, ea omnia in vrbe relinquantur. Cui rei cognoſcendae pro more dabuntur commiſſarii. Quantitas vero pecuniae pro dignitate perſonarum exportandae, gratiae et diſcretioni S. Regiae Maieſtatis ſubſint.

VIII. Sexus muliebris libere emittatur, quo voluerint, in vniuerſum, vna cum liberis et neceſſariis et ſuppellectili, eo modo vt ſupra. Quoniam vero matronae quaedam praecipuae et Regno Poloniae in Pruſſia, alibiue ad inſtantiam Suecorum arreſtantur, obliget ſe excellentiſſimus Campi Marſchalcus, eas viciſſim eliberandas iri, et obſides in hanc rem dabit.

IX. In

IX. In puncto Radziuilii, qui ſubditus eſt Sereniſſimi Regis Poloniae, ne- 1556
gantur omnia.

X. Praetenſiones debitorum, ſi quae ſunt, exſoluantur, non moleſta tamen, aut diſtracta exactione.

XI. Captiui, qui in vrbe detinentur, libere dimittantur.

XII. Cauebunt obſeſſi, vrbem ſe relinquere a cuniculis et ſuffoſſionibus tutam, ne quidquam fraudis in deditione ſubſit.

XIII. Cauebit itidem Excellentiſſimus Dominus Marſchalcus Campi Wittemberg ſuo, omniumque officialium et militum nomine, neque ſe, neque vllum ex iis, qui vrbem dedunt, et vrbe excedunt, aut exceſſuri in hoc triduo ſunt, Sereniſſimo Regi Sueciae militaturum, militaturoſque, neque ſe exercitibus Suedicis iuncturos, aut vllo modo arma ſub Suecis, vel quouis Principe, contra Regem Regnumque Poloniae ſumturos, moturoſque, ad ſpatium ſeptimanarum ab hac die memorando 15. omnia haec rata firmaque futura.

AFREDVS WITTEMBERG mpp. BENEDICTVS OXENSTIERN mpp.
ALEXANDER ERSKEN mpp. A. NECHEY mpp.

Fauit tunc abunde Deus votis Poloni Regis, in cuius victrices manus dedidit ſine Varſauiae ſanguine Varſauiam, eoque glorioſius ob ſeruatos innocuos Varſauienſes, quibus paratum expugnatio. erat a Polonis, in capta per vim vrbe cum hoſte excidium. Occupato enim a Polonis Kazanouii palatio, atque pulſis ex monaſterio, temploque diui Bernardi Suecis, cum quaſſata maioribus tormentis moenia, perque murorum ruinas, editaque foramina, magno impetu, diſſono clamore, Suecos iamiam inuaderent, machinaeque bellicae mobiles aliae admouerentur, Wittembergius deſperatis ſuorum rebus, vix inuadentium manus effugit, non aliud remedium ratus, quam Regiam clementiam, Varſauiam ſupra memoratis conditionibus Polono Regi tradidit.

Vix vrbem reliquerat Wittembergius, caeterique Suecorum praecipui, quos Nobilitas omnes ſaluos et incolumes ad caſtra Sueci Regis ſecure deducere ſpoponderunt Senatores, Wittembergio exprovna cum Rege, et ecce oritur tumultus inter Polonos milites, ex occaſione datae Wittem- brat. bergio veniae, quem Nobilitas armata per vim expoſcebat, dolori ſuo immolandum, vt victimam. Addebant Wittembergium belli Suedici contra iurata pacta, primarium motorem et incentorem fuiſſe. Eundem, Colonellum Wolff contra datam fidem durantibus pactis, captiuum Stetinum miſiſſe, eiuſque totam legionem per ſummam fraudem interpiſſe, Poloniam foedum in modum continuis exactionibus peſſumdediſſe, eccleſias ſpoliaſſe, effrenaque licentia, vbique per ſummum nefas integro anno dominatum tenuiſſe. Redderet tunc extortas per vim Nobilitati pecunias, aurea argenteaque vaſa reſtitueret eccleſiis, ſolueret militi ſtipendia, Cracouia ſuum deduceret praeſidium, ea lege ſaluum illum poſſe eſſe, ſed non liberum. Haec paſſim magnis clamoribus excitae in toto Polono exercitu contra Wittembergium audiebantur voces, optimatum, militum, calonum. Caeterum Wittembergius fatalem Polonorum aduertens rabiem, in ſui animatam excidium, Poloni Regis petit conſpectum, ibique in genua ſupplex prouolutus, toto corpore tremens, in faciem ante Regis Poloni concidere enituit conſpectum, prohibente Rege tam vile obſequium, manuque iam in terram cadentem prehenſum, in haec alloquitur verba:

Perfida fortuna, quae vitro ſimilis, dum ſplendet, frangitur, quam inique tecum egerit, video. Caſui certe condoleo Tuo, magnanime Heros, quod victus cadas ad pedes meos, aſt meminiſſe debes, variantis indies huius Deae exempla, quae vt in aliis ante obſeruaſti, ita in me hodierna die mirari debes faterique: Tandem bonam cauſam triumphare. Regis Poloni ad Wittembergium verba.

1656 Ad haec Wittembergius nihil aliud, niſi miſericordiam, fidemque datam obteſta-
Reſponſum batur Regis, liberumque ad caſtra ſui Regis, quem iam in vicinia conſtitiſſe ſparſerat ru-
Wittember- mor, precabatur tranſitum. Regiam laudem aiebat eſſe, parcere ſubiectis, et debellare
gii. ſuperbos. Se nihil eorum conſcium, quae Poloni obiiciebant milites; paruiſſe ſuo Regi, vt fidelem decebat miniſtrum, gubernaſſe vt Campi Marſchalcum, caeterum nihil ſuo egiſſe capite, ſed lateri adhaerentium conſiliariorum, quos Rex illi pro voto ſuo attribuerat. Plura dicere parantem vehemens prohibuit podagrae dolor, fortaſſis et animi; itaque miſericordiam, fidemque iterum obteſtatus Regis, Marſchalci innixus baculo, tremens, tituban ſque receſſit, tota fremente adſtantium turba, qui Wittembergium mille modis, iiſque diuerſis excarnificari clamabant. Nec multo poſt, habito prius ſecretiori conſilio, refertur Wittembergio ſententia Regii Senatus:

Regis decre- *Wittembergium, vna cum aliis decem praecipuis officialibus Zamoſcium ſecuritatis*
tum in ca- *cauſa deſtinaſſe, quandoquidem in caput eius vniuerſi conſpirauerint milites, nec tutum illi vllo*
ptiuos Sue- *modo concedere poſſe, per ſummam Polonorum licentiam in caſtra Regis ſui tranſitum, ſubſiſte-*
cos. *ret interim tantillum Zamoſcii, donec hi furioſorum ponerent venti. Ita deciſum eſſe in ſecre-*
tiori Regio Poloniae Senatu.

Wittember- Deiecto vultu, contractis humeris Regiam accepit ſententiam Wittemberg; pauca
gii Reſpon- reaſſumto ſpiritu, quem amiſerat, paulo poſt proloquutus. Ego vero, inquit, aliam in Re-
ſum. gio verbo ponebam fiduciam, ducerent quo vellent, ſe comitari debere, quia captiuum.

Tali ratione Wittembergium hucuſque victorem, victum Polonia vidit, lupum alias rapacem, ſed qui mane quam rapuit praedam, ſub veſperam cum Polonis diuiſit. Hunc ſubſequenti die NICOLAVS Comes OSTROROG, Gubernator Drohouicenſis honorifice Zamoſcium deduxit, et cum eo captiuos praecipuos, iuniorem WRANGEL, HÖRNIVM, ALEXANDRVM ERSKEN, ADAMVM NECHEY, Generales vigiliarum Praefectos, generalem conſilii bellici praeſidem, ſex chiliarchos praeſtantiſſimos, tres ſecretarios regios. Vltra LAVRENTIVM CANTERSTEIN, ſupremum ſtatus ſecretarium, BENEDICTVS OXENSTIERN Varſauiae infirmus remanſerat. FORGEL vero, ſecundo iam ad Sandeciam captus, Cracouiam ad vxorem tunc alloquendam dimiſſus, breui poſtea Polonorum hoſtis, in campo tertio comparuit, quod infra memorabimus.

Captiuo- rum nume- rus.

Petricouia deditur Po- lonis. Eodem quoque tempore, eiuſdem diei felicitate, Petricouia, Siradienſis palatinatus metropolis, in qua alterna cum Lublino ſedes regni tribunali illuſtris, Siradienſi palatino, ſine ſanguine, poſt duorum menſium continuatam obſidionem, ceſſerat, eiuſdemque ciuitatis gubernator, IOANNES BAPTISTA PIRON, natione Gallus, ante ſubdiaconatus inſignitus charactere, militiae Polonae, vna cum octingentis Suecorum nomen dedit. Ferunt hunc PIRONIVM ante, inter Poloniae Reginae, dum Niuernenſium Princeps eſſet, ephebos, fuiſſe: ideoque ad Reginae perſuaſionem ciuitatem ſatis bene prouiſam dedidiſſe: alii fame coactum aſſerunt, deficienteque annona et puluere, ſalutem ad tempus honeſtis conditionibus a Polonis quaeſiuiſſe. Referam conditiones deditionis, quae huiuſmodi erant:

Conditio- nes deditae ciuitatis Pe- tricouienſis. *Conditiones deditionis ciuitatis Petricouienſis, inter Illuſtriſſimum et Excellentiſſimum D. Ioannem a Koniecpole Koniecpolſki, Palatinum et Generalem Siradienſem, et Nobilitatem eiuſdem Palatinatus et Diſtrictus Opocinenſis, Terraeque Wielunenſis, tum inter Generoſum Dominum Ioannem Baptiſtam de Piron, Commendantem Petricouienſem Sueciae Legionis Duglaſſianae, per Commiſſarios Reginalis Maieſtatis, Generoſum Dominum de Sczuka, et per Generoſum Dominum de Balus initae. die 1 Iulii Anno 1656.*

I. Ciuitas Petricouienſis integra, prout eſt ad praeſens, cum eccleſiis, tectis, domibus ciuium, ingreſſu ciuitatis, intactis omni apparatu bellico, tormentis alienis, maioribus et minoribus bombardis, vulgo Smigownice, Hakownice, ſiue illis, quae in ciuitate inuentae ſunt, ſiue aliunde adductae, cum munitione, pul-

puluere et annona, ſi quae eſt, in ciuitate ad publicum ſpectans, die 2. Iulii hora vndecima Illuſtriſſimo Domino Palatino reddantur et conſignentur, tum cuniculi, ſi qui ſunt, ſub terra, non tegantur. 1656

II. Generoſus Dominus Commendans cum caeteris officialibus, et quotquot ſunt, praeſidiariis, ſeruitium Sereniſſimi Regis Poloniae ſuſcipiat, eique iuramentum ante omnia in ciuitate Petricouienſi, die ſupranominato et hora, praeſtabit.

III. Captiuos omnes, quotquot ſunt, cuiuſcunque ſtatus et conditionis, abſque omni lucro et pretio dimittat, nec vllum amplius, ab aliquo incola regni pactum deſiderabit.

IV. Egredietur de ciuitate cum ſuis praeſidiariis, tam officialibus, quam milite gregario, explicatis vexillis, cum ſono tympanorum, cum gladiis, ſclopetis, et bombardis, accenſis funiculis, globis in ore, puluere nitrato quantum ſufficit, cum vxoribus, liberis, ancillis, ſeruis cuiuſcunque ſtatus vel ſexus, cum omnibus impedimentis, curribus, ſuppellectili, ſine omni praetenſione et reuiſione praedictorum, pro vehendis autem quindecim currus illi dabuntur.

V. Propter maiorem ſecuritatem diſcedentium dabitur comitatus militaris, numero ſufficienti, fientque prohibitiones omnibus, ne illis quid mali in eorum bonis vel perſonis fiat, ſed tanquam ſtipendiarii Sereniſſimi Regis et Reipublicae habeantur, et in caſu neceſſitatis, ſi eos hoſtis aggrederetur, ſuccurſus dabitur.

VI. Ex iſtis officialibus et militibus, legionem Dragonorum 8. Companiarum ſeu cohortum formabit, quaelibet autem cohors, centum hominibus; vt expleatur numerus octingentorum militum, conſtabit. Cui ipſe Dominus Piron cum titulo Colonelli praeerit, eo addito, vt titulum corporis cuſtodiae Sacrae Reginalis Maieſtatis alias Leibguardiae habeat. Quotquot putant obtinebunt Religionem ſuam, et libere exercebunt. Iuſtitia more Germanorum permanebit, et diſciplina militaris obſeruabitur. Quod totum in confirmatione Sacrae Regiae Maieſtatis fiet, licitumque erit Colonello ſuſcipere et dimittere milites quoſcunque et quocunque tempore voluerit.

VII. Aſſignabitur illi locus a Sereniſſimo Rege ſecurus, ad complendam dictam legionem, et ad refocillandas vires, per obſidionem fatigatas, ad quod illi tempus duorum menſium concedetur, quod re, non hiſce verbis Sereniſſimus Rex prouidebit.

VIII. In eo loco, vbi primum conſtiterint, pecunia Domino Colonello trimeſtris pro iis, quos tunc monſtrabit, militibus numerabitur, vel ſecura aſſignatio dabitur, pro quorum tamen conſcriptione nihil recipiet: quantumuero ad conſcribendos vſque ad numerum octingentorum deerit, dabitur ei vel pecunia, vel aſſignatio pretio ſolito dari conſueta pro conſcribendis Dragoniis more Germanorum inſeruientibus. In caſum vero mortis Domini Colonelli, in officium eius Dominus Vicecolonellus, alias Oberſter Leytenant ſuccedet.

IX. Quicunque praeſenti bello et obſidione ſigna eorum ſecuti ſunt, vel ex caſtris Polonicis ad extraneos fugerint, ſiue ſit officialis, ſiue miles et Suecus,

1656 abſque omni praetenſione circa legionem permanebunt, tanquam ad ſeruitia Regis deſtinati, neque quidquam illis imputabitur, ſimiliter etiam, quicunque ex ciuitate ad caſtra Polonica tranſierint a Domino Colonello, non repetentur.

X. Praeteritorum omnium quocunque modo, moderno bello perpetratorum damnorum, iniuriarum, exactionum, incendiorum per militarem exactionem factorum, cuiuſcunque ſtatus perſonis illatorum, tum etiam omnium abſque vlla exceptione, quaenam in bello facta ſunt, datur obliuio, et generalis amniſtia, nec quiſquam ex illis rebus aliquid relinquere debebit, rem autem aliquam referens vel repetens, illis ſpectantibus, puniatur, et omnia reſtituat.

XI. Res militum abſentium derelictae, vna cum vxoribus et liberis, permanebunt penes Dominum Colonellum, quibus ſi poſſibile erit, maritos eorum ad ſe pertrahere debebit, et in auctoratis eos reſtituet.

XII. Et quoniam Eldenburgus, reliquit res, quae ſunt parui momenti, et decem equos minoris pretii in exolutionem hoſpiti ſuo, cui debet centum taleros, dictas res et equos recipiat Dominus Commendans, et hoſpiti ſatisfaciat, reliquum vero, ſi quid ſit, inſeruiet pro militibus, qui equos non habent, pro quibus tum et aliis in ciuitate colligendis nullum datur ei pretium. Iter ſuum verſus Czeſtochouiam, vel vbi Sereniſſima Regalis Maieſtas illi locum aſſignabit, ea, qua poterit, celeritate perficiet.

Quae omnia et ſingula firmiter et inuiolabiliter ab vtraque parte, ſine omni dolo et fraude obſeruabuntur, nec vllarum conditionum occaſiones ſuſcitabuntur. In quorum fidem praeſentes, manibus propriis ab vtraque parte, cum appoſitione ſigillorum ſunt ſubſcriptae. Die, anno vt ſupra ad Petricouiam.

IOANNES KONIECPOLSKI Palatinus Generalis Siradienſis mpp. IOANNES BAPTISTA PIRON mpp.

Deditam Petricouiam duobus menſibus anteceſſerat Vulcano conſecratum, eoque modo in cineres et fauillas redactum nobile LESZNO, familiae Leſczynianae nidulus. Primus enim in hanc ciuitatem, maioris Poloniae nobilium deſaeuiit turbo, Duce Opalinio, Palatino Podlachiae, qui reliquas ciuitates eo terrore occupare ſtatuerat. Fortiter hic oppidanorum audacia, excepit primum Polonorum impetum, ſed tandem per vim captum oppidum, tali vt dixi ratione deleuit Palatinus. Nec poſtea deſtitit vir fortiſſimus victricia ſuorum circumferre arma per maiorem Poloniam, donec Suecos variis praeliis attritos, tandem cedere maiori Polonia coegerit, quod infra memorabimus.

Leſzno incenditur per Opalinium.

Redeo ad Varſauienſem expugnationem, quae tunc Polonorum rebus maximum addidit pondus, vt econtra Suecorum Regem ſumme conſternauit, ob captum Wittembergium, quem patris venerabatur loco. Certior deinde a Duglaſſii vxore, caeteriſque matronis factus (quas omnes ſine lytro, paulo poſt ſecure deducere ad caſtra Suecorum iuſſerat Polonus Rex) de hoſtium in immenſum excreſcente potentia, aduerſus vero Suecos immani rabie, pugnandique pertinacia, indignari fortunae coepit, ac tunc primum dolere, quod CZARNECIVM ſibi infenſiſſimum Cracouia aliquando dimiſiſſet. Hinc ſaepius illa geminata verba Sueci Regis audiebant adſtantes, CZARNECKI, CZARNECKI poenitet me, Te aliquando dimiſiſſe, quem nunc hoſtem atrociſſimum experior ſupra caeteros. Itum deinde in conſilium, ſuadebantque Radzieieuius, Radiuilus ac alii Poloni, eodem in loco ſubſiſtere debere Sueciae Regem. Addebant cauſam, impoſſibile fore diuturnam ad Varſauiam triumphantium Polonorum ſubſiſtentiam. Victores, inquiebant illi, breui domos

Sueciae Rex turbatur ob captum Wittembergium.

Conſilium Radiuili Sueciae Re-

domos ſuas, more gentis et inſtituti repetent, ſatis gloriae rati viciſſe Suecos, debellaſſe Wittembergium, recuperaſſe Varſauiam. Tunc vero derelictum a Nobilitate Polonum Regem facile debellandum iudicabant. Nec vana illos fefellit opinio. Vix etenim Varſauia capta audiebat, cum illico illo ipſo ſub veſperam die, Regem ſollicitare coeperat Polonus miles, miſſionem faceret, ſe tamdiu in caſtris ſine ſufficienti prouiſione ſubſiſtere non poſſe. Cunctante Rege, illi, ſequenti ſtatim die repetebant domos. Primi tamen maiores Poloni, caſtra tunc deſeruerunt Poloni Regis, terruerat illos tyrannicum Sueci Regis reſcriptum, hinc verebantur ne propriis periclitarentur colonis, illorum chariſſimae matres, chariſſimaeque nurus. Maioris Poloniae nobilium exemplum ſequuta mox caetera nobilitas, exceptis Lituanis. Diceres tunc actum ad Varſauiam fuiſſe de Sueciae Rege, eiuſque fortuna coeca. In hunc modum ſpoliatus ſuorum praecipuo robore Polonus Rex, ad Varſauiam toto Iulio menſe ſubſtiterat, non auſus progredi vltra laceſſereque fortunam Suecam.

1656 gi ſuggeſtum. Radzieieuii rationes de Polonis et conſilia. Poloni capta Varſauia domos redeunt. Rex ſubſiſtit ad Varſauiam.

Celebrem tota Europa Varſauienſem expugnationem, Wittembergiique interitum, multi tunc in caſtris praeſentes exterorum ſpectarunt legati, Tartarus, Moſchus, Hungarus et Gallus. Mouit et ipſa Poloniae Regina Glogouia minori Poloniam verſus, quam tamen nonniſi triumphantem, poſt expugnatam Varſauiam, complecti voluit Polonus Rex.

Explicanti interim ad Varſauiam ſuperba victoriarum de Sueco trophaea Polono Regi, nuntiatur Electorem Brandeburgicum, hoſtili animo coniungi Suecorum Regi, nouumque bellum per fecialem indicere Polono Regi.

Ibidem nuntium accipit de hoſtili Brandeburgici in ſe animo.

HISTORIARVM POLONIAE AB EXCESSV DIVI VLADISLAI IV POLONIAE SVECIAEQVE REGIS LIBER SEPTIMVS.

LIBRI VII. CAPVT I

SYNOPSIS

Occasio belli Brandeburgici. Eiusdem literae ad Regem Polonum. Responsum Poloni Regis. Senatus Poloniae scribit Electori. Literae Poloni Regis ad Caesarem. Ad Electores imperii. Ad Principem ab Auersperg. Articuli foederis inter Regem Sueciae et status generales Hollandos. Sueciae Regis literae ad Augustum imperatorem. Brandeburgici cum Sueciae Rege Compositio.

Bellum Brandeburgicum.

1656 Occasio belli Brandeburgici.

Bellum hoc mira FRIDERICI WILHELMI Electoris Brandeburgici inconstantia, ac in res nouas studium fecit. Accessit vetus cum Domo Palatina amicitia, cum Sueciae Rege confoederatio sanguinisque nexus, religio eadem et flagrans, omnibusque potentior affectibus, dominandi cupido. Indigne quoque ferebat, haberi se Prussiae Ducem, pro vasallo Polonis: nec aequis intuebatur oculis Varmiensem Episcopatum in meditullio Prussiae Ducalis. Tempus quoque et occasionem commodam tunc nactus dilatandi imperii, facile in vnam cum Sueciae Rege coaluit factionem. Nec de Sueciae Rege tantopere quaeri debet Polonia: nunquam enim comparuisset ille Polonorum hostis, nisi Brandeburgici inuitatus precibus, conuictus argumentis, quod arcanum propalauit tunc ipsemet CAROLVS, inter solennes epulas, cum anno superiori in Prussia Ducali, necteret moras Elector. Nec ille solennis bellicus in Borussia Electoraii apparatus, contra Sueciae Regem fuit vnquam, sed contra Polonos. Tergiuersabatur Regiomonti toto mense, vt fidem adstrueret Polono Regi; consultabat per legatos Marieburgi, vt Episcopatum Varmiensem, eiusque loci tunc Episcopum VENCESLAVM a LESZNO circumueniret, eoque modo absque sanguine nobilissimum occuparet Episcopatum, quod et successit, quamuis reclamante sacro eiusdem Episcopatus Canonicorum collegio, et protestante de Episcopi sui cum Prussiae Duce armorum coniunctione, et in Episcopatum inuectione. Ita iam tunc auctus, insigni terrae portione, principatu Varmiensi, pari audacia a Sueciae Rege, pridem ante colligato, reliquas petebat Prouincias, Episcopatum enim Varmiensem Episcopi tribuebat amicitiae. Igitur alias semper, inquieto animo Poloniae voluens prouincias, continuis Sueciae Regem molestabat precibus. Cederet sibi maiori Polonia, contigua Pomeraniae Prouincia, illudque vnicum toto mense Ianuario cum Oxensternio agitatum fuisse comperio. Et quanquam in aliud tempus, tunc auidum Electoris animum, prudenter distulisset Oxensternius, concessis aliquibus quae absque praeiudicio Sueci Regis statim concedi poterant; nihilominus Elector, hanc ipsam Sueci moram sui aiens ludificationem, coniungere tunc copias suas cum Sueco noluit, neque Sueciae Rex elatus victoriis, tantopere Electoris ambiebat militem, sufficienti tunc fultus exercitu, ast vbi paulo post in Borussiam redierat, imminutus in Russia milite proprio, tunc primum Brandeburgici assensit postulatis, eique maiorem Poloniam pleno tunc iure, vna cum quatuor Palatinatibus, nihil sibi iuris in posterum reseruando, concessit. Atque tunc primum votis suis potitus Brandeburgicus, arma pridem parata in Polonum Regem conuertit, causa in bellum obtenta Czarnecii in Pomeraniam expeditione. Addidit deinde literas, ad Polonum Regem, quarum haec summa:

Sere-

1656

Serenissime et Potentissime Rex

Domine Cognate et Affinis, vti Frater Obseruandissime.

Aliam saepe precati fuimus sortem, vt et mitiora fata obtingerent prouinciis et regionibus Polonicis. Sed demonstrarunt hactenus rerum exitus, iratum numen, et nondum expiatam satis causam horum malorum. Fecimus interim ea, quae in potestate Nostra posita esse videbantur: nec intermisimus, quod ad pacem, et sistenda cruentissima arma conferre aliquid posse existimauimus. Sed et hoc frustra fuit. Nihilominus tamen bellum ipsum, et cum ipso periculum in dies augmenta capiebant. Nihil tuti circa Nos et prouincias Nostras erat. Ducatus Noster Borussiae quasi obsessus, et imminebant Nobis quasi vltima, nisi ea in tempore firmo tandem consilio auerteremus. Equidem auocauimus semper animum a bellis, et adhuc abhorret mens Nostra a sanguine humano, et praeter pacem ac securitatem nihil desideramus magis. Et vellemus quam maxime, vt haec omnia absque armis comparari et conseruari possint, sed si in causas ipsas et publicum rerum statum intuemur penitius, et, quod praecipuum est, Nostrae et subditorum nostrorum salutis rationem habemus; vndequaque circumstant Nos pericula maxima, et nulla alia, turbulentissimo et incerto hoc rerum statu, comparandae pacis nobis oblata via est, quam si non modo pacta cum Serenissimo Rege Sueciae, quae ex necessitate, et a Regia Maiestate Vestra deserti, et ab ipsis Polonis impugnati iniuimus, constanter seruaremus; at et eiusdem Regiae dignitati, (inprimis cum non constans tantum fama, sed et ipsa Vestrae Maiestatis mandata, Generali suo Czarniecki in scriptis data, vt et aliae a Nostris interceptae literae, Nobis et Prouinciis Nostris vim et hostilitatem annunciarent) arctius coniungeremur. Quod ipsum quoque nunc factum est: quodque hisce ipsis, Vestrae Regiae Maiestati significandum duximus. Securam de caetero esse iubentes de serio Nostro pacem promouendi studio, quodque nihil praetermissuri simus vnquam, quo hoc desideratissimum bonum reduci iterum possit, modo et Vestra Maiestas, re ipsa testetur, idem sibi magis curae cordique esse, quam incerta et dubia arma, quae experiri alias, et in posterum necesse habebit. Quam de caetero bene valere cupimus. Datum in Arce Nostra Regiomonti, die I. Iulii, Anno 1656.

Electoris Brandeburgici literae ad Regem Polonum.

Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae

Cognatus et Affinis vti Frater Obseruandissimus

FRIDERICVS WILHELMVS, Elector.

Haec summa literarum Electoris Brandeburgici in Prussia Ducis ad Polonum Regem Cognatum et Affinem vti Fratrem obseruandissimum. Rescripsit illi Polonus Rex in haec genuina verba:

IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolensciae, Czerniechouiaeque: nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorum haereditarius Rex; Sereniissimo Principi, Domino FRIDERICO VILHELMO, Marchioni Brandeburgico, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario etc. etc. Cognato et Affini, vti Fratri Nostro Chariissimo salutem et omnis prosperitatis incrementum.

Responsum Poloni Regis ad Brandeburgicum.

1656 *Sereniſſime Princeps, Domine Cognate et Affinis vti Frater Chariſſime.*

Moderationis et recte cuſtoditi vinculi, quo Reipublicae Polonae Ducalis Pruſſia ſancte firmiterque cohaeret, nemo equidem probus gnaruſue laudem Nobis negauerit. Quo magis admiratio dolorque Nos tenet, Serenitatem Veſtram nulla prorſus cauſa, ex Vaſallo fidoque Principe, in hoſtem Noſtrum, et Regni Noſtri degeneraſſe. Stetimus hucuſque aduerſum populi voces: neque deſumus, aperta licet iniuria, honeſtae tamen et meliori de Serenitate Veſtra opinioni acquieſcere. Inde, qua literis, qua internuntiis frequenter miſſis, omnia pertentauimus, vt iurata Nobis Regnoque noſtro fides, quam vtilitas forte aliqua, vel ſpes incerta, Serenitati Veſtrae potior eſſet, neque antiquus Pruſſiae ſtatus, indecora animi mobilitate, et fluxis conſiliis concuteretur. Sed inueniri modus, et ratio nulla potuit, quae obſeratas bonis monitionibus aures recluderet, adeo vt tres Ablegati Noſtri, nullo literario reſponſo dimitterentur, quartus tandem vix credentiales obtinuit. Ab his gradibus eo deuentum, vt Serenitas Veſtra data poſtremum epiſtola Regiomonti, die prima Iulii, ſocium et amicum hoſtis noſtri palam induerit, bellumque Nobis et Regno noſtro clarigarit. Verbis deinceps factum ne deeſſet, nuperrime eadem (fruſtra obnitente fidemque iuratam et fas acclamante internuntio noſtro) die XIX. Iulii lectum exercitum pro Suecis in Regnum noſtrum, ſeque vna caſtris Suecorum admouit. In tam enormi iuris Diuini humanique laeſione, quid indignemur magis, aut quid remedii vltra quaeramus? niſi vt primum Deum et Orbem, violatae fidei teſtem et iudicem inuocemus. Nullius vel minimae cauſae conſcii ſumus, quam Serenitas Veſtra contra Nos Rempublicamque Polonam ſpecioſe obtendat. Exercitus Polonus, cui detrimenta praeteritae hyemis aſſignare videtur, in fatali illa rerum perturbatione minime Noſter fuit; Nos profecto ſuaſimus, diſſimulauimus, obteſtati ſumus. De Epiſtola Noſtra ad generoſum Czarnecium, Caſtellanum Kiouienſem, alicubi intercepta, orbis ita habeat, priuatam fuiſſe, nec hoſtile quidquam illa contineri, quinimo procurrenti Czarnecio, iamque vicino, continere manus, et exercitum a Pruſſia, ſupremi iuris Noſtri Regnique Poloniae Prouincia deflectere imperauimus. Iratum Nobis fuiſſe Numen, et nondum ſatis expiatam malorum cauſam, quod epiſtola Serenitatis Veſtrae obiectat, neque nos ipſi pro reuerentia Diuinae Maieſtatis diffitemur. Haeccine tamen iure et ſatis cauſa, quae Serenitatem Veſtram in Suecorum partes detruſit? tentandaeque, aduerſum Nos ſupremum Dominum Regnumque Poloniae, rebellioni accinxit? Modum profecto talem conatumque arma cruentiſſima, vt praetacta eius epiſtola loquitur, ſiſtendae reducendaeue pacis, nemo aequus rerum arbiter affirmet. Non eſt profecto, quod Serenitas Veſtra ambitioſo nomine pacis armatus ludat. Coerceri debuit intra Pruſſiam exercitus, ſi pacis ſtudium quam belli magis placebat. Irrumpenti in Regnum aduerſum Principem, et poſtquam arctius hoſti coniungi gloriatus eſt, perſonam denique ſuam eidem pignoranti, quo pacto deſiderium curamue pacis tribuamus. Incerta equidem et dubia arma Serenitas Veſtra nobis minatur, ſed neque hoſtis Martem omnino totum poſſedit, amplexuque tam arcto tenet, vt labi fortunam et aliquando elabi non ſit neceſſe. Cum vero publici rerum ſtatus et ſubditorum propriaeque imprimis ſalutis cauſam epiſtola praetendat, facilis via et ratio erit (ſi monſtrantibus Nobis rem penitius Serenitas Veſtra intueatur) qua ſe periculis maximis exuat, incertoque hoc et turbulentiſſimo rerum ſtatu, pacem Ducatui Boruſſiae conſeruet. Stare conſtanter pro Nobis, pro iuſtitia, proque iurata

iurata fide, vel ſi rebus id forte Serenitatis Veſtrae et ſubditorum incommodet, 1656
abire retro, Pruſſiaeque intra fines ſecure exitum ſpectare, hoc ſaluberrimo modo, ſtatum Serenitas Veſtra optime defenderit, abrumpere Nobis fidem non poteſt, vt non et vincula ſimul omnia rumpat ſtatumque euertat. Porro qua fiducia Serenitas Veſtra arctam cum Suecis coniunctionem Nobis ſignificandam duxit, eandem Nos iure tamen ac legitime diſceſſionem intra triduum Regno Noſtro cum exercitu omni Serenitati Veſtrae intimamus. Quod ſi vltra praefixos tres dies, hoſtium in partibus egerit, nos ſolutos poſthac vinculo omni eſſe ac fore eidem declaramus. Et qua licentia Serenitas Veſtra arma in viſcera Regni Noſtri promouit, exemplum Nobis vel maxime nolentibus erit, hoſtilia pariter in ditionibus ei ſubiectis audendi, patrandique. Iudicabit praeſens poſteraque aetas, malorum omnium initia et progreſſum a Serenitate Veſtra fluxiſſe. Cui de caetero meliora conſilia, et bonam valetudinem a Deo precamur. Datae Varſauiae die XXIII. Iulii, Anno MDCLVI. Regnorum Noſtrorum Poloniae VIII. Sueciae vero IX. Anno.

His Regiis literis addidit et Senatus proprias in hunc ferme ſenſum:

Cum Serenitas Veſtra, antiqua et ſacroſancta Ducalis Pruſſiae cum Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae vincula abruperit, proque Vaſallo Sacrae Regiae Maieſtatis, ac Reipublicae fido Principe, ſocium et foederatum Suecorum profeſſus, poſtremo in viſcera Regni cum exercitu venerit, caſtriſque hoſtium ſe, vireſque ſuas admouerit, conſultum duxit Sacra Regia Maieſtas, et Senatorius ordo, ac vniuerſa Reſpublica, ius ſupremae auctoritatis in Serenitatem Veſtram diſtringere, dignitatemque ſuam fortibus et legitimis remediis tueri. Viſum et Nobis Regni Proceribus, Regiis literis haſce noſtras adnectere, vt Serenitas Veſtra plane intelligat, matura deliberatione et publico ſcito cum eadem procedi. Erit in manu Serenitatis Veſtrae amicum vel hoſtilem modum amplecti. Nos certe orbis vniuerſus abſoluet, ſi remediis omnibus fruſtra conſumptis, decoras poſtremo, et dignas Maieſtate Regia ac Reipublicae inituri ſumus rationes. De caetero Serenitati Veſtrae officia cum voto proſperae valetudinis commendamus. Datum in caſtris Varſauienſibus. Die 24. Iulii 1656. Senatus Poloniae, ſcribit Electori.

Haec ſumma literarum Senatorum Poloniae ad Electorem Brandeburgicum, in Pruſſia Ducem, qui tunc duodecim millia lecti exercitus, Sueciae ad Varſauiam coniunxerat Regi. Venienti obuiam proceſſit ad quatuor circiter leucas Carolus, eumque fraterne complexum, in ſua deinde induxit caſtra. Nuntiata ea Polono Regi, magna eundem affecere cura. Igitur haud mora Auguſtiſſimo imperatori, in haec genuina ſcribit verba:

Sereniſſimo et Potentiſſimo Principi, Domino FERDINANDO TERTIO, *Diuina fauente Clementia Electo Romanorum Imperatori, ſemper Auguſto, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Regi, Archiduci Auſtriae etc. etc. Domino Cognato et Affini, vti Fratri et Conſobrino Noſtro Chariſſimo,* IOANNES CASIMIRVS, *Dei Gratia Poloniae et Sueciae Rex, ſalutem.* Literae Poloni Regis ad Caeſarem.

Quod nuperrime per internuntium Noſtrum ſpecialem inſinuandum duximus, id plane certum et compertum ſit Maieſtati Veſtrae, Electorem Brandeburgicum, nulla Dignitatis Noſtrae, fideique Nobis debitae reuerentia pertinaciter pro Sueco ſtare, iamque in caſtra Suecorum cum duodecim millium exercitu veniſſe. Obuius ei in itinere fuit Ablegatus Noſter, ſed apud infenſum et obſirmatum contra Nos animum nullae rationes, et ſaniora conſilia valuere. Ex eodem

1656 eodem Ablegato Noſtro vltra rumorem intelleximus, mediationem Maieſtatis Veſtrae a Suecis non admitti. Cui rei fidem adſtruit hodiernus ad Nos, Legati Gallici de LVMBRES Varſauiam aduentus. Nobis ea ſemper erga Maieſtatem Veſtram conſtantia fuit, eritque Deo volente, vt integritas commodaque Regni Noſtri, Dignitatis Maieſtatis Veſtrae, et publica chriſtiani orbis pace non ſeparentur. Caeterum et Maieſtatem Veſtram huic curae opportunae ſerioque intendere, ac proſpicere futuros caſus ex animo vouemus. Quod prudentiae Maieſtatis Veſtrae interim ſuggerentes, eidem proſperam valetudinem, et longaeuum imperium a Deo precamur. Datae in vrbe Noſtra Regia Varſauienſi, die XXI. Iulii, Anno *1656*.

Haec ſumma Poloni Regis literarum ad Auguſtum Caeſarem. Additae ad Electores imperii huiuſmodi tenoris:

Ad Electores imperii.

Hoſtilitate contra Nos Regnumque Noſtrum ſuſcepta, temperantius vti ſibi Rex poſſeſſor Sueciae videbatur, niſi Feudatarium etiam Noſtrum et Regni Noſtri, Brandeburgicum Electorem, factionibus primum, mox foederibus, bello aduerſum Nos illigaſſet. Quod tametſi ille per literas Nobis clarigarit, ſpem tamen aliquam aluimus, fore, vt repetita vltimum legatione, ad officium fidemque reduceretur. Sed internuntii Noſtri obuiam facti, fruſtra conatus fuit, immoto pertinacique Electore, Suecorum a partibus non recedere, quibus etiam ſocias vires, duodecim millium exercitum coniunxit, caſtriſque ipſemet Suedicis die 19. Iulii inuectus eſt. Alienum profecto id, aduerſumque cum officio Feudatarii Principis, tum Generalibus Regni Noſtri, et antiquiſſimis cum imperio pactis Serenitas Veſtra iudicabit. Caeterum Diuinae tutelae Nos, cauſamque Noſtram permittimus. Si quid vero aduerſi Electori, eiuſque Prouinciis acciderit, id nulla iniuria vel cauſa Noſtra factum, Serenitas Veſtra, ſimul ac vniuerſum Electorale collegium dignoſcet. Datae in vrbe Noſtra Regia Varſauienſi die XXI. Iulii, Anno MDCLVI.

Scripſit et Cancellarius Principi ab Auerſperg, ſummo tunc rerum Germaniae Miniſtro in hunc modum:

Illuſtriſſime et Excellentiſſime Domine,

Domine Amice Obſeruandiſſime,

Ad Principem ab Auerſperg.

Non ambigua iam et nutante fama ſed certo certiore notitia habemus Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, ex Vaſallo fidoque Principe, in hoſtem Sacrae Regiae Maieſtatis Regnique Poloniae degeneraſſe: inuectumque iam caſtris Suecorum cum exercitu duodecim millium, quid niſi perniciem noſtram meditari. Itineranti fruſtra obuius fuit Sacrae Regiae Maieſtatis internuntius, qui tamen re penitius intellecta, publicum rumorem firmat euenturum, quod vltimis meis Excellentiae Veſtrae praedixi, vt mediatio Sacrae Caeſarea Maieſtatis a Suecis non acceptetur. Idem portendere videtur Gallici Legati D. de Lumbres hodiernus Varſauiam aduentus. De Tartarorum myriadibus conſtet Excellentiae Veſtrae, illos ſubſidio Nobis accurrere, iamque e proximo intra vnum et alterum diem in conſpectum hoſtis venturos. In tanto motu aeſtuque rerum, ſi quid conſilii Sacra Caeſarea Maieſtas ineundum ſibi putet, id celeriter perficiendum. Nam vtcunque Sacra Regia Maieſtas, Reſque publica Polona dignitati Sacrae Caeſareae Maieſtatis, publicique orbis, ac vicinae praeſertim Germaniae tranquillitati ſtudeat. Varie tamen euentus inter mortales ludunt, et longiorem

rem moram Nobis ſumme damnoſam, prudentia Excellentiae Veſtrae ſerio arbi- 1656
tretur. Cui interim me, meamque promptitudinem obnixe commendo. Datae Varſauiae XXI. Iulii, Anno MDCLVI.

Rem altius repeto de hoc Brandeburgico cum Polonis bello.

Redux Sueciae Rex, vt ſuperius innui, ab expeditione ſatis illi infauſta Iaroslauienſi, in Pruſſiam, Elbingam, diuerterat: inde haud mora Marieburgum feſtinans, vbi Deputatos Hollandorum de libera in Balthico mari nauigatione et ſecuritate, cum Suecis tractantes inuenit.

Huius autem Compoſitionis haec ſumma fuit.

Articuli foederis inter Regem Sueciae et ſtatus Generales Hollandos.

Articuli Foederis et Pactorum inter Regem Sueciae, ac Status Generales Hollandos etc. Die Iouis XVI. Calend. Sextil. Tractatus Suecorum cum vniti Belgii Ordinum Deputatis Commiſſariis in Curia Elbingenſi nonſolum feliciter coepere, ſed et ea dexteritate ſucceſſerunt, vt Calend. Septemb. concluderentur, et noctis illius hora duodecima, ab vtraque parte ſubſcriberentur, quorum receſſus integer hic eſt.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Caroli Guſtaui, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis, Magni Principis Finlandiae, Ducis Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae: Principis Rugiae, Ingriae et Wiſmariae; nec non Comitis Palatini Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Ducis, Regis ac Domini Noſtri Clementiſſimi, Regnique Sueciae Senator; Cancellarius; Gubernator Generalis Pruſſiae; Praeſes Collegii commerciorum, et Iudex Prouincialis Norlandiae Occidentalis, Lapmarchiae, Iemptlandiae Herredaliaeque, Ericus Oxenſtierna, Comes Moreae Auſtralis, Liber Baro in Kimitho; Dominus in Tydoo, Wyby, et Iuliſtads, Sacrae Regiae Maieſtatis Admiralis, Locumtenens et Conſiliarius Admiralitatis, Steno Bielcke, liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Graſoon et Tanga: Et Sacrae Regiae Maieſtatis Conſiliarius bellico-aulicus, Guſtauus Baner, liber Baro in Gamble, Carlebii, Dominus in Orlebii, Kruckerum et Verpel. Nec non Celſorum et Praepotentium Dn. Dn. Ordinum Generalium foederati Belgii ad Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae legati extraordinarii, Goddefredus van Selingerland, Conſiliarius et Aſſeſſor vrbis Dordracenae, Primarius ad conuentum Ordinum Hollandiae et Weſtfriſiae Deputatus Ordinarius. Fredericus a Dorp Maſdami Dominus, Conſiliarius Ordinarius in curia Hollandiae, Zeelandiae et Weſtfriſiae. Petrus de Huyberd, Conſiliarius Vrbis Medioburgi Zeelandorum. Iohann. Isbrandts Houeling in Ruygewardt, reſpectiue Deputati ad Conſilium D. D. Ordinum Generalium foederati Belgii, nomine Prouinciarum Hollandiae, Zeelandiae, ac vrbis Groningae, Omlandiae etc.

Notum teſtatumque facimus omnibus et ſingulis quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, quod ſicut a multis retro annis, inter Sacrae Regiae Maieſtatis Anteceſſores, Reges Regnumque Sueciae, et Celſitudines D. D. Ordinum Generalium foederati Belgii, intimior amicitia et correſpondentia, integerrime culta fuit, eaque foederibus aliquot ſuperſtructis eum in modum corroborata, vt ad firmitudinem ſuam, nihil niſi continuationem et renouationem ſubinde requiſiuerit: Ita Sacra Regia Maieſtas Sueciae, et Celſitudo Dominorum Ordinum Generalium foederati Belgii, nunc viciſſim ob oculos ſibi poſuerunt foedus, quo ab anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſe inuicem obſtrinxerunt, et illud, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto ad reciprocam conſeruationem ſe mutuo ſtrictioribus conditionibus deuin-

1656 xerunt, ſimulque ad idem foederis praedicti inſtitutum tanquam ad normam reuocantes, praeſentium temporum circumſtantias, nobis, ſupra nominatis commiſſariis, et legatis vtrinque conſtitutis, iniunxerunt, et in mandatis dederunt, vt inſpectis ſaepius indigitati foederis tabulis, earundem obſeruantiam ſtabiliremus, atque inſuper, ſi quid praeſens vtriuſque ſtatus requireret, id communi bono ac vſui adoptaremus. Hoc itaque propoſito congreſſi, poſt commutata vtrinque procuratoria, ſauente Deo, de commiſſis nobis negotiis ſequenti ratione conuenimus:

Initio quidem, quemadmodum foedus anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi, die I. Septembr. Stockolmiae concluſum, vt et eiuſdem confirmationem anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto die 15. Auguſti factam atque extenſas et adſtrictas ibidem pro conſeruatione mutua, leges praeuidimus; ita omnes in vtroque foederis inſtrumento comprehenſas conditiones hiſce renouamus, redintegramus et in pleno vigore ſuo firmamus, non aliter ac ſi ſinguli articuli hic verbotenus inſerti eſſent firmiter promittentes, a Sacra Regia Maieſtate, Regnoque Sueciae, et Cels. D. D. Ord. General. foederati Belgii ſaepius praetactum foedus, in omnibus ſuis articulis et clauſulis inuiolabiliter obſeruandum et religioſe adimplendum fore. Imo ad ſcopi ipſius, qui artic. I. praedicti foederis, indigitatur, clariorem intellectum declaramus, eundem directum eſſe, et in poſterum fore contra turbatores omnes, et quoſcunque; qui aduerſus perſpicuum ipſius foederis ſenſum quidquam agere ſuſceperint. Praeterea examinantes ſaepe dicti foederis intentionem, comprehendimus illam non alio collimaſſe, niſi vt ſimul cum defenſione reſpectiue Regnorum et Prouinciarum vtriuſque confoederati, et conſeruationem dominiorum, iurium, libertatum, immunitatum, pactorum et receptarum conſuetudinum, libertas commerciorum, et nauigationis in mari Balthico et Septemtrionali ad anguſtias canalis Anglo-Gallici excluſiue, aſſeratur.

Ideoque conſiderantes, quantum interſit vtrinque, vt hoc inſtitutum in turbato hocce Europae ſtatu integrum et illibatum ſeruetur, eo cogitationes et conſilia noſtra direximus, vt non tantum reſpectu aliorum praedictam nauigationis et commerciorum libertatem tueremur; ſed et inuicem certas ſtatueremus regulas, quibus omnia impedimenta aduerſus praedicti foederis leges, inter foederatos, et eorum reſpectiue, regna, prouincias, ditiones et ſubditos, amouerentur, imo ſi quid huic contrarium poſt tempus initorum foederum irrepſerit, id viciſſim ad priorem obſeruantiam reuocaremus.

In hunc itaque finem conuenimus, quod neque occaſione praeſentium bellorum atque motuum in Polonia, Boruſſia, et regionibus vicinis, neque aliis de cauſis, quae in poſterum exoriri poterunt, alteruter foederatorum ſui foederati, aut eius ſubditorum, libertatem nauigationis et commerciorum in mari Balthico, et Septemtrionali, atque in fluminibus, praedictis maribus influentibus, vllo modo directe, vel indirecte, aduerſus clarum foederis anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi quinti, contextum impediet, vel grauabit, aut a ſubditis ſuis impediri vel grauari permittet, aut aliquam ipſis remoram iniiciet, aut a ſuis iniici curabit, quin potius eum nobiſcum reputamus, qua ratione inter vtriuſque foederati proprias ditiones et ſubditos commerciorum vſus quam optime prouehi poſſit, et ipſo experimento egregie comprobatum eſt, vectigalium moderationem non parum eo conducere, eamque tempore concluſorum ante-

antehac foederum, atque annis quibuſdam in tempus immediate ſubſequentibus 1656
in vtriuſque foederati ditionibus commode ſatis huic inſtituto adoptatam fuiſſe, promiſimus, atque hoc ipſo promittimus et ſpondemus, quod vterque foederatorum, ſaluis Regalibus et iuribus ſuis circa vectigalium conſtitutionem et diſpoſitionem, ad parem circiter modum et taxam atque tum temporis conſtituta vectigalia fuerunt, eadem dehinc in ſuis reſpectiue regnis, prouinciis, ac ditionibus, quas nunc poſſidet, vel in poſterum poſſeſſurus eſt, accommodabit; adeo, vt quam moderatiſſima vectigalia, telonia et onera, commerciis et nauigationi vtrinque imponantur. Huic etiam adiicimus, et per expreſſum cauemus; quod neuter foederatorum, aut eius ſubditi, in ſui foederati ditionibus, circa vectigalium ſolutionem aliter haberi, aut magis aggrauari debeant, quam coniunctiſſima quaeque gens peregrina, quae potiſſima fruitur ibidem, aut in poſterum fruetur a vectigalibus immunitate. Quodſi vero contingat, certas ob cauſas et vrgente neceſſitate noua, maiora grauioraque vectigalia in alterius foederati dominiis imponenda eſſe, tum eo caſu maius grauiuſque, a foederato, aut eius ſubditis non exigetur, quam ipſi proprii incolae aut ſubditi pendunt, ſub qua tamen aequalitate nullatenus intelligi debent peculiarium ſocietatum et ſubditarum perſonarum ſpecialia priuilegia. Vt vero omnibus liquido conſtare poſſit, quod hoc tractatu tum Sacra Regia Maieſtas Sueciae, tum Celſitudo Dominorum Ordinum Generalium foederati Belgii, nihil aliud ſibi propoſuerint, quam obſeruantiam priorum foederum, et conſeruationem ſuorum vtrinque dominiorum, iurium, et libertatis commerciorum et nauigationis, atque vt palam pateat, id vtrinque agi et intendi, quo cum omnibus ſuis reſpectiue bonis vicinis, amicis et confoederatis firma ſtabiliſque pax colatur, et pacta conuenta foederaque cum iis rite coſtanterque conſeruentur, conuenit atque concluſum eſt, quemadmodum hiſce conuenit et concluditur, quod Reges Galliae et Daniae, item Protector Angliae, Scotiae, et Hyberniae, tum etiam Elector Brandeburgicus, huic praeſenti tractatui includantur, cum omnibus eorum reſpectiue regnis, prouinciis atque dominiis, et in comprehenſas ibidem conditiones recipiantur, ſi includi et comprehendi velint, ac deſiderent atque cum omnibus iis conditionibus, et commodis, de quibus praeſenti inſtrumento inter confoederatos conuenit, gaudeant.

Ciuitas Gedanenſis comprehendatur et includatur, quemadmodum hiſce comprehenditur et includitur, cum omnibus ſuis iuribus, et priuilegiis immunitatibus, libertatibus, et legitimis receptis conſuetudinibus, ſalua atque integra fide, quam praedicta ciuitas Regi Poloniae debet, ita vt ceſſet inter Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae, et ciuitatem Gedanenſem omnis hoſtilitas. Proinde neque altiſſimi praememorati Reges Galliae, Daniae, Protector Angliae, Scotiae, et Hyberniae, Electorque Brandeburgicus, neque priuata ciuitas Gedanenſis, ab alterutro foederatorum vllo modo impedientur in nauigatione atque libero commerciorum vſu, in praedictis maribus et fluminibus, vt nec in regnis, prouinciis, ditionibus, vrbibus, dominiis, iuribus atque libertatibus ſuis, directe vel indirecte, vllum iis incommodum, vel iniuria, nunc vel in poſterum ab alterutro foederatorum creabitur; ſed contra vera, firma, amicitia, ac bona correſpondentia mutuo et reciproce cum iis coletur.

Vt vero haec, quae ſupra ſcripta ſunt, tanto firmiora maneant, ac religioſius obſeruentur, quemadmodum a die huius concluſi tractatus illa religioſe obſeruanda fore ſuſcepimus et promiſimus, ad Sacrae Regiae Maieſtatis et Celſitudinis

1656 Dominorum Ordinum Generalium foederati Belgii vlteriorem ratificationem, quae intra quatuor ad ſummum abhinc menſes inuicem reddenda et commutanda erit, duo huius tractatus inſtrumenta eiuſdem tenoris confici curauimus, quibus ſubſcripſimus propriis manibus, eaque ſigillorum noſtrorum impreſſione roborauimus. Actum et concluſum Elbingae, die prima et vndecima Sept. anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti.

ERICVS OXENSTIERNA. (L.S.)
GODOFR. VON SELINGERLAND. (L.S.)
STENO BIELCKE. (L.S.)
FRIDERICH A DORP. (L.S.)
GVSTAVVS BANER. (L.S.)
PETRVS DE HVYBERD. (L.S.)
IOHANNES ISBRANDS. (L.S.)

Auguſti etiam Caeſaris legatum hucuſque detentum Comitem a Poettingen Viennam dimiſit, datis ad Caeſarem literis, quarum haec ſumma:

Sereniſſime et Potentiſſime Imperator,

Domine Frater et Conſanguinee chariſſime etc.

Literae Regis Sueciae ad Auguſtum Caeſarem.

Percepimus ex iis, quae Maieſtas Veſtra, cum per expreſſi ſui Ablegati generoſi Nobis ſincere dilecti Franciſci Euſebii Comitis a Poettingen, Maieſtatis Veſtrae Conſiliarii, Camerarii et Germanici Vice-Cancellarii in Regno Bohemiae, viuam vocem, tum etiam in literis ſcriptis Viennae 16. Nouembr. anno proxime praeterito, Nobis vero Pragae ad Varſauiam die 5. et 15. April. nuper elapſi traditis amice ad Nos perlata voluit, placuiſſe Maieſtati Veſtrae repraeſentare Nobis non modo quod antehac de die 24. Auguſti ſuperioris anni erga Nos conteſtata ſit, ſe ſcilicet nihil magis optare, neque Reipublicae Chriſtianae quidquam magis neceſſarium iudicare, quam vt exortae inter Nos et Regem Ioannem Caſimirum differentiae quantocyus amicabili ratione ſopiantur, ſed etiam quod eadem illa pacis reſtaurandae cura, vel ideo apud Maieſtatem Veſtram poſtea aucta ſit, quod concurſum et ſtrepitum tot tamque variorum armorum in vicinia nonniſi grauiter ſentire poſſit: Speraſſe propterea Maieſtatem Veſtram, fore, vt tractatus amicabiles, communi conſenſu Stockolmiam et poſtea Stetinum indicti, ad effectum perducerentur, perque eos periculum Romano Imperio et finitimis eiuſdem prouinciis, ex illo bello imminens auerteretur; Nunc vero dolere, quod vel primus exardeſcentis belli impetus, vel aliae forte cauſae tractationi illi locum non dederint: Cenſere tamen Maieſtatem Veſtram, quod licet per ſucceſſus Noſtros, belli facies alterata ſit, animum tamen noſtrum a pacis conſiliis non eſſe auerſum, cum et talia ſemper conteſtati ſimus, et nos non fugiat, quanti totius chriſtiani orbis interſit, ne Regnum Poloniae poſt tot aliunde perpeſſa incommoda, iam ad extremos debilitatis terminos reducatur et eneruetur: Maieſtas itaque Veſtra eius intuitu, atque etiam pro eo munere, quod in Republica chriſtiana inter Reges et Principes eiuſdem, Suprema Diuinitas Maieſtati Veſtrae ſummum impoſuit, aliter non potuiſſe, quin vtrique parti operam ſuae interpoſitionis ad animos conciliandos amice offerret; prout etiam ſuper hoc negotio deſiderat non modo Noſtrum reſponſum, ſed etiam expreſſionem,

nem, quo loco et tempore exiſtimaremus id negotii quam opportuniſſime poſſe 1656
ſuſcipi.

Commune Nobis anteceſſoribuſque Noſtris Regibus Sueciae, cum multis aliis Principibus et Rebuſpublicis votum, deſiderium et ſtudium fuit iamdiu, vt illa inter dictos anteceſſores Noſtros Sueciae et Poloniae Reges exorta, et vna cum ſceptro Sueciae in Nos deriuata, poſteaque inter Nos, et Regem Ioannem Caſimirum variis modis exaſperata diſſidia, quantocyus amicabili ratione terminarentur. Licet enim vna iniuriarum, quibus Rex Ioannes Caſimirus Nos laceſſiuit, Nobis vindictae cauſam iuſtiſſimam potuiſſet praebere, nedum addita plurium continuata ſeries, et nexus earum directus in Regiae Noſtrae Dignitatis derogationem, Regnique detrimentum; pacis tamen ſpe et amore ſiuimus, vt Noſtri Regnique Noſtri Senatores in tempore monerent Regni Poloniae Senatum, de arripienda anſa maturrimae compoſitionis.

Nihil vero minus reſpexerunt, quam ſalutare et pene neceſſarium illud conſilium: quippe quod tamdiu impedimentis inuolutum deprehendimus, dum praeterita aeſtate vlciſcendis talibus iniuriis exercitum noſtrum Poloniae imminere, noſque altero velle inſequi intelligerent. Nam legatio Polonica ad Nos in Sueciam ſuperioris anni vere miſſa, tum demum Stockolmiam venit, cum Noſter Regnique Noſtri et Campi-Marſchallus Comes Wittemberg iamdiu accepiſſet mandata aggrediendi Poloniam, et nos in procinctu eſſemus traiiciendi in Pomeraniam: adeo vt Nobis tum fuerit nec facultas reuocandi dictum Mareſchallum, neque tum conſultum ſubſiſtendi domi, neque etiam rationi conſentaneum ſuſpendere ſemel decretum bellum, quando in prioribus induciis nulla fuiſſet ſecuritas, et Polonia binis antea tractatibus Lubecenſibus Sueciam eluſiſſet. Vtriuſque ergo partis conſenſu tractatus amicabilis Stetinum eſt indictus. Diſcedimus ergo Nos in Pomeraniam, et legati Polonici in Boruſſiam. Noſtro etiam nomine bini Commiſſarii, cum plena poteſtate et ſufficientibus mandatis, agendi et concludendi Stetini relinquuntur. Verum ex quo Nos in Poloniam mouimus, primarius Commiſſariorum Polonicorum, Palatinus Lancicienſis Comes Leſcinius, ſcriptis ad Noſtrum Regnique Noſtri Cancellarium Comitem Oxenſtierna literis, monuit, dictum tractatum Stetini deſtinatum non poſſe ibi commode inſtitui. Quinimo ipſe Rex Ioannes Caſimirus ſuperiori aeſtate petiit, et in caſtris Noſtris ad Sobotha ſtatim obtinuit ſaluum conductum pro ſuis Commiſſariis, vt tractationi in Polonia ſe accingerent. Venerunt iidem qui in Suecia fuere, noſtro ſaluo conductu muniti menſe Septembri Varſauiam; ſed re ipſa neglecta receſſere iterum, alter in Lituaniam, alter vero Cracouiam ad nos: Vnde poſtea in Sileſiam ad ſuum Regem conceſſit. Poſt menſes aliquot iterum pro Polonicis Commiſſariis petuntur literae ſecuri commeatus, et dantur etiam a Nobis: Verum dicti Polonici Commiſſarii non comparuerunt; neque a Rege Ioanne Caſimiro, vlla iam longo tempore audita eſt certa mentio aſſumendorum tractatuum, ita vt in ante memoratum Regem, vix videatur poſſe quadrare, quod in Maieſtatis Veſtrae literis Viennae die 16. Nouembr. anni proxime elapſi, etiam in hac materia ad eundem Regem ſcriptis extat, ſcilicet, quod quemadmodum Rex Ioannes Caſimirus nunquam antea, ita ne nunc quidem, inchoato hoc bello, ab amicabili compoſitione abhorruerit. Nam vt Commiſſariis Polonicis, qui Anno 1651. Lubecenſi congreſſui interfuerunt, per literas (quod nobis ex certis documentis nunc conſtat) die 11. Auguſt. ſupra dicti anni ex caſtris ad Bereſteczko allatas iniunctum erat, vt penetratis Suecorum Com-

1656 missariorum animis et praetensionibus congressum Lubecensem dextre dissoluerent, idque etiam eodem ac repetito ibidem tractatu non sine Sueciae et mediatorum ludibrio sunt executi: Ita Rex Ioannes Casimirus toto nostri Regiminis tempore, etiam in mediis belli siammis, pacem quidem in lingua promptam, bellum vero in pectore mediatum habuit: vt de illo optime (de Nobis vero nescimus quo fundamento coniiciatur) dici possit, animum videlicet eius non ad assumendum tractatum compositionis, sed bellum persequendum, et fuisse, et adhuc esse propensiorem, atque ideo dolendum merito esse, quod vel primus exardescentis belli impetus, vel aliae forte causae, inprimis vero imaginaria eius in nostrum Regnum praetensio, vt prioribus ante duobus Lubecensibus tractatibus, ita etiam nunc illis toties a nobis oblatis transigendi occasionibus locum non dederint. Commouet merito mentem Nostram, quod pertinacia prauorum consiliorum causam dederit cum aliis tam vicinis, quam Poloniae subditis, tum etiam Nobis infestandi Poloniam, et eam eneruandi. Regna et Status alii, atque adeo societates inter diuersos Principes populosque stant et firmantur cumprimis cultu et obseruantia fidei, et constantia dictorum factorumque. Quando ergo Polonici siue Rex, siue Proceres vna cum Rege censuere tractatus pacis causa et communi, tam partium, quam mediatorum consensu decretos, et bona fide a parte Sueciae bis Lubecae institutos dextre h. e. per fraudem esse dissoluendos: quando fidem et iuramenti pactorumque conuentorum religionem insuper habere, et eam pro ratione temporum, et ob vtilitatem propriam, sine vllo sacrosanctarum transactionum respectu, sursum deorsum versare; Quando nunc vicinos inuicem ad diffidentiam, nunc vicinorum subditos ad defectionem concitare, pro nihilo ducere: Quando moniti tam Rex, quam Senatores, de mediis tanto malo adhibendis omnia iusta et aequa contemnere decreuere; simul quoque expendere debuerunt malas artes et praua consilia, auctoribus et consultoribus, vt plurimum esse exitiosa; quodque Polonia propterea sibi, non vero aliis imputare debeat praesentem suam eamque deplorandam faciem. Est tamen in eius adhuc potestate, vt ex his malis emergere possit, modo bonis consiliis, tractationibus, et ipsi fidei locus debite relinquatur. Quod vero concursum et strepitum armorum in Maiestatis Vestrae vicinia concernit, si Maiestati Vestrae placet, memoria repetere tempus, quo hae Maiestatis Vestrae literae ad Nos scriptae sunt, deprehendet, maiorem et minorem Poloniam, aliasque prouincias, vt et integram militiam quartianam, partim spontanea deditione, partim armis, partim etiam pactis conuentis Nostrae protectioni et imperio iam tum se subiecisse. Magnus quoque Moschouiae Dux, paci tum religiosae nobiscum inhaesit; et Zaporouiana gens eodem tempore, pro Nobis stetit: adeo, vt quiescentibus Nobis, illisque omnibus, non possimus percipere, vbi et quis fuerit ille, tot tamque variorum armorum concursus et strepitus, quem Maiestas Vestra in sua vicinia nonnisi grauiter sentire potuerit. Si Rex Ioannes Casimirus et Proceres, Nobilesque e Polonia profugi, vel non inuenissent sedes in Silesia, vel ab iis nihil incommodi Nostro statui bellico in Polonia illatum fuisset, iamdiu nullus armorum conflictus, in Vestrae Maiestatis vicinia esset. Et illa etiam de causa potiti cum aliis prouinciis, tum etiam vtraque Polonia, tam per literas de die 12. Octobr. anno proxime praeterito Casimiriae ad Cracouiam exaratas, quam viua ministri Nostri ad Aulam Maiestatis Vestrae residentis voce Maiestatis Vestrae, amice de praedicto rerum Nostrarum in Polonia statu significauimus, et simul innuimus, Nos fretos non modo pactis Osnabrugensibus, sed recentibus etiam et mutuis officiorum plenis contestationibus in talium rerum constitutione, velle et ipsi religiose colere, et a Maiestate Vestra expectare fidam, sinceram et innoxiam

xiam vicinitatem. Nam spretis a Rege Ioanne Casimiro aliis componendi viis, 1656
illa fuisset expeditissima ratio, et sedandi armorum conflictum in Polonia, et auertendi a Romano Imperio finitimisque Prouinciis pericula. Et Nobis quoque est relatum, Maiestatem Vestram seuere prohibuisse, ne vllae e Silesia in Poloniam contra Nos a profugis Polonis fierent excursiones: inde tamen postea, quorundam forte ministrorum conniuentia contra Nos prodierunt, et vicissim in illa loca receptum habuerunt integra armatorum agmina: Atque tota paene officina machinationum nuper contra Nos erumpentium apud Regem Casimirum, et reliquos Polonos in Silesia degentes, originem habuit, vt non sit mirum, si nunc ad Silesiae fines infesta arma concurrant et strepant. Quemadmodum vero Maiestas Vestra laudatissimo instituto Polonos intra sua territoria cohibere voluit et iussit, Nos etiam vt hoc fieret aequanimitatem Maiestatis Vestrae implorauimus: ita nunc nulli dubitamus, quin Maiestas Vestra, intellecta ex hisce literis vlteriori et amica nostra requisitione, curet non modo, vt eiusmodi turbatores quietis posthac condigne reprimantur, sed Nostris etiam per Maiestatis Vestrae prouincias iter facientibus, liber et innoxius pateat transitus. Principe Christiano dignum et munere, quod in Romano Imperio et Maiestatis Vestrae Regnis, Deus Ter Optimus Maximus eidem summum imposuit, conueniens est, quod, vt antehac Rex Christianissimus, et nonnullae aliae potestates summae, dissidiis Sueciam inter et Poloniam componendis, insudarunt, ita nunc quoque Maiestas Vestra, praeter peculiarem imperii, et Regnorum suorum curam, etiam ad vicinorum Principum Christianorum discordiam, et cumprimis hoc bellum sedandum, operam et studium vltro offerre voluerit. Si Maiestas Vestra pro summa Sua prudentia, et procul affectibus, tempora priora et cumprimis negotia, quae circa hanc Sueco-Polonicam controuersiam sopiendam ventilata sunt, velit excutere, deprehendet non per Sueciam stetisse, quominus pax dudum inter Sueciam et Poloniam sit facta, sed Reges Poloniae Sigismundum et eius Filios, vel propria animorum obstinatione, vel instigatione aliorum, et quidem eorum, quorum interfuit, dissidium hoc ali, et Sueciam eodem distineri, in culpa esse, quod media pacis aequissimae toties sint reiecta, et causae dissidiorum magis magisque cumulatae, totusque nouissimae compositionis apparatus, in ardentissimum hoc bellum conuersus sit. Audet Suecia in sincerae suae intentionis et actionum probe institutarum testimonium prouocare, non modo ad mediatorum conscientiam, sed etiam ad scriptores Polonicos senatorii ordinis, imo ad ipsa acta, et comitialia et congressuum Lubecensium a Polonis consignata. Itaque post infeliciter tentatos Lubecenses tractatus, et binis illis vicibus inani opera fatigatos mediatores, vtrinque placuit institutio tractatuum sine arbitris, cui etiam proposito adhuc inhaeremus, non quod diffidamus vel causae nostrae, vel compertae mediatorum aequanimitati, sed quod horum numerus fuerit antehac maior, quam hostiles animi in pacem per se propensi opus habere videantur, quodque exemplo tractatus Osnabrugensis didicerimus, maximas et difficillimas controuersias, remotis arbitris, inter solas partes belligerantes, in pacem tamen vtrinque pronas, posse componi. Quandoquidem ergo Maiestas Vestra adeo sancte contestatur, se et verbis et opere ipso velle promouere huius dissidii et belli optatum exitum, et ipsa ex se facile iudicare posset. Quod si post vtrinque approbatum tractatum sine mediatoribus, iterum aliorum et quidem Maiestatis Vestrae noua interpositio sit admittenda, priores mediatores sint adsciscendi quodque exinde suspitio possit oriri, quasi vel ex interuallo locorum, vnde requirendi essent omnes mediatores, ambages et moras tractatui obiiciamus, vel ex numero arbitrorum aucto, augere velimus impedimenta, et ipsius rei inter

1656 hostes expediendae, et modorum tot inter mediatores procedendi: Ideo speramus fore, vt Maiestas Vestra consideratis omnibus supra indigitatis circumstantiis, hanc nostram excusationem aequissimo animo ferat, idque eo magis, quod elusa a Rege Ioanne Casimiro priorum mediatorum solenni diligentique cura, et postea vtrinque approbato tractatu sine arbitris, difficillimum Nobis nunc sit, vel pristinos mediatores ad rem incertam accersere, vel illis praeteritis nouos acceptare.

Caeterum sicuti Nobis is, quem Maiestas Vestra erga Nos, tam per literas, quam per Ablegatum suum Comitem a Poettingen, contestata est amicitiae et beneuolentiae sincerum affectum; gratissimus accidit; ita eandem nunc beneuole et amice de reciproco et candido Nostro animo, in studium, cultum et obseruantiam pacis propenso certiorem reddere voluimus, commendantes ex animo Maiestatem Vestram Diuinae protectioni in multos, eosque prosperos annos. Dabantur Strasburgi Borussorum, die 24. Iunii, Anno 1656.

Maiestatis Vestrae

Bonus Frater et Consanguineus

CAROLVS GVSTAVVS.

Prussiae deinde ducem per legatos petiit vt secum colloqueretur, Marieburgi; rem magni momenti esse quam ab ipso audiret. Annuit Elector, Regio colloquio, diem quoque dixerat et locum Hollandt conuentui, si per Regem liceret. Neque mora dicta die comparauit Elector cum suorum praecipuis. Summa Conuentus fuit:

Brandeburgici cum Sueciae Rege compositio.

Elector Sueciae Regi iunctus, Polono Regi bellum inferet, copiasque suas Suecorum coniunget exercitui.

Sueciae Rex in vim gratitudinis, Electori Brandeburgico ex nunc Polonia maiori cedet, videlicet Palatinatibus quatuor, Posnanienſi, Calissienſi, Siradienſi, et Lancicienſi. Ex quibus locis Suecorum deducet praesidia, aduentantibus Brandeburgicis. Cauet praeterea, nihil sibi in dictam Prouinciam, iuris aut praetensionis vsurpare velle, sed eam, prout nunc est, dare, donare, in ius et realem possessionem Electoris tradere.

Haec in summo secreto vterque egit, quo facilius suos quisque falleret aulae ministros: ne tamen dolus deprehenderetur, publicum instrumentum componunt; Cuius hic tenor:

Instrumentum compositionis Sueciae Regis cum Brandeburgico.

Notum sit vniuersis et singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quod, quamuis inter Serenissimum et Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM GVSTAVVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae, Ducem Esthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae et Vandaliae, Principem Rugiae, Dominum Ingriae et Vismariae; nec non Comitem Palatinum Rheni, et Bauariae Ducem etc. et Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgensem, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium, et Principem Electorem, Magdeburgi Prussiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini Pomeraniae, Cassubiorum Vandalorumque: nec non in Silesia Crosnae et Czarnouiae Ducem, Burggrabium Notimbergensem, Principem Halberstadii et Mindae, Comitem Marcae et Rauensbergi, Dominum in Rauenstein etc. superiore mense Ianuar. 7. die, anni currentis conuentio facta sit, in qua amicitia et confidentia, quae inter Sacram Regiam Maiestatem Regnumque Sueciae, et Suam Serenitatem Electoralem, multis retro

1656 tro annis viguit, denuo corroborata et confirmata est, nihilominus tamen respectiue altissime et alte memoratae Sacrae Regiae Maiestati et Suae Serenitati Electorali vtile ac necessarium visum est, pro sopiendo hoc praesenti in Regno Poloniae bello et obtinenda pace vtriusque statui et securitati conueniente, praesertim vero a parte Suae Serenitatis Electoralis pro defensione et auertendis irruptionibus hostilibus in prouincias et ditiones Suae Serenitatis Electoralis vtpote quae incendio Polonico vicinae, ac proinde periculo hinc illis imminenti non parum expositae sunt, ad mutuam deuinctionem propius accedere, et ad reducendam vtriusque optatam securitatem singulare foedus inire.

Quapropter et Nos subscripti ab vtraque parte Deputati plenipotentiarii vigore Nostrorum mandatorum, ope diuina in articulos et conditiones conuenimus, et consensimus, quae sequuntur:

I. Primo sit maneatque inter Sacram Regiam Maiestatem Eiusque Successores Regnumque Sueciae ab vna, et Suam Serenitatem Electoralem Eiusque Posteros et ditiones ab altera parte, firma, infucata, et sincera amicitia et confidentia, ita vt vna pars, alterius, eiusque terrarum, ditionum et subditorum emolumentum, commodum et incrementum pro virili procuret et promoueat, damna vero et iactura auertat et arceat, simul vero vtraque vnanimem operam adhibeat, quo infra descriptus prouinciarum et districtuum circuitus, in tranquillum statum, et adoptatam securamque pacem deduci possit, adeoque ad hunc finem ambae partes arctius nunc foedus ineant, ac arma sua coniungant.

II. Haec confoederatio et armorum coniunctio stabilis, solida et indissolubilis vigeat, inter Sacram Regiam Maiestatem Sueciae, et Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgensem, vt et eorum respectiue regna, prouincias et ditiones, quoad institutum pacis in 10. articulo indigitatum, ope et auxilio diuino, procurari et reuocari possit. Quodsi vero, cum vtriusque partis in Polonico hoc bello hostibus praesentibus et futuris, pacis vel tractatuum aliqua ratio obtigerit, promittit Sacra Regia Maiestas, se eos nec sine scitu suae Serenitatis Electoralis amplecti, nec in iis, quae interesse suae Serenitatis Electoralis concernunt, sine ipsius communicatione ac voluntate concludere velle: vice versa, promittit Sua Serenitas Electoralis cum nullis vtriusque partis hostibus, huic bello sese intermiscentibus, nisi sciente et volente Sacra Regia Maiestate separatim se tractare aut concludere velle. Quin potius ambae partes, omni possibili modo et opera, actiones suas bellicas, tractatus, et consilia omnia, eo dirigant et componant, quo vtriusque partis mutua vtilitas et commoda quaerantur et curentur; damna vero et iacturae bona fide et pro virili auertantur.

III. Quemadmodum praesens hoc foedus contra nullos, qui ipsimet in saepe memorato Poloniae circuitu hostiliter sese non ingesserint, initur aut dirigitur, ita (saluo tamen hoc foedere) aliis foederibus, amicitiis et obligationibus, nomine tenus vero paci Osnabrugis et Monasterii Westphalorum Anno 1648. cum imperio Romano conclusae, vt et perpetuis cum Magno Duce Moschouiae pactis et amicitiae legibus nihil derogabit aut detrahet.

Confecta autem sunt a nobis hinc inde constitutis et infra scriptis Plenipotentiariis, huius instrumenti duo eiusdem tenoris exemplaria, a Sacra Regia Maiestate et Sua Serenitate Electorali intra quatriduum, ab hac die conclusae transactionis, ratificanda, et vtrinque permutanda; quorum vnum nobis Sacrae

1656 Regiae Maiestatis Plenipotentiariis exhibitum, alterum nobis Suae Serenitatis Electoralis Plenipotentiariis traditum est. In quorum indubiam fidem, et maius robur, hoc manuum nostrarum subscriptione, sigillorumque nostrorum appositione communiuimus. Datum Marienburgi, die 15. Iunii, Anno 1656.

ERICVS OXENSTIERNA Axelii. (L. S.)	SIBERIVS ROSENHAN. (L. S.)	STENO BIELCKE. (L. S.)
GEORGIVS FRIDERICVS Comes in WALDECK. (L. S.)	NICOLAVS ERNESTVS de PLATEN. (L. S.)	IOANNES VLDERICVS DOBRZENSKI de DOBRZENICZ. (L. S.)

LIBRI VII. CAPVT II

SYNOPSIS

Gedanenses a Sueco premuntur. Propugnaculo capite dicto potitur Suecus. Mindam aggreditur, scribitque Gedanensibus. Respondent Gedanenses. Iterum tentantur ab Areschoto duce, sed frustra. Literae Areschoti, Gedanensiumque responsum. Electoris in castra Suedica ingressus. Casimirus Polonorum castra ordinat ac disponit ad Varsauiam. Inter Casimirum Poloniae et Carolum Sueciae Reges pugna, ad Varsauiam. Carolus fugat Poloniae Regem Varsauiaque potitur. Cracouia liberatur ab obsidione Polona. Dembinius a Suetis capitur. Wirtzius triumphat de liberata Cracouia.

Ita tunc de alieno liberaliter disponebat Sueciae Rex, ita donabat profuse, quod suum non erat. Placuit Electori maior Polonia, tanquam Marchionatui Brandeburgico, Pomeraniaeque contigua prouincia, et quae illum facile posset facere deinde Regem, tali suffultum potentia. Nihil ergo moratus, voti iam compos, vt superius in transitu innui, acceptat conditionem a Sueco oblatam, vna et Poloniam maiorem, eoque modo confictis rationibus, in Polonum Regem Hollando digrediuntur, Electorem Regiomontum bellum apparaturus in proximum mensem, Sueciae vero Rex in castra Stoembockii ad Vistulae ripam, quarta a Gedanensi vrbe leuca situata. Oppugnabat tunc Stoembockius fortissimum Gedanense propugnaculum caput denominatum; nec multo post, fuso Gedanensium, qui in auxilium agonizanti aduentabat munimento, equitatu, eoque modo amputatis membris, capite paulo post potitur Suecus. Inde Gedanum versus castra promouit Carolus, ratus felicitati suae nihil impertium esse: consederatque spectator tantae vrbis in loco amoeno Gedanum inter et Mindam medio. Mirari coepit Gedanensis vrbs, adesse ipsum Sueciae Regem ante ciuitatis moenia, quem vinctum et catenatum paulo ante sparserant Poloni. Toto hic spectator substiterat mense, admonitus tandem repetitis literis de Wittembergii proximo periculo, amator tantae vrbis discesserat, vt superius innui Varsauiam versus, dilata in commodius tempus, eius vrbis oppugnatione. Antequam tamen moueret, literas ad ciuitatem miserat. In his literis voluntates ac studia aduersus Gedanensium ciuitatem, et sua et maiorum suorum quum initio proposuisset: multa deinde contra eos quaeritur; nullo ab se maleficio tentatos eos arma sumpsisse. Mariaeburgum obsidentibus suis, instructo agmine obuiam iuisse, et obsessis hostibus opem ferre contendisse. Viarum ad Oliuam repagula, quae defensionis causa, suum ibi praesidium excitauerit, deiecisse; Vrangelio et Steinboco Ducibus, qui in eo erant, Gedanensium ditionis homines, nimia libertate, audaciaque ad quiduis faciendum promptos, ipsisque vix dicto audientes Gedanensibus, quosque in formam regiminis tolerabilem redigerent, vbique locorum obstitisse. Dirsauiensis tractus operum, munitionum aedificiorumque incendia feciisse. Vrbem Gedanum, crimi-

Gedanenses a Sueco premuntur.

Munimento Gedanensi, capite dicto, potitur Carolus.

Mindam aggreditur, scribitque Gedanensibus.

criminationibus atque mendaciis, de strage Suedica, de morte Regis, de victoria Polonorum impleuisse, vt calumniarum officina passim audiat. Haec taliaque satis momenti habere, ad animum suum contra eos concitandum, armisque vindicandam iniuriam. Sed quia ab vltione alienus sit natura, si modo aliter, quod velit, consequi possit, ideo monitos velle tres ciuitatis eorum ordines, vt maturius et sibi, et aliis, quorum non modo huius temporis commoda, sed etiam aeternitatis erunt, consulant atque prospiciant. Quemadmodum enim iustas et inexsuperabiles Ioannem Casimirum expellendi, ac Regnum Poloniae inuadendi causas habuerit, eamque rem feliciter iam confecerit: ita nemini, qui sub Suedicae mansuetudinis tutela conquiescere modo velit, veniae et commendationis aditum ad se praeclusum esse debere. Id Gedanensibus, qui Euangelicae religionis etiam habeantur, inprimis cogitandum fore: ne, dum tot commodis, quorum potiri amico se, ciuitas eorum possit, prohibiti, ingenti omnium generum calamitate mactentur, de se iure quaeri possint. Regem Sueciae hoc scripto satis apud Euangelicae Religionis posteros excusabilem futurum. 1656

His literis Sueciae Regis, haud mora respondere Gedanenses in hunc modum. Ex eo tempore, quo in fide et clientela Poloniae Regum fuerint: etiam se debito obseruantiae studio Sueciae Reges semper coluisse, illorum gratiam pluris saepe quam suas vtilitates aestimasse; quare dum CAROLVS Regni Suedici ornamenta susciperet, pergratum sibi accidisse, quod Regio diplomate ad Gedanenses misso, gratiam suam, more maiorum, statim confirmarit, vt mercaturae, quarum sint studiosi, absque vllo incommodo fieri, et maris Balthici nauigationes interrumpi ne sinerentur. Sed priusquam ex huius tam optatae rei commoditatibus, aliquis ad ciuitatem suam fructus emanare posset, tristes eheu! ac miserabiles nuntios venisse, qui clementissimum Regem suum, cui fidem obligarint, ab Carolo Rege armis impeti, Regnumque Poloniae a Suedicis exercitibus incursari attulerint, multum innoxii sanguinis hoc bello fundi coeptum, multas regiones cum vrbibus atque oppidis funditus excisas, desolatasque, ad suam quoque ciuitatem horum tumultuum incommoda statim dimanasse, sed magis ac magis quotidie permanare, quum exercitus Caroli Regis alias Clementissimi, violenter ea nunc insideat, quae ditionis Gedanensium sint. Venerationi se habere Maiestatem eius Regiam, ac proinde quam iusta de causa Regi suo bella fecerit non inquirere aut discutere velle: Id enim eum, qui supra nos habitat, et iustitias iudicat, suo tempore facturum, sed neque in mundo omnia tam praemortui iuris aut cognitionis eius esse, vt nemo sit, ex nunc hominibus aut ex posteris futurus, qui id nequeat arbitrari, aut discernere, eorum se iudicio belli Suedici causas permittere. Verum tamen, vt Regia Maiestas videat, quam non aequam de Gedanensium ciuitate opinionem animo praeceperit, aliqua ipsi in mentem vocanda esse, quibus clare perspectis atque cognitis, neque extrema Gedanensium ciuitati intentet, atque ipsos Gedanenses pro fidelibus atque honestis viris habeat, probe se intelligere, quantum ciuitatis rebus Principum fauor, et Caroli imprimis gratia, afferre momenti possit, idcirco nunquam aut sua temeritate, aut libidine, aut gloria eo impulsos, vt Regem irritando in contemtum adducere, aut offendere voluerint. Repudiatas esse, quas obtulerit Rex ipse conditiones, quibus acceptis extra id periculum, in quo nunc versentur, esse potuissent. Sed fidem clementissimo Regi suo, quem ordinaria electione ab ipso quasi Deo acceptum, legitimumque Dominum agnoscant, sanctissimo iureiurando obligatam; vt eae conditiones acciperentur pati nequiuisse. Eam fidem supra ducentos annos, quibus insiti Polonae Reipublicae sint, inuiolatam sibi exstare, nec se aliam ob causam in hoc discrimen rerum adductos, quam quod maiorum honestissima exempla sequi, recte factorum coram Deo conscientia laetari, hominum de se incorrupte iudicantium aestimationem bonam esse, voluerint. His de causis vim illatam viribus repellere incepisse. Quodsi has causas Regia Maiestas Sua clementissime perpenderit, non dubitare se, quin eadem arbitra atque iudice facile sint absoluendi. Cogitet itaque Carolus, Christianum Euangelicae religioni addictum Principem se esse, neque permittat, vt ea, quo Euangelii doctrina quemlibet vere Christianum praecipue hortatur, atque impellit, facere laborantes, impediri, possint, aut pernicies illis, excidiumque paretur. Rursum cogitet, si huiusmodi tempestas, qualis nunc Ioanni Casimiro, clementiae et benignitatis probatissimae Principi, eiusque Regnis ac ditionibus incubuit, in Carolum eiusque terras ingrueret aliquando: et Senatores quidam, aut subiectorum, et ciuitas aliqua inexpugnabili constantia legitimum suum Principem sectarentur, nullis fucosis amicitiis, nullis muneribus a data fide abalienari se paterentur, plura etiam hostiliter, quam ipsi hoc sub casu

Respondent Gedanenses.

1656 feciſſent, facerent: annon laudare iſtam in ſubditis virtutem, et praedicabilem etiam hoſtibus videri velle Rex debebit? Si quid incendiorum Dirſauiae factum ſit, ab ſuis id Praefectis militum, ac ſe non volentibus omnino factum eſſe, ac decreto ſuo id genus euaſtandi omnia ſeuere improbaſſe. In librarios, ſi qui calumnias aut mendacia Gedani imprimant, animaduerti ab ſe acriter. Elbingae, Regis-Monte, regnare morbum hunc, et ſcribendi quiduis ſcabiem, multo impunius effloreſcere. Ad extremum quaeruntur Conſulares ipſi, quod talem Rex impreſſionem de ſe habeat, quaſi illa, quae per Miniſtrum ſuum ciuitati miſerit, communiorum conſiliorum collegiis, cum fide non communicauerint, feciſſe enim ſe debitum officium, omniaque fideliter, et in vtramque partem ſine diſcrimine propoſuiſſe, reliquis ordinibus, et cum cura de his deliberaſſe, vti ordines ipſi teſtificari poſſint. De caetero maximam in Dei Optimi benignitate ſpem collocare, vt is Gedanenſium ciuitatem gubernet, cor atque mentem tam Clementiſſimi Regis eorum Caſimiri quam Caroli Guſtaui moderetur, et vtriuſque Conſiliarios eo inclinet, vnde amicitia rurſum confidentiaque mutuo increſcat, vt, depoſito tam cruento bello, pax laeta agros atque oppida reuiſat. Nec ſibi dubium eſſe de Regia Sueciae Maieſtate, quin commoditatem proſperitatemque Euangelicae religionis diligenter ſit curatura, ne in vltimum diſcrimen, his bellis abducatur. Manere itaque, excepto eo, quod fidem Poloniae datam attinet, Regi Carolo ſubmiſſiſſimos, et obſequentiſſimos Conſulares, Scabinos, Centumuiros, tres nempe Gedanenſium ciuitatis ordines. Datum Gedani 27 Maii 1656.

Iterum tentantur ab Areſchoto Duce.

Literae Areſchoti Ducis.

Eodem die, quo Rex Sueciae literas ad Gedanenſium ciuitatem ſubſcripſit: Erneſtus Boguslaus, Croiae et Arſchotti dux, Caminenſis in Pomerania Epiſcopus, eiuſdem prope argumenti codicillos perfecerat, in quibus omnis generis argumenta coaceruat, vt Gedanenſium ciuitati perſuaderet, nulli vſui futuram illis cum Polono Rege, tam procul abſente, amicitiam, atque fidem. Czarnecii, in quo tantum fiduciae ponant, a Rege Carolo diſſlatas eſſe diſſipataſque copias, Viſtulam non minus in parte ſupera, quam ad mare, ab Rege ſemper victore, nauigationibus eorum prohiberi poſſe, mercaturis eos terra excludere, omniaque ad veſcendum et viuendum vtilia praeripere illi in manu eſſe. Quamuis de Polonorum auxiliis multum ſpargatur, eos tamen illuc magis operam impenſuros, vt Poloniarum vrbes ereptas in poteſtatem recipiant, quam vt longinqua Pruſſiae, et vt ipſi vocant, haereſiarcharum plena loca iuuare, libertatem illis legeſque ſuas, inuiolata ſinere cogitent; niſi eo forte animo illis in ſubſidium properare ſumant, vt Euangelicae puritatis hominibus excarnificatis omnia in non tolerabilem Pontificiae ſectae formam redigant. Quodſi futurum eſt, cum animo ſuo expendant Gedanenſes, quo colore hanc rem non huius temporis, ſed aeternitatis paene prodigam, apud ſacrae fidei poſteros, inumbrare et defendere poſſint. Haec aliaque, vbi dum commemoraſſet, ſui conſilii eſſe ſubiungit, vt pace oblata contenti, tantorum diſcriminum nullis mortalibus auctores ſint, plurimum illis in Clementia Caroli Guſtaui ſpei reſidere, cui, ſe ſi dediderint, omni commoditate vitae, Euangeliique proſperitate fruituros.

Gedanenſium reſponſum.

Erneſti Boguslai literis, non minus cordate Gedanenſes, quam Regiis, eodem die reſponderunt. Nam belli huius cauſam apud ſe nullam inueniri, neque Regem ab ſe laeſum; ſi quid interim Deus Maximus, pro inſcrutabili ſapientia ſua, in ciuitatem vlciſci deſtinauerit, innocentium precibus et gemitu, quae in horas et momenta paene ſingula fundantur, clementer auertenda ſe ſperare. Gratiam ſe Erneſto de hac admonitione facere, non tamen indignum ſe arbitrari, vt aperiant ipſi quibus modis regimen ciuitatis ſuae adminiſtratum perpetuo ſit. Quippe primum apud maiores ſuos fuiſſe habitum, vt veram Euangelicae Chriſtianae doctrinam ſeruarent. Alterum, vt Regibus ſuis, velut ordinatae a Deo poteſtati fidem obligatam ſoluerent. Tertium, vt a Regno Poloniae, in cuius corpore ſint inſiti, non auellerentur. Quartum, vt iura, priuilegia, atque hinc ortas bene viuendi conſuetudines, et libertatem pro viribus tuerentur. Poſtremum denique, vt mercaturis faciendis, commoditas, vitaeque praeſentis proſperitas, et haberetur, et habita auctaque indies conſeruaretur. Nunquam vero ita contigiſſe, vt poſtrema primis anteire ſinerent, et lucrum pluris, aut breuem commoditatem quam fidem, quam honeſtum facerent. Non haec gloriandi cauſa commemorari, verum vt vitae ſuae, agendorumque et actorum rationem, ei redderent, quem putent bono in ſe animo eſſe. Illud tamen haudquaquam ciuitati placere, quod eam caput malorum exiſtimet, quae Euangelici ſubire aut poſſint, aut debeant, ſi, quod ipſi nolunt, Caſimirus denuo rerum potiatur.

Immo

Immo ſemper hac ſpe fuiſſe Gedanenſes, vt Suedicae rei adminiſtris ingens, in quo Euangelium hoc bello ſit, diſcrimen ob oculos Boguslaus poneret. Catholicis enim Principibus tanta iniuria exacerbatis, quid non incommodi Reſpublica Euangelica poſſit capere? Nulli mortalium perſuaſum eſſe debere, quod Deo cordi ſit, vt Religio per fidem Principi ſuo violatam incrementa ſumat. Pro ſua ſapientia, quae quam modica ſit ipſi ſentiant, arbitrari, ſe, alia non magis re, ipſam religionem et inſeri animis, et inſitam creſcere, quam integritate animi et pace; quam, vt Princeps pacis, Chriſtus, largiatur, omnium linguis atque mentibus orandus ſit. Ac denique, ſicut ipſi Regem ſuum Caſimirum, proceresque Poloniae Regni, vt pacem faciant, nunquam non hortari, atque etiam vehementer ab iis petere inſiſtent; ita Principem Erneſtum, qui plurimum hac in re apud Suecos polleat, nullius niſi pacis reſtituendae mentionem iniicere apud Carolum, bellique eius adminiſtros oportere, id ſe ab eo precibus maximis rogare, ac Dei tutelae ſaluum et incolumem eum committere. Datum Gedani 27. Maii 1656. 1656

Electoris in caſtra Suedica ingreſſus.

Redeo ad caſtra Suedica, quae tunc magna virium ſuarum confidentia intrabat Elector Brandeburgicus, albo ſublimis equo, toruo compoſitus vultu, errantibus oculis, irarum, minarumque plenus. Dixiſſes Martem ipſum aduentaſſe, qui Iouem ad ſingulare prouocaret certamen, aut ſummo, ſi poſſet, deturbaret caelo, ita illi tunc obuia quaeque aduerſa erant.

Caſimirus Polonorum caſtra ordinat ac diſponit ad Varſauiam.

At vero Caſimirus, quo tempore Elector Suedica intrabat caſtra, ad Varſauiam toto Iulio ſubſiſtens, non auſus vltra progredi, fortunamque laceſſere, quam ſatis ſibi iniquam ſemper ante agnouerat, extructo in Viſtula ponte, exercitum Polonum Lituano coniungit, quo facilius vim inferenti reſiſtere valeret, coadunatis in vnum copiis, eoque modo traiecto Viſtula fluuio, equitatum omnem cum peditatu in aduerſa vrbis collocat ripa. Merebant tunc illi Polonorum ſexdecim equitum, peditum quatuor, vltra Tartarorum viginti millia, quae paulo ante Szefer Kazy Aga adduxerat, reliquis Polonis in alias dilabentibus prouincias. Erant, qui ab vltima venientes paulo ante Ruſſia, tunc poſt captam Varſauiam, quaſi poſt confectum bellum, domos redibant. Coniuncti Poloni exercitus fama, velocem ad pugnam egit Sueciae Regem. Igitur tanquam inuitatus ad ſolennes epulas, praeſto adeſt, primuſque inuehitur in Polonorum phalanges, tanto impetu, vt parum abfuerit, quin equo excuſſus, inter primos ordines primus non ceciderit. Sequenti deinde die cum vterque exercitus Polonorum quadraginta, Suecorum viginti octo millium in proximo ſtetiſſet, primique Tartari pugnam incepiſſent, Sueciae Rex toto corpore ſui exercitus in Polonorum dextrum inuectus cornu, hora diei circiter nona illud in fugam egit, tum conuerſus ad laeuam partem, quam tenebat Czarnecius, eandem reſiſtere non valentem, pari celeritate aggreſſus, retro ſed non in fugam egit. Interim turbari Polonorum ordines, deſperare de victoria belli duces, remittere de feruore Tartari coeperunt, dum nulla parte perrumpere poſſent hoſtium caſtra, qui mos eſt Barbaris. Tertio deinde reſtauratae pugnae die, qui fuit vltima Iulii, ipſemet Polonus Rex, Czarnecii fretus felicitate ac fortitudine extra vrbem cis Viſtulam progreſſus, Polonorum Lituanorumque denuo explicat ſigna, relicto peditatu ad Viſtulae ripam, qui fugientes arceret, aut ſi neceſſe eſſet, pontem praepropere fugientibus deſtrueret, atque ita ex ignauis fortes efficeret Polonos pugnareque cogeret. Igitur ſigno dato concurritur denuo vtrinque, ſed mox Lituano exercitu retrocedente, caeteri in fugam aguntur. Crurem tunc Palatinus Vilnenſis, Generalis Lituanici exercitus fugiendo fregerat, caeteri vna cum Rege non obſeruato fugiendi ordine, per fabricatum pontem, Varſauiam ſe receperunt, illaque ſtatim deſerta, vna et captiuo Benedicto Comite Oxenſtierna, Lublinum verſus terrore correpti habenas vertunt, haud ſine exiguo hoſtium exultantium ludibrio.

Pugna ad Varſauiam inter Carolum Sueciae, et Caſimirum Poloniae, Reges.

Carolus fugat Poloniae Regem,

Varſauiaque potitur.

Ita trigeſimo poſt die, Varſauia iterum potitus eſt Sueciae Rex, quam vacuam inuenit, excepto Comite Oxenſtierna, cui tunc fauit vltra caeteros fortuna iuuenum amica. Eodem quoque tempore, ab obſidione Polonorum trimeſtri liberatur Cracouia, felicitate Wirtzii, Suecorum Colonelli, ignauia Polonorum, qui perdere ſciunt, retinere, aut ablata recuperare neſciunt. Obſidionem hanc Cracouienſem procurabat MICHAEL ZEBRZYDOWSKI, actus pudore, caeſi paulo ante ad Claram Tumbam Dembinii, Gubernatoris Neoſtadienſis. Hic enim, dum ſolennibus epulis vacat, et quadam incuria vigilias negligit, ſomno vinoque ſepultus, Cracouiam in triumphum, ita vt erat e lectulo raptus, ducitur, et cum eo praecipua nobilitas, caeteris fuga, per tenebras elapſis, aut trucidatis.

Cracouia liberatur ab obſidione Polona.

Dembinius a Suecis capitur.

1656 Wirtzius triumphat de liberata Cracouia.

Igitur quasi vlturus iniuriam cognati, Ensifer, coadunata in vnum minoris Poloniae nobilitate, et iam recuperata Lanckorona tumidus, Cracouiam obsederat, spe certissima fretus, terrore sui breui in obsequium Polonorum ruere Cracouiam. Sed contra accidit, facta siquidem Wirtzius eruptione, haud mora palantes Polonos, in fugam vertit, eoque modo liberata secundo iam ciuitate de Polonis triumphauit.

LIBRI VII. CAPVT III

SYNOPSIS

Sueciae Rex tractatus pacis offert Polono Regi. Quid ad haec Casimirus. Eiusdem in maiorem Poloniam profectio. Comitis Wrzeszowicz caedes. Brandeburgicus miles Varsauiam diripit. Rex Sueciae cum Brandeburgico in Prussiam reuertitur. Czarnecius Suecos profligat ad Lipie pagum. Calissium oppugnatur et expugnatur a Polonis. Choinicia deditur. Princeps Anhaltinus regiae mensae assidet. Gonsieuius Suecos ac electorales profligat in Prussia. Caesorum ac captiuorum numerus. Dux Radiuilus capitur ac dimittitur. Gonsieuius cum Electore dissimulat. Sueciae Rex tertio cum Electore componit. Generalis Koenigsmarck captiuitas et eius in Germania gesta. Comitis Wrzesowicz caedes et mors. Occisorum numerus ex parte Suecorum. Ex parte Electoris Brandeburgici.

Polono Regi offert Pacis tractatus Sueciae Rex.

Redeo ad Sueciae Regem, Varsauiae furentem, ob non inuentum Wittemberg, quem haud mora, per delegatos Lublinum, libertati restitui petit, pacemque offert Polono Regi, si tractatus sine mediatoribus instituerentur. Responsum haud mora a Polono Rege: tractatus pacis sine mediatoribus declaratis institui non posse. His enim tractatibus eludebat Polonos Sueciae Rex. Nec Poloni flecti poterant, vt pacem ferrent, qualis proponebatur. Interim dum tempus teritur per legatos, Polonus Rex Lublino in maiorem mouet Poloniam, Calissium versus, quod toto trimestri obsidebant Poloni, caesa ex improuiso, legione Comitis Wrzesowitz, vltimis Augusti diebus, qui in auxilium Calissiensi properabat propugnaculo. Interim attulerant exploratores Polono Regi, reuerti in Borussiam Sueciae Regem, vna cum Brandeburgico, cuius miles foedum in modum Varsauiam ante spoliauerat, diripueratque ciuium domos, nec Regio pepercit Palatio, cuius praecipuas picturas, tabellasque caelati operis, secum abduxit in Borussiam, velut spolia. Etenim postquam vacuam hominibus, vt superius innui, Varsauiam ingressus est Sueciae Rex, vna cum Brandeburgico, iratus ciuibus absentibus, seu potius Wittembergum in ea vrbe amissum animo recogitans, vtrique victori militi Suedico et Brandeburgico, in spolium eandem dederat. Captam memorans vrbem, quae multo Suedico constitit sanguine. Varsauia deinde Cracouiam properabat, relicto, ad fluuium Vistulam, Electore Brandeburgico, verum certior in itinere redditus, de minoris Poloniae nobilium fuga, Cracouiaeque liberatione, iterum Radomia Varsauiam reuersus, paulo post, consilio bellico cum Brandeburgico habito, in Prussiam vterque abiit. Quare autem victoriam tunc continuare noluerit, aut non potuerit, Sueciae Rex, mihi incompertum est. Sunt, qui credant, consilio Brandeburgici factum, qui vltra progredi noluit cum suo exercitu, causatus viarum molestias, itinerumque difficultates, instantem autumnum, periculorum quoque aiebat instare fugitiuis Polonis, quos in vltimam vsque sequi Russiam cum toto exercitu extremae dementiae esset. Alii incognitis pestiferisque morbis languentem vtriusque causabant exercitum. Crediderim ego Tartarorum in Borussiam irruptionem, vtrique terrori fuisse, eaque de causa rediisse. Quidquid fuit causae, cur vterque redierit, Polono certe Regi gratissimus Suecorum in Borussiam reditus fuit. Hinc enim liberior per absentiam vtriusque, dispersas Polonorum, iterum reuocabat legiones. Igitur quatuor Praetorianorum legiones, quinque auxiliariorum Tartarorum millia, Czarnecio Kiiouiensi tuno tradit Castellano, qui Suecos Vistulae transitu prohiberet. Et hic quidem Suecis ad Lipie adeo improuisus aduenit, vt obuia duorum millia statim primo impetu trucidata sint, caetus iam tertio Forgellius vna cum reliquis spoliis Tartaris cessit. Czarnecium medio Septem-

Quid ad haec Casimirus?

Eiusdem Maiorem in Poloniam profectio.

Comitis Wrzesowicz caedes.

Brandeburgicus miles Varsauiam diripit.

Rex Sueciae cum Brandeburgico reuertuntur in Prussiam.

Czarnecius Suecos profligat ad Lipie pagum.

Septembri mense sequutus est in Ducalem Prussiam VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, magni Ducatus Lituaniae Generalis, tumultuarias Lituanorum cateruas, duplicemque sociorum Tartarorum numerum ducens. Hunc paulo post subsequutus Rex, Lublino Calissium diuerterat, quod fortiter oppugnabat Veiherius Marieburgensis Palatinus, vna cum Iacobo Rozrarzeuio Inoulaclauiensi Palatino. Diu restitit Palatinis Calissium, donec aduentu Poloni Regis perculsi praesidiarii, certi quoque de Sueciae Regis in Borussiam reditu, dederunt in manus regias, ciuitatem; salua vita pignoribusque suis. Calissia in hunc modum recuperata, Choiniciam cum exercitu ventum est, vbi Anhaltinus Princeps ex Pomerania aduenies, insperate sese receperat. Defendebant ciuitatem sub auspiciis Principis sexcenti Suecorum, donec iussu Anhaltini redderetur aduentanti Polono Regi, cuius vires, furentiumque Polonorum audaciam experiri noluit Princeps. Polonus Rex vbi Choiniciae deditionem audit, Clementi responso Principi Suecorumque praesidio incolumitatem, et ad Sueciae Regem liberum pollicetur transitum. Colloquutus paulo post ipsi Anhaltino Principi, eundem mensae quoque suae adhibuit, comiterque habitum, iterum in Pomeraniam dimisit, ratus fama dediti, benigneque excepti Principis apud Suecos vulgata, alios ad deditionem pari clementia adduci posse. Sed vana Polono Regi in clementia spes, vt in tempore memorabo. 1656

Calissium a Polonis oppugnatur et expugnatur.

Choinicia deditur.

Princeps Anhaltinus mensae Regiae assidet.

Eodem mense, octaua videlicet Octobris, diei hora circiter octaua, Suecorum exercitus iunctus Brandeburgico, et nobilitate Prussiae, copiisque Boguslai Ducis Radiuili, fusus et profligatus est ab exercitu Lituano, Tartarisque sociis, in villa Ducali Prostki nominata ad ipsos fines Prussiae gloria deleti exercitus penes GONSIEVIVM mansit, praeda penes Tartaros, quae satis numerosa erat. Deletae tunc illo praelio Suecorum legiones praecipuae sex. Ifraelis Generalis Maioris, Pererii, Taubii, Ammersteini, duorum fratrum Engell. Totidem caesae sunt legiones Brandeburgicae Electoris ipsius Generalis Waldeck, Ducis Wismarienfis, Brunelli, Canabergii, Generalis Walrath. Similiter duae legiones nobilitatis Prussiae, totidemque Boguslai Radiuili. Ipse captus a Tartaris, mox a Lituanis ereptus, Gonsieuii Radiuilique fratris beneficio, saluus et incolumis Regiomontum deinde euasit. Capta tunc octuaginta in vniuersum signa, duo item Generales, Ifrael et Canneberg. Actum tunc procul dubio fuisset de Electoris toto exercitu, ipsaque vrbe Regiomontana, si Gonsieuius victricia Lituanorum Tartarorumque signa, Ducali statim intulisset Borussiae. Tantus etenim tunc Borussorum animos occupauerat pauor, vt plerique nobilium, deserto Electore Brandeburgico, Regis Poloni voluerint adorare maiestatem. Sed tergiuersari primum, mox retrocedere, simulare reditum, Tartaros dimittere, de vxore, liberisque tunc Regiomontana in vrbe degentibus sollicitare Electorem, ad extremum trium mensium cum Brandeburgico paciscinducias, sine Regis, Senatusque consilio, priuata auctoritate, quis crederet? ausus est Gonsieuius. Nec hoc satis, paucis paulo post verbis, illisque ambiguis, salutato Poloniae Rege, abiit in Lituaniam cum suo exercitu, specie obsidendi Birzam, defuncti Ducis Radiuili nobile domicilium, quam ad extremum sub sequentis anni initio per deditionem ceperat. Interim per eius absentiam liberior Brandeburgicus lapsis suis consulere coepit rebus. Neque mora, habito cum Sueciae Rege Hollandi colloquio; renouare foedus, vnire vires, opponere arma, quaerere socios, conscribere milites, quaeri coram plerisque Europae Principibus, de Poloni Regis iniuria, de barbarorum inuasione, de Polonorum crudelitate, de Borussiae ruina.

Gonsieuius Suecos et Electorales profligat in Prussia.

Caesorum et captiuorum numerus.

Dux Radiuilus capitur et dimittitur.

Gonsieuius cum Electore dissimulat.

Referam nouum iterum Sueci Regis, cum Brandeburgico initum foedus, cuius hic tenor:

Sueciae Rex componit tertio cum Electore.

Nos Fridericus Wilhelmus, Dei gratia Marchio Brandeburgensis (tot. tit.) significamus omnibus et singulis, quorum scire hoc intereſt, quod cum ad Tractatum cum Sereniſſimo et Potentiſſimo Principe, Domino Carolo Guſtauo Suecorum (tot. tit.) Domino Cognato, Fratre et Foederato Noſtro Colendiſſimo, Plenipotentiarios Noſtros Commiſſarios conſtituerimus, eoſque ſufficientibus mandatis inſtruxerimus, Illi cum Sacrae Regiae Maieſtatis Plenipotentiariis Commiſſariis congreſſi, in ſequentia Pacta, quorum capita omnia, et ſingula hic inſerta ſunt, atque hic ſequuntur, conſenſerint.

Notum teſtatumque ſit vniuerſis et ſingulis quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, quod, cum poſt confecta inter Sereniſſimum et Potentiſſimum

1656 tiſſimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Guſtauum Dei Gratia Suecorum (tot. tit.) et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Wilhelmum, Dei Gratia Marchionem Brandeburgenſem (tot. tit.) Pacta non modo feudalia, quibus Regiomonti die 7. Ianuar. Styl. vet. hoc anno initis, Serenitas Sua Electoralis pro ſe et ſuis legitimis Succeſſoribus promiſit, ſe velle Ducatum Boruſſiae et Principatum Warmiae a Sacra Regia Maieſtate et Regno Sueciae in feudum recognoſcere, ſed inſuper etiam certi cuiuſdam foederis Mariaeburgi, die 15. Iun. Styl. vet. hoc etiam anno concluſi, vtrinque et a Regia, et Elect. parte, belli paciſque actionibus ſingularia et egregia admodum conſtantis et ſincerae amicitiae experimenta, et documenta edita, et Sacra Regia Maieſtas Sueciae, Serenitaſque Sua Electoralis hoc tempore inuicem conteſtatae ſint, publicae cumprimis rei fore proficuum, atque propterea vtrique nunc cordi, firmiterque propoſitum eſſe, vt eadem mutua amicitia, indiſſolubili foedere deuincta, in Sacrae Regiae Maieſtatis et Seren. Suae Elect. haeredes et ſucceſſores propagetur, et perpetuetur, ſimul vero Seren. Sua Elect. propoſuerit, et a S. Reg. Maieſt. peculiariter contenderit, vt ſupra dicta pacta feudalia die 7. Ian. Regiſmonti concluſa, amplius nullam vim et vigorem habeant, ſed penitus aboleantur, ipſique Ducatus Boruſſiae, et principatus Warmiae, non ſint feudum Sac. Reg. Maieſtatis, et eius ſucceſſorum Regum et Regni Sueciae; in locum tamen ſaepe nominatorum pactorum feudalium, mutuum, arctiſſimum, perpetuumque foedus vtrinque ineatur: Et Sacr. Reg. Maieſt. conſideratis diligenter non modo propinqui ſibi ſanguine, et foederati, optimaque de ſe et communi cauſa meriti Principis intentione, et publico bono deditis conſiliis, et actionibus bellicis et ciuilibus, ſed etiam vtilitatibus et emolumentis, quae et praeſenti rei communis ſtatui firmando, et poſteritati recte conſulendae inde emergere poterunt, ſi ſcilicet Seren. Sua Elect. ob ſupra dicta omnia, Princeps ſummus et ſupremus, quoad Ducatum Boruſſiae et Principatum Warmiae ſit, et arctiſſimo propterea foedere cum Sac. Reg. Maieſt. et eiuſdem Succeſſoribus Regibus et Regno Sueciae iungatur, animo ideo promptiſſimo expreſſura, ſpeciale quoddam amicitiae teſtimonium, quo Seren. Suam Elect. eiuſque inclytam ſtirpem complectitur, et ſibi eam magis magiſque deuincire nunc cupit, in abolitionem ſaepe dictorum pactorum feudalium, et ſurrogationem arctiſſimi et perpetui foederis condeſcendit, inque eum finem vtrinque poſtea eo vſque collimatum fuit, dum nuperrimis diebus conficiendae huius rei cauſa Sac. Reg. Maieſt. Nos plenipotentia debita et ſufficientibus mandatis inſtructus, me videlicet Regiae Suae Maieſt. ſupremum cubicularium, et cohortium praetoriarum Colonellum Chriſtophorum Schlippenbach, Comitem in Schefuede L. B. in Liuſala, Dominum in Salingen, et me Reg. Suae Maieſt. Conſiliarium Aulicum, et Praeſidem Ducatuum Bremenſis et Verdenſis, Mathiam Biorenclau Haereditarium in Elmenhoff, Wanneſtadt, et Tislinge; vt et me Regiae Suae Maieſt. Conſiliarium, et ad Aulam Seren. Suae Elect. Reſidentem Bartholomaeum Wolfsberg, Haereditarium in Engenaas; Seren. vero Sua Elect. Nos quoque debita plenipotentia et ſufficientibus mandatis inſtructos, me videlicet Seren. Suae Elect. Conſiliarium ſtatus intimum, et negotiorum feudalium Directorem, nec non Sereniſſimae Electricis ſupremum Aulae Praefectum et Capitaneum in Oranienburg, Othonem L. B. de Schwerin, Dominum in Landsberg, Oldewichshagen, nec non Electoratus Brandeburgenſis, Haereditarium Camerarium; vt et me Fridericum de Iehna, Seren. Suae Elect. Conſiliarium ſtatus intimum, inuicem congredi et ſupradictum negotium inter Nos ventilare, tractare, et demum concludere iuſſerint: Noſque deinde vigore ſupra dictorum Procuratoriorum, et acceptorum

rum mandatorum, habitis vltro citroque conferentiis, in ſequentes vtrinque 1656
conditiones, mutuo et vnanimi conſenſu iuerimus.

I. Quemadmodum itaque vigore pactorum Regiomontanorum de 7. Ian. ſtyl. vet. huius anni initorum, Ducatus Boruſſiae, et principatus Warmiae dicto die in perpetuum a Regno Poloniae ſeparabatur, ita hoc ipſo, et vigore horum pactorum in aeternum quoque ſeparatus ſit et maneat; adeo, vt neque Seren. Sua Elect. neque ipſius Succeſſores, Ducatum Boruſſiae et Principatum Warmiae, vlla ratione Regno Poloniae, aut eiuſdem vaſallagio et dependentiae in poſterum obſtringere, ſed potius omnibus viribus reniti debeant, ne vnquam ad eandem, vel ſimilem coniunctionem cum Polonia, vel quocunque alio Regno vel Republica reducantur et veniant.

II. Quem in finem Sacra Regia Maieſtas Sueciae pro ſe et Succeſſoribus ſuis Regiis et Regno Sueciae, nunc et in perpetuum pacta feudalia, quae inter Sacram Regiam Maieſtatem et Regnum Sueciae ab vna, et Seren. Suam Elect. ab altera parte Regiomonti die 7. Ianuar. huius 1656. anni erecta fuerant, et in quibus, praeter alia, Seren. Sua Elect. quoque promiſerat, ſe velle praedictum Ducatum Boruſſiae, et Principatum Warmiae, a Sacra Regia Maieſtate, eiuſque Succeſſoribus Regibus, et Regno Sueciae in feudum recognoſcere, cum omnibus aliis Regiomonti die 7. Ianuar. praeterea initis conuentionibus, et ſubſecuta declaratione Mariaeburgenſi, die 15. Iun. ſtyl. vet. huius anni, hoc ipſo cum omnibus et ſingulis ſuis verbis, clauſulis, et articulis inibi comprehenſis, irrita et nulla pronuntiat, omnemque ipſis vim, vigorem, et effectum hoc ipſo, et virtute huius pacti penitus et in aeternum detrahit, ipſaque dictorum pactorum originalia, cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, vtrinque ſciſſis, et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur, adeo, vt pacta haec abolita contra Seren. Suam Elect. et eius ex legitimo matrimonio deſcendentes Succeſſores maſculos in poſterum nulla penitus ratione alligari, vel Sacra Regia Maieſtas eiuſque Succeſſores Reges Regnumque Sueciae, illis vti poſſint, vel debeant.

III. Quod Deus itaque Ter Optimus Maximus felix fauſtumque eſſe iubeat, ab hac die et in perpetuum, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICVS WILHELMVS, Dei Gratia Marchio Brandeburgenſis (tot. tit.) et eiuſdem ex legitimo matrimonio deſcendentes Succeſſores maſculi, omnes et ſinguli continuata ſerie, ratione Ducatus Boruſſiae, et Principatus Warmiae, ſint et maneant Principes Summi et Suuereni, iiſque iuribus, quibus Principes ſummi et independenti poteſtate pollentes gaudent, vel merito gaudere debent, poſthac gaudeant, vtantur et fruantur.

IV. Adhaec, vt de ſtabili et ſincera amicitia plane nullum ſuperſit dubium, non modo coniunctio iſta armorum, quae die 15. Iunii, anni iam currentis Mariaeburgi eſt inita (quatenus hiſce vt et nunc confectis ſecretis pactis, ipſique adeo ſuuerenitati, ſeu ſummae poteſtati non eſt contraria) virtute huius articuli repetita eſt, et priorem ſuum vigorem obtineat, ſed inſuper etiam loco abrogatae feudalis illius obligationis, quae antehac inter Sacr. Reg. Maieſt. et Seren. Suam Elect. interceſſit, Seren. Sua Elect. et eiuſdem ex linea Ser. Suae Elect. deſcendente maſcula legitimi Succeſſores, ab hac die, quoad ſupradictum Ducatum Boruſſiae, et Principatum Warmiae, abſoluti, ſuuereni, independenteſque

1656 teſque Principes, et arctiſſimo quodam foedere, et ratione euentualis illius ſucceſſionis, quae infra artic. 13. comprehenditur, Sacrae Reg. Maieſt. et eiuſdem Succeſſoribus, et Regno Sueciae, perpetuo et inuiolabiliter coniuncti, et inuicem obligati maneant, adeo quidem, vt inter Sac. Reg. Maieſt. et eiuſdem Succeſſores Reges, et Regnum Sueciae, et Seren. Suam Elect. et eiuſdem deſcendentes legitimos Succeſſores, abſolutos et ſuuerenos Duces Boruſſiae, et Principes Warmiae, foedus et vera amicitia concluſa et ſtabilita ſit.

V. Sit itaque ab hac die inter Sac. Reg. Maieſt. et eiuſdem Succeſſores Reges et Regnum Sueciae vna; et inter Seren. Suam Elect. et eius ex legitimo matrimonio deſcendentes Succeſſores maſculos, ab altera parte, firmum, indiſſolubile et perpetuum foedus, mutua fides, vt et conſtans atque ſincera amicitia, eaque ſerio ſemper ſeruetur, et inuiolabiliter conſeruetur, ita, vt pars altera alterius, et vtriuſque terrarum, ditionum, et ſubditorum, tanquam propriorum, commoda, vtilitatem, honorem, et augmenta, quaerat, et promoueat.

VI. Vigore eiuſmodi perpetui foederis, nulla pacta, aut foedera, quae hactenus vtrinque cum aliis confecta fuerunt, vim vllam obtineant, (quatenus huic foederi et commodo, ac bono vtrorumque contrahentium aduerſantur, neque vlla poſthac pacta aut tractatus in praeiudicium et detrimentum huius pacti, habeantur aut concludantur. Atque ideo Sac. Reg. Maieſt. et Seren. Sua Elect. pro ſe, et ſuis reſpectiue ſucceſſoribus, regnis, prouinciis, et ditionibus, ad hoc ſe mutuo nunc obſtringunt, quod in futuro tractatu, cum Rege et Republica Poloniae, magnique Ducatus Lituaniae, adipiſcantur ſatisfactionem, quae inſtrumenti ſecreti artic. I. expreſſa eſt. Deinde, vt Seren. Sua Elect. et eiuſdem ex linea Seren. Suae Electoralis deſcendentes maſculi legitimi ſucceſſores, non modo Ducatum Boruſſiae, ſed etiam Principatum Warmiae, cum omnibus eorum pertinentiis, et iuribus, cumprimis vero abſoluta poteſtate et ſuuerenitate, tuto ac perpetuo habeant, et poſſideant. Si itaque, Deo ita dirigente, motus et bellum praeſens Polonicum, componi et ſopiri debet, neutra pars vllum de pace facienda tractatum, vel quodcunque cum hoſte pactum, nedum ipſam pacem cum eodem hoſte initura et concluſura eſt, niſi altera conſenſerit, et vtrique parti ex praeſcripto huius articuli, vt et articulorum primi et ſecundi in inſtrumento ſecreto ſatisfactum ſit, omneſque et ſingulae prouinciae et iura, tam vni, quam alteri parti hoc bello, et per futurum cum Rege et Republica Poloniae, magnique Ducatus Lituaniae tractatum, acquiſita et acquirenda, communi pacis inſtrumento debite includantur, et inprimis, vt Seren. Sua Elect. ſaepius dictam abſolutam poteſtatem, et ſuuerenitatem ſaluam et integram, abſque vllo damno, detrimento, vel incommodo retineat, et tum vigore etiam eiuſdem inſtrumenti, Rex et Reſpublica Poloniae, magnique Ducatus Lituaniae, iuri et praetenſioni, quam tum in prouincias inſtrumenti ſecreti artic. I. ſpecificatas, et Sac. Regiae Mai. eiuſque Succeſſoribus Regibus et Regno Sueciae in ſatisfactionem dandas et tradendas, tum in Seren. Suae Elect. Ducatum Boruſſiae et Principatum Warmiae hactenus habuere, firmiter et ſufficienter renuncient, renunciatumque ſit.

Confecta vero horum pactorum bina eiuſdem tenoris exemplaria, hac ipſa die inter vtrinque conſtitutos, et ſupranominatos Plenipotentiarios Commiſſarios, ſunt extradita; a Sacra Reg. Maieſt. Sueciae, et Seren. Sua Elect. Brandeburgica intra quatuordecim dies a dato concluſae et ſubſcriptae huius tranſ-

tranſactionis ratificanda, et hinc inde quoque permutanda. In ſupra ſcriptorum omnium et ſingulorum certam et indubiam fidem, maiuſque robur, hoc ipſum inſtrumentum, manuum noſtrarum ſubſcriptione, ſigillorumque noſtrorum appoſitione roborauimus. Actum in Arce Labiauienſi die 10. Nouemb. ſtylo vet. Anno 1656. 1656

CHRISTOPHORVS CAROLVS SCHLIPPENBACH. (L.S.)

OTHO L. B. A SCHWERIN. (L.S.)

MATHIAS BIORENKLOW. (L.S.)

FRIDERICVS DE IEHNA. (L.S.)

BARTHOLOMAEVS WOLFSBERG. (L.S.)

Nos itaque FRIDERICVS WILHELMVS (tot. tit.) ſpondemus atque promittimus, tam noſtro quam ſucceſſorum et deſcendentium Noſtrorum nomine, vniuerſa et ſingula capita, pactis ſupraſcriptis comprehenſa, bona fide nos approbare, confirmare, et ratihabere, prout eadem etiam praeſentibus nunc approbamus, confirmamus et ratihabemus, promittentes verbo Electorali, Nos non modo dictis pactis poſthaec conſtanter inhaeſuros, curaturoſque, vt omnia et ſingula pactorum capita, quae a Noſtra parte promiſſa ſunt, rite et religioſe obſeruentur, ſed etiam impedituros, ne a quoquam violentur. In quorum fidem et maius robur, hoc inſtrumentum manu Noſtra ſubſcriptum, ſigillo inſuper Noſtro Electorali muniri iuſſimus.

Dabantur in Arce Labauienſi die 23. Nouemb. ſtyl. vet. Anno 1656.

FRIDERICVS WILHELMVS
Elector.

Haec ſumma compoſitionis Sueci Regis cum Brandeburgico.

Generalis Königſmarck captiuitas, et eius in Germania geſta.

Auxit vtriuſque quaeſtus, captus tunc a Gedanenſibus Generalis KÖNIGSMARCK Suecorum primum in terris numen, ipſique Regi proximus. Rem altius repeto de Generalis Königſmark captiuitate, cuius infortunio, vti Suecia vehementius indoluit, ita vicina Germania congratulata eſt. Nobilem hic praedonem in Germania egerat, quamdiu per bellum licuit. Bello vbi pax Oſnabrugenſis ſubſequuta eſt, ingentes coaceruatos in Germania theſauros in Pomeraniam deuehit, neque ibi diu quiete frui volens, Suecis auctor eſt, Bremenſem inuadere Epiſcopatum, cauſa in ſpeciem iuſti belli obtenta, quae nulla fuit, neque Sueci ſui Generalis aſpernati ſunt conſilium. Igitur Bremam obſident, fruſtra obiicientibus Bremenſibus iniuſtum bellum, inuocantibus ſuppetias Caeſaris, cui tunc per pacem non licebat liberam Germaniae iuuare ciuitatem. Igitur ad extremum redacta Brema, Suecorum admittit patrocinium, verius dixerim Königſmarckii iugum. Hic enim, quaſi viribus opibuſque ſuis expugnaſſet vrbem, mercari principatum Bremenſem a Suecis coepit, ac paulo poſt, datis quinque millionibus auri, nouo electo Sueciae Regi Carolo, in vim pignoris, tantae mutuatae ſummae, obtinet principatum iure pignoris. Tunc igitur primum beatitudinem ſuam agnoſcere coepit Königſmarckius, priuatamque Principis inſtituere vitam, procul a bello et a negotiis Regni Sueciae. Variis argumentis conabatur perſuadere homini tunc vmbratico, Carolus militarem vitam, ſed fruſtra, donec vicino periculo Sueci Regis excitus ſenex, ratus actum eſſe de Bremenſi ſumma, vbi cecidiſſet Carolus, et in eo Suecorum fortuna, impoſitis quinque nauigiis Scotorum ſexcentis in Pruſſiam nauigat. Cum ecce ad Helam (infernalem Germani denominant locum) haud procul Gedano conſiſtens tribus continuis diebus, aduerſo impulſus

1656 pulsus vento, haeret in anchoris. Interim Gedanenſes de Königsmarckii per exploratores aduentu certiores facti, mittunt armatas naues, quae eius recognoſcerent vires. Vix in conſpectum venerant Gedanenſium nauigia, cum ecce ſublato in coelum clamore Scoti Gedanenſibus ſe dedunt, pacti vitam et libertatem. Königsmarck vbi Scotorum audit defectionem, nauclero imperat, amputatis anchoris, vela in altum daret, negat ille contrario vento, alibi terrarum ire poſſe quam Gedanum. Hinc furibundus Königsmarck, nudum ſtringit enſem dirigitque in naucleri caput, niſi paruerit, ille, in deſperationem iam prolapſus, ſolutis anchoris adhuc vehementiori propellente vento, recta Gedanum nauigat, admotuſque Gedanenſium paulo poſt nauigiis, ab iiſdem circumuentus capitur; Gedanumque in triumphum ducitur, triumphator Germaniae, Anſiaticarumque ciuitatum terror non poſtremus. Haec tunc in Pruſſia acta meminimus.

Nec in maiori Polonia per ea tempora otiabatur, Palatinus Podlachiae Comes de Bnin Opalinski, vna cum Grudzinio Palatino itidem Caliſſienſi. Etenim poſtquam ex vi pactorum cum Brandeburgico concluſorum, Suecorum Generalis Burchardus Müller, Electoris Generali DÖRFLINGIO, ceſſiſſet Poſnania, atque adeo maiori Polonia, IOANNES Comes WRZESOWICZ, Patria Bohemus, Generalis tunc apud Suecos vigiliarum praefectus, grauiſſime paulo ante in conductione [83]) ſalisfodinarum Wielicenſium, a Ioanne Caſimiro, Poloniae Rege, laeſus, legionis hic ſuae in oculis nouorum hoſpitum laudem captans, quo aliquid mereretur de Electore, auxilium dare tentabat iam iam cadenti in manus Polonorum Caliſſiae. Igitur progredienti abſque ordine comiti, ſuperuenit media nocte Grudzinius, Palatinus Caliſſienſis, diſpoſitoſque ac nihil tale metuentes Suecos, in mediis inuentos ſyluis capit, captoſque trucidat. Comes ipſe per tenebras tunc elapſus, paulo poſt a ruſticis agnitus, crudeliſſime fuſtibus peremptus eſt. Cecidere tunc in illis ſyluis ex parte Suecorum praecipui, ſupremus Comitis Vicarius LANGENAR, Summi excubiarum praefecti PETER, IOANNES OTHO de WALH, HEIDER, ſub legione Ducis Saxoniae, equitum praefecti MORITZ, FRIDRICH GROS, TEICH, ſub legione tribuni militum de Walch, equitum praefectus WEINLAND, ſub legione Nachtigalli, CASPAR FRVCHLANDT, Auditor Poſnanienſis.

Comitis Wrzeſowicz caedes et mors. Occiſorum ex parte Suecorum numerus.

Ex parte Electoris Brandeburgici.

Ex parte Electoris Brandeburgici ANDREAS PAVLI, Supremus vigiliarum praefectus legionis Phulianae, PETER SAX, equitum praefectus legionis Generalis Dorflingii. Baro de SCHWENDE, equitum praefectus legionis comitis iunioris de Wilgenſtein, equitum praefectus BRETLAR, ſub legione tribuni militum de Zaſtroum. Centurio locumtenens generalis excubiarum praefecti de Kanneberg. Commiſſarius GODFRID WEITER. Accidit haec Suecorum Electoriſque clades in maiori Polonia die XXVIII. Auguſti.

83) Auctor loco *conductione* dixit *arenda*, quod verbum in Polonia vſitatiſſimum, licet non Latinum atque adeo barbarum. Sic Rudauſcius loco ſummus excubiarum praefectus ſcripſit, *Maior*, quod verbum tantum cum ad ſummam, tum ad comparationem ponitur aetatis a Latinis, vt, *maiores natu honorare*, *natu maior*. Sed quod peius, idem in ſequentibus dixit *Rittmeiſter*, loco, equitum praefectus. *Colonellus* fere ſemper ponitur, vbi tribunus militum, vel legionis moderator, et *generalis Maior*, vbi generalis excubiarum praefectus, dici debuiſſet. *In ſuccurſum* mittere, pro in auxilium, *fortalitium* loco propugnaculum, et multa alia barbara ſcripſit auctor, quae omnia me obliteraſſe hoc conſilio annoto, vt iuuentus Polona euadat tempore latinior.

LIBRI VII. CAPVT IV

SYNOPSIS

Regis Poloniae Gedanum aduentus et ſolennitas. Propoſitiones Poloni Regis Gedanenſibus factae. Eorundem reſponſum. Polonus miles miſſionem a Rege petit et impetrat. Sueciae Rex Polonorum ad Gedanum occupat caſtra. Polonos abeuntes perſequitur. Reginae Poloniarum inſidias ſtruit. Choiniciam iterum occupat. Mittitur Vrangelius ad Reginam cum literis paſſus. Eius reſponſum, Vrangelio abeunti mille aurei a Regina donati. Regina Polonum militem ſiſtere conatur. Czarnecii conſilium Reginae ſuggeſtum. Eiuſdem exprobratio belli ducibus et in Potocium inuectiua. Reſponſum Potocii. Czarnecii ſtratagema. Potocii diſceſſus. Czarnecius Reginam primo Caliſſium, mox Czenſtochouiam deducit. Regem Polonum Gedano liberat. Caſimiri Czenſtochouiam aduentus, ibidemque conſilium. Rumor de Ragocio Poloniam ingrediente. Lubomierſcius Cracouienſem ſoluit obſidionem. Varii de Lubomierſcio ſermones et quaerelae. Confoederatio nobilitatis Polonae.

Tribus ſimul victoriis auctus tunc Polonus Rex, meliora ſperare coepit, iamque ad fines Pruſſiae conſiſtens, crebris Gedanenſium euocatus literis, Gedanum ſuorum promouet ordines, vertente iam in aſperiorem autumnum anno. Ac paulo poſt, nempe V. Nouemb. Gedanum ingreditur; relicto exercitu duabus ab vrbe leucis, ne nimium grauis ciuibus videretur Regis ſui aduentus, tantopere deſideratus. Venienti obuiam effudit ſe ciuitas, laetaque excepit, qualiter per tempus licuit, magnum hoſpitem, eundemque et Dominum. Digna profecto vrbs, quae caeteris in fidelitatis eat exemplum. 1656 Regis Poloni Gedanum aduentus et ſolennitas.

Ingrediebatur tunc Polonus Rex reginam Balthici maris ciuitatem hoc ordine. Stabant legionariorum, quos Gedanum eduxerat, ſexcenti, his iungebantur in ſexaginta vexilla diſpoſiti ciues, praecedebant conſules, quos deinde Polona numeroſa ſubſequebatur Nobilitas, Nobilitatem Senatores, tubicines, feciales. Regi, nemine interpoſito, praeibat Cancellarius, Stephanus de Pilca Korycinski. Vtrumque regium latus cingebant Gedanenſes, claudebant ducenti Cataphracti ex regia ala. Populi, qui extra vrbem Regi in occurſum venerat, numerus ferme centum millium fuit. Eo modo deductum Regem ſalutauit primo ciuitas, proloquente Vincentio Fabritio, Syndico ſuo, viro erudito et eloquente, cui cancellarius Poloniae, nomine ſui Regis reſpondit.

Poſtero die Rex ad Conſules, in ſumma curia congregatos, Polonum mittit oratorem. Summa orationis fuit. Flagitabat Rex ducenta florenorum millia a ciuibus quae numerarent exercitui. Excuſabat deinde vicinitatem Poloni exercitus, qui haud procul Gedano agebat. Praeterea adhortabatur, recuperandi in vicinia propugnaculi Capitis denominati. Reſponſum eſt. Gratis offerre populum Gedanenſem ducenta ex nunc florenorum millia Polono Regi, amoris in Principem certiſſimum pignus. A vicino Polono exercitu nullum timorem eſſe ciuitati, modo miles contineatur in debita diſciplina. Vicinum propugnaculum a Sueciae nuper occupatum Rege, alte menti ſuae haerere, nec dubitare felicitate eius Maieſtatis, poſſe illud abſque mora recuperari. Regis Polonni Gedanenſibus propoſitiones. Reſponſum eorundem.

Laetus Polonus Rex tali Gedanenſium reſponſo, hilares, feſtoſque tunc agebat Gedani dies, commiſſa cura expugnandi vicini munimenti, Poloni exercitus Generali Potocio, qui longiorem tunc quam ſperabant omnes capiendi illius propugnaculi expertus moram, damnabat Regis ſui conſilia, aſperiorem cauſans hyemem, victuſque penuriam. Fortaſſis et militem Polonum per tot annos molliter habitum, et tunc abſque militari pretio militantem, non audebat ad duriora vertere. Igitur impoſſibilem dictitans expugnationem, miſſionem in hyberna nomine exercitus poſt acceptam a Rege pecuniam petit, quam aegre impe- Polonus miles a Rege petit miſſio-

1656 nem et impetrat. impetrat a credulo Rege, in duos tantummodo menſes. Obtenta aut potius per vim et minas extorta a Rege abeundi licentia, celerius quam venerat in maiorem Poloniam digreditur miles Polonus, ſummam in caſtris, nec amplius tolerabilem ad Gedanum cauſans famis moleſtiam. Falſo profecto famem dixere, quibus modica largitione victus ſuffeciſſet in decimum menſem. Sed quis Polono milite inſolentior? quis in orbe prodigalior? aut quid non modicum eſſe poteſt omnia vna hora conſumentibus? quaeque aliis vno anno ſufficerent, Polono militi vno menſe modicum videtur. Melius faciunt caeteri Europaei, qui militem parſimoniam docent et frugalitatem.

Sueciae Rex Polonorum ad Gedanum occupat caſtra. Polonos abeuntes perſequitur. Reginae Poloniarum inſidias ſtruit. Choinicium iterum occupat.

Vix e caſtris diſceſſerat Polonus miles, cum ecce eadem die Suecorum Rex, congelatae Viſtulae vſus commoditate, eorum ingreditur ſtationes, ratus Polonos terrore ſui aduentus retroceſſiſſe in intima Poloniae. Vnde nihil moratus, Generalem Stoembock ocius expedit, qui fugientibus inſtaret Polonis, adeoque ipſi tunc aduentanti Poloniarum Reginae, ſi poſſet ſtrueret inſidias, quam et intercepiſſet Stoembockius, ſi per Galli Regis licuiſſet Oratorem D' Ombres dictum. Ille enim vbi periclitari Reginam vidit, auctor inprimis Stoembockio fuit, vt miſſis illico Reginae literis paſſus, ſecurum eidem promitteret ad Regem tranſitum, ea arte cum vtriſque Maieſtatibus, Gedani incluſis, poſſe deinde ad libitum paciſci, aut ſecuram, nihilque tale ſibi metuentem in itinere detinere, donec pacis conditiones ſubſcriberet Polonia. Stoembockius Oratoris Galli vſus conſilio, Reginae pauidae Choyniciis reſidenti, quod oppidum altero, poſt Reginae diſceſſum, die, iterum ceſſerat Suecis, nec ſine diſpendio Poloni ſanguinis. Caeſa enim ibidem per mappalia diſpoſita Ducis Wiſniouiecii praetorianorum legio. In hoc igitur oppido reſidenti Poloniae Reginae per Vrangelium offert Stoembockius literas paſſus, omnem praeterea pollicitus itineris ſecuritatem. Vrangelio fidem adſtruebat Galli Oratoris Secretarius, conſulto ad Reginam a domino ablegatus, quo maior fides dictis Vrangelii haberetur. His dolis intercipere tunc conabantur Sueci Poloniae Reginam, Galli oratoris opera, ſtudio, arte. Diu in ſuſpenſo haerebat Regina, modo de Regis ſui ſollicita periculo, modo ſibi ipſi metuens, et infenſa; Mox audito legionum Potocii Lanckoroniique tumultu, pene exanimis, et omnis propemodum conſilii inops reperiebatur. Cum haud multo poſt Czarnecii animata ſpiritu, extrema potius pati, quam ſe fidei Suecorum committere Vrangelio reſpondit, maxime cum nulla affulgeat ſpes optatae pacis, et tractatuum cum Suecis. Quippe cum Moſchorum magno Duce in caput Suecorum coepti menſe Auguſto tractatus, pridie nonas Nouembris ſubſcripti iam erant.

Mittitur cum literis paſſus ad Reginam Vrangelius.

Eius reſponſum.

3. Nouemb.

Abeunti Vrangelio mille aurei a Regina donati.

Haec ſumma reſponſi Reginae Vrangelio dati, cui abeunti poſtero die, mille aureos numerare iuſſit, magna in hoſtes prodigalitate, non item in ſuos Polonos, quos egregie emungere, more Gallis vſitato didicerat, vſum Gallorum obtendens, perſuadenſque mores Gallicos genti remotae a Gallia.

Regina militem Polonum ſiſtere conatur. Czarnecii conſilium Reginae ſuggeſtum.

Ita dimiſſo Vrangelio Belli Duces aggreſſa Regina, orare coepit, redirent iterum in Pruſſiam praemii loco, quanquam in ſumma aerarii neceſſitate, numerare illis triginta imperialium millia; admonet praeterea Czarnecium datae fidei, quam ab illo acceperat, ne in caſum inſtantis periculi illam relinqueret. Czarnecius intrepidam iubet eſſe Reginam, cogeret interim illa bellicum conſilium, auctoritate ſua, caetera relinqueret ſibi. Interim Potocius Lanckoroniuſque valedicebant Reginae, militum ſuorum cauſati inſolentiam, quam refraenare nequaquam poterant; illiſque iam abeuntibus e Reginae conſpectu, ſuperuenit Czarnecius, reuocatiſque iterum ad Reginae colloquium ducibus ſciſcitari coepit ab iiſdem: Quid ſibi vellet tanta militis in caſtris petulantia? potius pernicioſa ſeditio? quae tantorum ducum auctoritas? quis militum veſanus furor? cui coercendo iam impares audiebant belli duces. Se quod attinet, paruiſſe in hunc diem mandatis qualia ſibi dixerant belli duces, quamdiu illa iuſſa e re publica erant, nunc ſoluere balteum, ponere gladium, neque ſe ſubeſſe illis velle, aut poſſe, qui imperare aliis neſciant, aut non valeant. Neque ſe ideo haec dixiſſe intelligerent, quaſi territus vicinitate hoſtis, deſperaret. Abirent illi, quo vellent, ſibi ſuam relinquerent legionem, illoſque quibus pudor et amor in oculis eſſent, permitterent exercitui libertatem manendi, vel abeundi. Abeuntium ſint illi duces, ſibi conſtantes manendique cupidos relinquerent. Annuente Potocio, conditionemque cum riſu acceptante, breuibuſque, vt ſenex ſolebat, Czarnecium admonens, videret ille, ne dum omnibus manendi imponit neceſſitatem, omnes vna hora amittat. Sed Czarne-

Eiuſdem exprobratio belli ducibus et in Potocium inuectiua. Czarnecii ſtratagema. Reſponſum Potocii.

Czarnecius identidem repetebat; enimuero relinqueret facultatem manendi. Ad ea verba paulo commotior Potocius: Faceret, quod vellet, ſe amplius hyeme adulta in caſtris continere militem non poſſe, cuius ſalutem reſpublica fidei ſuae concrediderat. Interim Czarnecius ſpargere triginta millia imperialium in praecipuos coepit, eaque arte ſex millia lecti exercitus, a Potocio diuiſit, indignante ac fremente ſene belli duce, cuius auctoritatem imminutum ibat legionis praefectus. Nihilominus diu ante meditatum in Poloniam regreſſum, proſequutus eſt Potocius, vna et Lanckoronius cum reliquo exercitu. Czarnecius vero abeuntibus belli ducibus, et ipſe Caliſſiam verſus vna cum Regina mouit, quam incolumem Czenſtochouiam vſque deduxit, illaque ibidem relicta, ſecundo Pruſſiam ingreſſus, fauente ſibi propitio Marte, obuias Suecorum, ac nihil ſibi tale metuentes, deleuit legiones, ea celeritate, vt intra duas dies et vnam noctem, quadraginta octo, quis crederet, confecerit milliaria? eaque arte Regem, Gedani iam fere incluſum, eliberauerit, ſummo cum applauſa vniuerſae Poloniae. Finxerat tum Czarnecius timere Stoembockium, quem in Maſouiam ad Praſniciam vſque euocauerat, ibique, quaſi terrore correpti milites eius eſſent, ſimulauerat fugam, Gedanum vſque, caeſis, vt dixi, in itinere aliquot Suecorum hinc et inde legionibus. Neque diu ſubſiſtens Gedani, praemiſſo terrore ſui Marieburgum verſus, vbi tunc Sueciae Rex conuocabat deletas copias, alio itinere per medios hoſtes, vna cum Rege deflexit, Caliſſiam primo, inde Czenſtochouiam, vbi congregatos proceres Polonos, ad diem vigeſimam octauam Februarii anni ſubſequentis inuenerat, potiſſimum Lubomierſcium, qui paulo ante Cracouienſem ſoluerat obſidionem; certior per exploratores factus de Rakocii aduentu. Hic etenim per ea tempora Pokuciam ingreſſus, Stryiouiam occupauerat, prout in tempore memorabo. Magnus reuera dolor tunc Regi, ex irrita iam tertio Cracouienſi obſidione, pudor vero Lubomierſcio, qui paulo ante, menſe Octobri, tertio iam eandem obſederat, fretus certiſſima ſpe potiundae vrbis, quod contra accidit, vltra Polonorum votum, Cracouienſiumque ſpem. Producta Lubomierſcii obſidio, ad medios Februarii dies, quid aliud docuit, quam gladiis perfringi, ac ſubrui muros eſſe impoſſibile: Quanquam non deerant, qui affirmarent potiturum fuiſſe vrbe Lubomierſcium, niſi Rakocius irrupiſſet ea parte, qua Lubomierſcius magni momenti poſſidebat bona, hinc propria defendere coactum a natura fuiſſe, ac propterea receſſiſſe ab expugnatione vrbis. Alii corruptum a Wirtzio affirmabant, centum millibus imperialium. Non deerant, qui dicerent, potuiſſe primo ſtatim menſe Lubomierſcium potiri vrbe, ſi praedas conceſſiſſet militi, vna et ruſticis, qui expugnare promittebant. Caeterum ineſcatum praedae cupidine Lubomierſcium, noluiſſe ea concedere, quae ipſe animo deuorauerat. Quidquid ſit, mediis, vt dixi, Februarii diebus, Cracouiae valedixit Lubomierſcius, cauſatus inſperatam Rakocii in Ruſſiam irruptionem. Cui opponere ſe volebat amore in patriam, quam ſemper ille in ore habuit. Nihil tunc et Nobilitatis Confoederatio profuit, adactuſque miles iureiurando niſi capta vrbe non remeare. Huius autem Confoederationis haec ſumma fuit:

1656

Czarnecii ſtratagema.

Potocii diſceſſus. Czarnecius Reginam primo Caliſſiam, mox Czenſtochouiam deducit. Eius celeritas. Regem Polonum Gedano liberat. Caſimiri Czenſtochouiam aduentus. Ibidemque conſilium. Rumor de Rakocio Poloniam ingrediente. Lubomierſcius Cracouienſem ſoluit obſidionem. Varii de Lubomierſcio ſermones et quaerelae.

Confoederatio

Confoederatio Nobilitatis Polonae.

Nobilitatis minoris Poloniae Palatinatuum Cracouienſis et Sendomirienſis iuramento confirmata. In Caſtris prope Cracouiam Anno 1656. Die 23. Octobris.

Nos Senatores, Dignitarii, Magiſtratus, et vniuerſa militia Palatinatuum Cracouienſis et Sendomirienſis, nec non copiae exercituum Regis et Reipublicae, et quotquot vniuerſim literis publicis, ſeu vniuerſalibus mandatis S. Regiae Maieſtatis, Domini Noſtri clementiſſimi, et literis Excellentiſſimi Domini, Domini Georgii Lubomierſki, Comitis in Wiſnitz et Iaroslaw, Supremi Regni Mareſchalli, Generalis Minoris Poloniae, Cracouienſis, Scepuſienſis, Chmelnicenſis, Niſinenſis, Caſimirienſis, Olſtynenſis etc. etc. Gubernatoris, tanquam p. t. exercituum Ducis delegati, ad expugnandum et depellendum hoſtem Cracouia, Regni Metropoli, exciti comparuimus; Hoc inter Nos fraternum et ſacroſanctum foedus, ſeu vinculum, priores confoederationes, contra eundem

1656 hoſtem iam alias factas, reaſſumendo, et praeſentem Noſtram eiſdem conformando, ſancimus et ita nobis mutuo ac viciſſim promittimus, et ſacroſancte iuramus. Inprimis, quod omnes, nemine excepto, vigore iſtius iuratae fidei arma ſumemus, et hanc expeditionem, ex omnibus bonis ſeu poſſeſſionibus, tam regiis quam eccleſiaſticis, et equeſtribus ſuſceptam, tamdiu continuabimus, quoaduſque contingat Dei benedictione, fortalitium hoc ab hoſte recuperare, et eundem radicitus extirpare.

Quia vero aliqui inueniuntur, qui in contemtum legum, et ſanctorum alias ſuſceptorum foederum, hucuſque non comparuerunt, etiam poſt toties repetitas literas publicas, quo neglectu plurimum conatus hoſtiles promouerunt; idcirco nos moderno hoc foedere, hos omnes obſtringimus et obligamus, vt intra decurſum VIII. dierum, a data praeſentium, ad caſtra ſeſe conferant, et ibi ſimul vna nobiſcum labores belli ſuſtineant, miſſa omni tergiuerſatione, ex cauſa bonorum in aliis Palatinatibus poſſeſſorum, et exemptionum per gratiam Cancellariae obtentarum.

Quodſi aliqui tergiuerſari pergant, et deinceps in tempore non compareant, omnes illi, cuiuſcunque ſtatus et conditionis fuerint; hoc eſt, ſiue illi, qui titulo Nobilitatis gaudent, ſiue qui habent aduocatias et ſcultetias in bonis Regiis, vel eccleſiaſticis, ſiue qui poſſident praedia et allodia, coniuncta ciuitatibus, oppidis, curiis Regiis, eccleſiaſticis, equeſtribus, eorumque haeredes, qui vtifruuntur quibuſcunque bonis, titulo locationis, arendae, oppignorationis, aut quouis alio nomine, qui elocarunt ſummas pecuniarias, feceruntque frugiferas, obligatione inſcriptionum, recognitionum, chyrographorum, etc. Omnes hi niſi compareant, et hanc nobiſcum expeditionem ſuſcipiant, pro hoſtibus patriae habendi ſunt, et noſtrum erit ſtatim et in inſtanti poenas ex iis ſumere, et tum ex ipſis perſonis, tum in illarum bonis, executionem facere. Qua in re fidem Excellentiſſimi Domini Mareſchalli Generalis Noſtri obligamus, quatenus ſine dilatione bona illorum confiſcentur, taxentur, et eorundem pretium in ſtipendia militiae, conuertatur; ipſi vero perpetuis temporibus, titulo Nobilitatis, dignitatibus, officiis, et honoribus excidant. Excipiuntur vera infirmitate impediti: eam tamen legitime comprobare tenentur, adhibitis IV. teſtibus poſſeſſionatis, ſibi genere ſimilibus: nihilominus et ipſi ſui loco, adſcitos expedire debent, congrue armatos, hoc eſt, ſingulos inſtructos, bombardis binis manualibus, et vna geſtatoria, et quorum vnuſquiſque condigne ſuſtinere poſſit perſonam ſui principalis. Patresfamilias expediant filios bello aptos: Senes ſexagenarii, vti lex exigit, ſubſtituant alios pro quantitate ſuarum facultatum, quod iudicio ſuberit Palatinatuum, iuxta normam legum et moderni foederis, in praeſentia excellentiſſimi Domini Mareſchalli Generalis Noſtri.

Quia vero, vti conſtitutum fuerat, ciuitates primae claſſis, ex ſeptennis domibus, vnum pedeſtrem militem non expediuerunt, ſicuti etiam ciuitates ſecundae claſſis, ex duodenis vnum, et tertiae ex vicenis vnum; ideo niſi in decurſu octo dierum id ipſum re et opere praeſtent, (hunc enim praeciſe terminum praefigimus) ſtatim in inſtanti (praeuio iuramento conſulum, de numero domorum ad praeſens inſeſſarum) contra Magiſtratus earum ciuitatum, tanquam contra rebelles, et hoſti fauentes, in ipſorum bonis, et perſonis, per realem executionem procedendum erit.

Cum

Cum etiam palam ſit nonnullos Palatinatus, terras, et diſtrictus, mandatis Sereniſſimi Regis ad communem expugnationem hoſtium euocantis non obtemperaſſe (quo auctae ſunt vires hoſtiles, et noſtrae imminutae) ideo illorum palatinatuum, terrarum, diſtrictuum incolas, fraterno amore, et vinculis confoederationum ſupra memoratarum obſtringimus, quatenus eo in paſſu, deeſſe nolint carae patriae; ſed potius vna nobiſcum onus ſubeant, tanquam eiuſdem patriae non degeneres filii. Sin ſecus; eo res veniet, vt pro rebellibus patriae, iurium et auctoritatis Sacrae et Sereniſſimae Regiae Maieſtatis contemptoribus, a nobis habeantur. Quare Excellentiſſimum Dominum Mareſchallum Generalem noſtrum rogatum volumus, vt illos ad idem euocet. 1656

Et quoniam viduae, minorennes, ſpirituales bona terreſtria poſſidentes, quidam nullos, quidam non competenter expeditos milites praeſentarunt; Hi deinceps ſub iiſdem poenis ad diem, (vti ſupra) praefixam, melius inſtructos et ſufficienter armatos expedient.

Quia vero etiam tales non pauci reperti ſunt, qui diuini timoris et ſuarum libertatum immemores, commercia cum hoſtibus, et conferentias habere auſi ſunt, alii, etiam hucuſque inter illos verſantur; vtriſque ad reſipiſcendum idem tempus praefigimus. Quod ſi pro tempore in caſtris noſtris non comparuerint, pro hoſtibus patriae, ipſi, eorumque poſteri, perpetuis temporibus habebuntur. Ii autem, qui cum talibus, vel cum hoſtibus deinceps, quocunque modo et ratione communicare vel conferre praeſumpſerint, ſtatim, et in inſtanti, poenis et executioni ſubiiciendi erunt; bona talium confiſcentur, taxentur, ſummae taxatae, militiae exſoluendae deputentur. Quia tamen nonnullorum transfugarum filii, in fide et obſequio reipublicae nobiſcum permanent, ii relinquantur in poſſeſſione bonorum paternorum, eo tamen pacto, ne cum parentibus vllam communicationem habeant, et nec ipſis, tamquam perduellibus, nec hoſtibus, fauoris quidquam oſtendant.

Cum autem maximopere expediat, vt opus hoc bene coeptum, feliciter cum Dei auxilio continuemus; igitur fraterne nobis ſpondemus, et viciſſim nos fide iurata obſtringimus, vt quotquot in his Palatinatibus ſubſtantias Noſtras, et poſſeſſiones habemus, iuramento adſtricti hoſtem vnanimes aggrediamur, et alter alterum non deſerendo, omnes in hac expeditione conſtanter perſeueremus, quamdiu neceſſitas expoſtulauerit. Si quis tamen morbo infeſtetur, is legalitatem deferre tenebitur centurioni ſuo, et maioribus Praefectis, ſumetque atteſtationem, tum a centurione, tum a tribuno militiae, et eam Excellentiſſimo Domino Mareſchallo Generali noſtro praeſentabit, verboque nobili comprobabit. Quo facto declarabitur liber, ita tamen, vt ſui loco ſubſtitutos, pro ratione conditionis ſuae relinquat.

Quamprimum autem Diuina fauente clementia, praeſens expeditio finita fuerit, caſtra ſolui, aut militiam dilabi nolumus, niſi prius per Nos ipſos, de quouis rebelli, et huius ſacroſancti foederis violatore fiat executio. Ita nobis vniuerſi ſpondemus, et ad inuicem iuramento Nos obſtringimus. Actum in caſtris prope Cracouiam die 23 Menſis Octobr. Anno MDCLVI.

LIBRI VII. CAPVT V

SYNOPSIS

Legatio Polonorum Viennam. Quid concludunt cum Caesare. Tractatus pacis cum magno duce Moschouiae. Legati Caesaris in Moschouiam. Bellum Moschouiticum cum Sueciae Rege pro Liuonia. Occasio belli. Rigam obsidet Moschus. Kokenhausen diripitur. Turnius comes in praelio cadit. Moschorum ad Rigam strages. Soluitur obsidio Rigensis. Birza a Gonsieuio obsidetur et capitur. Samogitia iterum Polono deditur Regi. Maiores Poloni Marchiam inuadunt. Recuperant duo propugnacula Medzericium et Zbonsinium. Compositio inter maiores Polonos et statos Marchiae. Prussiae nobilitas in Pomeraniam irrumpit, sed breui reuocatur a Rege Polono. Regium edictum contra inuasores Pomeraniae. Poloniae Regis consilia. Missio Morstinii Francofurtum. Eiusdem postulata a deputatis imperii. Responsum Morstinio redditum.

1656 Legatio Polonorum Viennam.

Eodem anno celebris Viennam Polonorum ad FERDINANDVM III. Romanorum Imperatorem Augustum missa fuit legatio. Eius summa fuit. Orare Augustam Domum, vt Polonis quoquo modo subuenire dignaretur. Principes legationis duo fuere: IOANNES Comes a LESZNO, Posnanienſis Palatinus, et IOANNES Comes a Pieskowa Skala WIELOPOLSKI, Woynicenſis Castellanus, viri in republica Polona primarii. Toto illi autumno Viennae subsiterant, tantumque effecerant, vt vigore anteactorum pactorum cum Domo Iagellonia ac Polona republica, promitteret Caesar exauctorationem quatuor millium, quae deinde Polonae mereri debebant reipublicae, reciproce vltores fore Polonos, Austriaci nominis iniuriarum spoponderant iidem Oratores, obligauerantque se publicis literis sub confirmatione Regis, ac Senatus.

Quid cum Caesare concludunt.

Interim dum Viennae apud Caesarem Augustum morantur Poloni legati, in Lituania cum magno Duce Moschouiae componunt missi a Rege Commissarii, cuius compositionis haec summa fuit:

Tractatus Pacis cum magno duce Moschouiae.

Mediante Sereniſſimi et Inuictiſſimi FERDINANDI TERTII, Dei Gratia Imperatoris Christiani, Magnorum et cooperantium Legatorum ope, Illustriſſimorum DD. Dom. Allagretum de ALLAGRETIS et IOANNIS THEODORI ALLORBARD, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliariorum, Sereniſſimi et Magni Ducis, IOANNIS CASIMIRI, Dei Gratia Regis Poloniae, et Magni Ducatus Lituaniae, et aliorum eiusdem Sacrae Regiae Maiestatis, magni et cooperantes legati ac commissarii Illustriſſimi IOANNES CASIMIRVS in Krasne KRASINSKI, Palatinus Plocenſis, Lomzenſis et Prusnenſis Capitaneus. CHRISTOPHORVS in Baliste ZAWISZA, Mareschalcus maior Magni Ducatus Lituaniae, Minscenſis, Braclauienſis etc. capitaneus. Reuerendiſſimus in Christo Pater Dominus IOANNES BORAGIALO ZAWISZA, nominatus Epiſcopus Wilnenſis, Referendarius ac Notarius Magni Ducatus Lituaniae, Praepositus Trocenſis et Osmianenſis, Magnifici CYPRIANVS PAVLVS BZOWSKI, Referendarius Magni Ducatus Lituaniae Subocenſis et Oranscenſis capitaneus, STANISLAVS SARBIEWSKI, Grabouecenſis et Korytnicenſis capitaneus, iussu et mandato Sacrae Regiae Maiestatis diuina fauente gratia iter susceimus ad Magni Dei Gratia Principis Tsari

Tsari et Summi Ducis ALEXII MICHALOVICII, totius magnae et paruae albaeque Russiae Possessoris et plurimarum prouinciarum, terrarumque Orientis et Occidentis, tum et Seueriae Domini Haereditarii successorisque Hospodari et Oblauteti eiusdem Ducalis Maiestatis; cum summis et plenipotentiariis nuntiis, magnis et summis Magnatibus, BLIZNO, Boiaro, Successoreque Astrachanenſi, Duce NIKVLA IVANOVICIO, ODOIEWSCIO, Okolnicio, Successoreque Rezanenſi, KIVAZIO IVANIO IVANOWICIO, LIBANOVIDE ROSTOWSCIO, Okolnicio, et Successore Alatorscio, BASILIO ALEXANDROVICIO, Czochtokouio, Magnatibus, Cancellariis, HARASYMIO SYMENOVIO, Ducturis Filio, Euphinuo, iuriergo, conuenimus prope Vilnam, tractauimusque, quomodo inter vtrosque Magnos Duces nostros, Regiam et Moschouiticam Maiestatem, fraterna affectio et amor, eiusdemque sempiterna continuatio et inter easdem vtrasque Maiestates concordia et indirupta pax condi possit ac valeat. Illi itidem Magni Ducis Moschouiae Magni legati, nobiscum magnis legatis et commissariis contulerunt, de electione ad Regnum Poloniae, Magnumque Ducatum Lituaniae, Magni Ducis Moschouiae, superstite etiam nunc Rege feliciter regnante. 1656

Quandoquidem vero hoc negotium certis de causis pro nunc suum effectum sortiri non potuit, ea propter Nos magni et cooperantes legati ac commissarii, cum legatis Magnis, et cooperantibus Magni Ducis Moschouiae constituimus, quatenus conciliandae et finiendae, eiusdem causae ergo ad S. et Sereniſſimam Regiam Maiestatem, Magnus Dux Moschouiae Magnos Legatos suos mittat, circa celebrationem comitiorum Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae, de cuius praefixione S. Regia Maiestas literis suis per internuntium Magno Duci Moschouiae significabit. Et quamdiu apud S. Regiam Maiestatem, Senatores, Officiales, totamque Rempublicam Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lituaniae, cum Magni Ducis Moschouiae magnis legatis, causa eadem in comitiis agitata fuerit, tamdiu inter Regiam Maiestatem, et Magnum Ducem Moschouiae, nullae dissensiones ab vtrinque, vel infestationes oboriri debent, quinimo contra communem hostem Regem Sueciae, et Ducem Prussiae, si se Regiae Maiestati et Reipublicae non humiliauerit, ab vtrinque arma petenda, et cum eodem Rege Sueciae, vtrique parti nullatenus pacta ineunda. Omnibus fortalitiis, ciuitatibus, et vicis et locis nondum debellatis, inprimis Bychouiae, aliisque omnibus, tam Regni, quam Magni Ducatus Lituaniae, nullae ansae et infestationes, a Magni Ducis Moschouiae exercitu, vt et Cosacis Zaporouiensibus causari debent. Eodem modo Regiae Maiestatis milites, nullas infestationes ac ansas castris seu fortalitiis, ciuitatibus et districtibus in iurisdictione ac possessione Magni Ducis Moschouiae pro nunc existentibus praebebunt, vsque quo pax inita non fuerit. Militi vero S. Regiae Maiestatis contra hostem Regem Sueciae et Ducem Prussiae, per districtus et loca deuicta liber patebit transitus, siue tamen iniuriae alicuius illatione, stationumque exactione. Suprascriptisque Magni Ducis Moschouiae Magnis cooperantibus legatis ad Sacr. Regiam Maiestatem pertinendi, ac vicissim abeundi cum omnibus secum habitis personis, sine vlla aliqua data molestia vel impedimento liberum esto. Ratione titulorum vero S. Regiae Maiestatis et Magni Ducis Moschouiae, tam paruorum, quam maiorum, in comitiis proxime futuris, Magni legati et cooperantes Magni Ducis Moschouiae, conferent mutuo et determinabunt. Praesentesque tituli expressi in hoc instrumento Vtrique Monarchae, in spem futurae suprascriptae pacis, et vtriusque eorundem Magnorum Ducum, sempiternitatem, vnanimi-

1656 tatem ſeruiant. Et in confirmationem horum omnium tranſactorum, Nos Sacr. Regiae Maieſtatis magni legati et commiſſarii hoc inſtrumentum conſcripſimus, ſigilliſque et manibus noſtris communiuimus. Scriptum prope vrbem Vilnam. Anno a Natiuitate Filii Dei 1656. Die 3. Menſis Nouemb. ſtylo nouo.

Legati Caeſaris in Moſchouiam.

Haec ſumma tunc compoſitionis inter Magnum Ducem Moſchouiae et Regem Polonum, quam ſummo ſtudio procuraſſe Auguſtiſſimi Imperatoris legatos quis negauerit? potiſſimum Allegreti de Allegretis. Is gente Sclauo, patria Raguſanus, munere Auguſtae Domus ab antiquo miniſter, fide Catholicus, dignitate Sacerdos, egregiam tunc Polono Regi praeſtitit operam, vſus linguae Sclauonicae beneficio, quam tota paſſim loquitur Moſchouia. Et certe longe melius, lapſis in peius Lituanis rebus ſolus tunc ingenio ſuo conſuluiſſet Allegreti, ſi per ipſos Lituanos licuiſſet legatos, qui ſtatim primo in limine ſucceſſionis mentionem inepte et ſine cauſa Moſchorum iniecerant deputatis. Satius et cum maiori prudentiae nota feciſſent, ſi armiſtitium tantummodo ad annos duodecim cum Moſchis ſtabiliuiſſent, relictis ad tempus praetenſionibus, in Ducatus Seuerienſem et Czerniechouienſem vſurpatis. Poterant et Liuoniae tunc cedere iure, eique adhuc, ſi haec parua videbantur, ſuperaddere Sueciae Regnum, communibus recuperandum viribus. Sed quis perſuadeat priuatis ciuibus, publicam cauſam, aut publicum bonum? Certe ſi conſilium Principis ab Auerſperg ſequuti tunc fuiſſent, Poloni Lituanique Proceres, actum erat de Suecorum Rege, eiuſque potentia. Etenim Magnus Moſchouiae Dux, ſponte Suecorum hoſtis et tunc ſuperbis Caroli literis offenſus, adeo cupiditate vindictae exarſerat, vt quatenus nec literis nec legationibus amiſſas antea prouincias Ingermandiam et Careliam a Sueciae Rege extorquere poterat, armis belloque Lituaniae iungendas, et ad reliquum Moſchouiae ſuae corpus reuocandas ſtatuerat. Nec occaſio defuit vltro ipſis viam pandentibus fatis, quum de Suecorum inſolentia amica quaereretur Lituania. Affectabat enim, vt Suecus, ita Moſchus, Poloniam, et eodem tempore, paribus vterque votis ac viribus imperium orbis agitabat. Igitur oblato per Petrum Galinski Marſchalcum Orſanenſem, nomine Poloni Regis, vltimis diebus Aprilis huius anni armiſtitio, ſpecie ſua recuperandi, Lituanoſque iuuandi, re autem ſollicitante praeda, magna ſui fiducia, ille rudis, ille ſemimortuus, ille paſtorius populus, Suecos in Liuonia mediis diebus Auguſti aggreditur, Rigamque metropolin prouinciae obſidet, direpto prius foedum ac barbarum in morem Kokenhaus propugnaculo, vna et ciuitate, aliiſque circumiacentibus locis. Aſt maior, ad ipſam belli caput Rigam, Moſchorum labor, foeda quadraginta millium clades, dum iam ipſiſmet inhaererent portis. Vrbem defendebat Comes Magnus de la Garde, Comites item Leiopp, Tourn, Pontus, cum gubernatore Grondelio, ac ſex millium lecto exercitu. Quanquam luctuoſa prae caeteris Tournio Comiti accidit haec vrbis defenſio. Riga enim ad ſubmouendum moenibus hoſtem egreſſus Tournius, viuus in manus Moſchorum venit, fortiſſimus iuuenis, a quibus capite mulctatus in inſtanti eſt, caeteris ad terrorem aut deſperationem, caputque haſtae affixum toto triduo obſeſſis venale extitit. Compulſus tam triſti ſpectaculo ad vltimos metus Magnus de la Garde, ab incepto defendendae vrbis nihilominus non deſtitit, quinimo quaſi manes Tournii Comitis ab inferis vlturus, parte exercitus accepta, et alia ſub Leioppo relicta, vrbe media nocte egreſſus, adeo Moſchos inopinate ad ſatietatem cecidit, incenſo ab alia parte per fidos homines ſub idem tempus Moſchorum nitrato puluere, vt ſequenti ſtatim mane fugere, cedere, et in vltimum Liuoniae ſinum, puluere nitrato vacuos, recipere ſe coegerit. Capta tunc Moſchorum omnis bellica ſuppellex, ſigna quinquaginta ſeptem, bellica tormenta quadraginta ſex, nec amplius auſus eſt Moſchus Suecorum illudere leoni.

Bellum Moſchouiticum cum Sueciae Rege pro Liuonia.

Occaſio belli.

Rigam obſidet Moſchus.

Kokenhaus diripitur a Moſchis.

Turnius comes in praelio cadit.

Moſchorum ad Rigam ſtrages.

Rigenſis ſolnitur obſidio.

Vix ſoluerat obſidionem Moſchus, cum aduolat in Liuoniam Gonſieuius, Lituanorum campeſtris, vt ſuperius innui, Dux, compertaque Moſchorum foeda clade, rediit in Samogitiam; nec multo poſt conuocata illius Prouinciae nobilitate Birzam obſidet, quam Suecorum defendebant ſexcenti. Nec vanus labor, quanquam trium menſium opus, praemium enim continuatae obſidionis, ipſa ciuitas fuit, quam ſubſequuta eſt haud mora, tota Samogitiae deditio, ad mare vſque excurrens Balthicum. Submiſerat quidem Riga ſexcentos pedites Magnus de la Garde, extremum ſpiritum ducenti ciuitati, ſed illi a Gonſieuio in itinere circumuenti, ad internecionem deleti ſunt, paucis fuga elapſis. Nec Suecis perdere vltra militem pro Samogitia animus fuit. Verebantur enim Moſchorum iteratam obſidio-

Birza a Gonſieuio obſidetur et capitur.

Samogitia Polono iterum deditur Regi.

ſidionem, timebant et Gonſieuii in Liuoniam irruptionem, hinc magis ſolliciti pro Liuonia, quam pro Samogitia, pro Riga quam Birza fuerunt. Tali igitur ratione, et ea tunc occaſione attritae Liuoniae vſus Gonſieuius, receperat in fidem Birze, dimiſſis Suecorum, qui reſtabant, ducentis ſexaginta in Liuoniam ad Magnum de la Garde, praeter aliam bellicam ſuppellectilem, ſexaginta aenea ibidem receperat tormenta varii generis. Haec geſta in Liuonia anno praeſenti meminiſſe ſufficiat. 1656

Redeo ad res Polonas, vnde parum deflexeram in Lituaniam. Per ea ſiquidem tempora maior Polonia rurſus ſeſe erexerat. Liberrimum paulo ante populum, memoria et recordatio ſuae nobilitatis agitabat. Multo audacius ſub Brandeburgico, quam ſub Carolo Sueciae Rege conſurgunt Poloni. Acceſſit audaciae ſalubre quorundam conſilium, qui vicinam Marchiam Brandeburgici haereditatem, vnde illi titulus Marchionis, armis ferroque inuadendam cenſebant. Neque mora, Petro de Bnin Opalinio Duce, Palatino Podlachiae, Marchiam ingreſſus miles Polonus, ſubita belli irruptione terruit Brandeburgicum, cuius tanta trepidatio fuit, vt duo propugnacula nobiliſſima Medzerzycium et Zbonſinium illico reddi iuberet Polonis, ne ſuus iterum pateretur Marchionatus. Igitur compoſitio fit inter ſtatus Marchiae, et Nobilitatem maioris Poloniae, cuius ſumma haec fuit.

Inuadunt Marchiam Maiores Poloni.

Recuperant duo propugnacula Medzerzicium et Zbonſinium.

Licet quidem exercitus Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI, Regis Poloniae et Sueciae, Domini Clementiſſimi, ex Poſnanienſi et Caliſſienſi Palatinatu, fines Electoratus Brandeburgenſis ſit tranſgreſſus, illata ſibi ab exercitu Electorali praetendens damna. Quia tamen Orbi Chriſtiano intereſt, inter Chriſtianas prouincias pacem et tranquillitatem propagari potius, quam vlterioris belli fomenta excitari, proinde tam Palatinatuum praedictorum Illuſtriſſimi Senatores et equeſtris ordo in exercitu congregati, quam Sereniſſimi Friderici Wilhelmi Marchionis et Electoris Brandeburgici, vicarius et conſiliarius, intimus, Illuſtriſſimus Dominus Comes in Sain, Witgenſtein, et Hohenſtein etc. cumque eo reliqui Domini Electorales Conſiliarii intimi, nec non inclyti ſtatus et Ordines Electoratus Brandeburgici, pacis et tranquillitatis ſtudio, et deſiderio impulſi ad componendum ſalutare pacis negotium. Nos quorum nomina infra ſcripta ſunt, Commiſſarios delegarunt; qui quidem lectis, et perpenſis ab vtrinque Plenipotentiis, de firmanda pace, et conſeruandis antiquis vicinitatis iuribus, in modum infra ſcriptum nomine noſtrorum Principalium, inter nos conuenimus.

Compoſitio inter maiores Polonos et ſtatus Marchiae.

I. Vt miles electoralis Brandeburgicus ex Miedzyrzecz die proxima Iouis, et ex Zbonſſin die proxima Martis, deducatur cum ſaluo conductu Poloñico vſque ad fines Marchiae, cui quidem more militari cum armis et ſuppellectili propria exire licitum erit, et ſi tormenta electoralia ibidem reperiantur, abducendi ſimul poteſtas erit.

II. Exercitus praeſens maioris Poloniae, quicunque vbicunque locorum fines Marchiae tranſgreſſus, quam celerrime, tranquille et pacifice inde abducatur.

III. Ad reliquas cohortes maioris Poloniae, quae prope fines Neomarchiae iam commorantur, earumque Duces, literae vniuerſales ex nunc dentur, ne contra haec pacta quidquam agant.

IV. Quantum vero attinet reliqua fortalitia, ex maiori Polonia, ab exercitu electorali occupata, praeſertim Poſnanienſe et Coſtenſe, pollicentur ſupradicti Commiſſarii, Status et Ordines Electoratus, ſe indefeſſis et humillimis precibus, apud Sereniſſimum Electorem, Dominum ſuum Clementiſſimum, vrgere velle, vt ex praedictis fortalitiis, intra ſpatium

1656 duorum menſium praeſidium electorale deducatur, ita tamen, vt armatura omnis cum ciuitatibus recepta, excepta electorali propria, libri actorum publicorum, ſuppellex eccleſiaſtica, depoſita nobilium, nec non merces mercatorum ibidem relinquantur.

V. Cauent praeterea Commiſſarii, Status et Ordines, nullas ex praedictis fortalitiis interea excurſiones et hoſtilitates futuras. Suſtentatio tamen ad victum militibus neceſſaria, durante praeſidio, et tempore deductionis vſque ad fines Regni ſponte, et amice a Polonis porrigetur.

VI. Durantibus hiſce duobus menſibus, duo ſaepius dicta fortalitia, ab exercitu maioris Poloniae, Poſnanienſis et Caliſſienſis Palatinatuum obſideri et expugnari non debent.

VII. Nullus exercitus Marchicus abhinc intrabit in maiorem Poloniam, nec viciſſim vllus exercitus maioris Poloniae in Marchiam, neque excurſiones vllae ab vtraque parte permittentur.

VIII. Ducatus inſuper Croſnenſis cum territorio Sternbergenſi, qui literis vniuerſalibus Sereniſſimi Ioannis Caſimiri, Poloniae et Sueciae Regis, Domini Clementiſſimi, et Illuſtriſſimorum Senatorum Regni, ratione neutralitatis eſt munitus, ab omnibus oneribus belli, incurſionibus et hoſtilitatibus liber erit, ita tamen, vt viciſſim ex praedicto Ducatu et territorio, nulla maiori Poloniae inferatur hoſtilitas, nec fiat incurſio.

IX. Bona nobilium ſpiritualium et ſaecularium, tum et ciuium Polonorum in concredito depoſita, nec minus ablata, quaecunque in Marchia exiſtunt, veris ſuis dominis reſtituantur.

X. In creditis et debitis iuſtitia vtrinque adminiſtretur.

XI. Subditi Regales, tam et nobilium ſpiritualium et ſaecularium profugi ex Polonia in Marchiam, et ex Marchia in Poloniam ab vtrinque extradantur.

Haec omnia quaecunque ſunt concluſa, in omnibus punctis et clauſulis firma ſint, cum certa ſint ſpe futurae ratificationis, Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI Domini Clementiſſimi, nec non Sereniſſimi Wilhelmi Marchionis et Electoris Brandeburgici. In quorum fidem Nos infra nominati Commiſſarii praeſentes, manibus noſtris ſubſcripſimus, et ſigillis roborauimus. Actum Zelentki Die $\frac{2}{12}$ Decembris, Anno 1656.

CHRISTOPHORVS de GRZYMVTTOWICE GRZYMVTOWSKI, Caſtellanus Poſnanienſis.

VLADISLAVS KLODZINSKI.

IOANNES FRIDERICVS L. B. de LOBEN.

WOLFGANGVS ERASMVS de BORNSTET.

Haec ſumma tunc fuit compoſitionis inter maioris Poloniae nobiles, et ſtatus Marchiae. Quamquam ſi victorem Polonum exercitum ſtatim promouiſſet Opalinius ea tunc tempeſtate in vlteriorem Marchiam, haud dubio ipſum etiam terruiſſet Berlinum, Metropolim Marchiae, eaque ratione liberaſſet Poſnaniam caput vrbium maioris Poloniae.

Supe-

1656 Pruſſiae nobilitas in Pomeraniam irrumpit, ſed brevi reuocatur a Rege Polono.

Superiorem Polonorum felicem in Marchiam irruptionem, duorumque propugnaculorum hac arte eliberationem, imitari volebat Pruſſiae nobilitas. Igitur ſigno dato in Orientalem haud mora irrumpunt Pomeraniam, Stolpiam vſque Erneſti Boguslai Croeae et Areſchoti Principis ſedem, iamque notabilem Pomeranis incuſſerant timorem, deuaſtatis aliquot pagis cum oppido KVMELSBERG dicto, cum ecce iterum reuocantur a Rege ſeueriori edicto, cuius haec ſumma:

IOANNES CASIMIRVS, *Dei Gratia Rex Poloniae et Sueciae, Magnus Dux Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae Czerniechouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Haereditarius Rex.*

Regium edictum contra inuaſores Pomeraniae.

Vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, vel intererit, praeſentes haſce inſpecturis. Intelleximus ex literis Generoſorum Orientalis Pomeraniae Conſiliariorum regentium, nec non ab ordinibus Deputatorum, conglobatam nuper ignobilem militum manum, (quorum nomina nondum Nobis innotuere) irruptione facta proximum Pomeraniae oppidum, dictum Kummelsberg, et conterminos aliquot pagos diſtrictus Stolpenſis et Schlagenſis deuaſtaſſe, inibique omni licentiae genere pergraſſatos eſſe, licet vero irritatis nobis ab hoſte, qui foederata cum Sueco ſocietate, feruori aduerſum Nos, ſupremum et naturalem, ratione feudalis Pruſſiae Dominum ſuum diſtrinxit, ac vaſtitatis, ſtragis, incendiorum, in Regno noſtro cauſa et motor praecipuus fuit, iniuriam referre, non modo excuſationi ſit, ſed more belli ſoleat, ac decorum etiam habeatur. Memores tamen Chriſtianae ac Regiae moderationis, praeſertim quod maiores Noſtri et Reſpublica Polona, a tot ſaeculis fidam, ſinceram et nunquam laceſſitam cum Principibus imperii Romani pacem, ac bonam vicinitatem ſancte coluerunt, facinore iſto, nulla publica auctoritate, nullo certo ductore, ſed priuata licentia et latrocinii in morem, admiſſo, commonemur, neque impunitum (prima notitia habita, qui homines, et quam ob cauſam delinquerint) omittemus. Quoniam tamen certo certius conſtat, poſtquam abruptis induciis, et violato diuino humanoque iure, iniquiſſimo, et indigno poſt hominum memoriam bello, Nos, Regnum, et prouincias annexas, Suecus impetiit, vires illum ſuas e Suecia pertenues, in Ducatu Pomeraniae maxime auxiſſe, ibidemque lectos et conſcriptos milites, arma, commeatus, et belli quaeuis neceſſaria promptis populorum ſtudiis contra Nos inſtructa et comparata: Legionem etiam Electoris Brandeburgici Ducis in Pruſſia rebellis Noſtri, e Pomerania et Marchiae Nobilitate ac incolis praecipuum robur conſtare, poſtremo dictas prouincias, praedarum et ſpoliorum, direpta ex Polonia quaeſitorum receptaculum eſſe, ac fuiſſe. Nos publicata orbi, initio per internuntium et literas ad Sac. Caeſaream Maieſtatem et Sacri Romani Imperii Electores iuſtiſſima quaerela, ad praeſens pro Chriſtiani Principis, bonae vicinitatis et iuſtitiae noſtrorum ſeruandae, officio, omnes et ſingulos Orientalis Pomeraniae Magiſtratum, Nobilitatem, ciuitates, inſulas, cuiuſcunque ordinis, ſtatus, conditionis beneuole hortamur, vt hoſtilitati, excurſionibus, delectibus, ſupplemento, molitione, omnique, directe vel indirecte, publice vel priuatim, foederatione, nocumentis, et damnis, Regno noſtro inferendis, deſiſtant, ac relictis partibus, e Dominio, Prouinciis et ditionibus, Nobis agminatim vel ſinguli quantocyus excedant, ne occaſio iuſtae vltioni detur, quae irritata temperari et coerceri deinceps minus poſſit. Contra ſi fecerint, mirum, vel iniurium nemini videbitur, ſi inimicos Noſtros, vt ius belli eſt, vltione ac ira forte proſequemur, et inſtrumenta ac dicta robora potentiae hoſtilis, ſerius licet, eneruanda ducemus, vniuerſali tamen

1656 men pro posse amicitia, et bona vicinitate cum imperio Romano constanter et per omnia salua. Quod vt nulla mora, ad notitiam, quorum interest, deueniat, Originales hasce in manus nobilium e Pomerania ad Nos venientium, Generalis Orientalis Pomeraniae Consiliariis, regentibus perferendas, tradi et consignari demandauimus. Promulgari etiam totis castris per tubicinem iussimus, ne quisquam priuatus in Pomeraniam Orientalem priuata licentia excurrere ausit, neue detrimento vel noxa Pomeraniae Nobilitatis, et incolarum quorumuis personae, bona, fortunae afficiantur, sub rigore poenarum articulis Regni Nostri descriptarum. Quas contra quoscunque delinquentes summario et militari processu irremissibiliter extendemus. In quorum omnium fidem, praesentes manu Nostra subscripsimus, sigilloque Regni communiri mandauimus. Datae Gedani 17. Nouemb. Anno 1656. Regnorum Nostrorum Poloniae octauo, Sueciae vero nono.

IOANNES CASIMIRVS, Rex.

Poloniae Regis consilia.

Haec summa seuerioris Regii edicti, cuius auctor in incerto fuit. Constat, si vltra progredi ausi fuissent, vacuam inuenissent Pomeraniam, dum hospes Suecus lustrat vicinam Poloniam, et certe optimo consilio vsus fuisset Polonus Rex, si tunc aduersis signis intrasset Pomeraniam, sed ille tergiuersari, mox Germaniae Principum vereri indignationem: ad extremum coram imperii deputatis per ablegatum ANDREAM de Raciborsko MORSTYN, Dapiferum Sendomirienſem, factum excusare Francofurti ad Moenum, non sine quorundam Principum imperii indignatione ac risu, qui mirabantur talia coram deputatis proferre Polonum, rediret potius, ac vim vi repellere doceret Regem suum. Conquaerebatur praeterea idem ablegatus: ex prouinciis imperii quotidie ad opprimendum Poloniae Regnum supplementa Sueciae aduentare Regi, et hostes iustos inde educere exercitus contra Serenissimum IOANNEM CASIMIRVM, qui imperio Amicus, Germaniae pacis legibus inclusum se confidebat, quare, ne cum Rege suo Poloni, de Romano imperio bene meriti, ac melius mereri cupientes, publico quasi consilio laedi videantur, petere se maiorem in modum, vt rei tam indignae atque hostili intercedant.

Missio Morstinii Francofurtum.

Eiusdem postulata a deputatis imperii.

Responsum Morstinio redditum.

Responsum a deputatis imperii, hoc in puncto, redditum nullum, iussus nihilominus subsistere Polonus ablegatus, quousque ab ipsis Principibus responsum esset, sed ille longam temporis causatus moram, nullo accepto responso rediit in Poloniam; salutatis in transitu Electoribus, Moguntino, Treuirensi, et Saxone, qui eo tempore Patri successerat IOANNI GEORGIO mortuo, anno aetatis Suae septuagesimo tertio.

LIBRI VII. CAPVT VI

SYNOPSIS

Responsio Poloni Regis ad Scripta et Manifesta Suedica. Prophetia S. Brigittae de regno et Regibus Sueciae. Ac demum iudicia quorundam, circa futuram Poloni Regis electionem.

Sub finem Anni eiusdem prodeunt in publicum scripta contra Sueciae Regem. Et inprimis

Eliminatio Causarum

Suscepti

A CAROLO GVSTAVO contra IOANNEM CASIMIRVM

Poloniae et Sueciae Regem Haereditarium, Belli.

1656 Responsio Poloni Regis ad scripta et manifesta Sueciae.

A veteri et mimico prouerbio incipit calumnia Suedica, quia a nouo et sincero veriprouerbio incipere non potuit. Et sic quidem a veteri more non recedit Suecia; vbi tam facile est, Reges e Regno deiicere, quam Romae sub Tarquiniis papauerum capita decutere. Domi tamen fere hoc solum antea leuitas aut ferocia audebat; nunc foris vero, sub alio nomine, tanquam licito (quod mox prodetur) nouus e Suecia Rex sibi fas esse contendit, vt aliena Regna rapiat aut diripiat, atque vt specimen aliquod, non tam iuris, quam necessitatis, habere videatur, catapultaria voce coactum se ad hoc profitetur. Putares Herculem ab Eurystheo [84]) ad Reges et monstra expugnanda compulsum. Interim causarum quarundam laruas, veluti feciales Suedicos, e variarum criminationum caueis praemisit; ipse mox tanquam furia secuturus. Furore enim ex impatientia concepto, in bellum et arma raptum se agnoscit, et praedicat; quod alii nemini dicere liceret; digno certe belli apud Suecos auctore. Et sic facile etiam causarum posthac aequitas, sanitasque, si quae fuisset, in principio statim vulnerata et corrupta, se pariter et insaniam prodit. Quid ergo sani aut sinceri in causis huiusmodi esse potest, vbi furor solus, causa tota solaque belli fuit? Crederes Lapithas, et reliquos Centauros e Pindo et Othry repente irruisse [85]). Sed nihil noui furorem esse, in parte familiae Regiae Suecorum, peregrina pariter, et domestica illic historia testatur. Ericum enim, Gustaui prioris filium, natu maximum, duo Fratres Principes publico scripto incusarunt, damnaruntque; quod furendo, saeuiendoque, Proceres quosdam Regni, aut sua, aut aliena manu trucidarit, quodque ipsos Fratres, carcere et ignominia, et seipsum infami coniugio, atque aliis ludibriis deformarit: Nec furorem hunc, nisi carcere vicissim et forsan peiori fato expiasse secretior rumor tradidit. Alium quoque Fratrem Germanum, Magnum nomine, obuia historia memorat, perpetuis fere furiis actum, ideoque claustris et vinculis coercitum, ne cito totus periret. Et de

84) EVRYSTHEVS, Mycenarum rex, qui Iunonis odio obsequens, Herculem ad difficillima quaeque pericula obeunda adegit, sperans futurum, vt ponderis magnitudine opprimeretur. Qua in re mirum in modum opinione falsus est. Nam ille rebus ex sextentia confectis semper victor rediit, clariorque ex periculis, et maior emersit.

85) LAPITHAE, populi fuere Thessaliae, Pindum et Othryn montes, incolentes, Pyrithoi olim imperio parentes. Hi primum omnium

1656 de tertio fratre quid dubitamus, Caroli tantum Sudermani nomine, antequam Regnum raperet, noto? quippe quem Fratris Regis filios duos, Regni haeredes proximos Regno ſpoliaſſe, tantumque ſanguinis nobilis et plebeii fudiſſe audiuimus, aut legimus, quantum nullam Tyrannorum claſſem in Suecia profudiſſe, annales Suedici tradunt. Sed et tunc furorem eius regaliter emicuiſſe, Rex Daniae ſolenni ſcripto prodidit: cum is praeter morem omnium aetatum, et Regum Sueciae, Septemtrionalium Lapponum Regem ſeſe appellauit, ſcripſit, iactauit; quorum tamen nullam vrbem, nullam ciuitatem, rariſſimos pagos, vel incertas, et mutatorias tantum ſedes, monſtrant tabulae Septemtrionales; quique omnes ſimul conglobati, ne particulam quidem Regni conficere poſſent, quorumque maximam, Danus partem ſuam eſſe contendebat. Sed has tam generoſas muſcas belle bello excuſſit, ſimulque Septemtrionem falſum, et veram quandam Sueciae partem, aliquamdiu ei ademit, vel excuſſit, Danorum Rex. Et huius Caroli nepos, ſed ex deteriore ſexu, ne meliora ſperare liceat, eſt hodiernus Sueciae Rex; qui (quod alii Reges non fecerant) ſe palam profitetur furere. Cum tali itaque res nunc erit, cum hoc diſceptandum nunc, agendumque, cui patientiam furor, comparendi et defendendi ſe facultatem, iura omnia legeſque negant, et adimunt; nullumque in foro aut iudicio libero et legitimo locum relinquunt. In iure certe communi, publico et ciuili hoc manifeſtum eſt, quod quidem in Suecia cum reliqua ciuilitate non admitti aiunt; imo XII. tabulae, e Graecia ſeuera antiquitate conſcriptae, et omnia poſtea iura legeſque alibi, ne ſuas quidem res adminiſtrandi furioſis permittunt facultatem. Vnde ergo tam liberi et confidentis facinoris priuilegium ac gloriam, glorioſum Regem accepiſſe, et vindicaſſe ſibi putamus? aut a qua auctoritate tam Regalem furendi licentiam aſſumpſiſſe credimus? a veteri inquit verbo, et quod illud? *patientia laeſa fit furor.* Sed cur vetus et obſoletum elegit? quia nullum nouum idoneum facinori ſuo inuenit. An quia vetus in familia furor? Cur vero furiale potius quam modeſtum quaeſiuit? quidni ideo, quia nihil modeſte acturus erat? maluit ergo e ſcena et theatro turpitudinis inter mimos obſcaena iocantes quaerere, quod in Academia, aut Stoa, vel Socraticis tabulis, nuſquam reperiſſet. Mimus enim erat et ſeruus, et Syrus, PVBLIVS [86]) verbi huius auctor, cui ad fabulam peragendam propelli applauſus ſatis erat. Sed neque in Sacris, neque in Regiis vſquam aut illuſtrium virorum verbis, dignius ſe, et facto ſuo Regio, verbum Rex cum tota Schola Suedica inuenit, verum eo anguſtiarum redactus eſt, vt docentes, vel - - - imitantes turpia mimos - - - in tam magno et excelſo negotio magiſtros, atque Doctores ſolos haberet. Quanto grauius, et innocentius ille Principem inſtruxit, qui verborum intemperantiam non ex maieſtate Regia eſſe docuit; muliebre vero eſſe furere in ira monuit. Sic tamen reperto aſſumptoque furore, tanquam iure, vel oraculo ſe Rex ille tuetur, publiceque Caeſari, Regibus, ac Rebuſpublicis, generique humano perſuadere conatur, ſe dum impatiens eſt, dum furit, dum inſanit, rite, recte, iuſte agere; et ſinceras veraſque cauſas habere, enumerare, vulgare. A tali itaque quid exſpectas lector? ſanine aliquid? vel aliud, quam quod in furibundo vel furioſo procedit? quod nomen ipſe ſibi, vel cauſarius et defenſor ipſius ei induit. Nam a furore quid poteſt, niſi furioſum, deduci? Et quamuis e domeſtica ſeu Pomeranica officina caprimulgus aliquis, aut vertumnus mercenarius,

fraenos et ſtrata equorum creduntur inueniſſe. Virg. 3 Georgicorum.

86) PVBLIVS, natione Syrus, Romam venit ad ludos Caeſaris, vbi mimos ſuos legit, magno ipſius populi applauſu. Hic mimorum poeta fuit Iulii Caeſaris etiam familiaris, licet conditione libertus.

rius, adulatrici interpretatione, veluti butyraceo vnguento, verbi atrocitatem 1656
mollire voluerit: furorem Germanice, *grim* vertendo, nunquam tamen, vel gry quidem, minus erit furioſus, quam vnſinnig, raſend, qualem facto Rex ipſo egregie ſe praeſtitit. Nam idem et accuſator et teſtis, et iudex et executor, et vnus omnia eſt, ſimulque quaeritur, arguit, damnat, plectit, et dolo, vi, ferro, flammis graſſatur, depopulationibus, carceribus, exiliis et vaſtitate prouinciarum, templorum, oppidorum, pagorum, nobilium caedibus, depraedationibus, captiuitatibus etiam contra fidem datam, aut maligne monſtratam, promiſſamque saeuit. Hoc quidem plus eſt, quam furere. Nam ſi id agitur, Polonia fiat ſua, cur vult eſſe nullam? vel vbique afflictam, exhauſtam, oppreſſam? profecto niſi furioſus nemo ſic vaſtat ſua; An ideo quoque defenſionis ſuae capita illa captioſa, trunca, caſſa, cauſas tantum vocat, quia iuſtas vt vocaret, hoc elogium addere non potuit? ſed et breues appellat, et reuera ſunt; quia ad veritatem nuſquam pertingunt, licet Herculeo gradu, aliquandiu incedere ſibi videatur. Poſtremo et praeliminares vocat, nam ne limen quidem iuſtitiae attingunt: Nempe et canes catenarii limen non intrant, ſed foris latrant. Caeterum quidquid rei ſit, quidquid et ipſe ſit, non ſeuerius examinantes, audiamus inquam cauſas, et (ſi Diis placet) rationes, ſed tanquam furioſi, quod vnicum prae caeteris nomen Cauſarius Regi ſuo veluti clypeum elegit, adeo illum

ſolus iam praeſtare poteſt
furor inſontem.

quia forte apud molliores iuris interpretes legit; furioſos ob delicta non puniri: oblitus, eos poena non eximi in enormibus criminibus, qualia ſunt pactorum violationes, et illa quae paulo ante enumerata ſunt.

In prima itaque cauſa, ne de furore dubitemus, viuus mortuos incurſat, vexat, lacerat. Olim Plancius aliquis, cum mortuis nonniſi laruas luctari dixit; ita nunc Regem ſuum viuentem, in VLADISLAVM ante aliquot annos defunctum, cauſarius immittit, committitque, quod nequidem Neronis aut Caligulae arena vidit, tanto palam hic, ipſo furiarum Regno iniquior, vbi mortui tantum ad mortuorum tribunalia delati iudicantur. Poterat et hic larua eſſe, prout laruatus in cauſis incedit, niſi furioſus eſſe maluiſſet, talem ergo ſinamus eſſe, ne examen et refutationem indigna fatigemus cura. Sed et ne obſcurum eſſet, vnde cum cauſa longinquus Cauſarius et peregrinator aduenerit, ex inferis Botthium quendam adducit, quem ait, non potuiſſe cum militaribus copiis, inſcio et inuito Vladislao, Rege Poloniae, tot prouincias et ducatus Regni peruadere ad infeſtandam Liuoniam. Nec ſatis eſt, ſed certis documentis conſtare illum a Vladislao inſtigatum, ferociter adiicit et confuſe, vt furioſi ſolent, omniaque conturbat, nec falſa aut vana a veris diſtinguit. Cur enim ſigillatim et candide non exprimit, quis ille Botthius (iam in cognomine ſuo quodammodo fatuus) fuerit? et a quo mandatis, armis, copiiſque et ſumptibus inſtructus, aliquo peruaſerit? Cur non fatetur eum Caeſarianum Ductorem, Caeſariſque auſpiciis ac ſtipendiis, militem, ſi quem habuit, collegiſſe, adduxiſſe, in rem Caeſaris procuraſſe, tentaſſeque armorum diuerſionem, vt Suedicae forte militiae partem e Germania detraheret, vireſque imminueret? Cum ergo Caeſarianus, miniſter et tribunus fuerit, Caeſariſque conſiliis, iuſſibus, vſibuſque operam dederit, qua ſpecie, aut qua fronte Cauſarius, Vladislai eam inſtigationibus adſcribit et attribuit. Itane Caeſar et Vladislaus idem? Germani et Poloni idem? aut cur

1656 non audet Caesarem, et Caesariana insignia vel imperia nominare? Nempe facilior adhuc res est cum Polonis solis, domestico externoque bello impeditis, omissa interim aut suspensa, contra Caesarem fiducia, aut rabie, nisi forte pactis Germaniae cum Suecis impeditur. Quasi vero Germania et Caesar non etiam Poloniae Regem et Regnum, imo ipse Suecus pactis adscripserit et comprehenderit, quae si in his non seruat, sed tam aperte violat, quomodo in illis seruabit, si occasio aut furor similis prouocauerit? Quid deinde certi et proprii incrementi accessisset Vladislao, si Botthius Caesari Rigam et Liuoniam adiunxisset, praesertim si in Germania, magnus Teutonici Ordinis Magister, titulum, iusque, seu praetensionem, sibi retinere ac vindicare non omittat. Alter tamen Caesarius innuere videtur, cum haec subiicit. Proinde nec a veritate alienum est, habuisse tum temporis Lituanos exercitum ad manum, quo recuperarent Liuoniam, exercitu tunc et praesidiis destitutam, si propositum Botthio ex voto successisset. Sed facile seipsam confutat calumnia, nam si exercitus aliquis Lituanicus, ideo paratus erat, sicque Rex Botthium instigabat, quare illum, seu partem illius exercitus in auxilium non submisit, aut submitti non permisit? praesertim si ex tali submissione, et successu parati auxilii, sperabatur, aut parabatur Liuoniae recuperatio? Anne enim Vladislaum hoc exercitu, et hac occasione instructum, credimus instigationem deserturum fuisse? Quid deinde Lituanis exercitu suo armatis optatius, aut gloriosius accidere potuisset, quam amissae Rigae et Liuoniae, vel dedecus abolere, vel iacturam sarcire, suique commodi fortunam, apertam atque inuitantem prosequi, et facile atque vtiliter exequi? quod tunc in promptu, et ad manum (vt loquitur Caesarius) fuisset, si ad haec vota, spem, cupiditatem, vires, nempe exercitum habebant; tanta rerum opportunitate lacessente et promouente? Itaque cum haec nimis clara ac manifesta essent, et calumnia vltra omnis probabilitatis speciem ascenderet; languescente non vltro impudentia, ad minimum Lituanos auctores Botthio fuisse, monstrosa voce asseuerat. Siccine enim hoc minimum est, maximi scilicet facinoris auctores esse, quo pene abrepta est Sueciae Liuonia. Auctores tamen quomodo iurisconsulte Suedice et Matella Baldi probas? Quia inquis, vbi prohibere voluissent Lituani, potuissent. Itane auctoritates magnas, et capitales, probari leges Suedicae docent? aliorum pudet afferre; Nam vestras quis nouit aut vidit, vbi nutu aut suspicione iussuque Principum crimina etiam atrociſſima, vsque ad furcas et patibula, probari, cruenta historia prodit? Interim quoniam ad minima redactus es, vir minimi pretii, ad minimum ostende; quibus omnino pactis, aut qua verborum necessitudine, quoue erga se beneficio Lituaniae ordines obligatos euincas, vt ii exercitus pro Suecis instruant, alant, educant, ad illorum hostes, suo periculo vel sumptu impediendos, vbi enim tales induciarum conditiones? Vbi haec, amicitiae vel obligationis mutuae, aut Lituaniae cum Suecis, foedera conscripta, pignoraque data atque accepta, publicae tabulae habent? Dolo et scelere Vos Liuoniam Lituanis abstuliſtis, et tu vis, vt ii viciſſim loco gratitudinis, et bene meritae mercedis, legiones conscribant, propriisque stipendiis foueant, ad Liuoniae insidiatores reprimendos. Astringe validius ori frontique laruam, ne per conuitia et figmenta totus pudor tibi exeat, si modo quis adhuc supereſt.

Simile quid etiam Polonis antea vaniſſimo impulsu imputasti, quod mihi forte per absurda auiaque te persequenti exciderat. Nam iis non tantum scientibus, verum etiam impellentibus hoc accidisse, desolatiſſimo argumento arguebas, eo quod scilicet, per literas Suedici Senatores, apud Senatores Poloniae quaesti,

quaesti, nihil solatii retulerint. An tu quoque ab eo tempore, *inconsolabile* 1656
vulnus, mente premis tacita? Sed dic, quid tuo animo aegre est vt frigidam affundam. Solatium vero de facto alieno, quod debebant Vobis Poloni? aut quod mittere poterant? imo quid iuris tunc illis in Botthium esse potuit, si is in potestate Vestra erat? Tamque vilem Vos eum quare habuistis, quem tot facinoribus noxium, tam leuiter dimisistis, vel abire permisistis? aut cur tam otiose et negligenter tot damnorum (vt praetendis) patratorem custodistis? Non est hoc moris aut genii Suedici, vt tam leuiter malefacta erga Vos, et iniurias remittatis, sicque euadere sinatis. Venit quidem e Suecia Gorgonius aliquis Varsauiam, cum literis et quaerelis ad Senatores in Aula Polonica constitutos; Is hospitio et humanitate prompte honoratus, literae etiam amice acceptae lectaeque publice sunt. Omnibus ignota et inaudita antea erat Botthii non tantum machinatio, sed et nomen ipsum; Nec Gorgonius complicem aliquem, vel conscium, multo minus impulsorem, nedum consensum ordinum, sine quo nulla res, momenti alicuius, auctoritatem in Polonia habet, profiteri, vel edere, aut insinuare potuit. Responsum ergo retulit plenum aequissimae purgationis et innocentiae; quid enim aliud ab innoxia auctoritate referri vel exposci poterat? Sed et in Lituania Dux Radziuilius, Campi (vt vocant) tunc Marschallus, commissionem vtriusque nationis, secundum pacta institui a Gubernatore Rigensi postulauit, qui tamen ipse accedere noluit, sed alios delegauit, qui, re libere sincereque discussa, palam declararunt, ac testati sunt, ex ipsius Botthii confessione constare, Ordines Regni et Magni Ducatus Lituaniae, immunes esse a molitione ipsius, licet nebulam male indutae suspicionis de conscientia Regis Vladislai non statim decusserint; quippe quam Suedicus sol brumalis decoquere, aut dissicere nondum poterat. Nam hyems forte erat et gelido concretus frigore sanguis non sinebat rationales et ingenuos spiritus ad cerebrum ascendere [87].

Piget diutius in Botthii haerere fabula: Post illam tu parem rationem irruptionis Crocouianae in Pomeraniam vocas subnectisque; parem vanitatem volebas dicere, et hanc paritatem non negamus; vt tamen Polonos reos facti Crocouiani facias, irruptionem auerti a Polonis potuisse astruis; nisi ii Pomeraniam deuastatam voluissent. Si de voluntate sola nugaris, et intimos quoque Polo-

87) Si per me stetisset, eiusmodi nugas plane omisissem. Fatui enim sunt isti ioci, qui non in rerum natura, sed in imaginatione tantum, vel malitia fundamentum habent. Auctor huius responsi conscio Rege Casimiro, publicati, nimium prolixus etiam fuit, in explicando prouerbio, *patientia saepius laesa furor fit*, qui genium suum defraudare nullo modo voluit, tam apta belli data occasione calamo gerendi. Inclyta Suecorum gens, egregie nostris temporibus sexcentis exemplis probauit, non frigus esse, quod bene ratiocinari, vel scientiarum incrementum, impediat, atque adeo populi septentrionales magis mihi videntur ad scientias artesque apti, quia laboribus ad literas necessariis facilius defunguntur, si tantum liberalis educatio accedat, desidia absit. Eiusmodi autem scripta hunc habent vsum, vt lector neutrius partis inde veritates elicere, quae vera, quae falsa, facile dignoscere possit. Hostes enim, qui inter se altercantur, falsa quaedam, sed vera omnia simul dicunt, et hunc in finem eiusmodi scripta, quae in vtramque partem belli causam disputant, recte historiis pragmaticis adiiciuntur. Caeterum scimus omnes, summum inter principes bella gerentes ius esse tormentarium, quod cum iure piscium idem. Ille enim se maius habere ius putat, quo se viribus credit maiorem. Sueciae Rex CAROLVS GVSTAVVS, cum sentiret, Polonum Regem subterfugia ratione iuris in Sueciae regnum sponte cedendi, quaerere, bello ius illud Poloniae in perpetuum abrogare, se autem heroem monstrare, militesque suos bene alere voluit, eo tempore, quo Poloniam maxime viribus exhaustam sciebat, ideoque tempus induciarum elapsum minime expectandum sibi persuadebat. Elector vero Brandenburgicus FRIDERICVS VILHELMVS, data hac opportuna occasione Poloniae eliens fiduciarius ratione Borussiae ducatus, seu vt vulgo dicunt Vasallus, audiri amplius noluit. Vtrumque vi pacis Oliuensis fuit obtentum. Caeterae belli rationes pro vulgo erant, quibus calamarii gladiatores ingenia exercerent.

1656 Polonorum affectus Suecis obligatos, atque obnoxios; magna et singulari tua voluntate vis, nimis delicatae humanitatis es. Non putabamus certe nos tam familiares et coniunctos esse vobis, vt velle et nolle idem ambobus populis esset. Sed et Polonos potuisse hoc velle et Crocouium auertere, cum octo millibus irrumpentem, quomodo fidem facis? Nam vt pares illi auertendo essent, quanto exercitu opus fuisse censes? Is vero vnde repente, aut quibus ex causis antea paratus erat? Pro eximia sane verecundia tua, talem hic fingere non es ausus. Quibus denique meritis hoc vobis deberi persuades, vt Polonia suis impendiis, instructos exercitus habeat, ac limites vestros defendat? Aut quoties hoc repetendum est, nullo iure, nullis pactis, vel officiis vestris, ad hos animos, ad haec incommoda, et sumptus praestandos, Poloniam vobis inscriptam, et oppignoratam deuinctamque esse. Quodsi Procerum aliquis vnus, dum suis, aut cognatorum, amicorumque praediis metueret, neque satis virium ad resistendum Crocouio militariter haberet, ab eodem, vel obsides, vel fidem, aut pignus securitatis, humano more petiit, priuatus hic metus, curaque seu industria fuit. Neque adeo tamen is irrumpendi libertatem dedisse videri potest, prout nec dare potuit. Atque ita qualecunque hoc factum ipsius, neque Regi, neque ordinibus regni imputari potest. At reditum Crocouio refugo, prohibere debebant Poloni, si culpa vacare voluissent, Suecis vtique id petentibus; vel saltem iis denegare haud facile debebant, vt ipsis quoque per Poloniam persequi liceret Crocouium, quod quia non fecerunt, manifestum Polonorum, hostilem erga Suecos animum, exinde deducis. Sed an Poloni Crocouium reditu prohibere debuerint, vel potuerint, non hic repetam, quia iam satis ante declaratum est, cum de illo auertendo ac etiam Botthio impediendo actum est; nihil horum vobis deberi. Et in Crocouio praestari non potuisse, in Botthio non debuisse. Vos autem petiisse, aut vobis petentibus denegatam facultatem persequendi per Poloniam Crocouii, quia in publica aut certa notitia, non satis constat, neque tu clare doces, a quibus Polonis talem facultatem habentibus petierint, vel repulsam passi sint Sueci, ne mirabere, si ignota et absurda nemo comprehendere, vel assequi plane queat. Nomina Regem, Ordinesque Regni si potes? si non potes, quare hostilem ideo animum, eumque manifestum Regi Ordinibusque assignas? et eam ob causam bello persequendos declaras, adeo dictatoria auctoritate instructus, vt nihil minus tibi liceat libeatque, quam olim Sullae, vel si quis postea plus ausus est? Tormenta vero aliaque auxilia, publico scitu concessioneque e Putcensi fortalitio, vel aliunde submissa Crocouio, quia in re tam sonora, nullus praeter te audiuit, vel sciuit, tibi quoque, quamuis stentore clamosiori, nemo credet, et ideo refutante sonantiore, aut clariore non dignabor; nam tormenta illa, quae somnias, forte bombi Cassibici fuere, ad quos te remitto.

Interea, dum Polonis hostilitatem, ob denegata vobis contra Crocouium officia, affingis, cur de humanitate et beneficio; alias vobis praestito, de quo queri Caesar etiam potuisset, cur inquam tam maligne obliuiosus aut mutus es? scilicet rerum omnium, quae neque vnquam fuere, neque futura sunt, gnarissimo, ignotum aut leue saltem visum est, ac silentio toto dignum; quod cum Bannerus vester Generalis in terga recedens, et Caesaris tunc validiora arma declinans, partem copiarum vxori fugienti circumdedisset, tunc tempore, illam inquam, tam periculoso, hanc vxorem eius, refugium in Poloniam petentem, toto cum militari praesidio, Palatinatus Posnanensis comiter admiserit, et hospitaliter acceperit, ac deinde per Poloniam honorifice deduci curauerit? Adeo beneficia non computatis, maleficia etiam fingitis, aut pro beneficiis redditis.

An

An vero Vos Sueci soli omnes gentes ac nationes, omnia facta et benefacta vo- 1656
bis adesse et seruire vultis, et sic impeditiones, auersiones, prohibitiones hostium, vobis obsequi, exercitus etiam, vbi nulli sunt, deberi vestris nutibus contenditis; et si id non prompte propereque fiat, tales pro hostibus habetis, ita vos Troiugenae vobis ignoscitis: in aliis omnibus omnia accusatis, punitis, etiam dum indebita et impossibilia exigitis. Illud iam a te non quaeram, quare Crocouium Caesarianum fuisse Ductorem taceas, quia antea in Botthio similem dissimulationem detexi, discussique. Nam si in Caesare Crocouii irruptio obliterata est, ob pacta pacis Germaniae vobiscum confirmatae, obliterari quoque a te Poloniae accusatio debebat; Namque et Poloniam ibi comprehensam monui.

Posthaec iam terra tota, et continens omnis, fingentem conturbantemque te deficit, simulque *deficiunt artes, deficiuntque doli.* Ac propterea maria et fluctus, vbi turbida omnia, inuadis. Quomodo illic ad insulam Oeseliam appulsus sis non quaero, scio quam res tempestuosa sit mare. Si in Cretam eiectus fuisses, nec Graecia hodie ac ne sacra quidem auctoritas de mendace dubitarent. Sed nec sic quidem male cretizas, adeo grandiora et atrociora omnia vero, illic confingis. Ais enim Oeseliam Regiis e Polonia machinationibus tentatam, et ad defectionem ordines Oeselianos cum impeditione cessionis Danicae sollicitatos a Vladislao IV, licet nihil iuris in illam insulam toto tempore, quo sub Dano erat, praetenderit. Sed haec tibi vnde animi caligo et magna obliuio rerum? Illo enim tempore etiamne Vladislaus in mundo fuit? cui enim alteri verbum illud, *praetenderit*, applicas? An quam longam linguam calumniator habet, tam longum aeuum Reges habent? De iure tamen, quod tu subticuisti, cur non licuit Vladislao praetendere, vel tentare aliquid, quando iam insulae status mutaretur, et de nouo ageretur praeiudicio? Neque enim sub Dano ab altissima et continua vetustate insula illa fuit, neque perpetuo, vel immutabili iure ad eum deuenerat. Sed cum Liuonia, continuis Moschorum irruptionibus conquassata, resistendo amplius non esset, et aliqui incolarum aliis vicinis, Magister vero ipse Ordinis, supremus et legitimus totius Prouinciae Dominus, protectioni Regum Regnique Poloniae totaliter se subiecisset; Oeselia quoque pars fati violenti facta est. Nam Episcopus eius Ioannes Munghausen, pacta et accepta certa pecuniae summa Regi Daniae, seu Fratri eius Magno eam tradidit: Ordini tamen et consequenter successori legitimo Ordinis, iure reemptionis seruato, ac derelicto: Prout etiam in altero vicino Curonensi Episcopatu accidit cum Castro et Territorio Piltensi. Quapropter cum Vladislaus intellexisset, id agi, tractarique, vt Oeselia a Dano ad Suecos transferretur, veluti imploratus et non violentus Ordinis successor, et Liuoniae multos per annos optimae fidei possessor, misit statim Bergium Cubicularium suum, qui oblata constitutae olim pactaeque pecuniae summa, ageret de suspensione cessionis, siue intromissionis in insulam, donec per interpositionem Regis Galliae, vel alterius, aut ipsa aequitate monente, aliquid aliud liberum, et non obligatum, Suecis a Rege Daniae daretur. Sed cum insula Suecis potior alieno iure esset, et bolus hic insatiabiliter illis placeret saperetque; Protestatio sola nudaque insinuata fuit, qua illud caueretur, ne noua et dispar Suecorum a Danis possessio, iuri reemptionis seu potioritatis (vt vocant) quidquam praeiudicaret, neue illud hac mutatione penitus tolleretur, obrueretque, et sic facultas omnis redimendi, simul silentio obliterata interiret. Neque hoc pro sollicitatione ad defectionem censeri haberique solet, sed passim protestatio talis, citra iurium quorumuis damnum licita est, liciteque admittitur,

1656 niſi vbi vis et iniuria praeualet. Vt vero gratis, aut vi vlla omnino inſula ad Vladislaum tranſiret, aut per ſolicitationem violentam Suecis eriperetur, tunc literis nudis et chartaceae conteſtationi tribuis, dum Graeco ſono, tumidum Diploma, Graecule hoplomache, eam vocas? poma aurea, quam Diploma ad corrumpendos Ordines efficacius dixiſſes; vel arma, vires, claſſem, aut etiam militem ad hunc paratum inſtructumque habuiſſe, et vna immiſiſſe Vladislaum, cur ad fidem faciendam dicere non es auſus? ſine quibus defectio ſtrui, aut ſperari, non potuiſſet? Praeterea cur de negotii totius et inſulae conditione, atque aliis circumſtantiis, quibus Oeſelia obnoxia erat, cur, inquam, magis mutus es, quam mutum eſt mare, ſeu maris Noruegici aſellus ſicciſſimus: quamuis alias in calumniando, vocalior ſis, quam Aſinus Arcadicus, et tympano Heluetico ſonorior? Nimirum aliter, haudquaquam tibi promptum erat, hominibus rerum longinquarum ignaris fucum facere. An niſi ſic quoque Regis tui cauſa iuuari fucarique, aut non aliter Regia eſſe, potuit.

Breuis deinde tibi ex Oeſelia ſaltus in Liuoniam per mare anguſtum fuit, leuiſſimus enim eſt mendaciorum traiectus, quae tibi pro velis remiſque fuere; ſed et ſic naufragus, atque ab omni veritate nudus appuliſti, adeo, vt ne tabulae quidem vlli inſiſtas, in qua oſtendere queas, tentatam in Liuonia ſubditorum Suedicorum a Rege Vladislao fidem, et tamen id haud incertis teſtimoniis conſtare incertiſſimus teſtis aſſeueras. Si tu cum Vlyſſe illo mendaciſſimo, ſimiliter naufrago ad Phaeacas abiectus fuiſſes, certe multo audacius tu Laeſtrigonas, Cyclopas, alioſque *Aeneos Fratres caelo capita alta ferentes* et fabuloſa alia, quae *Ithacus nullo ſub teſte canebat* [88]), effingere et commemorare potuiſſes; Poeta tamen Latinus, non *tam vacuum capitis populum Phaeaca putauit*, vt talia crederet. Tu nunc omnes lectores cauſarum tuarum ſtupidiores Phaeacibus autumas, vt tibi fidem habeant, qui in tanta teſtimoniorum incertitudine (vt gloriaris) in tanta impudentia, quam profiteris, ne vnius quidem teſtimonii laruam adducere potueris. Cum itaque nullum neque diem, neque annum, neque ſaeculum, nullumque hominem teſtem, etiam ex vicino furno, ſeu taberna Eſthonica nominare queas, ignoſce, ſi tibi inteſtato nemo credat, neque iniurato. Naſica enim non es, quamuis probe naſutus, neque Cato vnquam fuiſti; Catonis tamen, quem aliter Orcum vocant, non indignus, vbi falſos teſtes, teſticulorum damno puniri crediderim. Sed neque iurato tibi facile quiſquam extra ſcenam vel orcheſtram Sueciae credit, qui iura omnia ſupprimens, aut peruertens, *conceptis verbis periuras*, ſi Nero tuus iubeat.

Breuiter ergo proiecto in medium inſolenti mendacio, nec probato, quaſi puderet, quod tamen apud te inſolens eſt, e Liuonia te proripiens, ceu nodi Lapponici abreptus turbine, quo furioſiſſime nauigari Nobiliſſimus portentorum, et Veſter hiſtoricus prodit, repente in Dania conſtitiſti, mox alio atque alio, paleae aeſtiuo puluiſculo leuior abripiendus. Si Cimbria Daniae pars, Cimmeria eſſet regio, non mirarer tenebras te inde offundere; Caeterum ſic quoque tene-

88) PHAEACES, ſeu populi Phaeaciae, hoc eſt, Corcyrae inſulae, otio olim luxuique dediti, vnde Phaeacen pro homine ventri gulaeque addicto, vſurpat Horatius. LAESTRYGONES, populi immaniſſimi, Formias, campaniae vrbem incolentes, quos Plin. lib. 7. tradit humana carne victitaſſe. Horum Rex fuit Antipathes, qui Vlyſſem, in littus ſuum tempeſtatis impetu eiectum, totis viribus oppugnauit, vnumque ex eius ſociis ore apprehenſum dilaniauit. Homer. 10. Odyſſ. CYCLOPES Neptuni et Amphitrites filii fuerunt, miniſtri autem Vulcani, Ioui ſua fulmina fabricantes. Cyclopes dicti ab eo, quod vnicum haberent oculum, eumque orbicularem, media in fronte ſitum. ITHACA, inſula in mari Ionio, ante Epirum, Vlyſſis patria, vnde Vlyſſes ITHACVS.

tenebras, ſed fugaciſſimas captas, quia mox per compendia caeca, ne luce pro- 1656
daris, diffugiens: Non defuiſſe, ais, cum Rege Daniae tum temporis alieniore, vt cum Arnheimis, ac Baudiſio, molitiones in perniciem Sueciae, quae ſingula referre longum foret, et a propoſito compendio alienum. Non a compendio, ſed a veritate alienum dicere debebas. Sed vbi tu non a propoſito veritatis alienaris, quam ſemper poſtponis ac reiicis? Vere Plutarchus! Compendiaria res eſt improbitas, virtus longa, tibi longinqua ſane, quia tamen ita vis, quam potes maxime tam *verba confer maxime ad compendium*, ne deprehendaris, quia falſitatem prodere mora ſolet. Cur vero alieno rem non addens, cuinam, Regem Daniae dicis? Si vobis merito de iniuriis a Veſtra ei ferocia illatis taces, et hoc quoque compendium eſt. Quodſi tamen Regis illius alienationem erga vos rumorum loquacitas etiam in Poloniam attulit, eumque contra Sueciam aliquid moliri, vel meditari, vicino murmure increbuit. Quidni Vladislaus de ſuo in Sueciam haereditatis iure timeret? vel cum tam potenti hoſte Sueciae, cur non cautum ac prouiſum vellet, ſi liceret? Hunc enim meminit eſſe, qui antea Caroli Sudermani conuitiis ac malefactis laceſſitus, in Sueciam armis irrupit, grauiſſimis damnis affixit, ac pene abripuit; longe certe lateque diripuit ac vaſtauit. Quam ſi idem tunc aggrederetur, eamque ſuo et veteri Regum Daniae more odioque inuaderet, annon difficilior poſtea de iure haereditario actio, cum victore et inuaſore rebus adeo mutatis foret? Praeſertim cum Daniae Reges ius ſibi in Sueciam non obſcure praetendere dicantur, atque ideo Sueciae inſignia, tres coronas mordicus retineant; et Vobis Suecis inuitis, infra, aut poſt ſecurim Noruegicam, palam ponant, geſtent, oſtententque; quod ſi aliquid ab illo impetrare licuiſſet Vladislao, ne iterum apud alios atque alios, Suecia aut tota, aut totum Sueciae ius penitus periret, an hoc a iuſta et licita futuri cura alienum? aut a legitimo haerede deferendum quiſquam praeter te diceret? Cur vero molitiones has pernitioſas Sueciae, in nullis iterum circumſtantiis prodis? pecuniam, claſſem, exercitum a Vladislao ſubmiſſum, aut promiſſum Daniae Regi ad minimum inſinuare poteras. Abſque his enim, quis hodie aliquid magni molitur aut ſperat? Nam talia, vt fidem mereantur, non omnino ſilentium poſcunt, nec fugitiuam tantum mentionem, aut praeteritionem rhetoricam admittunt; ſed et hoc tu compendium vocas. Agnoſco vocem; compendio enim etiam latrones ac fures et ſilentio tenebriſque gaudent, quos poſtea ſuſpendium merito in lucem educit, et illuſtrat. His te tenebrionibus compendiariis, compendioſiſſime calumniator, cum furtiuis vtique plumis conuitiorum adiungas licet, quia veras et ſinceras non habes, etiam cum tam plumatus incedis quam exercitus Indicus. Interea et ego ſi quid tibi compendii facere poſſim, faciam: Vtque leuior incedas, detraham tibi alienas plumas, vt merito

moueas cornicula riſum
furtiuis nudata coloribus:

Nam veri in Suecia et Suecis, iam diu deſiere.

Inter compendiarias itaque adhuc cauſas poſt Regem Daniae Arnheimius et Baudiſius, tanquam duo fulmina belli, aut totidem Annibales, non abſque horrore in theatrum a te producuntur, ac ſi cum his quoque, licet nullo Regno, nulla potentia, nulla denique claſſe, imo milite, ſumptuque nullo inſtructis, in perniciem Sueciae Vladislaus molitiones aliquas agitauerit, quarum tamen nullas monſtras. Et Arnheimius quidem (Philoſophicum Generalem, honorato ioco

1656 Guſtauus Adolphus vocitaſſe fertur) nihil admodum magnum et admirandum Polonis in Pruſſia approbauit, adeo, vt poſt ludibria aliquot tunc oblata, Rege Sigiſmundo, Principe Vladislao, et Proceribus ad ſpectaculum virtutis militaris, contra Suecos ſub Albo monte, inuitatis, merito amotus fuerit: hunc tamen tu Vladislao hic obiicis. Suedicum vero Manifeſtum anni 1644. menſe Februario editum, Regi Daniae, cum ſimili ſiue querela, ſiue vanitate exprobrat. An forte in duorum Regum tunc obſequium diuiſus fuit? An vero ſingulare aliquid et illuſtre his duobus Regibus, vſque in perniciem Sueciae praeſtare potuiſſet; non valde ipſi Succi teſtati ſunt, quando illum, aſtu doloue in Sueciam abreptum (ſi vera narrantur) ita eluſum, incluſumque et cuſtoditum voluere, vt nonſolum e cuſtodia, ſed ex tota Suecia illa ſuſpicaciſſima, oculatiſſima, auritiſſima, montoſiſſima, paludoſiſſima, vaſtiſſima impune euaſerit.

Baudiſius autem ille bis captus, et crebrius molae Stargardianae aſſidens, vel poſtea in Aula; an ad moliendum aliquid contra Sueciam in copiis, vel viribus propriis, vel aliunde habuerit, etiamſi, cum ex corpuſculo illo ſuo in Herculem, vel Atlantem, excreuiſſe fingas, quis vidit? quis audiuit? Si tamen peritia bellica hunc Baudiſium, vel illum Arnheimium Vladislao Regi commendabat: Et Baudiſius forte ſtudio conatuue, aut obſequio frequentiore Regi ſeſe inſinuabat, offerebatque: quid miremur, aut quid tu exprobras militares viros, militaris Regis genio placuiſſe? Quid alii Reges? Annon pacis tempore, ac etiam cum nihil moliuntur, viros magnae ſolertiae, et dexteritatis bellicae opinione approbatos ſibi circumdant, eorumque familiaritate licite delectantur. Magni certe videris Baudiſium facere, ita illum, tanquam Vlyſſem et Aiacem in equo durateo ad perniciem Troiae, cum aliis Heroibus incluſis, tu intra tuarum cauſarum capſam occluſum, in Sueciae perniciem erupturum nominas.

Forti poſthaec, vti poſt fortes viros, et operoſo verbo partem primam cauſarum lacerarum concludis: *Haec tempore Vladislai IV. patrata.* Quid vero tu pater patrate, patratum eſſe hactenus oſtendiſti? Botthium enim et Crocouium, ſolummodo tentaſſe aliquid, ſed eluſos: Bergium ſollicitaſſe defectionem Oeſeliae faſſus es: nec niſi tentatam Liuonum fidem, nullo ibidem nominato, breuiſſimis verbis mentitus es. Sed nec cum Rege Daniae, et poſtremis duobus Belliſariis patratum aliquid in vllo facto, vel expeditione dixiſti; tempore autem Vladislai, non a Vladislao patrata, quod dixeris neſcio an vltro, an per impudentiae modeſtiam feceris. Quanquam nec illud vere dixiſti, multo minus hoc, cum Vladislaus nihil omnino, neque ipſe, neque per Reges alios, aut mercenarios heroas quicquam patrarit, quod verbi atrocitatem impleat, ſi tamen aliquid patrauit (vide quam ordine et clare tecum ago) cur viuo ea illi non obieciſtis? Nunc in vmbra defuncti piacula Sueci quaeritis, et manes ſepulti violatis, eumque incuſatis, qui ſe defendere non poteſt: cum tamen ſaxa ipſa mortuis pacem praeſtent, aut loquantur, orentue poſt funera quietem.

Deinde inficiari nequis Cauſarie, poſt omnia illa, ſiue vera, ſiue falſa, a te enumerata, Regem et Regnum Poloniae, ad pacta pacis Generalis Germaniae, non modo a Caeſare, ſed et a vobis ipſis, Suecis, admiſſum, adſcriptum, inque illis comprehenſum eſſe. Inſpice articulum, ſiue caput XVII. pag. 119. Lipſienſ. edit. Qua fronte ergo, aut quo iure eadem, etiamſi hoſtilia fuiſſent, publicae tamen pacis ſinu excepta, et tanta Regum ac mediatorum auctoritate, Sueciaeque totius conſenſu, ac confirmatione, iamdiu ſopita, ſepulta, antiquata,

quata, tu iterum reſuſcitas, et veluti ad poenam ac ſupplicium vocas? Haeccine Sueciae Tricoronigerae fides, ſinceritas, conſtantia, vel innocentia eſt? An leo Gothicus, aut recens acceſſoria beſtia Gryps ita ſaeuit? Nam vulpem nondum inter inſignia publica videmus, inter facta agnoſcimus. Praeterea etiamſi Rex mortuus, culpae aut ſuſpitioni apud vos obnoxius vere falſoue eſſet, nullatenus eidem tamen, ita Ordines Regni Poloniae impliciti et innexi ſunt, vt noxae Regiae, ſi quae fuiſſet, ſimul obnoxii eſſe, vel aſtringi a te poſſint. Scire enim debes in libero Regno nonſolum diſtincta et ſeparata iſta eſſe, ſed etiam mutua induciarum pacta non cum illo, aut vllo ſolo Rege, verum nominatim diſtincte, et expreſſe cum Regno, et Ordinibus Poloniae ſolenniter inita, conſcripta, ac ſtabilita eſſe: atque ita a Rege quomodocunque incuſato ad Regnum et Ordines, argumentationem, et culpam, ſi quam probaſſes, rite ac legitime duci trahiue non poſſe. Quae tu vero Ordinibus, vel conſciis, vel auctoribus tentata, aut patrata, aliquando, ſed non vbique affinxiſti, ea ſuis iam locis inania, falſa Gerraſque Germanas, aut Suedicas calumnias fuiſſe, ſatis oſtenſum eſt; illuc ergo te reiicio. 1656

Cum autem in omni iure ac foro, manifeſtum illud ac neceſſarium ſit, vt in criminalibus, quales ſunt Regum accuſationes, et pactorum violatorum facinora, luce meridiana clariores ſint probationes, et documenta; quid a te hucuſque, vel poſthac aliud, quam continua figmenta, et vaniſſimarum ſuſpitionum fumi, ac denſiſſimarum calumniarum nebulae lectoribus offunditur? Et haec talia, tu tamen cauſas vocas, quae, ſi loqui poſſent, nihil aliud de ſe dicerent, quam *Nos numerus ſumus.*

Poſtremo. Tametſi Vladislao, vel conſcio vel non inuito, adeoque inſtiganti quaſdam obiicias cauſas, cur Regem Caſimirum reum, et hoſtilitatem meritum, contendis, vrgeſque? Succeſſit quidem ille Vladislao, ſed non vt haeres, nec haereditario iure, nam per libera et operoſa ſuffragia, nec extra periculi aleam, venit, nec fratris nomen inducit haereditariam ſucceſſionem, aut culpae alicuius complicitatem, vel imputationem, niſi forte in Suecia; vbi legimus Ioannem, Sigiſmundi fratrem, proximum regni haeredem, nonſolum regno, verum etiam Magni Ducatus Finlandiae priuilegio, a Carolo et Veſtris conſtitutionibus priuatum, exutumque. Neque tamen, licet haeres fuiſſet Caſimirus, luere deberet ea, quae pacis Germaniae legibus, ac ſolennitatibus ſopita iam ante monuimus.

Quia vero propria ac particularia quaedam conuaſaſti, quae ipſi Caſimiro Regi imputares, ne effugeret tuas criminationes, et bellicum Regis tui furorem; prodeant ſane, ſed ordine tuo, qui ſcelera ordinare et calumnias noſti, vt nonniſi ordinatum apud te nefas incedat.

Primus ergo impetus quaſi ingratitudinem Regis Caſimiri erga Reginam Chriſtinam exprobrat; putares hoſpitem illum naufragum in Macedonia accuſari, qui mox benefactorem aedibus ac facultatibus ſuis ſpoliauit. Ad ingratitudinem vero probandam, quae adducis? Regina, inquis, Sueciae propinquo arctoque ſanguinis nexu Ioanni Caſimiro deuincta, illum Ordinibus Poloniae nonſolum coniunctim cum fratre, ſed et ſigillatim commendauit, annitebaturque omni modo, vt is voti ſui compos ad Regnum Poloniae conſequendum fieret; Hocque ſtudium Reginae mox proſperum euentum ſuiſſe conſecutum: ſed

1656 Regem Casimirum nihilo mitiorem se praebuisse, sequentibus te probaturum polliceris.

Nunc tandem probatione promittis, quod antea a te exprimi non potuit; praestolabimur itaque probatae fidei et claritudinis probationes. Interim tamen, ne nimis arctum hunc sanguinis nexum in Regina iactes aut commendes, nimis enim suspecta haec tua beneuolentia est; *An quidquid calcaueris hic rosa fiet?*

Nimis cruenta exempla in illa familia praecesserunt, in qua tu propinquum arctumque sanguinis nexum tantopere depraedicas. Auus Reginae, Carolus, propinquiori nexu fuit Sigismundo deuinctus, quam haec Regina est Casimiro, et tamen nullus arctioris sanguinis nexus, neque necessitudo, pietati iuriue vlli deuincere eum potuit, quin Sigismundum, eiusque posteritatem, ac sanguinem, quam longissime e Regno detruderet, expelleret, arceretque semper. Et quamuis sanguinem eius non fuderit, fudit tamen nobilitatis, populique omnis, qui Regio Sigismundi Sacramento, arctius fideliusque deuincti erant. Hic quoque Carolus Gustauus tam propinquo nexu deuinctus est Casimiro, quam fuit Christina; An ideo tantum, vt ad Regnum Poloniae armis propinquaret, illo etiam extruso *Est prorsus iste gentis armigerae furor,* a Carolo in hunc transmissus. Interim tamen cum eo Christinae Reginae affectum studiumque non comparabimus; imo ne miscebimus quidem. Sed nec ideo Ordines Regni Poloniae Ioannem Casimirum, si absque Christinae literis, electionis fatum sollicitasset, minus electuri fuissent; cuius facti rationes hic non opus est, commemorare. Literario tamen hoc Reginae beneficio, ornatus Casimirus; dic? quo, postquam Rex liberis Ordinum suffragiis electus est, quo, inquam, ludibrio, contemptu, aut piaculo beneficium illud epistolare, et gratitudinis suae debitum, atque hostimentum hostiliter corruperit, aut violarit; vt propterea nunc bello a Carolo Gustauo successore mirifico Reginae persequendus, adeoque inhumaniter et inclementer, supra omnem cognati sanguinis modum, ac proportionem puniendus sit.

In commercio, inquis, literarum cum Regina Sueciae, Latina lingua vti noluit; nullam aliam ob causam, quam vt hocce modo deuitaret, eam titulorum rationem, quae pactis induciarum est expressa, titulumque Sueciae, Sueciae Regibus astruit; Poloniae vero Regibus derogat; id vnice agens, vt hac via pactorum fundamenta conuelleret; Quid etiamne conuulsa sunt, et *ruere omnia visa repente?* Cuniculis, terrae motibus, tempestatibus validioribus non tam facili vi, vel vt tu loqueris, via conuelli fundamenta solent. Mirificus certe viator es, sed qui saepius de via omni recta, ad auia, ab omni probabilitate et veritate erro voluntarius conuelleris. An vero epistola Gallica, tanto cum impetu aut turbine venit; aut Medeae verbis herbisue exarata infectaque erat, quibus illa arcem Creontis [89]) euertit? vel adeo *tota succusso solo nutauit aula* vestra, quamuis super rupium fundamenta (vt ferunt) extructa? Mirumni

diuulsa repente
maxima dissiluisse capacis moenia mundi.

dicas.

89) CREON, Corinthiorum Rex, praedonis Sisyphi filius, qui Iasoni, post Medeam repudiatam, filiam suam natu minorem, nomine Creusam, vxorem despondit. Quam rem iniquo animo ferens Medea, coronam naphta illitam sponsae dono misit, quae sub noctem et luminibus accensis, concepto igne, non modo illam, verum etiam sponsum et socerum cum tota regia concremauit. Hyginus cap. 25. p. 669.

dicas. Non enim leuis est potentiae fundamenta conuellere, quod vix Neptuno 1656
Deo affingere Poetarum audacia potuit, a quo Troianos

muros magnosque emota tridenti
Fundamenta quati, totamque e sedibus vrbem

visam erui euertique, Troianus exul foemineae credulitati per conuiuii libertatem narrauit.

Vnde vero vobis Suecis istud Gallicae linguae odium? vobis, inquam, qui nihil nisi Gallicum strepitis, spiratis, induitis, sectamini, Gallice braccati, caligati, ocreati, fimbriati, plumati, Gallici nuper stipendiarii, mercenarii, et clientes passim. Gallicis verbis, tanquam vnicis floribus, literas vestras, non Latinas interspergentes, exornantesque. Quid Galliae Rex? annon domestica lingua, ad Reges Principesque externos passim scribit? Ea Gallicae linguae maiestas est, aut censetur, ita certe obseruatur, coliturque, nec in suo Regno, cedit Romanae. Sed procul a tui animi obseruantia, istud vilipendium est, amicae et regnatricis linguae, sine cuius cognitione, nemo in vlla fere aula satis cultus incedit. Latinam tamen linguam pluris facis, quamuis in Latio domestice et populariter perierit, vt vos eam in vltimo Septemtrione retineretis, ne vltra abiret! Sed non iniuriam faciam sinceritati tuae in hac causa vnice probanda; ideo non licuisse Gallica, vel alia quam Latina lingua Casimiro vti, Dictator Latine dictitas, scilicet, vt per hoc compendium euitaret titulorum rationem in induciarum pactis expressam. Sed quid ais? anne induciae etiam decreuere, non licere nisi lingua Latina ad Reginas Vestras scribere? Deinde annon in Gallicis literis Christinam Reginam inscriptio vocabat? Casimirus vero, nunquid in iis literis, se Regem Sueciae appellabat, an titulum eius sibi arrogabat? vel amplius quam Ioannem Casimirum sese subscribebat. Et Vladislaus non semel, licet Germanica lingua ita scribebat. Alii quoque Reges alibi, dum familiari inter consanguineos commercio literarum, quasi priuatim vtuntur, seponunt interim aliquid de Maiestate publica, nominibus suis et conscientia contenti. Sic quoque Regem Sigismundum non raro ad Hispaniarum Monarcham scripsisse vidimus aut scimus. Reginam scilicet Sueci, omnibus Reginis doctiorem habuistis, dignam ideo Romanis tantum verbis adorari, quia nunc Romam adorauit. Si tamen Regina literis, sine titulorum omnium pompa venientibus laedebatur, iisque conuelli fundamenta induciarum censebat, quare eas toties acceptauit? quare ipsa Latinissimis verbis et literis non exprobrauit? Sed tarde, o Sueci, Reginam, tanquam huiusmodi nugis laesam aduocatis, quae vos fugit, horruit, abhorruit: Nescis an a vobis non grauius laesa, aut laedenda fortassis, nisi sese honorifice et tempestiue subduxisset. Caeterum quid noui Reginas ex Suecia fugere? Mater Christinae quoties fugit, aut tentauit fugere? Sed vt ex hoc diuerticulo ad viam redeatur, quem tu ex pactis induciarum articulum, vel paragraphum, producis, aut producere productissime hominum potes, quo expressa sit ratio et lex, qua vti debeant, vel vti iubeantur, obligenturque Reges Poloniae, ad literas in Sueciam scribendas. An ita forte obseruatum fuisse in conscriptione induciarum, per tuum hunc loquendi modum intelligis? et hoc tu expressum vocas? Ignoras video, quod ignorare te simulas, Commissarios vestros, dum (vt infra dicetur) Lubecae eodem argumento, atque eiusdem fere criminis, optimas, alias Plenipotentias Polonicas, condemnare studerent, probationem aliam in supplementum huius assertionis suae producere non potuisse,

1656 quam quod in tractatibus vltimis Prussicis, Polonici Commissarii verbo promiserint sincero, Regem Regnumque Poloniae in literis ad Reginam Regnumque Sueciae, eum adhibituros esse stylum, quo consentierunt: Nulla vnquam, et praesertim tum temporis, de hac, vel alia lingua facta mentione. Sed preme sane, vt vis, vt potes, verba, capita, et non articulos tantum, verum etiam totum corpus pactorum: Exprime intima, extima, ac etiam remotissima; quidquam ne huiusmodi ex illo Colosso papyraceo expressum dabis? Regulas iuris si nosti, scis quid edicant, si non nosti, potuisses vbique tantis Arcadicis auribus tuis audisse, quod expressa noceant, non expressa non noceant. Quare in posterum, si quid occultius et abstrusius habes, quod exprimere non potes, saltem id inter expressa non numeres. Nam quod mox subiungis, tam expresse falsum est, vt digitis palpari posset, nisi larua esset. Asseris enim

Certo certius liquere, Regem Poloniae insudasse superius indigitatae Liuonum defectioni, et Rigae capiendae consilia captasse. Sudum est coelum in qua parte Liuoniae hoc liquet? aut quando liquebat? exere, extende, distende digitum etiam impudentem, aut quomodo Poetae vocant, quem ego dicere nolo; ostende in loco, tempore, aut circumstantia sudatam defectionem. An digitos forte Colossi Rhodii habes, qui per diuersa litora, extendebatur, cum tam longinqua, aut nunquam gesta, visaue indigitares? Vnum illius digitum pauci homines vlnis totis complecti poterant; tu vno quam vasta, quam immensa, et extra hunc orbem, vel nusquam vagantia figmenta amplecteris, aut consectaris. Hercle, si mons Athos, in formam seu statuam Alexandri Magni edolatus aut efformatus a Dinocrato fuisset, prout is industriam offerebat, cuius manus vna amplitudinem capacissimae vrbis teneret; illius digitus par tuo non esset [90]). Sed vide, vt sic etiam indigitare defectionem illam possis; Nam procul extra veritatis orbem ea a te fingitur. Quia tamen *magno gaudes sudare tumultu*, dic quomodo, cum quo, per quem insudarit Rex Poloniae, iste nondum Rex tibi quidem mendaciorum facilis, promptusue *sudor fluit vndique riuis* aliis ad insudandum rebus falsis, non eadem facilitas? Quae tamen est ista superius a te indigitata defectio? De nulla alia ante facta est mentio, quam quae a Botthio inepte repraesentata in fumum abiit. Atqui illic Vladislaum Regem instigasse, Ordines vero Poloniae auctores fuisse asserebas. Sed quid tunc fuit Casimirus, aut quem nunc facis? indigita saltem nomen, titulumque aliquem; Sed videris assueuisse cum Siculis, aut Calabricis circulatoribus micare digitis, atque ita coniectoris ludicri artificium agere. Dic ergo clarius, vt si tibi adeo certo liquet id, aliis etiam liquere possit, quibus talia exponis. Verum nimis perfluit hic liquor, quem ex nebulis Aristophanis, aut e Luna nauigabili Luciani cribro Pomeranico collegisti. Et quamuis totus via lactea (quam aiunt liquidissimam et clarissimam coeli partem esse) efficereris, nunquam tamen Cimmerias tenebras exues, quas obstinato calumniandi genio induisti. Caeterum cum Botthio satis antea frustra desudasti; vbi, quia tandem refrixisse valde accusationem tuam in figmentis suis nudatam ostenderimus, te in furno Liuonico, vbi ignitis lapidibus sudorem humanissime prouocari aiunt, post tot cursus ac recursus sudantem, anui domesticae fricandum ac refricandum relinquemus.

A Li-

90) Eiusmodi ioca in scriptis publicis, in responsione ad belli causas, plane insulsa sunt, vt et isti poetarum flores saepius iam laudati, nimium sapiunt auctorem vmbraticum. Caeterum ATHOS est ille mons, quem Xerxes abscidisse fertur, et velis fecisse peruium. Situs est inter Macedoniam et Thraciam, altitudinis admirandae, vt vsque ad insulam Lemnon vmbram porrigere dicatur. DINOCRATVS autem fuit Alexandri magni architectus, qui Alexandriam, Aegypti oppidum, aedificauit.

A Liuonia deinde, et a Dunae fluuii vicinia ad Borysthenem, vsque so- 1656
lito impetu prosiliens; Cosacos, vt in Liuoniam irrumperent, a Rege Poloniae inuitatos fuisse, haud leuibus indiciis compertum habere Regem vestrum, sed haud satis grauis ipse index exclamas; nam si aliquod saltim indicium, attulisses, grauior certe testis videreris. Apparet indicia tua tam leuia fuisse, vt repente in itinere euanuerint. Quod vero inuitatos tantum, non conductos, non adductos, non iussos, irrumpere Cosacos dicis, humaniter et praeter morem tuae accusationis facis; atqui mundo vniuerso satis constat, Regem Casimirum statim simul cum diademate, et trabea Regali sagum induere coactum, neque semel iterumque, sed pluribus vicibus, et per longiores moras, cum Cosacis dubiam pacis bellique aleam repetiisse. Visi quidem illi sunt aliquando pacis conditiones recipere, sed feroci semper cum ambiguitate, et metu, seu suspicione: Ideoque securissima semper consilia, loca atque praesidia, sibi circumdedere, nullis fluminibus, paludibus, desertis, montibus, aut monumentis, quantumuis operose quaesitis, firmatisque, satis fidentes. Et tu hos reuera, tam procul domo inuitari, vel educi, aut sperari etiam ab aliquo potuisse, vt inuitarentur, alioque educerentur, dices aut credis? Scilicet vt refugiis suis et munitionibus excederent, viresque imminuerent eas diuidendo, et in Liuoniam vsque alienando; praesidiaque sua desererent, vel debilitarent, tot molestiis, periculis, et sanguine tanto parta, stabilitaque? Vis autem tu haud leue indicium, huius siue timoris, siue obstinationis, simul et vanitatis tuae? Aliquandiu soli, et suis viribus, bellum atque rebellionem susceperunt, et prosequuti sunt, postea quasi necessitate coacti, etiam inimicas ante gentes in auxilium asciuerunt, quorum amicitia nunquam sine damno constat; si itaque toti (vt ita dicam) et integri, non suis viribus fidebant, quomodo distringi, atque Poloniam et Lituaniam vltra, dissipari, abigique militiae suae robora passuri fuissent, qui iam non absque alienis subsidiis, plenae securitatis fidem induebant, vel admittebant? Quodsi aliquis, vel procerum, vel aulicorum, vel nobilitatis Ruthenicae, priuatim optare, vel cupere potuit, aut inter rumores, susurrosue forte est auditus, qui Cosacos nunquam quiescentes, semperque timendos, vt rariores domi debilioresque fierent, in Pontum Euxinum, vel Thraciae littora spargendos, et diuidendos, suspirio, vel promiscui desiderii impetu innuisset? Suadereque etiam voluisset, vel si alius simili voto in Liuoniam aberasset, (illam nimirum partem quae Poloniae adhuc parebat, et omni quasi cultore vacua fuit) atque vt illuc transportari e Russia possent, feruentiori fiducia innuisset, quid hoc ad publicum consilium, vel consensum pertinet trahiturue? aut quomodo hoc ad spes Regias ascendere potuit, cum re ipsa absurdum et impossibile esset, a suspicaci, et intolerabilis duritiae indole, et iterum atque iterum rebellatura ferocia hoc obtineri. Non refert itaque, quantum tu audeas, qui quouis dices sub iudice: Vidi, quae non vidisti, audiui, quae non audisti, etiam sub coelo alio, aut nusquam gesta.

An vero vos Sueci semper quieti, et innocentes, intra ambitionis vestrae scopulos, specusque haeseritis? iam non in partibus Moschouiae, Pomeraniae, Mecklenburgi, Transalpinae regionis aut Daniae quaeremus, quas mirabiliter nullo forte iure rapuistis? Propior erit locus, et non vna fraude nobilitatus. Quod vero ais, Polonos non potuisse culpare vos, causa fractae pacis, si nunc primum fractam, violatam, ruptamque pacem intelligis, nimis facetus es nugator. Alias modestia haec non innocentiae vestrae, sed indoli Polonorum assignanda est, quae non tam querula, non tam prompta fingendi artifex est, quam vestra; postquam culpas in aliis confingere non industriae tantum, sed iustitiae,

1656 gloriaeque pars splendidissima apud vos censetur. Sed quod opus est aliquid fingere, cum induciae palam violatae fractaeque satis prodant, nimiumque comprobent, quid iam diu moliti, quid machinati sitis, quidque tot annis moliendo, aut machinando agitaueritis. Quandoquidem ergo et hoc elicere, atque exposcere, et veluti extorquere videris a patientiae Polonicae moderatione, non fraudabo expectationis tuae impudentiam hac voluptate et honore, vt legas, videasque etiam oculis ab Argo mutuo sumptis, quam spissa, foedaque se culpa induerit Suecia, et quod non semel, verum etiam saepius culpari potuerit, quamuis tacente Polonia, vtpote quae fraudem, non vsque ad frangendam pacem, et bellum ante temporis praefiniti leges inferendum, erupturam sperauerat, aut timere poterat. Quando enim, o Sueci, moliri et agitare contra pacta non incepistis? aut quando desistis? Nam vt prius Moschouiticum bellum omittatur, quo Vladislaus impetitus est, quibus non rebus, quibus non artificiis ac documentis Moschum instruxeritis? Adeo vt bibliothecas quoque vestras excusseritis, et Gedani scripta typis edita conquisieritis, et si quid vltra in Polonia vulgatum erat, quod Moschorum nomini graue videretur, id repente cum promptissima interpretatione Moschouiticae bili submini straueritis. Quis deinde consilia ipsa, artes, disciplinas, magistros, instructores militares in Moschouiam a vobis submissos enumeret, vt sic nulla in parte hostilitate contra Poloniam deesse tis? Quidquid praeterea telorum armorumque cudi, excudi et fabricari in Suecia, montium ferreorum fertilitas sinebat, id Moschis accelerabatur, parabatur, concedebatur. Si militi quoque externo per Sueciae limites aut mare, sinusque maris Suedici perque flumina transitus facilior in Moschouiam, quam per glacialem Oceanum erat, Suecia repente operam ac facilitatem accommodabat. Haec omnia aut plura, nunc quoque ad recentem hanc Moschorum irruptionem, paratissima, votis studiisque suppeditasse Sueciam, quis nescit aut dubitat? Cumque iam Moschus Smolensco occupato Mohilouiam obsidione premeret, vester nuntius cum literis ad hostem deprehensus est, dignus quidem ad furcam rapi, tamen quia nondum trans mare perfidia Suedica publice nauigauerat in Pomeraniam, et in apertum contra Polonos bellum, candor fidesque Polona, portatorem infestarum literarum pactis magis quam meritis condonauit. Quis deinde satis recensere queat, quibus pactis, Moschum nunc contra Polonos animaueritis, nunc illum certos intra limites firmaueritis, vt solis Polonis noceret, vobis interim et vestris finibus intactis? vt facile hinc constare possit maxima ex parte bellum hoc Moschouiticum vestris consiliis, artificiis, et machinationibus assignari posse, vt tanto commodius vos ex altera parte, et latere Poloniam aggrederemini.

Neque hoc satis, nam vos in Cosacorum animos irrepsisse etiamne negabitis, quorum rebellionem vestris desideriis ac successibus, a fortuna et scelere oblatam, in lucro et felicitate vestra posuistis? Sed de hac re mox plura. Quid alibi, vbi spes aliqua nocendi sese offerebat, egeritis, aut tentaueritis, et solicitaueritis, quis omnino enumerare, vel assequi satis queat? Benedictus ille Scythicus Senator, et legatus vester, quibus non demonstrationibus, et persuasionibus, Othomanicam portam, et potentiam pulsauit, vt Poloniam a Cosacis afflictam, laceratamque sibi quoque diriperet, sicque rupto et abrepto illo, quod hucusque antemurale orbis Christiani habebatur, facilem ad alia aditum strueret, insatiabilis illa imperii dilatandi ambitio. Illud autem quomodo non hostilitatis apertae documentum est, quod Regem Christianissimum huic Regno semper amicum adeo alienastis, aut alienare contendistis, vt nonsolum vobis ingentes

gentes pecuniae summas, per Cambia Hamburgum destinasse, sed etiam minas 1656
belli in Germaniam misisse feratur, si quid inde opis in Poloniam, contra vos mitteretur aut concederetur? Hinc metus in Principes omnes immissus est, ne quis auderet Polonis beneuolus, in causa quantumuis iustissima, esse. Optaremus quidem haec vera non esse, partem tamen maximam huius incommodi iam sensimus, vel extimescimus. Christiani vero Caesaris aulam, prouinciasque, quibus non conuiciis, et calumniis aduersus Regem nostrum publice etiam editis, sparsisque et commendatis scriptis, impleuistis? Quodsi alicubi plus quam chartas, aut scripturas adiecistis, nemo miratur vos, a iure atque innocentia destitutos, pretiosioribus documentis eguisse, egisseque. Alium vero in vicinia Principem, quid opus est nominare, per amicitiae mutuae, communesque non pridem belli necessitudines, Regi et Regno Poloniae palam ac gloriose deuinctum? Hunc vos Principem taliter nobis per periculorum, commodorumque, ac dignitatis mutuae societatem coniunctum, ac veluti pignoratum, vos, inquam, Sueci, nunquam omisistis, desiistis, per literas, tubicines, nuntios, ad coniunctionem belli vobiscum inuitare, vocare; ostentando e propinquis montibus, propinquissimam Prouinciam, et in praedam offerendo, ne gratis ille ad vos, et ad hostilitatem contra Regem Poloniae descenderet. Quis insuper alius finis turbati tractatus Lubecensis vobis fuit, quam vt occasione sumpta ex Cosacorum rebellione, et Moschorum successibus, cum tali opportunitate in Poloniam debilitatam, fractam, aut distractam irrueretis? Qua re nihil clarius aut manifestius esse potest, attestatione ipsius Regis vestri confirmante, qui Stockolmiae post alios discursus, in ipso procinctu, legato nostro insultabat, se quoque partem aliquam Poloniae post Cosacos et Moschos rapturum, quandoquidem rapiendi facilitas inuitaret.

Venio nunc ad pulcherrimum perfidiae instrumentum Hieronymum Radzieieuium, quem Christinae Reginae adhuc tempore e Polonia proscriptum, humanitate et fauore singulari, tanquam Annibalem Antiochus (vt Commissariorum vestrorum Lubecensium ad Reginam literae loquuntur) excepistis, in despectum et contumeliam Regis, patriaeque et existimationis nostrae. Nam et hoc amicitiam inter Principes violare solet, stabilire certe non solet. Vestro id exemplo et cautione demonstrante, qui cum Daniae Regibus maximo sub piaculo cauistis, ne Dania vestros profugos, proscriptos, reos, tecto aut praesidio excipiat; neue vos illius. Et exprobrastis Regi Daniae in manifesto vestro Anno 1644. die 16. Februar. vulgato, Reginam vestram male in Suecia tractatam, humaniter et hospitaliter ab eo exceptam, et adiutam, vt inhumanitatem vestram euaderet. Sed redeo ad vestrum Annibalem Hieronymum. Quid ille in Suecia vestris fauoribus animatus, ideoque se vobis vicissim approbaturus, non machinatus est contra Poloniam, submittendo inde literas ad diuersos proceres, et audacissimo compendio, Iassinium famulum suum ad ipsos etiam Cosacos, quibus eos etiamnum ferocius ac validius contra Regem suum stimularet concitaretque? Deprehensum vero captumque hunc Iassinium, literasque interceptas, et publicae notitiae insinuatas, certe negare non potestis; nam tales ad Cosacorum spes conatusque altiores concitandos, literas, vbi nisi in Suecia effingi et continuari potuisse credimus? Vbi enim Regis Sueciae potentia, vires, felicitas, beneuolentia, et erga Cosacos in posterum cura, fauor praesidium sic offerri, sic depingi, sic exagerari, ostentari? aut vnde Rex ipse, tam festiue, blande, pompose commendari, nisi e Suedica et Radzieieuiana Cancellaria potuisset? An vero in tractatibus Lubecensibus dicti Hieronymi consiliis, hortatibus, monitis, aut dehortatio-

1656 tationibus vſi ſitis, quid iuuat conſcientiam veſtram interrogare, vel aliorum oculos, aureſque quodammodo notitiam publicam appellare? Poſt tractatum Lubecenſem, quomodo is, vel in Suecia, vel e Pomerania maioris Poloniae Palatinos, Nobiles, alioſque in Maſouia et minori Polonia magnates ſollicitauerit; literae etiam eius in conuentibus Prouincialibus lectae, aliaque eius conſilia paſſim prodidere. Haec certe ante claſſicum veſtrum tentata, geſtaque fuere, ideoque facile conuincunt falſa omnia et ſimulata fuiſſe, quae de Regis veſtri etiamnum ſtudio erga pacem, poſt tractatus Lubecenſes depraedicabas. Deinde quomodo veſtra conniuentia ſufflante, vel aſtutia procurante, idem Radzieieuius Ioannis Kochii, nuntii veſtri ſimulatione, opera, moraque in hoc Regno longiore vſus, atque abuſus fuerit, ſcriptaque et conſilia proditoria ad varios per illum miſſitauerit; et quid ipſe denique Kochius, meando, commeando, haerendo coxerit, id tunc non vno loco, modo autem aperta in proditione nimis manifeſte erupit, ſeque prodidit.

Cum Electore Brandeburgico, Duce in Pruſſia, Vaſallo Regis Poloniae, an praeſentem ante irruptionem, clandeſtina habueritis Sueci, eumque contra Dominum ſuum incitaueritis, poſt liberum Suedici exercitus, per ditiones eius in Germania tranſitum, in Poloniam datum conceſſumque, poſt tot eius cum ciuitatibus et ordinibus Pruſſiae machinationes, oblationes, ſimulationes; poſtque tam facilem et ſpecioſam tranſactionem cum Sueciae Rege, an dubitationi locus eſſe poteſt.

Num vero praeterea Ducem Radziuilium, ſupremum (proh dolor) exercitus Lituanici Praefectum peruerteritis, aut corruperitis, id quidem neque ab ipſius indole et religione, neque a moribus artibuſque veſtris vehementer abhorret. Credebatur is Coſacos et affinem ſuum Chmielnicium ſtrenue aliquamdiu oppugnaſſe. Nec dubitabatur fideliter fortiterque pro patria Moſcho occurriſſe, et arma, vireſque publicas ſeque conſtanter obieciſſe, cum tandem, vbi fide ac virtute maxime opus erat, paulatim fida Tribunorum Regiorum conſilia monitaque refutans, aut diſſimulans, lentiuſque ac mollius Mohilouiam, et ſucceſſus Moſchouiticos impugnans, repente veſter factus eſt; non ſecuritatem modo, verum et complicitatem, ſub veſtris inſignibus et aquila, non ſua, indutus; Poſtremo antequam patriam proditione, et rebellione latius obrueret, a furiis obrutus, non abſque deſperationis manifeſtae tormento, ſimul et documento. Haec omnia et alia ſimilia, quae in veſtra tot annorum, et molitionum, ſiue ſemiclandulariarum ſiue publicarum officina coquebantur, nec ſemper celare ſe poterant, antea Polonia queſta non eſt, quia commiſſionibus Liuonicis, huiuſmodi querelas aſſignatas eſſe ſciebat, dictarumque commiſſionum fidei fidebat. Nam quis aut ſpe, aut mente coniicere potuiſſet, Sueciam tam iniquam, tam immemorem, et iuris diuini ac humani contemptricem fore, vt inducias et tempus a pactis conſtitutum, armis belloque rumperet, fidemque ita publicam abrumperet?

Poſthaec a me recenſita ſubiunge iam, affunde, multiplica, quae et qualia velis, et quae reticere non poſſis, cui ſemper noua et

immenſa caui ſpirant mendacia folles.

Et vide, vt Thraſonem, vel Stentora, vel ſi quid iactantius in comoedia, aut clamoſius in exercitu Mycenaeo fuit, ſtrenue agas, dum multa alia contra pacta, fidemque publicam, et contra ſubditos veſtros factitata clamas, ſed ea te vberiori

vberiori declarationi, ex ipſis Actis deducendae relinquere. Belle ſane, et tem- 1656
peſtiue ſpacium plura comminiſcendi, tibi relinquis. Fortaſſis grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet, interim tibi haeſit, quod cum vſura poſtea euomes. Iamque feſſum te currendo, terraſque et maria perſultando, vociferando, fingendoque prope credebamus, cum tu plus quam declamatoria voce pronuntias: Potuiſſe quidem haec a te commemorata, diutius inulta tolerare, niſi Rex, et Reſpublica Polona, crebris internuntiorum miſſionibus, et oſtentatione pacis, Sueciam toties ludificaſſet, ac binis Lubecae tractatibus fucos feciſſet, non alio fine, quam vt tempus traheret, et varios in Regnum Sueciae hoſtes concitaret, ſicque neceſſitatem belli inferendi impoſuiſſet Regi Sueciae.

E ludo et ſcena mimica initio prodiiſti: Quid mirum ſi e tabernis fuliginoſis et fumi venditricibus ſuccum exſugere quaeras, quo Regem Poloniae inficias, ipſe ſtercore fucatus Crocodili [91])? Vel ipſae crebrae miſſiones Nuntiorum, quae licet ſine fructu, ſine ſumptu tamen et moleſtia non fuere, teſtari poſſunt animum ſincerum, ſtudiumque, non oſtentationem, non fucum fuiſſe, vt tu, oſtentum hominis, calumniaris. Tempore belli Germanici, vos pacis vobiſcum reconciliandae requiſitionem, et opportunitatem ſepoſuiſtis, vel non admiſiſtis, excuſationem a bello ipſo praetendentes, quamuis illud extra Sueciam, et veſtros extra parietes ac fundos eſſet. Rex Poloniae, cum in ipſis Regni ſui viſceribus hoſtes ferociſſimos haberet, potuiſſet iuſtiore excuſatione rem protelare, voſque veſtra praetenſione eludere. Verum ne ſic quidem paci honeſtae aliquando acquirendae defuit, ſi modo honeſti, et aequi aliquid, vel ſpes aequitatis per tot Nuntios, et ipſos tractatus Lubecenſes, impetrari potuiſſet. Sed ego in veſtrum faſtum ac ſimulationem, moroſe non inquiram, quandoquidem tu caetera te omiſſurum, et quaedam obiter tantum dicturum praedicis ac praemones, quae docere poſſunt, quam parum animi Regi Regnoque Poloniae ad pacem perpetuam fuerit; o graphicum Doctorem! Sed quaenam illa, quae obiter tantum dici merentur, vt pro talibus haberi poſſint, neue tu etiam pluris facias.

Plenipotentiae, inquis, a Commiſſariis Polonicis in primo congreſſu Lubecenſi plurimis vitiis refertae, adductae ſunt, vbi titulum Sueciae ſibi arrogabat Rex Poloniae, ſubruto hocce modo ipſo pactorum fundamento. Antea per hunc titulum conuelli dixeras, nunc atrociori verbo, ſubrutum fundamentum dicis. Sed circa hoc antea ſatis riſus et irriſus es, ſic loquendo; ac praeterea opus non erit repetere hic, et nugas tuas iterum refutare. Nam titulum Sueciae, Rex Noſter haereditario gerit iure, ei innatus, ei innutritus, eoque licite ac libere et ſine impedimento ſemper et vbique ad omnes Reges ac Principes vtitur et gaudet? non ſubiectus veſtris conſtitutionibus, aut iudiciis decretiſue a Carolo Sueciae inuaſore, confectis; vt ſolus ſua cum ſtirpe macula non diu duratura, alieno Regno, tituloque frueretur. Neque ad omittendum titulum, ſeu ſupprimendum dicta in Plenipotentia obligabatur, per illas Anglici et foederati Belgii legatorum atteſtationes, ſeu copias tantum nudas et ſimplices atteſtationum, literarumque Zadzikii ad Comitem Brahe, quas tu ſuperius, pro inducenda ſtabiliendaque literarum a Rege Poloniae in Sueciam forma; Commiſſarii vero tui pari vnitate quem in finem allegarunt, et ſponte atque irrequiſiti produ-

 xerunt?

91) Eiuſmodi loquutiones in ſcriptis publicis, plane, vt mihi videtur, ſunt indecorae, et ignobile quid plebeiumque ſpirant.

1656 xerunt? cum ad alium effectum obtentae et conceſſae non ſint; quam vt fidem facerent, ſigillo reformatae Plenipotentiae appenſo, quod circa excluſionem tituli Suedici, et ſubſequentium Regis Poloniae titulorum, eius in locum tranſportationem, rudiori forte manu. habitum offenſumque; certas monſtrabat lituras, quarum Sueci (ne illis probro darentur) noluerunt eſſe auctores. Reliqua Plenipotentiarum vitia, merito ſilentio inuoluis, quia vel leuiſſima illa, et nonniſi ſcribae fuere, vel certe (vt in mutuis delictis accidere ſolet) compenſanda cum iis, quae etiam inſcitiſſimis veſtris, et oculatiſſimis reperta ſunt. Recordaris enim, quod primis illis in tractatibus, praeter controuerſiam de titulo, quam Commiſſarii tui coacto illo frigidoque, et elumbi argumento, a contextu ſeu ſcriptura pactorum euincere conabantur, alia interuenerit nulla. Prout etiam recordari ac fateri debes Commiſſarios Polonos, quotieſcunque iiſdem in tractatibus, per priuatos, et inallegabiles cum legato Gallico diſcurſus, de aliis Plenipotentiis mentio facta eſt, nunquam niſi clara et aequiſſima ſub conditione reſpondiſſe, miſſuros nimirum ſe perlibenter, in Poloniam pro eis, quod ſi miſſionis tempore Commiſſarii Suedici ad ipſum pacis negotium voluerint accedere: vel ſaltem ipſe legatus, de aliqua exinde conſolatione, ac temporis ſumptuumque fructu aſſecurare eos poſſit. Ad quae ille, veſtrarum haud ignarus machinationum pro rectitudine animi ſui, nunquam niſi verba ambigua, et bonam ſpem offerens, maluit iterati congreſſus promotor eſſe, quam iniquus pro vobis ſponſor.

Etiam ego te hic, vbi obiter tantum dicenda quaedam promiſeras, obiter etiam expedire poteram, ſi dicerem Regem noſtrum falſo a te accuſari violatarum induciarum, tam ob dictum titulum, quam quia Plenipotentias ad guſtum ſaliuae veſtrae non ſtatim miſerit, nec ad arbitrium et praeſcriptum veſtrum, ſolum in tractatu agere aut comparare voluerit. Res et ratio clara eſt, ex ipſa induciarum formula verbiſque, quae ſic habent: *Durantibus ac currentibus hiſce induciis agatur de pace perpetua, ita tamen, vt ſi tractatus pacis perpetuae, ſemel atque iterum non ſucceſſerint, firmae nihilominus et inuiolabiles maneant induciae, vſque ad exitum, pactis hiſce praefinitum.* Manent ergo pacta a Rege illaeſa et inuiolata, tametſi ſe cum dignitatis et honoris ſui gratuita iactura repente veſtris dictatis, lituris, correctionibus, reformationibuſque ſubiicere et ſubſternere recuſaſſet. Mirum vero et monſtroſum eſt, quod cum binae ad minimum partes in tractatibus aequaliter agere deberent, vos tamen Suecos ſolos vtraſque partes implere voluiſſe, nihilque admittere, niſi quod lima veſtra limatum, veſtra ſecuri edolatum eſſet, alteri pro ſuo commodo, et honore nihil indulgentes, nihil reliquum facientes: ipſo leone Aeſopico iniuſtiores, qui ferarum Rex, aliquid tamen praedae feris aliis relinquit. Deinde Suecia, et tu ipſe Cauſarie profiteris, cauſam vnicam tam diuturnae litis, et antea hoſtilitatis, ac belli inter Sueciam et Reges Poloniae fuiſſe: *Titulum Regni Sueciae.* Haec lis nonne belle finita eſſet, Sueciſque palma tota, et quidquid hucuſque verbis votiſque omnibus optauerant, vrſerantque, ac bello petierant, conceſſum videretur, ſi Rex Poloniae titulum ſuum haereditarium, gratis et ante omnem congreſſum vel tractatum, anteque omnem ſpem, atque ſpecimen pacis, deponeret, deleret, et Suecorum poteſtati atque arbitrio traderet? Sic enim Sueci toto ſuo deſiderio, voto, ac fine potirentur, nihil vero inde Regi Regnoque Poloniae commodi accederet, cum neque fiduciam, aut ſpeciem felicis, vel benignioris tractatus, ac ſucceſſus, vt promitterent vel annuerent Sueci, induci potuerint. Talis vero ſucceſſus ſeu euentus, non a caſu, fortuna, aut ab alia incerta alea, neque ab alieno arbitrio aut facultate pendebat, ſed in ſola Suecorum voluntate, ac ſince-

ritate

ritate ſitus erat. At in Pruſſia Vladislaum depoſuiſſe in Diplomate, ſeu Plenipotentia reformata, titulum Sueciae fortaſſis dices? Sic tamen non ius depoſuiſſe, neque ſucceſſori ſuo haereditario, atque eadem lege, qua ille, et nullo eius beneficio ad veram Regni Sueciae ſucceſſionem venienti, hoc facto ſuo neceſſitatem impoſuiſſe dicere potes? ſi dicere perges, maligne et falſo dixeris. Niſi forte fateri velis, quod Vladislaus, nonniſi praemio, et mercede receptae Pruſſiae, id fecerit, aut facturus eſſet. Nunc vero quid Sueci Ioanni Caſimiro praeſtare parati erant? nihil, inquies, qui ne beneuolam quidem vllam oſtentationem, vel indicium oſtentare voluere. Imo vero, ſi votis Suecorum altioribus, et cupiditatibus ſeſe prodentibus, vel ſecretioribus rumoribus credendum erat, Ioanni Caſimiro, Pruſſiae vel partem, vel littora, certoſque portus cum vectigalibus, aliaque plura, illos adimere velle, pluſquam rumor erat. I nunc, et dic, alias obſeruatum eſſe titulos fuiſſe depoſitos, ſcilicet hoc modo, his conditionibus, quales a Suecis Lubecae coquebantur. Et de his ſatis. 1656

In ſecundo Lubecenſi congreſſu, quia iure non potuiſti, iam non quereris de plenipotentia: ſcripta enim erat, licet non ſecundum obtruſam a vobis, per legatum Gallicum formulam, ſed ad normam Vladislauianae, ſeu reformatae, et quam vos prioribus in tractatibus voluiſtis habere. In ſigilli tantum amplitudine inſignia Regni Sueciae impreſſa, contra quam paci congruens, et teſtimoniis Zadzikii Cancellarii olim Regni Poloniae, Legatorum Angliae, atque Ordinum Belgii, ſatis ſuperque conſtabat, arguis.

Et cum per inſignia Regni Sueciae impreſſa hic intelligas, tres illas Coronas, quas Commiſſarii tui, linceis ſuis, et belli cauſas conquirentibus, oculis, nunquam hactenus, neque in ipſa nuper Vladislai, ſeu reformata Plenipotentia, ab aliis accuſatas inter Prouincialia Regni Poloniae inſignia, modo primum obſeruarunt; quaero tres iſtas Coronas, propria Sueciae inſignia eſſe, numquid non, vobis Suecis toties domi foriſque, ac poſtremo ſolenniter in Stetinenſi tranſactione, anno MDLXX. Dani palam negarunt, cum quibus ea de re tunc lis erat? Certe non negarunt ſolum, ſed denegarunt, imo palam euicerunt, et obtinuerunt, ne tres coronae, certa et propria inſignia Sueciae haberentur, idque teſtibus, ac veluti confirmantibus Caeſareae Maieſtatis, Regum Galliae et Poloniae, nec non Electoris Saxoniae legatis, ad tranſactionem illam vtrinque electis et aſſumptis. Nihil profecto contra haec tunc Suedici Legati, quamuis inſtructiſſimi, et fruſtra pro dictis Coronis obſtinatiſſimi, probare vel euincere potuere. Deinde Dani, iuxta Danica et Noruegica, aliaque ſua inſignia, tres coronas, annon hodiernum vſque in diem publice habent, geſtant, atque oſtentant? Neque vos in poſtremis illis Bronſebröenſibus tractatibus tres Coronas, tanquam veſtras repetiiſtis, aut Danis eripuiſtis, quamuis partem littoris Danici et Oeſeliam ademeritis? Nec alias in Dania vſquam magis, quam in Polonia illae tres Coronae, alicui certae prouinciae aſſignari vel applicari poſſunt, atque ita fruſtra hoc Polonis obiicies: Dani vero tum temporis Suecis etiam exprobrauerunt, et ex magno illo (ſi Diis placet) Suecorum Hiſtorico Olao oſtenderunt, vetus inſigne Sueciae non tres Coronas, ſed puellas neſcio quales fuiſſe. Quod autem congruens paci non fuerit eiuſmodi Coronarum in ſigillo Polonico exiſtentia, nullatenus probari poteſt. Nedum vero ex literis Zadzikii, ſeu atteſtationibus Anglici et foederati Belgii, Legatorum; quia iſtae (vt paulo ante dictum eſt) et ſi nudis atque ſimplicibus chartis credendum, ad nullum alium effectum, niſi ad euitandam corrupti ſigilli ſuſpicionem a Commiſſariis illius temporis obtentae

1656 et impetratae fuere. Si vero is vel alii legati (mirum enim est, quod non omnes) aliquod testimonium taliter compositum, vel conflatum, aut in vim inuiolabiliter obseruandae legis dederunt, vel dare potuerunt, idque authenticae et legitimae auctoritatis esset, quis tale aliquid vidit? aut vnde Regi vel Cancellariae nostrae constat; si apud vos Suecos solos haec mysteria clausa et abstrusa sunt? Et Commissariis Polonicis Lubecae, praeter simplices schedulas, monstrastis nihil. Sed quidquid sit de proprietate trium Coronarum, cum eae tamen aliorum, vtpote Coloniae Agrippinae, et Cracouiae Canonicorum Cathedralium Collegii insignia sint, cumque praeterea pars altera vulgarium insignium vestrorum, vnus aut geminus leo, inter Prouincialia Regni Poloniae insignia deprehensus non fuerit, poterat sane minus turbarum haec res conciuisse, praesertim cum antea a vobis vestrisque nihil horum in disceptationem tractum, sed tam in reformatae, quam priorum tractatuum Plenipotentiae sigillo, tres istae Coronae admissae et receptae fuerint.

Interea autem Polonis Commissariis multoties se offerentibus, quod si istae tantum Coronae ad tam operose institutos tractatus obstaculo essent, procuraturos sese apud Regem suum, vt deprimendi eas seu expungendi sibi ex sigillo potestas fieret (ita enim et cum titulo Suedico fecerant), ne vobis implorandarum iterum attestationum necessitatem adferrent. Cur vos, tam sinceri perquisitores pacis, non acceptastis hanc illorum submissionem? sed arrogantissime institistis, vt non tantum delerentur, vna cum titulo de sigillo, sed vt ne vestigium quidem in illo supereset cuiuspiam, et nouum omnino ac recens conficeretur. Quod hercle impossibile fuit, et consequenter vestrae de expectando et prolongando ad hoc tractatuum tempore exhibitio et promptitudo, elusoria magis quam sincera erat. Mutatio enim sigilli aegre absque Comitiis generalibus fieri poterat, et Rex bello Cosacico adstrictus, supra ducenta milliaria Germanica Lubeca distabat, in Russia; vbi nulla omnino, neque citius, neque tardius conficiendi, transferendi vero valde incerta media erant, nisi forte Lapponici vestri tabellarii, seu cursores adessent, vel talis faber, qualis erat is, qui nocte vna arma integra Achilli mirifice fabricauit; qua in re nemo fidem haberet Homero, nisi fabrum Deum finxisset. Porro dum iidem Commissarii, praefixum tractatibus bimestre artificiis vestris, modo per sigilli criminationem, modo per disquisitionem, de loco et ratione congressus eripi sibi animaduerterent, inuitarentque vos ad practicatum in Prussia tractandi modum: videlicet, vt quandoquidem de plenitudine et potestate ipsorum, nullum adesset dubium Plenipotentiae cum reliquis differentiis suis, apud mediatores deponerentur; cum assecuratione, quod bene ac prospere cedentibus tractatibus, tales vobis pro conclusione allaturi essent Plenipotentias, et tale sigillum, de quali in ipsa tractatuum serie inter vos conuenissetis. Sic, inquam, inuitantes vos, et suspensis praeliminarium vanitatibus, ad ipsum pacis negotium, vocantes Polonos, cur ad meditationes seu vexationes vestras Monasterienses conducere allaborastis potius, quam sequi exemplum, ad sopiendam luctuosam hanc controuersiam a vestrisnet Commissariis prudentissime inuentum, vsitatum, adhibitum, et tot exterorum legatorum auctoritate probatum? Forte quia Suecia, et patrius mos, vilioris momenti et exempli iam apud vos erat, postquam in Germania didiceratis peregrina sectari, et magni atque insolentes esse; et inflari coeperatis potentia ad nouas plenipotentias. Sed vtut est, quandoquidem vos ad domesticos et rectos mores, neque antecessorum exempla, neque aequitas et ratio, neque instantissimae mediatorum suasiones reuocare valuerunt, et tam publice, quam priuatim, nullum vnquam

quam iustae ac honestae pacis indicium edere voluistis; quid aliud Polonos de- 1656
cuit, quam huiusmodi contumaciae et arrogantiae vestrae se non substernere, sed causam suam iustissimam felicioribus committere temporibus, assecuratos vestram aduersus perfidiam sanctitate, fide, et religione pactorum, nec non confecto prioribus in tractatibus limitationis instrumento, quod isti, de quo agimus, congressui, binos menses statio erat, et illis infructuose praeterlapsis, liberum cuique, omni sine alterius partis offensa, siue violatione pactorum, discessum.

His non obstantibus tu concludis: Hac praeliminarium mora Suecos impeditos fuisse, quominus de violatione induciarum queri possent, et satisfactionem exposcere. Sed quoties repetendum et refricandum est, quod licet in tractatibus, pax concludi non posset, induciae tamen deberent esse inuiolabiles, si inuiolabiles, quod vobis Suecis querendi ius supererat? Nam si ad innocentiam satis est querela, quis post facinora omnia atrociora non innocens erit? Si itaque violatio nulla esse potuit, quamobrem satisfactio exposci poterat? An Suedicum mere est iniurias inferre aut fingere, et satisfactionem exigere? Pomeraniae legitimi haeredes, si liceret, merito queri possent, et Dani, et cui ius antea erat in Bremensem, aliosque Episcopatus ac ciuitates. Et sic interim tibi de his satisfactum esto, qui ne hoc quidem merebaris, apud quem *Nullus verbis pudor aut reuerentia.*

Post tractatus vero Lubecenses quid producis? quid astruis? Regem Poloniae per Canesilium indicasse, velle se legatos suos, Reique publicae ad Sueciae Regem ablegare, qui coram ipso tractatus de pace perpetua auspicarentur, huncque ad hoc quamuis non obligatum posthac ad reassumendos tractatus, cum semel atque iterum, frustra tentati fuissent, consensisse; ea tamen lege, vt Polonici legati propere accederent, qui tamen condicto tempore non accesserint, sed tantum internuntius quidam Morstenius etc. Multa hic simul iterum conturbas, Causarie, assuetus forte nonnisi turbida piscari aqua. Num vero obligatus Rex vester fuerit, nouos congressus admittere, ab humanitate Suedica non seuere requirimus. Nimis enim dura illa, et montibus suis similis, vel fugitiua est, quae adeo propere euanescit, vt mox patebit.

Et certum inprimis est, Regem Poloniae per Canesilium nunquam clare et expresse indicasse, velle se legatos suos, in ipsam vsque Sueciam ablegare, sed si Lubeca amplius non placeret, Francofurtum ad Oderam, vel Regiomontum, vel denique etiam Rigam, aut Stetinum. Rex autem vester quid? Stockolmiam propere accedere iussit: Haec vt subito, vt propere, vt valide tonuit! Certe satis pro imperio cum Regibus. Vnde vero illa properandi per mare in Sueciam facultas, iniquo aut dubio tempore, vel rebus interturbatis, erat? An tanquam in triuio prostant in Polonia legati? aut e figlino genere sunt, qui currente rota quolibet e luto effingi possint? Non habet tales Senatores seruos Polonia, quibus omnis nutus Regius pro obsequii necessitate sit, quomodo in Suecia aiunt, omnem sibilum Regium, ius Maiestatis, et imperii necessitatem habere. Quaerendi hic, eligendi, ambiendi, et si noui fuerint, instruendi sunt, quod sine dubio propere, et raptim fieri non potest. Neque enim illi priores statim ad manum erant, aut adesse tenebantur. Et iam prope coelum hyemare incipiebat, neque genio nostro, vel naturae Poloniae mare familiare est, vel idoneum admodum.

1656 Deinde non ideo missus est Morstenius, vt tanquam legatus in negotio principali, ius et auctoritatem tractandi statuendique de pace perpetua haberet, vel proponeret, sed vt pro legatis, qui non eadem celeritate procurari et aduenire poterant, de commoditate loci ad tractandam certitudinem aliquam et securitatem, a versatilibus consiliis artibusque Suedicis cognosceret et impetraret; ne despectui noua legatio obnoxia foret, prout postea quodammodo Regio legato contigit. Hoc itaque Morstenii factum, nihil alienum a moris publici humanitate afferebat, neque is tandem nisi per magnas molestias et pericula atque iactationes in Sueciam repere potuit, primo Rigam vsque circumiens, deinde tempestate, et quasi naufragus in Danica eiectus littora. Interim legatus solennis Illustrissimus D. Gorayski, Castellanus Kiiouiensis, paratus, instructusque erat, iamque comitatus, impedimenta, currus expediti, ornatique, cum in ipso valedicendi actu, heu! lethali impetu, subitae et incurabilis aegritudinis oppressus, extinctusque, non Regia tantum, et publica vota, ac legationis properandae promptitudinem, sed etiam viuendi facultatem destituit. Certe si homines estis Sueci, humanis casibus (sepositа interim dura et montosa illa indole) et tam miserabili fato, ignoscere possetis, cum hominem et legatum ad vos properantem mors propera nimis in loco fixisset. Posthaec vero, priusquam nuntius mali ad Regem vsque perueniret, antequam alius legatus, in tanta locorum distantia quaereretur, inueniretur, iterumque nouis literis, mandatoque ac sumptibus instrueretur. Annon mora opus erat? aut quomodo propere haec talia peragi, aut properari poterant? Quicquid tamen consilio curaque ac diligentia perfici poterat, curatum, factumque et perfectum lente est: Missusque pro ratione temporum alius legatus Illustrissimus D. Ioannes Comes de Leszno, Palatinus Lancicien-sis, cui post mare enauigatum, ad portum Sueciae Dalerensem appulso, statim succensuit hospitalitas vestra, quod nausea tarde discussa, primum triduo declinante, inter homines ignotos, et eo loco, vbi non omnia more cultiorum ac ciuiliorum regionum parari poterant, mississet sui aduentus indicium. Deinde illi ipsi iam Stockolmiae vestrae appropinquanti, non exscendere et euadere e naui, neque terram attingere fas esse voluistis, nisi e sentina literas fidei prius monstraret, seque legatum probaret. Quod tamen ab aliorum legatorum ciuilitate admoniti, humaniter scilicet, remisistis. Quomodo vero illic cum legato egeritis, quomodo is ad omnia, votis formulisque, et conditionibus vestris se frustra accommodauerit, nullamque iam moram, vel excusationem reliquam vobis fecerit ad pacem tractandam, omniaque effugia vel diffugia vestra facilitate simul sua ac Regia nudauerit ac discusserit, vobis, nil nisi bellum et pactorum violationem libere ac minaciter spirantibus, et illum hinc alio ac rursus trans mare ablegantibus, vbi tamen antea tractandi facultatem concedere, aut constituere noluistis. Haec inquam omnia, et si quae alia superbe frustrando illata ei sunt, quia frustra vobiscum nunc agitur, hic non exaggerabuntur.

Interim Morstenius ille quidam, prout a te appellatur, pene mihi excidit, postquam a vobis spretus et contemptus est: In eo literas fidei, non in capite, neque in essentialibus, sed in calce literarum reprehendis, et in iis accusas ea, quae nihil ad rem faciunt, siue in fine literarum ponantur, siue nusquam, in quibus tu tamen audaciam et auctoritatem iuris ponis, quod nisi impudentissimae suspicioni aut fictioni potius liceret. Sed quid tibi non licet, qui etiam literas fidei datas Morstenio a Rege Poloniae insimulas, illud praeiudicii inuoluentes, vt sub annis Regnorum suorum (cum vnum tantum, videlicet Poloniae habeat) ad calcem literarum annotatis, innueret, se esse Sueciae Regem, titulumque

que illum Sueciae, quem in fronte literarum Regi Sueciae ex pactorum praescripto tribuisset, esse frustraneum et inanem. Hic non puduit te iterum pactorum praescriptum appellare, quod toties nullum esse ostensum est. Fateris autem Regem Poloniae in fronte literarum, Regi vestro tribuisse titulum Sueciae, quod illic ipse nominatim clareque abstinuit. Frons autem literarum, an non is locus est, in quo Reges se suosque titulos profitentur, eosque expresse praemittunt, et cum dignitate exponunt, non vero in cauda; nisi forte apud vos cauda calxque pretiosior atque honoratior sit, quam caput et frons. Tarde certe et praepostere Regem Sueciae Ioannes Casimirus absque mentione Sueciae, et eo in loco, vbi nihil amplius nominabatur, innuere voluisset, (vt tu calumniaris) si post depositum; palam publiceque in fronte et capite titulum Regni, illum demum in calce, et veluti sub pedibus, tacite, sine nomine, sine indicio omni reseruasset. Verum tibi non lyncei tantum, sed etiam vulpini et crocodili sunt oculi, adeo astute vides, quae nemo alius videt. Nam et crocodilus non habet oculos ad lachrymandum, nisi vt decipiat et noceat. Neque tu tamen antice et postice Iane, in illo literarum veluti postico (condonabis verbo inopinato) aliquo modo innuis, simul cum Polonia aut iuxta illam in nomine suo Sueciam scriptam aut nominatam fuisse. At regnum Poloniae, inquis, vnum tantum habet Rex; si veteres titulos inspicis, non vnum semper fuit, et post Christianam disciplinam acceptam adhuc plura fuere, interque Reginas harum terrarum sanctiores, illa Haliciae Regina, hodie publica memoria et veneratione honoratur. Facile vero pro tua, aut sinceriori humanitate, agnoscere potuisses, non Regium consilium, stupidissimum illud compendium et figmentum, a te illic productum, potuisse esse. Scilicet ad pronunciandam frustraneam et inanem priorem illam, in fronte expressam, et professam contestationem depositi sigilli, fuisse postea suppositam vocem, non exprimentem quicquam clare et nominatim. Scribam autem, vel actuarium, non eximo omnino culpae aut socordiae, praesertim (vt hoc non diffitear) cum Cancellariae Polonicae scribas non semper eruditionis commendatio eligat, admittatque, sed mera plerumque characteris, vel pingendi qualiscunque industria, manusque specimen assumat. Neque Reges scribendo nomen suum illic, vel annos suos numerare, vel inspicere solent: Et nostrum aliquis, cum literas scribis describendas tradit, quando postea relegendo ad voculam illam *Datum* peruenimus, oculorum et correctionis diligentiam amplius non extendimus. Tam suspicacem autem et maleuolam tuam diligentiam, et fingendi industriam quis speraisset? nisi quod vbique nodum in scirpo quaeras, quem tamen nullum esse, ipse Iunceus Regiae apud vos Domus, fasciculus monstrare posset.

Sed et aliud quiddam te, in literis fidei, emissitiis tuis oculis, Arctoa e latebris vlula deprehendisse vlulas, simulans tamen, illud te omittere, et transire silentio. Nesciuissemus te esse tam Rhetorculum, nisi figuram rhetoricam, ab ipsis Atticis Athenis, vbi noctuarum est patria celebris, tu Borealis noctis incola, tam belle asciuisses, vt quod maxime dictum expressumque acclamatum velles, silentio te transire nugareris. Sed neque ego tibi transitorio homini, nisi per transennam aliquid regeram, qui solam vocem et caeterationem, iterum atque iterum a Latinis Regis literis exigis, cuius vnius omissionem, derogare paritati Regum, transeundo tantum insimulas. Sed mane sane. Nam hoc quoque neque consilio, neque studio factum; satis vobis constabat, quod cum scribae simplicitati aut vitio omissio fortuita assignari potuerit, vltro aliae, et quales Suecia voluit, literae transmissae fuerint; Latine certe confectae, et tam clare ab

1656 eo, qui cum Regna, Ducatus, Prouincias, et haec atque illa omnia, ſimulque et caetera ſcribi feciſſet aut conceſſiſſet, ſatis vniuerſa ac ſingula pariter conceſſiſſe credi potuerit. Vis tu hoc, clariſſimo et proximo in exemplo? Si quis te oratorem, cauſidicum, hiſtoricum probum, et caetera improbum diceret? an non omnia improbitatis elogia tibi attribuerit? aut quidpiam poſtea probitatis tibi relictum putas? etiamſi tu excetra lernaea, et ceto Atlantico, vel balena Britannica maior, te intus et intime exenterares. Quanto modeſtius grauiuſque Angliae ſemper et hodie Galliae Reges, cum titulis ſuis agunt, qui nullam caeterationem quaerunt, vel vſurpant ipſi, aut ab aliis exigunt, etiamſi plures Principatus in Regnis ſuis numerare queant, et nobiliores quam Suecia, ſed tu nimis *vis Archetypas habere nugas.* Iamque ego te, neſcio quo, cum tuo ſilentio tranſiiſſe putabam, cum tu praecipiti anhelitu regreſſus, praecipuum quoddam, ſed nouo horrore terrificum, incertum quo ex mari productarum te minaris, verebar ne illa eſſet, quae Heſionem [92]) deuoratura quondam viſa eſt

repens conſurgere ponto
Bellua monſtrum ingens, quam tu nec montibus vllis
Nec noſtro metiri

poſſes mari. Hercule hic forte opus eſt, vt olim contra illam. Magna certe monſtra fuiſſe neceſſe eſt, quorum dentibus, plus quam elephantinis iugulum ais Sueciae, Regem Poloniae petiiſſe. Et quaenam illa? Peregrinas, inquis, claſſes in mare Balthicum Rex Poloniae inducere eſt conatus; foederaque cum variis Principibus, ac populis, qui dictum mare accolunt ac frequentant inire, ſolo Sueciae Rege excluſo; et ne caeci non viderent, adieciſti, luce meridiana clarius eſſe, dictas claſſes aduerſus Suecos fuiſſe deſtinatas. Quodſi meridianam hic lucem, illam viciniae veſtrae aut Lapponiae intelligis, feſtiue tibi credimus, vbi hyems et nebula perpetua

Inuoluens vmbra magnà terramque polumque
Semper, et obtenta denſantur nocte tenebrae.

Cur vero nullus Rex aut populus in tanta luce nominatim et ſpecifice oſtendi poteſt? Nullus locus aut tempus certum exprimi? Non ita pridem hoc factum ais. At tu iam pridem mentiris, praeſertim cum nihil nominas. Qui deinde illi varii ſunt Principes, et populi mare Balthicum accolentes? qui claſſes habent, vt ad nutum Polonorum contra Sueciam mittere poſſint? Vnus Regum, Daniae Rex, eius maris eſt accola. An ille ipſe Mycenaeus magnorum Ductor Achiuum [93]), mille nauium claſſem, tanquam ad Troiam expugnandam ſollicitatus eſt? Si ita eſt, illo viuo dic eundem ſollicitatum eſſe, vt tibi teſtis adeſſe poſſit. Qui vero alii ſunt, qui quidem Balthicum non accolunt, ſed frequentant, Britannos vix credo te intelligere; cauſam melius noſti, quam vt audeas fateri. Ordines forte foederati Belgii aptiores ſunt, et paratiores. Sed quaeſo te, qua ſpe, aut quibus ſumptibus, hoc cogitare aut ſuſcipere Rex Poloniae iſto tempore potuit?

92) HESIONE, Laomedontis Troiae Regis filia, quam Hercules ceto expoſitam liberauit.

93) MYCENAEVS *Ductor Achiuum*, eſt Agamemnon Imperator Graecorum. Nam MYCENAE, vrbs Peloponneſi, in Argolide, regia fuit Agamemnonis, Mycenarum Regis, exercituum Graecorum ad Troiam imperatoris, Menelai fratris, Clytemneſtrae mariti, Iphigeniae patris, vnde MYCENIS, pro Iphigenia Mycenaea, et Agamemnoniae Mycenae apud Virg. Aen. 6, 838. *Achiuum* autem, ſeu Achiuorum, vel Achaiorum idem eſt, ac ſi diceres Graecorum. Achaia enim Graecia propria eſt, inter Theſſaliam et Peloponneſum intercepta.

potuit? Aiunt quidem tempore tractatuum Lubecenſium, aut circiter, rumo- 1656
rem quendam inceſſiſſe; ſed nullo Rege, nullo ordine auctore; E re forte negotiationis magnae ac fructuoſae eſſe potuiſſet, ſi Polonica ſocietas adiungi poſſet maritimae cuidam ſocietati. Sed vnde Polonis aliqua in mare fiducia, aut vires? Nec tamen hic rumor aut inane votum, ad publicae vel Regiae auctoritatis notitiam, ſeu conſenſum vnquam peruenit. Sin aliter ſe res habet, dic per legatos, vel per literas, vel per indicia, Regem vllos ſollicitaſſe, ne ſemper fingere videaris. Si vero ſocietatem aliquam foris Rex quaeſiuiſſet, vel oblatam admiſiſſet, an a more hoc aliorum Regum alienum, aut omnino illicitum erat? Aut vos Sueci ſoli homines eſtis, quibuſcum ſocietas iniri debeat, aut poſſit? vel contra quos foedera ſanciri queant. Nimium eſtis, ſi nullus alius Rex aut populus, praeter veſtrum eſt: An nuſquam mundus, amicitia et genus humanum, niſi in Suecia viget et latet? Aut ſi Rex Poloniae aliquem amicum Regem habere vellet, ideo ſubito contra vos amicitia illa, per inſidias aut cuniculos, vel aperta pacta ſtrueretur? Vos in Britannia forte ſocietatem iniiſtis, nunquam in veſtra conſilia aut facta inquiſiuit Polonia. In Luſitania ſimul atque Rex nouus erupit, veſtra legatio occaſioni abblandita eſt, Suedicaeque amicitiae blandimenta attulit. Nec illic quidem ſiniſtri aliquid, ſuſpicata eſt aut queſta Polonia. Et heu, quid non in Gallia perfeciſtis aut tentaſtis? vt de Moſchis interim taceam ea, quae ſe ipſa produnt, et orbi iam manifeſta ſunt vniuerſo. Quid Benedictus Scythius Senator et legatus Suedicus in aula Turcica ſollicitauerit, quis dubitare poteſt? Solis ergo Suecis trans maria terraſque omnes Regum ſollicitare potentias vel ſocietates licet? Solis Polonis interdictum eſt, vel vnum amicum, aut nonniſi ad arbitrium veſtrum aſciſcere, vel admittere inuitantem? alias diffidentiam, vel hoſtilitatem vocatis. At ſolum Sueciae Regem a Polonis ſic excludi moleſte fers, aut minime ferendum putas. Et vos vbinam vſquam Regem Poloniae in ſocietatibus tot veſtris incluſiſtis? In pace quidem Germaniae id feciſtis, ſed vt turpius per iniuriam excluderetis, bellum ſic quoque inferentes, contra fidem publicam, nam veſtram vbi appellem?

Poſt haec de maris Balthici et commerciorum turbatione a Polonis quaeſita, pudet tecum litigare: Nam Suecorum hoc proprium eſt, et peculiare, prout nonſolum Caroli et Guſtaui tempore, luce meridiana propiori conſtitit, et nuper emicuit in portu Gedanenſi; vbi Vrangelius, et alii cum claſſe Suedica, vectigalibus exigendis, et ſic libero commercio turbando inſidiabatur, ſolum ita per literas, a nobis interceptas, iuſſus a Rege veſtro rem moderari, vt ſi Danus et Bataui, pro libertate nauigationis, vim opponere vellent, Vrangelius exactione abſtineret, ſi modo nil dum tale aggreſſus fuiſſet; ſin iam ad factum ipſum proceſſiſſet, pergeret porro et non deſiſteret. An vero tutela maris Balthici Suecis peculiaris ſit, credo nondum cum Rege Daniae deciſum eſſe, qui non fruſtra ſibi vectigal in freto Orenſi conſtitutum, et conſenſu gentium approbatum aſſeuerat, atque defendit.

Et hucuſque cauſas omnes enumerando, virus tuum araneole Suedice, euomuiſti; quae cum ſic nil, niſi tela araneolae fuerint, eas muſcae cuiuslibet ſclopus poſthac facile difflauerit. Ita tamen tu pro te, proque tuo Rege; pro Polonis vero obiectionem vnam, alteramque, vel etiam tertiam inuitus quidem affers, ſed et inuita Minerua mox impugnare et euertere conaris.

1656 Prima eſt, qualem ipſe informas et mox deformas. Quod Poloni controuerſias exortas, per Commiſſarios in Liuonia, non per arma, decidi debuiſſe opponant. Merito id quidem, quando ita et non aliter eſt, ſtatutum ac praeſcriptum et licitum eſſe ex pactis conſtat. Contra hoc tamen ſic reponi poſſe ais. Interim ſatis molliter hoc poſſe dixiſti: nam ſolide reponi poſſe, dicere non potuiſti. Quid tamen robuſtiſſime Gigas, per potentiam tuam potentiſſimam, e calumniarum repoſitorio reponis, qui hucuſque nihil validi, nihil firmi poſuiſti? Per Commiſſarios, inquis, in Liuonia nihilo plus obtineri potuiſſe, quam per binos Lubecae ſolennes conuentus, nec ſpem fuiſſe deciſionis controuerſiarum, per Commiſſarios, quando Lubecenſi bino congreſſu, ne praeliminaria quidem pertractari potuerint. Haeccine contra ſacrum et inuiolabile pactorum repoſitorium, ſuppoſititie prome conde, reponis? ſicque pacta eludis, quae vnicum hunc modum Regibus Regniſque ſeruandum, expreſſis verbis et legibus aſſignarunt, indixerunt. Indixiſſe certe negare non potes, ſeruandum ergo hoc erat, non mutandum, non reiiciendum, niſi ſimul pacta reiicerentur: Et non ſeruando vos Sueci ſoli infregiſtis, ſoli violaſtis pacta. Commiſſionum enim illa nonſolum natura, ſed et neceſſitas erat, vt tractatum et belli facultatem praecederent, quo igitur iure a bello incepiſtis, commiſſionibus non habitis, et induciis durantibus? Extrema primo nemo tentauit loco, niſi extreme perditus aut inhumanus.

Prius in commiſſionibus de violatione pactorum agi iuſſere pacta, factum a vobis non eſt, non permiſere ante ad arma deſcendi, factum id tamen a vobis eſt. Male itaque imo maligne a tractatibus ad commiſſiones ratiocinaris Cauſarie. Nam in his nullam de pace perpetua tractandi facultatem, aut neceſſitatem poſuere pacta, et ſic non par moles aut difficultas fuiſſet; fruſtra ergo argutaris. Nec praeliminaria quidem moram, vel obicem vllum oppoſuiſſent, atque ita facilius res tranſigi potuiſſet, quam illic, et non alibi; multo minus in acie et bello agi et peragi de pactis violatis debuiſſe, clare pacta iuſſere. Suedica ergo haec fraus, aut tergiuerſatio, non Regis Poloniae erat, cui tu toties falſa imputando, moras, ludificationes, fucos fucoſiſſima fronte aſſignas.

Secundam obiectionem, quia clariſſimam et validiſſimam inueniſti, nouae lubricitatis aſtu et fallacia anguilla Suedica, ſeu Amphiſibaena exotica eludere tentaſti. Licet enim ſemel iterumque tractatus pacis non ſucceſſiſſent, firmae tamen et inuiolabiles induciae vſque ad tempus pactis praefinitum debent manere. Haec verba ſunt pactorum, et talia ipſe clare expreſſeque producis, quia aliter non licuit. Tu quid ad hoc? Rex, inquis, meus nihil in his pactis praeſidii habuit, ideo ad arma decurrere debuit. Imo currere aut decurrere non debuit, quia pacta vetant. Firmus itaque atque immobilis, et pactorum obſeruans manere, et tempus praefixum expectare obligatus erat, nec aliud ei praeſidium interim, vel ante illud tempus neceſſario praefixum permittebant; quia vnice cauebant, et prohibebant, ne prius ad arma decurreretur. Ita non aliter pactorum auctoritate vti potuit, quam illa permittebant; niſi ſi iam ſpernebant auctoritatem, quae non concedebat illi vndecunque, nedum pactis violatis, praeſidium aliud arripere.

Et iam hic deprehenſus tenebaris, vt tamen erumperes, omnia ſimul rupta effingis. An forte aliqua Principalis Arx Sueciae procumbit ſubito et coelum tonat omne fragore. Cum ſcilicet priores pacta violarent Poloni, quo nunc figmen-

figmento effugere, et elabi tentaſti? Contractuum et pactorum rationem hanc 1656
eſſe, ais, vt cum mutua ſtent obligatione, vbi ab altera partium violata ſunt; altera partium ſe non teneri vlterius pactis putet. Putet tantum? poteras firmiori verbo vti, ſi quid firmi habuiſſes. Putet certe ratio, quae nihil purum putumque habet, et tota cauſarum enumeratio apud puros ſinceroſque iudices, quid niſi

- - - *Tanti eſt, quanti eſt fungus putidus?*

Cum vero toties Polonos, ſeu Regem Poloniae violaſſe pacta inſimulas, interimque ne ſemel quidem, aut vnum aliquod euidenter ac ſolide probaueris, quid te niſi toties mentitum conſtet? Actore autem nihil probante, quid iura ſtatuant ignorare non poteras, aut non debebas. Pro probatis ergo, quomodo a probis recipienda ſunt? Et quoniam per ſingulas cauſas, ne quid omitteretur, tecum itum eſt, et ſigillatim omnis accuſatio tua circa pactorum violatorum figmenta, in nominibus ac particulis ſuis, euentilata et diſcuſſa eſt, Aeolum hic et ventos alios ad eam difflandam non opus eſt euocare.

Tertiam Polonorum obiectionem ſic leuiſſime producis, vt tanto leuius euadas. Praedicta verba ſemel iterumque non pro binis vicibus accipi debere, ſed pro pluries repetitis, eoque ad tractatus, non ad arma, deſcendi oportere. Sed quid refert, an pro binis an pro pluribus vicibus intelligi debeant voces illae, ſemel iterumque? Nam tametſi non binis tantum, ſed etiam decies non ſucceſſiſſent, pacta nihilominus decreuere, ad arma deſcendi non oportere. Si non ad arma, quid niſi, vel ad tractatus renouandos deſcendi debuiſſe? Vel certe quieſcendum ab armis, vſque ad praefinitum tempus, tenor pactorum decernit? Si prius illud negaueris, hoc poſterius certe niſi furia furioſior ſis, negare non poteris. Tu tamen, qui tantum numerare male ſcis, poſtquam voculas *ſemel iterumque* pro binis licitis vicibus accipis, addis, pluries quam bis conuenire, contra ſenſum pactorum eſſe. Ita cum male ipſe ſentias, paruam hanc ſenſus tui ſentinam, aliis quoque offundere conaris, qui tamen id, quod expreſſe vetitum eſſe non probas, pro expreſſo ponere non debuiſſes. Dictum vero tuum ſic tueris. Ideo plus quam binum congreſſum, contra ſenſum pactorum eſſe, vt neceſſitas partibus imponeretur abſoluendi negotii, ne irritus et repetitus ſaepius congreſſus mentes exacerbaret, et pariter omnium gentium ludibrio exponeret, maximarumque impenſarum cauſa eſſet. De ludibrio piget aliquid mouere, cum florentiſſimae et potentiſſimae gentes ſaepiſſime congreſſus repetierint. Sed nec vlla tam ſplendida aut ſumptuoſa eſt natio, quae non celeriter finiri tractatus et controuerſias optaſſet. Neque tamen verum eſt, pacta neceſſitatem non pluries quam bis congrediendi, ſimpliciter et inuiolabiliter praefixiſſe, aut non permiſiſſe renouari tractatus, prout ſuperius demonſtratum eſt, et ratio clara dictat. Quia licet ſemel iterumque non conueniſſet, inuiolabiles tamen debeant ab eo tempore, vſque ad vltimum definitum tempus permanere induciae. Haec ſola vnicaque, et ineuitabilis eſt neceſſitas, quam pacta decreuere.

Poſthaec leoninae pelli belle vulpinam particulam aſſuis, et lectori blandiendo, Regis tui vbique nunc cruenti, ſtudium ad pacem perpetuam commendas. Cum nempe, poſt illa omnia quaeque in tractatum amicitiae perpetuae conſenſiſſe, ea conditione tamen, vt legati Polonici pro ſpe, a Caneſilio facta, nulla interpoſita mora propere aduenirent. Sed de hac propera properatione, iam tibi ſuo loco propere et proprie reſponſum eſt.

1656 Post omnia vero quaenam tandem tibi *magna malae supereſt audacia cauſae?* Orbi, inquis, Chriſtiano, ex his omnibus liquido conſtat, quam iuſtum Regis Sueciae contra Polonos bellum ſit et quam neceſſarium. Verum enim vero et hanc liquiditatem antea iam diſcuſſimus, quae nil niſi nebula, aut fucus, aut mucus fuit. Et ſi ex illis iuſtum Regi tuo conflatum fuiſſe bellum oſtendere potuiſſes, non ad furorem ſtatim ab initio confugiſſes, quem illi pro clypeo induiſti. Neceſſarium autem Regi tuo fuiſſe hoc bellum ad anteuertendas perniciosas Regis Poloniae machinationes adſtruis: ſi illas machinationes intelligis, quas hactenus enumeraſti, cum eas mera figmenta et calumnias eſſe ſigillatim oſtenſum ſit, nouam hic refutationem non merebuntur. De alia neceſſitate Regis tui aut militis ſui non libet ex rumorum vel claritate, vel ambiguitate quicquam vobis exprobrare. Scilicet, an neceſſe fuerit, militem Suedicum inquietum, ſtipendiorum egenum, alio ad praedam et ſpolia effundere, cui quaſi alendo ac ſuſtinendo, nec Suecia, nec Pomerania, et quidquid praeterea habetis, par erat. An vero id in Poloniam licuerit, ſatis pacta demonſtrant, quae bellum omne, ante finem induciarum prohibent. Sin talis neceſſitas domeſticae indigentiae, iuſtitiam belli alicui affert, quilibet praedo, latroque, aurum, argentum, et alia praeterea bona aliis diripiens, neceſſitate ſe iuſtum atque innocentem fecerit; ſi itaque haec, tua etiam excuſatio eſt, quam orbi Chriſtiano obtrudis, quis miretur neceſſitatem hanc pure mereque Suedicam eſſe? Finnis quidem, Sueco-rum vicinis, Tacitus miram feritatem, foedam paupertatem aſſignat. Quota pars exercitus Suedici ſint hodie Finni non refert, cum ſub vnum imperium, et veluti vnam in gentem, geniumque cum Suecis coierint, moreſque et indolem iunxerint. Tanta certe cum feritate et foeditate paupertatis in Poloniae viſcera irruere, vt fidem nimium fecerint, vtriuſque nil ſacri, nil profani, inuiolatum integrumque relinquentes. Et hi tales, non modo e rupibus, ſcopuliſque ſuis ferociter prorumpunt, ſed etiam e genuina Gothorum conſanguinitate, non nouos fungos ſe prodiiſſe gloriantur. Et quis tam praeclaras, vel obſoletas neceſſitudines illis magnopere inuideat? praeſertim ſi Gothi nil aliud fuere, quam orbis terrarum praedones, et nullius Regni aut Prouinciae iuſti occupatores, ideoque nec meliorem, quam meruere, poſtremo adepti exitum. Enimuero pars eorum celeberrima Oſtrogothi, in vero cognomine ſolam circumferentes aſperitatem, hoc enim *Oſtro* non vero *Orientem* ſignificat [94]) ſic Italiam inuaſere, vt poſtea a Longobardis ſubacti oppreſſique interciderint. Pars altera violentae claritudinis, ſub Viſigothorum apud veteres omnes ſcriptores, non autem ſub - - - - Veſtro-Gothorum appellatione (vt nunc Suecia nugatur) aliquoties in Gallia ac Hiſpania caeſi, tandem a Mauris, ne quid ignominiae deeſſet, obruti, extinctique nuſquam illic priſci vocabuli veſtigium poſt ſe reliquere. Et tamen ab his laruis hodie nobilitatis cognatae gloria a Suecis captatur, cum nulla niſi feritatis ſuperſit. Gothos autem tam facile e Suecia, quam Suecos ex equo Troiano exiiſſe credideris. An vero ex arca Noe in maioribus ſuis Sueci prodierint, cum antipodibus aliqui dubitant, neque e bipedalibus Olai magni in Suecia pyramidibus conſtat; niſi forte ſub luporum forma, pelleque cum Cynocaephalis inde erupere: Vnde nunc Lycanthropi iſti, plus quam lupino more et ferocia paſſim omnia lacerant, lancinant, cruentant, vaſtant, diripiunt. Sed dabit Deus his

94) Inſipida certe haec auctoris Oſtrogothorum eſt explicatio, qui omnino nugatur. OSTRO ſignificat in lingua Polona, acute, acerbe, aſpere, forte in alia lingua peregrina aliud quid ſignificat. Quia igitur OSTRO in lingua Polona aſperum quid ſignificat, ideo in Suedica orientem ſignificare non poteſt. Eiuſmodi nugae et alluſiones in reſponſione ad belli cauſas omnino abeſſe debent, quibus ſuſpicionem magis apud prudentes moueamus, quam plebi perſuadeamus.

his quoque finem, aut laqueum, aut quodcunque aliud compendioſius, quale 1656
belluae furioſae merentur [95]).

Reſtat poſtremum impudentiae Suedicae ſpecimen, in quod tota cauſarum enumeratio, plus quam Niliaca aut Iſtrica vaſtitate exoneratur; quo nihil impudentius, niſi a Sueco, concipi potuit. Nam te Regemque tuum confidere ais, has rationes, nonſolum omnibus iis, qui haec inſpicient, ſed etiam Reipublicae Polonae ſubditis, harum machinationum ignaris, probari poſſe. Te quidem, confidentiae Regiae columen, gnauiter impudentem neceſſe eſt, qui ſubditos Regis Poloniae, tuo, quam proprio Regi, maiorem fidem habituros, non modo ipſe putes, ſperes, confidas, verum etiam orbi Chriſtiano perſuadere id audeas. Externo illos ſcilicet Principi et hoſti, poſt bellum etiam, et grauiſſima damna cladeſque illatas potius, quam domeſticae auctoritati manſuete regnanti, etiam diu ſeſe clementia hactenus approbanti, credere velles? Interim blandule palpum obtrudens addis et agnoſcis: partem ſubditorum Polonorum harum machinationum ignaram eſſe. Innoxii ergo illi ſunt, nec hoſtilitatem meriti, quia ignari, cum tamen omnes citra diſcrimen a Rege tuo oppugnentur, affligantur, opprimantur. Sed quas tu tamen machinationes intelligis? Nam eas quas tu hucuſque e perpetuae calumniae machina eduxiſti, iam contrariis machinis, prout quaeque a Te vmbratili et laruato Archimede eductae fuerunt, ſuperius eliſae, proſtrataeque ſunt. Quis autem illarum machinationum ignarus non ſit, quas nec homo, nec ſol, nec Deus ipſe videt, aut vidit vnquam? Quanto iuſtius Rex Poloniae, poſt bellum, ante omnem legitimam denunciationem, illatum, et quidem durantibus induciis, ac pactis inſuper Germaniae comprehenſis, conſcientiam ac cenſuram orbis Chriſtiani, ac proximae ſincerae ſemper, et candidae Germaniae, appellare, aduocare, et inuocare poſſet?

An vero ad Caeſaream quoque Maieſtatem haec pertineat iniuria, auguſtiori iudicio vltro ſubmiſſum, et commendatum fore ſperamus; ita vt iam opus non ſit, in memoriam reducere duas priores cauſas, ob quas Suecus bellum Polonis ſeſe inferre profitetur, a Caeſarea Maieſtate profectas. Vna fuit a Botthio, qui cum milite et diuerſionis bellicae ſpe atque fiducia, a Caeſare in Liuoniam directus, miſſuſque fuerat; Altera non minore impetu cum Crocouio Caeſariano itidem Ductore venit, quem per Poloniam in Pomeraniam, Suecorum tum temporis Prouinciam vaſtandam, permittentibus aut non prohibentibus Polonis, tranſiiſſe et rediiſſe Suecia queſta eſt. Prout hoc in fronte ſtatim praeſentis manifeſti infert, et exaggerat; nomine tantum et auſpiciis, imperiiſque ac iuſſibus Caeſaris, Suedica calliditate reticendo. Eius ſilentii cauſa nunc non repetetur, quae tamen ſe facile prodet, expectentur ſaltem ſucceſſus et furor belli Suedici. Quod ſi tamen ob talia aliud ſperare, ſeque aliud mereri a Caeſare putaret Polonia, quis ſpei et ſimplicitati eius ſuccenſere merito poſſit?

Aliorum Principum Regumque animos ac iudicia ſcrutari difficile eſt, compellare forte tardum, praeſertim ſi in praeoccupatos incidat. Suum cuique arbitrium et cenſura ex re aut prudentia, vel aliis cauſis eſſe poteſt, eſtoque. Cauſas enim omnes quis omnino queat, vel audeat deprehendere aut nominare? Si quem tamen metus, terror, vis, auertit, ſi quem minorum gentium, ſua leuitas, vel ſimilitudo aliqua, ſpeſue nouae mutauere, aut corrupere, nihil a

 ſaeculi,

95) Iam nil habeo hic quod moneam. Vnuſquiſque neutrius partis videt auctorem animi commotionibus excaecatum male hic ſcripſiſſe.

1656 saeculi, indolisue, aut moris sui expectatione alienum fecere. An vero aliqua etiam Aula auro, (quod tamen in Suecia nasci negant) Suedico corrupta fuerit, illi soli sciunt, aut credunt, qui illic insuper pretiosis Moschorum pellibus, adeo emollitos et suffultos aliquos viderunt, aut vidisse se putant, vt humanissimo fauore barbaram perfidiam, prae Polonorum innocentia commendatam atque approbatam, habeant, praedicent, tueantur. Alii nunc successibus et euentui, pessimo ac perfidissimo auctori, passim forte accedunt; Et fortuna plerumque pro iustitia est; Qualia passim olim et nuper exempla, per Regna Insulasque, nec semper incruenta incedunt, neque illaudata.

Suecis vero post omnes causas, conatus, spesque, quid nisi occasio placuit electaque est? Cum Rex ipse Sueciae legato Polonico, Stockolmia abituro, non dubitauerit gloriose profiteri: Postquam Tartari, Cosaci et Moschi, plurima in Polonia diriperent, se quoque partem aliquam rapturum. Cum ergo id palam, animo votoque toto, Rex Sueciae destinauerit, in hoc quoque viribus ac successibus omnibus eum incubuisse iam obscurum non est. Potuisses sane in principio, mitiori prouerbio vti, videlicet, occasio facit furem, nisi pluribus syllabis maiorem, nempe furiosum, Caesarie fecisses. Occasio certe nefas totum validius impulit, impleuit, et perfecit; dum Russia, Poloniae pars magna a Tartaris vexata, a Cosacis oppressa, Lituaniae vero Ducatus magnus cum annexis Prouinciis, a Moscho contra fidem, pactaque publica perfide occupatus, Regisque nostri vires, per scelus alienum, aut nouas calamitates, vbique debilitatae essent. Sed vile fortassis et infame est prouerbium, quod furem Regem ex qualicunque etiam occasione faceret. Nec satis Rege dignum, quod patientia laesa, statim faciat furiosum. Regium ergo et Carolo Gustauo dignum est, et quod nonnisi a Regibus vsurpari meritum fuit.

Si violandum est ius, regni causa violandum est.

Haec summa Responsi Polonorum aduersus Suecorum calumnias. Sequitur

Comminatio grauis super Ciuitates et Regnum Sueciae, ex reuelatione S. Brigittae [96]).

CAPVT LXXVII.

Prophetia S. Brigittae de Regno et Ciuibus Sueciae.

Filius Dei loquitur. Arabo terram illam in iudicio et tribulatione, donec habitantes addiscant petere misericordiam Dei, de quinque Regibus trium regnorum, similibus brutis, et quod sextus Rex eleuatus deiicietur.

CAPVT LXXVIII.

Filius Dei loquitur. Ostendo tibi prius quinque Reges et Regna eorum.

Primus coronatus Asinus, qui degenerans a Principibus bonis, maculam posuit in gloriam suam.

Secundus Lupus insatiabilis, qui non cognouit improuisum casum suum. Tertius

96) Meum non est, in sic dictas reuelationes Sanctorum inquirere. Hoc vnicum sufficit, hanc diuino spiritu adflatam, vt perhibetur, vaticinationem, sextum inprimis quod attinet Regem, euentu non fuisse expletam, historia teste.

Tertius Aquila sublimis caeteros contemnens. 1656

Quartus Aries ventilans et conterens et proiiciens ex Iustitia Dei.

Quintus Agnus occisus, sed non sine macula, cuius sanguis multis fuit occasio tribulationis et ruinae.

De sexto tibi ostendo, qui turbabit terram et mare, et simplices contristabit: qui terram Sanctorum meorum exhonorabit, et qui sanguinem innocentem effundet, qui tempus vindictae meae posuit in audacia manuum suarum. Ideo nisi celeriter attenderit, appropinquabunt ei iudicia mea, et relinquet Regnum in tribulatione, et fiet sicut scriptum. Voluptatem et ventum seminant, et tribulationem et dolorem metent. Nec solum visitabo super Regnum istud, sed super Ciuitates opulentas et magnas: Nam suscitabo famelicum, qui desiderabilia eorum deuorabit. Intestina mala non deficient, et discordiae abundabunt. Stulti dominabuntur, et senes et sapientes non leuabunt caput. Honor et veritas prosternentur, donec veniat qui placabit iram meam, et qui animae suae non parcet, pro aequitatis charitate.

Item ex Capite LXXVIII. Reuelationum S. Brigittae.

1. Filius Dei loquitur. Ostendo tibi prius quinque Reges et eorum Regna. Primus coronatus Asinus, qui degenerans a Principibus bonis, maculam posuit in gloriam suam.

Gustauus Erici Filius, Asinus ob socordiam: quod neglecto vero Dei cultu, in falsum declinauit. Antiquata enim maiorum Apostolica Religione, Augustanam induxit Regno Confessionem, per positam in gloria maculam. Alludit ad Ecclesiast. 47. vbi Salomon dicitur maculasse gloriam suam susceptа idololatria, vt communiter auctores.

2. Secundus Lupus insatiabilis, qui non cognouit improuisum casum suum.

Ericus Gustaui Filius, Lupus, ob insatiabilem auaritiam, quod omnium, ac Ioannis inprimis Fratris, in se odia concitauerit. Ioannem primo, ob suspicionem factae cum Polono et Dano conspirationis, bello afflixit, et captum cum vxore, quadriennali carcere detinuit. Deinde Ioannes custodia liberatus, Ericum bello appetiit, Regno exuit, ac perpetuo mancipauit carceri. Ecce casus improuisus!

3. Tertius Aquila sublimis caeteros contemnens.

Ioannes Erici Frater, merito Aquila sublimis, triplici bello clarus: interfecto de fratre triumphans, et magno omnium procerum applausu Rex salutatus: Iterum Danico et Moschouitico felix. Demum fortuna Sigismundi Filii recens in Regem Poloniae electi, glorioſus.

4. Quartus Aries ventilans et

Carolus Sudermaniae Dux, Gustaui Filius, Ioannis Frater Germanus, Aries. Ducunt Arietes gregem, is Ducem se praestitit Suecis ad omnes eas conspirationes, quae erant ad exturbandum Regno Sigismundum Ioannis Filium. Videtur S. Brigitta applicare huc velle

1656 conterens, et proficiens in Iuſtitia Dei. illud Danielis VIII. vidi arietem cornibus ventilantem. Eas machinationes Caroli contra Sigiſmundum, forte ideo Iuſtitiae Dei, quaſi in poenam permittentis attribuit, quod Sigiſmundus primus, in regnum Sueciae ſuccedens, incautius praeſtiterit iuramentum, in fauorem Auguſtanae Confeſſionis. Si illud vere, germaneque refert HENRICVS SOTERVS in ſua Suecia 1633. impreſſa Lugduni Batauorum.

5.
Quintus Agnus occiſus, ſed non ſine macula, cuius ſanguis fuit multis occaſio tribulationis et ruinae.

Guſtauus Adolphus, Agnus occiſus, quaſi victima in vtilitatem ſuorum et Regni, ſed qui prius bello Germanico contraxerat maculas. Et ne putetur comparationem habere cum Filio Dei, qui Agnus eſt, ſine macula occiſus, ab origine mundi. Quae ruinae, clades, tribulationeſque eius mortem conſecutae ſunt, ſenſimus omnes.

Nota I) hos inter Reges quinque, non dici quicquam aduerſum Sigiſmundum Ioannis Filium, proinde haereditarium Succeſſorem; Primo, quod Dei Filius S. Brigittae oſtenderit duntaxat Reges ſimiles brutis, qui conculcauerunt vineam eius, hoc eſt praetextu Auguſtanae Confeſſionis, Catholicam auitamque Religionem, peſſum dederunt, aliaſque omnes ſectas implantarunt. Dedit initium mutandae Religionis Guſtauus primus, poſt cladem Danicam in Suecia Rex. Secundo, quod Sigiſmundus a matre Catharina Regis Poloniae Filia Catholice educatus, et viuente Patre Ioanne a Regno Poloniae poſtulatus, electus, atque etiam coronatus, tanquam alio translatus videatur. Tertio, quod lecta et accurate expenſa prophetia clarum ſit, aliquem ex ſucceſſionis linea deturbandum: cum poſt Ioannem Sigiſmundi Parentem, ponatur Aries ventilans, conterens, et proficiens, nempe impatiens conſortii. Non cenſetur ergo hac ſerie Regum Sigiſmundus comprehenſus.

Nota II) Chriſtina non cenſetur in numero locum habere, in quo de Regibus tantum fit mentio.

Iudicia circa futuram Poloni Regis electionem.

Emanarunt quoque in vulgus eodem anno aliqua circa nouam electionem Poloniae Regis, Italico idiomate concepta ſcripta, ex occaſione orbitatis Ioannis Caſimiri, vltimi per matrem Iagellonidis. Proponebanturque plures candidati, qui Polonum ambirent ſceptrum. Quorum hi potiſſimum erant.

Primus, Sereniſſimus LEOPOLDVS VILHELMVS, Archi-Dux Auſtriae.

Secundus, ALEXIVS MICHALOWICZ, Magnus Dux Moſchouiae.

Tertius, GEORGIVS RAKOTZI, Princeps Tranſyluaniae.

Quartus, FRIDERICVS VILHELMVS, Marchio Brandeburgicus, S. R. I. Archi-Camerarius et Elector, in Pruſſia Dux.

Primum Sereniſſimum Leopoldum Vilhelmum, Archi-Ducem Auſtriae, Fides Romano Catholica, vetus Auſtriacae Domus cum Polonis amicitia, cum Domo Regia ſanguinis nexus commendabant.

Secundum, Alexium Michalowicz, Magnum Moſchouiae Ducem, Potentia Moſchouiae, omnibus Polonis hoſtibus metuenda, reſtitutio ſine caede et ſanguine, tertiae partis

partis Regni, Magnus videlicet Ducatus Lituaniae, vnio cum gente vicina, et haud multo 1656
diſſimili Religione Graeca, habitu Orientali, Lingua Sclauonica, Diues praeterea memorabatur aerarium, quo fulciri in praeſens Polonae res poſſent.

Tertium, Rakoci Tranſyluaniae Principem, qui ambigebant, exemplum Stephani Bathorei, optimi, fortiſſimique Poloniae Regis reuocabant. Addebant Rakocium eius eſſe potentiae, vt defendere Regnum, eius vnionis, vt opera Chriſtianiſſimi Regis, facile auertere poſſet Suecos et Brandeburgicum. Triginta adhaec millium eius exercitum in promptu eſſe, aut tuendae, aut delendae Poloniae. Aliquot item Myriades auri numerare paratum Poloniae proceribus, ac militibus. Caeterum mores, et habitum, ipſiuſque indolem liberis Hungaris imperare ſolitam optime conuenire poſſe.

Quartum Fridericum Vilhelmum, Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium, et Electorem, in Pruſſia Ducem. Illa ipſa commendabat Pruſſia, quae tali caſu redire poterat in corpus Regni ac Reipublicae Polonae. Vetus praeterea Marchionum Brandeburgicorum Familia, nec nimium metuenda eiuſdem potentia.

Haec breuibus inſinuaſſe ſufficiat.

HISTORIARVM POLONIAE
AB
EXCESSV DIVI VLADISLAI IV
POLONIAE SVECIAEQVE REGIS
LIBER OCTAVVS.

LIBRI VIII. CAPVT I

SYNOPSIS

Bellum Transyluanicum. Occasio belli. Pacta inter Transyluanum et Cosacos. Manifestum Rakocii. Eiusdem literae ad comitem Zebrzydowski. Responsum Mareschalci Lubomierscii ad Literas Rakocii. Rakocii in Poloniam aduentus. Caeditur a Schembergio ad Iaroslauiam. Caesaris ad Rakocium legatio. Praemisliam oppugnant Transyluani vano conatu. Inde Leopolim progreditur, ac per Stanislauiam tentat Leopolienses. Eorum responsum. Polonorum Viennam ad Caesarem legatio. Moritur augustissimus Caesar Ferdinandus III. Prodigia mortem eius antecedentia. Polonus legatus Viennam ingreditur. Regem Hungariae et Archiducem Leopoldum languentes audit. Conualescunt ambo, Rex et archidux. Polonus legatus ad Regis Hungariae conspectum admittitur. Eius propositio. Regis responsa. Sensus Electorum de bello Polonico. Rex Hungariae cum Poloniae legato componit. Puncta compositionis. Rakocius Cracouiam properat. Scribit Sueciae Regi, et Electori Brandenburgico. Rakocii Cracouiam ingressus. Magistratus Cracouiensis Rakocio iurat. Obuius fit Rakocius Sueciae Regi. Rex Sueciae Transyluano iunctus Zamoscium properat. Eius ad comitem Zamoyski literae. Responsum Zamoyscii ad literas Transyluani. Rakocii consilium Sueciae Regi datum. Recedit a Zamoscio. Brestiam Lituaniae occupat.

Bellum Transyluanicum.

1656 Bellum Transyluanicum.

Clauditur annus 1656 noua, eaque insperata, in Poloniam GEORGII RAKOCII, Daciae reguli, candidati ad regnum Poloniae, irruptione. Is gente Hungarus, religione Caluini sectator, principio huius anni, certis legibus, per NICOLAVM PRAZMOWSKI, regni Secretarium maiorem, ad Poloniae regnum vocatus. Dum de religione cum legato disputat, ac male inter vtrosque conuenit, Polonorum desperatam obseruans salutem, a Sueciae persuasus Rege, rapere maluit regnum, quam expectare. Quanquam scelere partam potestatem haud diu post retinuit. Legato Polono abeunti nil aliud respondit, quam nolle se regnandi causa, auitam maiorum suorum deserere religionem, aut certe terrestre regnum coelesti permutare. Nec multo post, eodem hoc anno, post abitum legati,

Occasio belli.

legati, Rakocius in excidium Poloni nominis repente cum Cosacis, Moldauis, Valachis, Suecis et Brandeburgico coniurat. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum. A latere enim Hungarorum, a tergo Cosacorum, a fronte Suecorum, infesta multorum millium volitabant signa. Extat cum Cosacis transactio huiusmodi tenoris: 1656

Transactio Principis Transyluaniae cum exercitus Zaporouiani ductore.

Pacta inter Transyluanum et Cosacos.

Nos GEORGIVS RAKOCI, Dei gratia princeps Transyluaniae, partium regni Hungariae Dominus, cum caeteris regni Hungariae eiusque confiniorum dynastis, et magistratibus, notum facimus, fideque sacrosancto iuramento obstricta protestamur. Quod quamprimum Nostras intentiones ratione perpetuae cum illustrissimo campiductore, vniuersoque Zaporouiensi exercitu iungendae componendaeque amicitiae, D. O. M. ad felicem deduxerit effectum, Nosque fecerit sibimet indisiunctos, abhinc indemnitati vniuersi exercitus praecauere tenebimur, nullasque factiones, in detrimentum cum extraneis per se ipsi nec per substitutas et subordinatas personas machinabimur regionibus, imo vero nullis quidem ad id moliendum allicitamentis perduci sinemus Nos, prae oculis semper timorem Dei, vnius in essentia, trinique in persona, habentes. Quin si quis offensiua eidem Illustrissimo Campiductori, vniuersoque exercitui, nec non et successoribus eius, ditionibusque, eius potestati adiacentibus, arma inferre conatus fuerit, mature quamprimum ad Nos infensi cuiuscunque animi aduenerit notitia, denuntiare, praecustodire, iunctisque inimicitias viribus, cum Successoribus Nostris, de iure et conscientia fugare debebimus. Super hoc, quicunque vel minimo progressu hostem se ausus fuerit declarare, eidem quoque aemulum praebebimus affectum, atque hostes communes, prout et amicos indisiunctos sumus, habituri. Quod si a propinquis regionibus, ratione cuiusuis praetensionis, Illustrissimo Domino Campiductori, vniuersoque exercitui Zaporouiensi, nec non Successoribus eius illata fuerit iniuria, nosque de eorum tribulatione redditi fuerimus certiores, illico castra mouere, suppetias mittere, et iisdem sufficientiam apparatus bellici necessitati exhibere, Nos, Successoresque Nostros, cum officialibus Regni huius obligati fuerimus, sicque coniunctim omnes hostes, a finibus Nostris, communibus armis, propulsabimus. Interea vero, si quis orthodoxae illorum religioni, quam sancte colunt, manum iniicere tentarit, quemlibet talem, etiam de sanguine Nostro, nulla sanguinis habita ratione, aut habitae antehac Nobiscum conuersationis memoria; si a cordiali duritie non desistat, persequi, Nostrum, et Nostrorum omnium munus erit. Omnino ne in minima quidem foederatae amicitiae conditione a se discrepabimus. Haec autem omnia, vt inuiolabili gaudere possint immunitate, vniuersis statui conseruando Regni Nostri necessariis, Magistratibus, Consiliariis praestitum scriptumque iuramentum sigillo Nostro praemissa prius manus propriae subscriptione, obsignari, in integram Regni totius cautionem, et fundamentum, aetati posterae meminisse iussimus. Actum et datum in loco Residentiae Nostrae. Albae Colosmonasterienſi, Die 20. Nouemb. 1656.

Quis non actum tunc credidisset de Polona republica dubium certe non erat, quin vltimum illum annum habitura erat Polonia, si vincere sciuisset Rakocius, qui tunc Protectoris Poloniae nomine per inuios Carpathos, principio saeuientis hyemis, malo omine intrabat Poloniam, inuitatis sub signa Polonis, literis vniuersalibus, quarum haec summa:

1656 Nos Georgius Rakocy, Dei Gratia Princeps Tranſyluaniae, Partium Regni Hungariae Dominus, et Siculorum Comes etc.

Manifeſtum Rakocii.

Notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, ac inprimis omnibus ſtatibus, ordinibus atque incolis inclyti Poloniae Regni, praeſentes Noſtras viſuris, lecturiſque. Cum ordines Regni Poloniae, fatiſcentibus ac indies in deterius vergentibus Polonae Reipublicae rebus, in praeſenti ſuo ſtatu, nihil opis vltra praeſidiique videntes; Regni coronam cum antea, tum recens, mediante ſolenni legatione, certis conditionibus Nobis obtuliſſent; nec non pro veteri, imo haereditaria Noſtra in nobiliſſimam hanc gentem animi propenſione, et bene merendi ſtudio, Chriſtianaque pietate ducti, ipſi in perſona, cum copiis Noſtris, turbatum Regni huius ſtatum componere, Deo adiuuante, apud Nos conſtituerimus, operae pretium exiſtimauimus, beneuole monere et adhortari omnes, ac ſingulos, vt lectis praeſentibus, qui incolumitatem ſuam, ſuorumque pignorum, tum bonorum conſeruationem ſartam tectam, propinquantibus Nobis ad fines Poloniae, occurrant, ſuamque Nobis hac vel alia ratione addictionem, ſtudiumque, ac prorſus innoxiae huic intentioni adſcribant, neceſſe eſt, ſi quid ſors belli, et temporum iniquitas malorum inuexerint. Nos omnes patrocinium Noſtrum non reſpuentes, clementer et placide ſuſcepturos, a praeſentibus belli, temporumque malis vindicaturos, libertateſque afflictas, quantum licebit, reſtauraturos, ac inprimis libertatem conſcientiarum conſeruaturos bona fide pollicemur. Daturi Deo volente operam, vt pax alma reſloreſcat, et tranquillitas publica ac priuata inclyto huic Regno poſtliminio reducatur. Quas literas Noſtras, propter fidem et certitudinem maiorem, ſubſcriptione manus Noſtrae munitas, ſigilloque Noſtro firmari iuſſimus. Datum in Caſtro Noſtro Coloſmonaſterienſi, Die vltima Decembris 1656.

G. Rakocy

(L. S.)

Michael Mikies, Cancellarius.

Haec ſumma literarum Tranſyluani ad ordines regni. Addidit et priuatas ad proceres praecipuos regni, videlicet Archi-Marſchalcum Lubomierſcium; Enſiferum ſupremum Comitem Zebrzydowski, ac Ioannem Comitem a Pieskowaskala Wielopolski, Caſtellanum Woynicenſem, primarios minoris Poloniae dynaſtas. Harum literarum hic tenor fuit.

Illuſtriſſime Domine, Amice Obſeruandiſſime.

Eiuſdem literae ad Comitem Zebrzydowski.

Ruentibus in praeceps inclytae gentis Polonae rebus, libertatique inclinatae, Dei armorumque beneficio, conſulturi licet fauorabilium erga vniuerſos et ſingulos, Patriae, liberorum, facultatum ſuarum amantes, abunde ſatis per literas patentes mentem noſtram bona fide polliciti, cunctis tamen, vt peculiare noſtri in V. M. D. affectus ſpecimen ederemus, hiſce peramanter priuatim, eandem compellare placuit, hortarique, ne ſuae patriae felicitatem inuideat, et fatis tam proſpero flatu libertatis vela implentibus obniti velit, quin potius ſociatis nobiſcum animis manibuſque, priſtinum Regno decus, tranquillitatemque traducere ſatagat. Id enim faciens, dignitatem, fortunas, bona, non modo aſſeruanda, ſed longe amplianda, fauoremque noſtrum ſingularem Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae pollicemur: talem deſuper eidem mentem precati, quae publica priuataque fortuna finiatur, ſibi ſuiſque nunquam poenitenda. Datum in Caſtro Noſtro Coloſmonaſterienſi. Die 31. Decembr. 1656.

1656

Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae

Beneuolus Amicus

Ad officia paratiſſimus.

Georgius Rakocy.

Haec ſumma literarum ad optimates Poloniae Principis Tranſyluaniae. Quibus haud mora reſpondit Marſchalcus Regni, in haec concepta verba:

Celſiſſime Princeps,
Domine Affinis Colendiſſime,

Reſponſum Mareſchalci Lubomierſcii ad Rakocii literas.

Quo animo *Celſitudo Veſtra* in Rempublicam Noſtram ſit, liquet ex factis, ſed et loquuntur vniuerſales Celſitudinis Veſtrae abunde literae. Eſt quod mirer et doleam, potiora Celſitudini Veſtrae fuiſſe, periculoſa et indecora, quam tuta et glorioſa conſilia. Ignoſcat Celſitudo Veſtra meae ſincerae dicendi libertati, quae amicum decet, et inde conſiliorum ſuorum ponderet fructus. Speciosus libertatis aſſerendae, praefigitur in literis vniuerſalibus, Celſitudinis Veſtrae titulus: Prima vero libertatis conditio, libera electio, armis petitur. Conuocatur liber populus, (ſed niſi velit) mancipium futurus, id eſt ferro igneque puniendus. Promittitur Senatui auita dignitas, ſed ſtatim confuſo cum omnibus dignitatis titulo eripitur. Illa ipſa auita noſtra, ſancta, veraque religio (pro qua a maioribus noſtris, tot fuſum ſanguinis) ad libertatem tantum conſcientiarum, excluſo religionis vſu, exercitioque, reſtringitur. Quis tam obeſae eſt naris, qui haec non intelligat? quis tam apoplecticus, qui non ſentiat? ſed et violatum in detentione Domini Stanislawsky affinis mei, publicum gentium, priuatumque amicitiae ius, quid aliud promittit, niſi publica et priuata iura, in victimam indebitae ambitionis deſtinari. Ponderet Celſitudo Veſtra, an nobiles et generoſae animae, quae vitae fortunarumque impendio honorem emunt et gloriam, ſeruitutis infami pretio, religionis, vitaeque libertatem, vendent: Neque tantum in armis reponat ſpei, vt mente excidat: Iuſtitia armorum ſaepe vinci potentiam, bellaque iniuſte coepta, infauſte finiri. Illae vero, quae obtenduntur in nos, belli rationes, quam procul a iuſtitia, et quam quaeſitae ſint, ipſam Celſitudinis Veſtrae iudicem accipio, (modo vacua omni affectu ſit) prudentiam. Vocatum ſe, Celſitudo Veſtra, ad Poloniae ſceptra, et per abruptos tractatus illuſum, conquaeritur? Fateor legatum a Sereniſſimo Rege, Domino meo Clementiſſimo ad Celſitudinem Veſtram miſſum, ſed non abrupto, ſuſpenſo tantummodo tractatu rediiſſe. Quia enim religionis ratio, primos ab vtrinque, (vti par eſt) habuit reſpectus, quid mirum, dilatum id ad rempublicam fuiſſe, an Principem diuerſae religionis in Dominum aſſumere expediret? illud ex forma ſtatus noſtri, Celſitudini Veſtrae petendi Regni demonſtratum iter, vt legatos ad Comitia generalia mitteret. Regem enim nonniſi conſenſu omnium et vocibus apud nos deſignari: hocne eſt ſcindere vel abrumpere tractatus? Sed ſupponat quis abruptos! itane, qui offert conditionaliter regnum, non acceptatis conditionibus bellum meretur? et cum beneficium praeſtare voluerit, ferro igneque gratitudo rependitur? Secundum, dicitur miſſos Celſitudini Veſtrae a Principe Saxoniae, neſcio quibus cum donariis, currus, a noſtris vi acceptos, non probe

1657 hoc aſſequor, quomodo accepti ſint, ſi ex comitatu Aruenſi, opera Domini Tekelii, Celſitudini Veſtrae remiſſi. Quidnam illi currus vexerint, et cui, captane a Suecis Polonica ſpolia fuerint, examinatum a Zywecenſi Regio Oeconomo, ſcio, ſed debita haec in confiniis, nemini praeiudicioſa, cautela, an hoſtilia mereatur, non ſatis video.

Dicitur tertio. Celſitudinis Veſtrae famulos captiuos apud me in arce Luboulenſi detineri: hoc vero non exactae Celſitudinis Veſtrae informationi adſcribo. Tam procul enim hoc a vero eſt, quam proximum iuſtitiae fuit, illos detineri, qui obſidente, me Cracouiam, ad hoſtes Regis Regnique, literas attulerunt, eaſque hoſtilitatis plenas, tranſactionem videlicet Suedici apud Celſitudinem Veſtram reſidentis legati cum Celſitudine Veſtra portantes, Generalique Wirtzio ſuccurſum pollicentes, hunc tamen pro ſolita mea in Celſitudinem Veſtram obſeruantia, humaniter verbis admonitum Celſitudini Veſtrae remiſi. Haec pro meo affectu et candore Celſ. V. duxi inſinuanda. Tempus docebit, magiſne ſalubria ſuaſerim ego, an Celſ. Veſtra ſecuta ſit. Solidam enim, diuturnamque felicitatem, in iuſtitiae radicatam fundamento, quam nulla cuiuſquam, ne praetenſio quidem, concuteret, quae ad poſteritatem ſecuro indubioque iure tranſmitteret, quae verae incorruptaeque gloriae, fructus adferret, ſuaſi, et nunc pro candido affectu ſuadeo. Caeterum quam longiſſimam Celſitudini Veſtrae incolumitatem, proſperoſque ſucceſſus ex animo precor. Dabantur in caſtris ad Cracouiam, die 27. Ianuar. *1657*.

Rakocii in Poloniam aduentus.

Interim, dum literae hinc inde commeant, Rakocius ipſe Coſacorum, Valachorum, Moldauorum, Hungarorumque coadunato ſimul exercitu Poloniam intrat, primoque ſtatim impetu Przeuorſcum occupat, deinde Stryiouiam, per deditionem, accipit, ac inde Praemysliam, Iaroslauiamque progreditur. Venienti obuiam fit, relicta Cracouienſi obſidione, Archi-Mareſchalcus Regni, GEORGIVS LVBOMIERSKI, Lancutique tantiſper ſubſiſtens, militum tribunum Schoemberg, cum aliquot millibus praemittit, qui hoſtium vires exploraret. Ille tunc ex improuiſo in errantia Hungarorum circa Iaroslauiam incidit agmina, explicatiſque ſignis pugnam adortus, victor euaſit. Atque haec fuit prima de Hungaris, Polonorum victoria, quam Schoembergius cecinerat. Cecidere illo praelio Polonorum ferro, tria circiter Rakocianorum millia, pars altera, quae reſtabat, fuga elapſa, pars Sani fluminis in proximo labentis hauſta vorticibus. Ferunt, dum Caeſaris Auguſtiſſimi ad Rakocium legatus GEORGIVS SZELEPCHENI, Epiſcopus Nitrienſis, Regni Hungariae Cancellarius, caeſorum praeterueheretur campum, ſolennes Deo exercituum gratias egiſſe, obuiumque paulo poſt Schoembergium ſalutaſſe, eiuſque capiti impreſſo oſculo, benedixiſſe; futuramque de Rakocio Poloniae Regi praedixiſſe vltionem; quod et accidit, vt infra ſuo loco memorabimus.

Caeditur ad Iaroslauiam a Schembergio.

Caeſaris ad Rakocium legatio.

Rakocius acceptae cladis vindex, reiecta Auguſtiſſimi Caeſaris mediatione, quam attulerat Cancellarius; ex protectore, quem ſeſe antea finxerat, apertus hoſtis; Praemysliam oppugnat, ſed vano effectu. Defendebant ciuitatem ſexcenti pedites, duce Conſtantino Giſſio, Regio militum tribuno, viro militari, affine meo. Oppugnabat pertinaciter Rakocius, triginta millibus ſuorum, quinque continuis hebdomadis, donec tandem incluſa ibidem, magno numero, Praemyslienſis nobilitas, neutralitati ſubſcriberet; Pulſo ex vrbe Regio Colonello Giſſio, qui abductis ſuorum ſexcentis Lancutium verſus ſe contulerat.

Praemyſliam vano conatu oppugnant Tranſyluani.

Inde progreditur Leopolim, ac per Stanislauium tentat Leopolienſes.

Praemyslia in hunc modum, quaſi iam potitus Hungarus, Leopoli imminebat, liberius ſalutatis ex itinere ciuibus; oblataque gratis eiſdem, per Stanislauium, protectione, quam reſpuebant Poloni. Caeterum riſu excepta Stanislauii legatio, reſponſumque eſt: Viuere, et eſſe Protectorem vrbis, Sereniſſimum Poloniae Regem Ioannem Caſimirum; ac proinde minime egere, Tranſyluaniae Principis tutela, aut eiuſdem patrocinio.

Eorum Reſponſum.

Ingra-

Ingratum fuit Principi Leopolienſium reſponſum; nihil tamen ibidem moratus 1657
Schoembergium perſequi ſtatuerat, qui Rakocii ſpeculatus vires in immenſum creſcentes, ſenſim Lancutium verſus recedebat, relaturus anteactae pugnae ſeriem Archi Marſchalco Regni, qui tunc Częſtochouiam a Rege ad conſilium generale euocatus, minori, vt antea innui, claua campeſtris Ducis inſignitus eſt, mortuo per ea tempora Stanislao Lanckoronio Palatino Ruſſiae; Palatinatum vero Ruſſiae, Czarnecio fortiſſimo Heroi ſponte tunc detulit Rex, promiſſa breui eidem mortuo Potocio, claua campeſtri. Conſultatum deinde de noua belligerandi ratione. Quibus enim viribus reſiſterent tam feroci ac potenti hoſti, qui iamiam in proximo erat? Placuitque omnibus Auguſtiſſimum iterum moleſtare Caeſarem Ferdinandum eius nominis tertium. Igitur ratificata priori legatorum Viennenſi tranſactione, nouam inſtituunt legationem maiora ſollicitantes ſubſidia. Neque mora, praemiſſo Viennam Ablegato ANDREA MIASKOWSKI, Halicenſi Dapifero, cum ratificatione autumnali, anni elapſi 1656. tranſactionis. Subſequi iubent Boguslaum Comitem in Leſzno, Regni Poloniae theſaurarium, ſatis amplis inſtructum mandatis. Qui die 31. Martii prope Viennam conſiſtens, triſtem accepit nuntium, de Caeſaris ingraueſcente valetudine, ac incerta ſpe viuendi. Nec fefellit infauſtus legatum nuntius, paulo enim poſt, nempe ſecunda Aprilis, (dies fuit ſecunda Paſchatis,) hora quarta antelucana ad immortalitatem euolauit Caeſar, aetatis ſuae anno quadrageſimo nono. Mortem eius paulo ante aquilae interitus, quae in atrio imperatorii palatii alebatur, praeſignauit; praeluſit et flamma Caeſareis concepta tectis, quae duabus integris durauit horis, donec ex caduco hoc imperio, ad aeternas beatorum auolaret ſedes 97). Hora enim, qua ſacerdos ſacrum perficiens, ſignum ei crucis explicauit, Maximus Caeſar expirauit, Chriſtum in hoc etiam imitatus, vt in cruce animam efflaret, Deique innocens victima Ferdinandus, cum ſacrificio finiret. Morienti adſtitit LEOPOLDVS Primus, Hungariae ac Bohemiae Rex, Filius, cum Leopoldo patruo, Archi Duce Auſtriae, Caeſaris Auguſti Germano. Nec multo poſt, quinta videlicet Aprilis, ſine pompa et faſtu, quod Auſtriacis ſingulare eſt, infertur Ferdinandi tertii corpus in patrum Capucinorum Baſilicam Saluatori noſtro ſacram. Celebrantur deinde exequiae per totam Europam, quibus Auguſtiſſimo Imperatori, optimo Principi, mitiſſimo Europae Domino parentatum eſt.

Polonorum Viennam ad Caeſarem legatio.

MoriturAuguſtiſſimus Caeſar Ferdinandus III.

Antecedentia eius mortem prodigia.

Redeo ad res Polonas Theſaurariique legationem, qui tunc ſexta infelicis Aprilis, priuatim viduam ingreſſus vrbem, LEOPOLDVM, Hungariae ac Bohemiae Regem, vna et Archi Ducem patruum Regis Auguſti ambos languentes inuenit. Eodem enim die inciderat in grauem morbum Leopoldus Rex, hunc ſexta poſt luce imitatus Archi Dux Leopoldus, et ipſe lecto affixus iacebat. Quae tunc Viennenſium facies, quis Aulae dolor fuerit, difficile calamo exprimere. Defunctum ac vix elatum, nondum ſatis doluerant Caeſarem, cum ecce noua dolendi materies, decumbentium Principum animo inſederat. Nec deerant tunc Viennae, qui pro ſalute Principum ſolliciti de propria vita, illorum adiiciebant annis: auditi palam gemitus, et luctus, profuſae lachrymae, frequentata templa. Redditi tandem meliori ſanitati, in nouas ſpes omnium iterum altius deiectos erexerunt animos, potiſſimum Poloni legati. Qui paulo poſt, in Regium Leopoldi admiſſus conſpectum Ferdinandi Tertii Romanorum Auguſti Caeſaris Parentis optimi occaſum, nomine Poloni Regis, vehementius, vt par erat, indoluit. Regni deinde pericula recenſere coepit, orareque maiora ſubſidia, ſi ſaluam vellet Poloniam, ſuburbanam Auſtriae. Ad haec Leopoldus: Habere gratias auunculo Regi, ob conteſtatum parentis ſui dolorem. Caeterum Poloniae regni curam ſibi cordi eſſe, illius caſum pro ſuo reputare: Subſiſteret interim tantiſper legatus, donec communicatis cum patruo conſiliis, quod optimum, et imminentibus periculis tutiſſimum eſſe videretur, ſtatuerent. Interim dimiſſi ſunt per vniuerſam Europam cum literis veredarii, qui ſimul et de occaſu Ferdinandi Caeſaris, et de Poloniae extrema paene neceſſitate docerent longinquos, potiſſimum imperii Electores ac Regem Hiſpanum. Rediere illi principio Iunii, potiſſimum ab imperii Electoribus diſſona multa portantes. Pars enim Electorum negabat fieri poſſe, vt Leopoldus Hungariae ac Bohemiae Rex, periculoſo Romani interregni tempore, alterius ſubueniret neceſſitatibus, eoque modo pacatae Germaniae atrociſſimos conciliaret hoſtes, Gallum nempe ac confoederatum Suecum, commutaretque certam pacem cum ſperata victoria. Addebant, non poſſe vlla ratione, fine Oſnabrugenſium pactorum conuulſione, auxiliari Polo-

Viennam ingreditur Polonus legatus.

RegemHungariae et Leopoldum Archiducem audit languentes.

Conualeſcunt ambo, Rex et Archidux.

Ad Regis Hungariae conſpectum admittitur Polonus legatus.

Eius propoſitio.

Regis reſponſa.

Electorum ſenſus de bello Polonico.

97) Quae prodigia, quae ſecundum rerum curſum accidunt!

1657 Polonis. Quae autem illa pietas? Velle perire, iuuando vicinos, plerumque aut ingratos, aut hoſtes Germanorum. Haec Moguntinus, Colonienſis, Palatinus, et Brandeburgicus. Contra Treuirenſis, Saxo, et Bauarus, vrgere coepta, inſtigare bellum, incertam Germaniae oſtendere pacem, Suecorum certiſſimam interregni tempore in Germaniam irruptionem, Polonorum extremam deſperationem, ac cum Suecis armorum coniunctionem ante oculos Regi ponere. Ad extremum concludebant, malle certum bellum, quam incertam et inſinceram Germaniae pacem. Hanc enim prior violauit Suecus, inuadendo Poloniam legibus pacis incluſam Prouinciam. Expedire cenſebant foris et extra Germaniam, Germaniae imminens auertere malum, exemplo Galli ac Sueci admoniti, qui ſemper in alieno certantes victores euadunt.

Rex Hungariae componit cum Polono legato. Puncta Compoſitionis.

LEOPOLDVS accepto hoc ſanioris conſilii Electorum poſteriori reſponſo, nihil moratus cum Polono legato componit. Huius autem compoſitionis haec ſumma:

I. LEOPOLDVS Primus, Hungariae ac Bohemiae Rex Apoſtolicus, Archi-Dux Auſtriae, Ioanni Caſimiro Poloniae et Sueciae Regi, nec non Reipublicae Polonae, ſeptemdecim millium lectum exercitum, ex nunc ſuppeditabit, contra hoſtes Poloniae, potiſſimum Georgium Rakocium, Tranſyluaniae Principem, Rex vero Poloniae vna cum Polona Republica, aſſecurationis cauſa, memores accepti ab Auſtria maximi beneficii, ciuitates Cracouiam, Poſnaniam, ac Torunium in Pruſſia, tradet Hungariae Regis militi cuſtodiendas, praeſidioque Germanico firmandas.

II. Tenebitur idem Poloniae Rex alimenta exercitui Auſtriaco prouidere, hyberna ſimiliter aſſignare in Polonia, ſingulis annis centum aureorum millia, ex ſalisfodinis Wielicenſibus et Bochnenſibus, durante bello in Polonia, exercitui aſſignare, prout defacto aſſignat.

III. Vnum praeterea millionem Polonae monetae ratione educendorum ex Sileſia militum aſſignat Poloniae Rex Sereniſſimo Hungariae Regi ſemel in perpetuum ex prouentibus Wielicenſibus detrahendum.

IV. Offenſiuam et defenſiuam armorum coniunctionem ad annos decem cum Auguſtiſſima Domo Auſtriaca acceptat Rex et Reſpublica Polona contra quoſuis Auſtriae hoſtes.

V. Huic foederi ſeu vinculo includetur Daniae Rex, vna cum Brandeburgico, qui a Rege Poloniae ſollicitandus ac inuitandus eſt ad coniunctionem armorum cum Auſtriacis.

VI. Pacem, foedera, amicitias cum nemine, et nominatim cum Sueciae Rege aut Regno, Rex aut Reſpublica Polona ſanciet, aut concludet, inſcio Rege et non conſentiente Hungariae.

VII. Tractatus Vilnenſes cum Magno Duce Moſchouiae integri maneant, eiuſque amicitia ſacroſancte obſeruetur.

VIII. Coſaci per Regis Hungariae legatum tentandi ſunt, quodſi mediationem dicti Regis amplexati fuerint, Rex et Reſpublica Polona eiuſdem mediationi acquieſcet.

His conditionibus leuibus ſane confoederatio inita eſt cum Polonorum Rege Ioanne Caſimiro ac Republica Polona. Quis enim vnquam centum aureorum millibus ſeptem-

ſeptemdecim bellatorum mercatus eſt exercitum? Conſtat propria legati confeſſione, nuſquam alias potuiſſe cum quopiam mortalium paciſci quam cum Domo Auguſta. Vna ſiquidem Polonorum legio, plus quam centum aureorum conſumit millia. Igitur rebus eo modo Viennae compoſitis Polonus legatus duodecima Iunii Dancouiam ad Polonum reuertitur Regem. Diſcedenti Leopoldus Hungariae Bohemiaeque Rex, munera mittit, magni pretii gemmam, vna cum nobiliſſimo equo, addita lorica, quam tantopere ambiebat hoſpes. 1657

Rakocius properat Cracouiam.

In his motibus tunc Polonae res erant. Nec parte ab altera feriabatur Tranſylua-nus, qui datis ad Sueciae Regem binis literis, ſalutatoque ex itinere Electore Brandenburgico, Cracouiam verſus aduerſa ſuorum promouebat caſtra. Summa literarum ad Sueciae Regem haec fuit:

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,

Domine Colendiſſime,

Scribit Regi Sueciae.

Secundum promiſſum meum, literis in Decembri datis, Maieſtati Veſtrae teſtatum, ingreſſus ſum, Deo auxiliante, Poloniae fines cum copiis meis in Ianuario, ſuperatis vix ſuperabilibus difficultatibus. Inſtrii per aliquod tempus commoranti, neceſſitatem mihi impoſuit Coſacorum expectatio, cum quibus tandem, vno vltra Praemysliam milliari, vnitis viribus huc veni, progrediarque quantocius in interiora Poloniae, communi noſtro bono promouendo vnice operam daturus. Solutam Cracouiae, ab hoſtili exercitu aduentus mei fama (quod literae Domini Marſchalci ad Illuſtriſſimum Dominum Wirtzium teſtantur) obſidionem, vehementer gratulor, confiſus diuinae bonitatis auxilio, pari ſucceſſu copias Polonicas mihi oppoſitum iri. Cancellarius Regni Hungariae Nitrienſis Epiſcopus ab imperatore ad me ſolennis legatus expeditus nudius tertius huc venit. Mihi hucuſque per Dei gratiam, ad vota haec expeditio ſuccedit, ſucceſſuramque tanto felicius Veſtrae Maieſtatis cooperante opera, nullus dubitat. Hic Maieſtati Veſtrae proſperrimam valetudinem, ſucceſſuſque ad vota fluentes precatus, fauori me eius conſtanti intime commendo. Datum in Caſtris ad Iaroslauiam. Die 27. Februar. Anno 1657.

Sereniſſimae Maieſtatis Veſtrae,

Seruitor paratus

Georgius Rakoczy.

His literis addidit rurſus et alias, quarum hic tenor fuit:

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,

Domine Colendiſſime,

Non dubito quidem Maieſtati Veſtrae iam conſtare de meo in Poloniam aduentu, qui fuit die 27. Februar. ſuperatis ſumma cum difficultate paſſuum ac tempeſtatum obſtaculis. Volentes, tamen ſatisfacere foederis conditionibus feſtinauimus, etiam ad ſoluendam obſidionem Cracouienſem, prout Deo auxiliante factum eſt, ſicut ipſe Dominus Marſchalcus ſe declarauit Magnifico Domino Wirtzio, iamque obuiam nobis exercitus ille obſidens properabat, ego etiam libenter illos excipere volebam, ſed iterum flexit verſus Sendomiriam, et Zamo-

1657 ſcium, ibi cum Generali Potocio ſe coniungere vult, qui etiam conuocatis ad ſe, tam ex Palatinatibus, quam aliis militibus, conatur ſeſe nobis opponere, quos quidem aggredi vellem maxime, niſi penuria commeatuum, in illis partibus, aquarumque obſtacula impedirent. Quare de neceſſe cogor iter continuare verſus Cracouiam, ſi media praecludantur illos aggrediendi. Veſtra igitur Maieſtas quantocius de diſpoſitionibus ſuis me certiorem reddere ne grauetur, ac etiam velit inuigilare exercitui Lituanico, ne ſe coniungere poſſit cum Generali Potocio ac reliquis. Imperatoria Maieſtas Cancellarium Hungariae ad me expediuit offerendo mediationem, multiſque rationibus hortabatur ad paciſcendum cum Rege Caſimiro ſimul intimans, quod etiam cum Veſtra Maieſtate iam tractatus ſub bona ſpe continuarentur cum Polonis. Nos nullum plane tractatum inituri ſumus, niſi (ſi quando ita res cogeret) vna cum Veſtra Maieſtate. In quo cardine verſentur tractatus illi, Veſtrae Maieſtatis informationem diligentiſſime expecto.

Sereniſſimae Maieſtatis Veſtrae

Seruitor paratus

G. Rakoczy.

Scripſit et Electori Brandeburgico in hunc ſenſum:

Electori Brandenburgico.

Silentium noſtrum rumpendi, (cuius ſolam temporum iniquitatem, locorumque diſtantiam cauſam fuiſſe fidenter ſcribimus.) ingreſſus noſter in Poloniam anſam nobis praebuit, ſuaſitque, vt Serenitati Veſtrae, iampridem deuotum affectum noſtrum faceremus teſtatum. Quem vt alias ſemper, ita occaſione huiuſce conatus noſtri, qui ad communis cauſae promotionem a nobis vnice ſuſceptus eſt, Serenitati Veſtrae probare parati ſumus. Atque his valetudinem ſucceſſuſque proſperrimos ex animo Serenitati Veſtrae precati, amica ei ſtudia, addictionemque noſtram lubenter offerimus. Datum in caſtris noſtris ad Iaroslauiam, die 27. Febr. 1657.

Serenitatis Veſtrae

Amicus
ad officia paratus
Georgius Rakoczy.

Rakocii Cracouiam ingreſſus.

In hunc modum ſalutato Sueciae Rege, ſalutato et Brandeburgico, Cracouiam paulo poſt, die videlicet coenae Domini 29. Martii ingreditur Rakocius, medius inter Wirtzium et Stanislawsky. Praecedebant pedites Sueci octingenti, hos duo millia Hungarorum peditum, vulgo Hayducki dictorum, ſequebantur: duo item millia Coſacorum, mille equites Valachi Moldauique: Subſequebantur ſexcenti Suecorum equitum, duo item millia Tranſyluanorum. Rakocium immediate ipſum praecedebant praecipui Suecorum mixti Tranſyluanis, Coſacis, Poloniſque. Tum demum infinita Tranſyluanorum, Coſacorum, Valachorum, Moldauorum, Polonorum, Hungarorum ſubſequebatur turbulenta turba, quae numerum ſex millium excedere dicebatur. Tali pompa Turcico phalerato ſublimis equo Cracouiam metropolim Poloniae ingreſſus eſt Rakocius, exceptus illo ipſo die ſolennibus epulis a Wirtzio, eius tunc vrbis Praefecto. Die deinde ſequenti, is fuit trigeſima Martii, ſolenne iuramentum a ciuibus, nobilitateque praeſenti accipit. Adactus Magiſtratus iurare in verba Rakocii, fidem ſuam Tranſyluano Principi obligat. His eo modo compoſitis, relictoque Cracouiae praeſidio, duorum millium quingentorum, vna cum Bethlem Ianuſſio Hungaro Colonello, commendata vrbis cura Wirtzio, Cracouia 31. Martii diſcedit, occurſurus Sueciae Regi, qui iam in proximo erat. Neque mora quarta Aprilis

Magiſtratus Cracouienſis iurat Rakocio.

Aprilis die, vterque conueniunt, ad Modliſzew pagum, medio in itinere, quo Cracouia Varſauiam itur, vbi inter mutua verba ſalutatione defuncti in amplexus abierunt. Prior tamen Rakocyus equum reliquerat, priorque Sueciae ſalutauit Regem. Paucis deinde innuit, aduentus ſui, affectuſque rationem. Haec loquentem amplexatus Carolus, plura dicere prohibuit. Seceſſere deinde ab aliis, eoque ſtatim die de belli ſumma actum inter vtroſque. Carolo omnem moram reiiciente, ac improperante Principis tarditatem, qua tamdiu illuſerat conatibus ſuis. Altero poſt deinde die caſtra mouere vterque imperat, Zauichoſtum verſus ad Viſtulae ripam. Arx eſt mediis Viſtuleis innatans vndis, locuſque natura ad propulſandum hoſtem commodiſſimus, ſi naturam ars iuuaret, qua plerumque tota paſſim laborat Polonia, magis ſupino neglectu, quam locorum defectu. Iuncta itaque ponte ad Zauichoſtiam vtraque fluminis ripa, Suedicus pariter ac Tranſyluanicus exercitus 26. Aprilis Viſtulam tranſit, Zamoſcium verſus, ſalutato humaniter, per literas ex itinere IOANNE ZAMOSCIO, illius propugnaculi Domino, Regni tunc Pocillatore. Harum autem literarum ad Zamoſcium hic tenor erat: 1657 Rakocius obuius fit Sueciae Regi.

Illuſtriſſime Domine,

Affinis Obſeruandiſſime,

Acceptis Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae literis, gratulati ſumus, eam non amici affectus tantum ſed qualium in Sereniſſimam Rempublicam Polonam meritorum Noſtrorum, feciſſe mentionem. Et certe in eam iampridem fuimus animati ſententiam, vt nullam ei ſeruiendi occaſionem Nobis e manibus elabi pateremur. Neque eſt, vt Illuſtriſſima Dominatio Veſtra armorum Noſtrorum propoſitum, (quod nonniſi ad eam pacificandam, priſtinoque ſtatui reſtituendam literis Noſtris vniuerſalibus iam antea teſtati ſumus) aliorum maleuolorum exemplo ſiniſtre interpretandum putet; innoxia illa, et nonniſi luculentis procerum Regni oblationibus ad ſalutem publicam fuere euocata. Sed poſtquam ipſorummet qui illorum auctores extitere, non ſiniſtris modo interpretationibus, ſed malignis, ac famae nomini Noſtro (quod vita ipſa charius habemus) iniurioſis criminationibus, vulgatis publice literis traducta fuerunt; haud mirum cuiquam videri debet, ſi hoſtile aliquid a Nobis, qui pro hoſte reputati, promulgati, tractatique fuimus, patiantur. Nihilominus tamen, poſt factam nuper cum Sereniſſimo Rege Sueciae armorum coniunctionem, alieniori etiamnum erga Sereniſſimam Rempublicam non ferimur animo, cum Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, in ſocietatem de ea conſeruanda conſiliorum Noſtrorum inuitare placuit, vti nunc etiam, iterum atque iterum inuitamus. Nec debet vlterius in hocce, Noſtris partibus accedendi conſilio expediendo diutius Illuſtriſſima Dominatio Veſtra haerere, cum et Sereniſſimum Regem Caſimirum Częſtochouia in Sileſiam, et Imperatorem Romanorum, a quo ſpes vnica (quanquam incertiſſima, nulloque plane fundamento innixa) ſubſidiorum accerſendorum vulgabatur, ſecunda praeſentis circa horam quartam matutinam exceſiſſe, pro re comperta Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae ſcribere poſſimus, ita ſpem in Deo, cauſaeque Noſtrae iuſtitia collocamus, eandem Nos in poſterum quoque experturos. Cui quo citius Dominatio Veſtra Illuſtriſſima ſuam quoque iungere voluerit, rem quidem Nobis gratam, ſibi certe vtiliſſimam, laudabilemque Illuſtriſſima Dominatio Veſtra factura eſt. Idem de tradendis Sereniſſimo Regi Sueciae officialibus ipſius ſcribimus fidenter, quos ſi iure belli contra fidem datam, omniumque gentium iura, captiuos detineri fas fuit, cur non iure belli, iuſtitiae fundamento innixo, quandoque valeant liberare, non videmus. Quod reliquum eſt, ſinceram affectus Noſtri, iam antea ſibi perſpecti, conteſtationem Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae offerimus, et felicia

Eius ad Comitem Zamoyski literae.

1657 quaeque ex animo ei precamur. Datum in caſtris Noſtris ad Kraſnik poſitis, die 23. Aprilis, Anno 1657.

Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae

Affinis beneuolus ad officia paratus.

Georgius Rakoczy mp.

Haec ſumma literarum Tranſyluani ad Zamoſcium, quibus ille haud mora reſpondit in haec concepta verba:

Celſiſſime Princeps,

Affinis Colendiſſime,

Reſponſum Zamoyſcii ad Tranſyluani literas.

Aequitatem armorum Celſitudinis Veſtrae Nobis illatorum nollem ego examinare, iudicio orbis Chriſtiani eam relinquendo: ad cuius cenſuram cum facta Principum pertineant, ita ea componere neceſſum habent, ne exiſtimationis ſuae, cui ad ſeram poſteritatem tranſmittendae deſudant, iacturam patiantur. In meliorem certe partem eadem interpretandi, quis modum reperiat? cum omnia hoſtilitatis plena videat? vel ipſa enim cum capitaliſſimis Noſtris hoſtibus Celſitudinis Veſtrae coniunctio, quomodo Nobis contrarium perſuadeat? eam ſcilicet in commodum, non in detrimentum Noſtrum initam? aut ea durante, ſpem aliquam redintegrandae amicitiae ſupereſſe? Quod oblationibus Procerum Regni, Celſitudo Veſtra euocata, ſigna ſua huc conuerterit, fuerintque aliquorum in hoc diuerſa ſtudia, prout non ſuppono, ita ipſius Celſitudinis Veſtrae appellando teſtimonium affirmare auſim, me eorum neque cum Celſitudine Veſtra, neque cum alio quopiam vnquam conſcium fuiſſe; ſed integerrimam ſemper Regi meo (prout et nunc conſtans eſt animus) ſeruaſſe fidem. Si vero illae ex parte Sereniſſimi Regis Noſtri, Domini mei Clementiſſimi, conſiderentur, eas non niſi piiſſimas, et optimae intentionis fuiſſe, vnicuique patebit. Quas, ſi Celſitudinis Veſtrae illo quo proponebantur modo, ſequi placuiſſet, non poſtremum certe iampridem, inter caeteros, me quoque illarum ſectatorem habuiſſet. Maleuolorum itaque ſuggeſtionibus, vel ad vnius momenti ſpatium excluſis, rem ad proprii iudicii calculum Celſitudo Veſtra reuocet, quidnam ſibi magis expedierit? armis ne ſuis pro iure vicinitatis, ac veteris amicitiae nobiſcum iunctis, voti ſui in poſteros etiam propagandi, trito praedeceſſoribus ſuis calle, compotem et ſecurum fieri? an iis in Nos, non ſine ingratitudinis nota conuerſis, haec eadem vota ſua committere parum fidae ſocietati, et dubiae Martis aleae, quam Nobis propitiam vel ipſa aequitas cauſae ſibi polliceri iubet, praeſertim in ſpem certorum, praeter alia, ex imperatrice Domo ſubſidiorum, erectis. Qui licet ipſe, fatis ſic volentibus (prout mihi ante ſeptem dies conſtitit) e viuis exceſſerit, non tamen ſolida inclytae Domus huius conſilia, ideo emori poſſunt, quae ad ſperatos ex hac morte in Germania motus, coniunctionem hanc Noſtram, magno vſui futuram, certo certius ſibi pollicerétur. De officialium Suedicorum detentione, cum Celſitudinem Veſtram ſiniſtre informatam comperiam, eidem inſinuandum duxi. Tranſactionem illam Varſauienſem, vltima neceſſitate Suecis impoſitam, non omnium ordinum conſenſu firmatam, quinimo ordine equeſtri inuito, et reclamante (vel ipſorum Suecorum teſtimonio) factam, effectum ſortiri non potuiſſe, exindeque iura gentium, quorum ſcru-

ſcrupuloſa obſeruantia, nobis mala praeſentia inuexit, minime violata eſſe, quiſpiam merito conquaeri poterit, nec eorum eliberationem, nonniſi praeuio Sacrae Regiae Maieſtatis (quem intra fines regni eſſe Celſitudo Veſtra certo ſibi perſuadeat) et ordinum conſenſu fieri poſſe iudicabit. Qua in re, ſalua mea in Regem et patriam fide, operam quoque meam non defuturam polliceor. Caeterum officia mea Celſitudini Veſtrae diligentiſſime commendata eſſe cupio. Datum Zamoſcii die 25. April. Anno Domini 1657. 1657

Celſitudinis Veſtrae

Affinis beneuolus

Ioannes Zamoyski.

Rakocii datum Sueciae Regi conſilium. Recedit a Zamoſcio. Breſtiam Limediis in paludibus ſita. Locus inuictus eſſet, ſi Germanorum foret firmata praeſidio. Campeſtria enim magis Poloni ſectantur, (vnde illis nominis deriuatio [98]),) quam famoſa incolunt, extruunt aut extructa defendunt propugnacula. Hanc etiam arbitrati libertatem, ſi liberi ſub libero viuerent coelo, nullis moenium aut foſſarum incluſi anguſtiis. Tuaniae occupat.

Accepto Zamoſcii reſponſo Tranſyluanus, relinquere perſuadet Sueciae Regi intactum Zamoſcium, iterque aggredi conſulit, verſus Breſtiam Lituaniae, quam ſola fama aduentantis Sueci Regis occupat. Defendebant fortiſſimam ciuitatem ſexcenti Lituani, donec conſpecto Suedico, Hungaroque in proximo exercitu, lapſi in deſperationem dederent ciuitatem vna et caſtellum, quod ab ipſa vrbe, Mahowiecz famoſus Lituaniae fluuius, dirimit, diſiungitque. Vrbs ipſa Magni Ducatus Lituaniae ſcutum, naturae beneficio,

98) In lingua nempe Polona *Pole*, campum ſeu agrum ſignificat, et communis omnium ſcriptorum opinio eſt, Polonos a campis nomen habere. Celeberrimus autem LENGNICHIVS Polonorum nomen, mores et originem a Lazis deriuat. Vid. eius commentat. de maioribus Polonorum.

LIBRI VIII. CAPVT II

SYNOPSIS

Sapieha Breſtiae ſuccurrere parat, ſed fruſtra. Rakocius cum Rege Sueciae Varſauiam intrat. Literas accipit ex Holſatia de Daniae Regis hoſtili in ſe animo. Turbatur quoque Rakocius variis nouis vndique allatis. Conſultat cum Sueciae Rege. Sueciae Regis reſponſum. Rex Sueciae Varſauia Torunium abit, inde Stetinum in Pomeraniam, relicto Rakocio ad cuſtodiam Poloniae. Rakocius turbatur iterum ac praecipuos Hungaros in conſilium vocat. Conſiliariorum Rakocii ſenſus. Literae Stanislauii ad Reginam Poloniae. Kimini Ianus literae ad Stanislawski. Idem ſcribit Sendomirienſi Caſtellano. Rakocius Cracouiam mouet. Accipit nuntium de Polonorum in Tranſyluaniam irruptione. Manifeſtatio Polonorum contra Tranſyluaniam. Rakocio varia ac infauſta referunt exploratores. Recedit Rakocius Tranſyluaniam verſus. Magerouiae ſubſiſtit aliquantulum, ibidemque a Czarnecio Poloniſque aſſequitur. Pugna inter Tranſyluanos Polonoſque ambigua. Rakocius vlterius progreditur. Subſequitur Czarnecius. Czarnecio iunguntur alii Generales. Deliberant de Rakocio perſequendo. Legati Rakocii ad Polonorum caſtra aduentus. Eius verba ad Polonos Generales. Reſponſum Czarnecii, legato Rakocii datum. Mikieſii Cancellarii ad Czarnecium oratio. Colloquium inter Mikieſium, Rakocii Cancellarium, et Czarnecium. Reſponſum et concluſio Czarnecii. Indignatio Lubomierſcii contra Czarnecium. Eius reſponſum. Confuſio in vtroque exercitu Polono et Tranſyluano. Proteſtatio Czarnecii contra Lubomierſcium. Poloni conſultant de conditionibus Tranſyluano conſcribendis. Propoſitiones Tranſyluano factae a Polonis. Reiicit ille aliquas. Stratagema Czarnecii. Tandem Poloni componunt cum Rakocio excluſo Hungariae Rege. Polonus exercitus pugnam appetit cum Tranſyluanis. Reſponſum Cancellarii Rakocii Polonis militibus.

1657 Sapieha Breſtiae ſuccurrere parat, ſed fruſtra.

In hunc modum ſine ſuorum caede et ſanguine potitus Carolus Breſtia Lituaniae, eandem Rakocio donat, eiuſque praeſidio firmatam relinquit. Ipſe cum robore exercitus ſui PAVLVM SAPIEHAM Generalem Lituaniae, opem agonizanti Breſtiae ferentem includere properabat, et reuera incluſiſſet in illis paludoſis oris totum Lituanum exercitum, deleuiſſetque, niſi in tempore, reduxiſſet in apertiora Sapieha exercitum Lituanum, quem deinde ſubſequi noluerat Carolus, ne mora comminueretur. Reduci a Breſtia Lituaniae Varſauiam verſus Sueciae Regi, vna et Tranſyluaniae Principi, redduntur variorum literae, quibus admonebatur de Friderici Tertii Daniae et Noruegiae Regis hoſtili in ſe animo, ac certiſſima in Bremenſem Principatum (catholicis ereptum Archiepiſcopatum) irruptione. Eodem fere tempore redditae ſunt et Rakocio Tranſyluaniae Principi literae, quibus de auxiliis Auſtriacis Polono Regi ferendis, ac commotiori in ſe animo LEOPOLDI Primi, Hungariae ac Bohemiae Regis, Archi-Ducis Auſtriae, ob factam in Regnum Poloniae irruptionem, certior factus: de Tartarorum quoque in Tranſyluaniam expeditione. De aulae Ottomannicae odiis, Caeſariſque vindicta, de Polonorum in Tranſyluaniam reciproca inuaſione: de Tranſyluanorum, ipſiuſque adeo matris, filii, et vxoris, conti-

Rakocius cum Sueciae Rege intrat Varſauiam.

Literas accipit ex Holſatia de Daniae Regis hoſtili in ſe animo.

continuis gemitibus edoctus, vbi inſuper audiit Daniae Regem Suecorum hoſtem declaratum, Brandeburgicum ex vtilitate et commodo partibus adhaerentem; ratus actum eſſe de fortuna Principatuque ſuo. Conſulit Sueciae Regem, eique omnia plena periculis, difficultatibuſque exacte explicat. Contra ille, perſuadere Rakocio, Polonum Regem nulla ex vicina Auſtria ſperare poſſe auxilia. Tractatus cum Daniae Rege dependere a ſuo arbitrio. De Tartarorum Polonorumque in Tranſyluaniam irruptione vana eſſe commenta, et merum Polonorum apologum. Brandeburgicum eſſe a partibus ſuis; futurum mox et Daniae Regem ſi ita videbitur ſibi. Velle interim Principi Tranſyluano Regni Poloniae adminiſtrationem committere, ſe enim debere in Pomeraniam ocius abire ad tractatus cum Daniae Rege perficiendos, quem etiam contra Polonos reddere promittebat animoſiorem.

1657 Turbatur quoque Rakocius variis nouis vndique allatis. Conſultat cum Sueciae Rege. Sueciae Regis Reſponſum.

His aliiſque verborum promiſſis illudebat Carolus Tranſyluaniae Principi, quem Varſauiam vſque deduxerat, acceptaque tertio iam Varſauia ſine vlla reſiſtentium mora, Rakocium Varſauiam introducit. Eoque modo ſequenti ſtatim die ſalutato Principe Thorunium in Pruſſiam abit, vbi aliquot commoratus diebus, donec interim de Boruſſiae diſpoſuiſſet propugnaculis, commendata IOANNI ADOLPHO, Fratri ſuo, Pruſſiae cura, Stetinum ac inde Viſmariam diſceſſit; luſtrato ad Stetinum tredecim millium lecto exercitu. Egit celerem velox ſatis fama de Bremeuerdae deditione. Hunc enim locum, Carolo in extremis Poloniae verſanti angulis, Fridericus tertius, Daniae et Noruegiae Rex, inſperate aggreſſus, opinione omnium celerius expugnauit. Cuius expugnationem cum fuſius alii proſequantur hiſtorici, ego hic omitto, ne longinqua et externa bella, cum propoſita mihi commiſceam materia.

Sueciae Rex Varſauia Torunium abit, inde Stetinum in Pomeraniam, relicto Rakocio ad Poloniae cuſtodiam.

In hunc modum euocato in vltimum Septemtrionem Carolo, impenſius expendere coepit Tranſyluaniae Princeps rerum ſuarum momenta; iamque non minus de fortuna, quam de vita propria ſollicitus, abeunte in remota terrarum Carolo, conſilium praecipuorum exquirit, quid facto opus eſſet, penſatis hinc et inde rationibus. Oblatam a Carolo Regni Poloniae adminiſtrationem aſpernari inglorium videbatur; parte vero ex altera, Orientis Occidentiſque metuebat arma, quae iam in proximo Tranſyluaniae imminebant, ad reſiſtendum vero, in tot ſimul locis, non eſſe ſibi ſufficientem militem. Diſplicebat quoque, tanta loci diſtantia. Haec Princeps in ſecretiori conſilio, Michaeli Mikieſio, Ioanni Kimini Ianuſz, Ioanni Fiſcher, aliiſque proponebat miniſtris. Illi rem, prout erat, a principio exorſi, reuerti omnino debere Principem, cenſebant, Cracouiam verſus, ibique de vlteriori belli ratione formare conſilia. Interim per Michaelem Stanislawski explorare Polonorum animos; ad quietem, an ad bellum pronos, Michael Mikieſius cenſebat; offerebatque operam ſuam, ſcripturum ſe aſſerens, ad quoſdam Poloniae proceres, amicos ſuos, perſuaſurumque haud dubio ignauis tractatus pacis, quos poſtea acceptare aut reiicere Principi ſuo licebit. Interim cenſebat e re Principis, totiuſque exercitus fore, ſi Cracouiam verſus mouerent, relicta Varſauia, vrbe haud ſatis tuta. Haec Mikieſius, Kimini Ianuſz, aliique diſſerebant. Huic ſententiae miniſtrorum et Princeps ſubſcripſit, commiſitque negotium tractatus pacis cum Polonis inſtituendi, Mikieſio ac Kimini Ianuſz, qui re cum Stanislauio communicata, literis aggrediuntur Poloniae Reginam, rerum tunc pacis et belli ſummam arbitram. Neque mora primus Stanislawski Reginae Poloniae in haec verba ſcribit:

Iterum turbatur Rakocius, ac praecipuos Hungaros in conſilium vocat.

Conſiliariorum Rakocii ſenſus.

Sacra Reginalis Maieſtas,

Domina Clementiſſima,

Literae Stanislauii ad Poloniae Reginam.

Volens correſpondere deſideriis *Maieſtatis Veſtrae*, tantum egi cum exercitu Tranſyluanico et Ducibus ipſis, vt omnes cupiant in Tranſyluaniam quantocius redire. Qua in re inprimis adiutus ſum opera Illuſtriſſimi Domini Ioannis Kemini, exercituum ſummi Ducis, qui promittit, eo ſe Principem Tranſyluaniae ducturum, etiamſi maxime nollet, vt renuntiet foederi cum Sueco inito. Promittenda tamen illi erunt, vt indigenae Polono, bona alicuius momenti

1657 menti pro praeſtita praeſtandaque opera. Alterum eſt quod petit, vt praebeatur ſufficiens a Sereniſſimo Rege et Republica aſſecuratio, exercitum Tranſyluanicum et Valachicum, ſine vllo impedimento, hoſtilitateque emiſſum iri ex Polonia, neque exercitus Polonicos eis regreſſum in patriam impedituros. Bona fide Catholica aſſecuro, eodem momento, quo aſſecuratio haec ad nos peruenerit, vel Commiſſarii ad deducendum exercitum aduenerint, exercitum Principis in Tranſyluaniam abſceſſurum, et eodem momento Principem a foedere cum Sueciae receſſurum. Supplex etiam peto Maieſtatem Veſtram, vt mei ratio quoque habeatur, et nonſolum mihi clementer ignoſcatur, ſed ex gratia, aliqua viuendi ratio mihi omnibus ſpoliato ſuppeditetur. Mitto Maieſtati Veſtrae literas ad me a Generali Kemini datas.

Michael Stanislawski.

His literis adiunxit literas Kemini Ianuſſii Generalis ad ſe ſcriptas, quarum hic tenor:

Illuſtriſſime Domine,

Kemini Ianus literae ad Stanislawski.

De qua materia cum Illuſtritate Veſtra contuli, imo et aſſecuraui certo certius, et ſibi et iis, quos concernit negotium, perſuadere poterit, me realiter effecturum, Deo volente, et quidem non longa mora; declaraturuſque ſum, me non ingratum S. Regiae Maieſtatis ſeruum, et huius Principem ciuem incorporatum fore, modo citiſſime et ſincere ſecuritas ſuppeditetur, Domino meo Clementiſſimo, eiuſque, cuiuſuis nationis, exercitibus, cum aliter impoſſibile ſit. In mora autem periculum. Ego non dubito itidem de aſſecuratione, Veſtram Illuſtritatem nomine ſuarum Maieſtatum, et Reipublicae nominibus prouiſurum.

Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae

Amicus ſeruire paratus

Ioannes Kemini, Generalis.

Eodem quoque tempore Caſtellano Sendomirienſi Stanislao Witowski Mikieſius ſcripſit, in haec genuina concepta verba:

Illuſtriſſime Domine,

Amice Obſeruandiſſime Confidentiſſimeque,

Idem ſcribit Sendomirienſi Caſtellano.

Ingentem ſane inueteratae noſtrae amicitiae fructum decerpemus, ſi tantae Chriſtiani cruoris catharactae, tot belli calamitatibus (quarum partim malum praeſens eſt, partim maior imminet timor) modum et finem ſortiendi, fundamentum noſtra expoſtulatis praebebit neceſſitudo. Nec ſine manifeſto propitiati Poloniae Numinis inſtinctu factum crediderim, tales hoc tempore a Veſtra Illuſtriſſima Dominatione, ad me allatas eſſe literas, quae a bono patriae ciue ſcriptae, ſopirent belli incendia, nec ferocibus, vt nonnulli, verbis, ligna oleumque tam exitialibus flammis, miniſtrarent. Quibus ego receptis protinus Illuſtriſſimum Supremum Generalem exercitus noſtri Dominum Ioannem Kemini, (quem iam antea paci fauentem, et reconciliandis vna mecum animis, ſincere, nec irrito labore, deſudantem expertus eram) acceſſi, quo cum ad pedes Celſiſſimi Principis, Domini mei Clementiſſimi, humiliter prouoluti inſtitimus quatenus priſtinam erga Sereniſſimum Regem, et inclytam gentem Polonam propenſionem aequis conditionibus, ſaluaque vtriuſque partis gloria, reſumere vellet, et ad tractatus ſub armiſtitio condeſcendere. Omnia chartae concredere in tam magnis rebus, nec libet, nec expedit, prolixiori proinde parco ſtylo. Hoc certo ſcribo, ita iam praediſpoſitam ad aequos tractatus ſuae Celſitudinis mentem reperiiſſe, vt inter ſingularia Dei pacis beneficia annumerandum cenſeam. Aſtra, tenebras eclipſis ſuae eluctata clarius refulgent; quidni amicitia, nebulis diſſidii alicuius praedita antiquum reſumat fulgorem? Sed maior mihi difficultas de armiſtitio occurrebat. Tam ferocium enim nationum congeriem, tot harpyias praedis et ſanguine paſci aſſuetas, nullis legum, edictorumque repagulis, diu coerceri poſſe clare video. Nulla ergo, ad tractatus feliciter inchoandos et terminandos ſecurior, et magis Chriſtiana ſeſe offert occaſio, quam vt Polonia omni externo milite (praeter praeſidiarios) euacuata, armiſtitium ageret, vt quietem, bellique mala conferens, ad aequas tandem condeſcenderet conditiones. Arduum id ſane et inauditum! tamen coeleſtis manus, quae corda Principum pro ſuo verſat nutu, eam ſuae Celſitudini mentem indidit, vt felicem hac quoque in parte ſeſe noſtris precibus praeberet. Parataque eſt ſua Celſitudo, tam Tranſyluanicum, quam Coſacorum Moldauorumque, et Tranſalpinorum Valachorum, exercitum ſuum omnem (praeter praeſidiarios ad loca tutanda ſufficienti numero hic relinquendos) ex Poloniae finibus, etiam ante ſolenniter inchoatum, nedum perfectum pacis tractatum educere, dummodo ſufficienter illis de ſecuritate paſſus, vna cum facultatibus ſuis, ex parte Sereniſſimi Regis et Illuſtriſſimorum Dominorum Senatorum caueatur rite, obſidibus eum in finem datis, vti reciproce, ex hac quoque parte de hoſtili noſtrorum in itinere cauebitur actu. Teſtis mihi eſt Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, antiqui mei erga ſe candoris; teſtes ſunt omnes Domini legati, ad nos commeare ſoliti, meae erga inclytam gentem Polonam propenſionis: teſtis mihi Deus, ſinceri erga rem Catholicam affectus. Proinde candide Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram oro, obteſtorque, per amorem erga auitam noſtram, veramque religionem, per ſalutem patriae ſuae, vt tam inſigni extemplo vtatur occaſione, (quam ego a ſiniſtro aliquo genio vel caſu corruptum iri, mirum quantum reformido) et mentem Sereniſſimi Regis, quantocius acceptam mihi eandem aperiat, et, ſi ita lubet, de toto noſtri exercitus itinere authentice et debite aſſecuratio praeſtari non differatur: ne ſublata praeſenti opportunitate, nequicquam mox amiſſam queramur. De caſtris ſuae Celſitudinis certa circa Cracouiam haberi poterit notitia, qua dirigendae erunt literae, vel Miniſter ex parte Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum mittendus. O nos felices, ſi tanti inſtrumenta boni, fieri nobis contingat. Quod non deſpero, meaque tam bono publico ſtudia, quam ad voluntatem Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae, prompta ſemper voueo obſequia, teſtaturus quod ſim,

Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae

Amicus quo antiquior eo candidior

In Caſtris ad Varſauiam poſitis die 21. Iunii 1657.

MICHAEL MIKIES, Sereniſſimi Principis Tranſyluaniae Cancellarius.

Haec ille ad Sendomirienſem Caſtellanum, literis in hunc modum expeditis, ſequenti ſtatim die, 22. Iunii, Varſauia Cracouiam verſus caſtra mouere imperat Tranſyluanus, accepto a Varſauienſibus lytro, decem aureorum millibus. Magnis deinde itineribus,

Rakocius mouet Cracouiam.

1657 bus, in minorem venit Poloniam, vbi Melchiorem Comitem ab Hatzfeldt, Generalem Campi Marſchallum, Hungariae ac Bohemiae Regis cum octodecim armatorum millibus, lecti Germani exercitus, iam ad Cracouiam haerentem audit et horret. Igitur Cracouia relicta, Viſtulam amnem quantocius ſuperare parat, quem et tranſiit leui negotio. Superato Iſtula iam ſibi tutiſſimus videbatur Rakocyus, interiectu fluuii, cum ecce eodem fere momento nuntium accipit, GEORGIVM LVBOMIERSCIVM Campeſtrem nuper creatum Generalem, veterem amicum, intraſſe Tranſyluaniam, ac iam prope propugnaculum Munkatz, haerere, dimiſſis Polonis, qui ferro et igne vaſtarent Tranſyluaniam. Hoc ipſum, reddita in manus Principis, Polonorum loquebatur manifeſtatio, quam in haec verba conceperant Poloni:

Nuntium accipit de Polonorum in Tranſyluaniam irruptione.

MANIFESTATIO POLONORVM DE IRRVPTIONE IN DITIONES PRINCIPIS TRANSYLVANIAE.

Polonorum contra Tranſyluaniam manifeſtatio.

Nemo dubitat, naturae legibus cautum eſſe, alteri ea non facere, quae quis facienda ſibi minime optaret: iniurias tamen prohibere, ac vim vi repellere, ipſa natura docuit; dum equis vngulas, pardis et leonibus vngues, tauris cornua, apris et canibus dentes dederit. Homines vero diuerſa armorum genera edocuit, quibus propulſarent iniurias, propria defenderent, illata vlciſcerentur. Notum vniuerſo orbi eſt, gentem Polonam, nullum vnquam cum Tranſyluaniae Principatu, vel confiniorum, vel amicitiae, vel mutuae correſpondentiae, diſcrimen, ab immemorabili etiam tempore habuiſſe: quinimo cum inclyta gente Hungarica, ſemper, ſed vel maxime a Ludouico, Sigiſmundo, Alberto, Matthia, aliiſque ad haec vſque tempora, Diuis Hungariae ſuccedentibus Regibus, inuiolatam coluiſſe amicitiam, ſacroſanctumque pacis ſeruaſſe foedus. Eo etiam omni exceptione maiori nexu firmatum, cum Polonorum Hungarica, Hungarorum Polonica, ſaepius capiti imponerentur Diademata. Quod ſi praeteriti temporis, non libet reſpicere acta, praeſentis ſaeculi memoria, in Stephano Bathoreo, Tranſyluano, facile docebit. Nec defuerunt contra Turcas, ad Varmam, ad Albam Graecam, ad Budam, ad Agriam, in aliiſque plane ſingulis occaſionibus, Hungaris Polonorum ſubſidia. In diſturbiis vero domeſticis quibuſcunque, ac praeſertim Bohaianis, Bethlemianis, Rakocianis, velitationes, et conſilia, quo fraterno gentem hanc proſequerentur ſtudio, incolumitatemque eius acſi propriam proſpicerent. Nouiſſime etiam cum Valachia hoſtilitatem Tranſyluaniae inferret, quo ſtudio, qua fide Principi Tranſyluaniae adſtiterunt Poloni, qua dexteritate promouerunt victoriam, nemo eſt qui ignoret? Ac hinc eſt, quod in ipſo etiam rerum Polonicarum moderno ſtatu, a nemine primum, quam ab Hungaris petitum auxilium. A Diuo nempe Ferdinando III, Hungarorum Rege, Romanorumque pariter Imperatore Auguſtiſſimo, qui cum longiori conſilio ac deliberatione, pro tunc rem traheret, videreturque periculum in mora, conuerſa ſunt ad Georgium Rakocyum, Tranſyluaniae Principem, deſideria, delataque ei Coronae ſpes, ſi opem ferre laniatae Poloniae rebus mederique dignaretur. Verum vbi mel ſperabatur, inuenta ſunt ſpicula, hac enim re quaeſita ſpe vana Princeps elatus, maiorem in animo ambitioni locum dedit quam virtuti, ratus gladio et tyrannide occupare potius Regnum, quam illud amica obtinere electione. Tyrannidem, quam erga ſuos Tranſyluanos edocuit,

edocuit, contra Polonos arripuit, ignarus conſequentiae, quod qui libertatem aliis adimit, aufert ſibi propriam ſecuritatem requiemque: 1657

Ad generum ſiquidem Cerberi
Sine caede et vulnere pauci
Deſcendunt Reges, et ſicca morte Tyranni.

Nullis itaque conditionibus (quibus illi ſpes Regni proponebatur) admiſſis, faſtu ebrius, pace et opibus elatus, non auxiliaribus, ſed infeſtis armis ingreditur. Diuo etiam Romanorum imperatore inuanum deprecante, ac conſanguineis amiciſque ſuis ſine effectu diſſuadentibus. Illuſum ſe a Polonis profert, quod vocatum poſtpoſuerint, quaſi, et maiores Principes, non Dynaſtae et Vaſalli, ſed orbis Monarchae, pari modo ad ſpem Regni Poloniae tunc non fuerint vocati, ac etiam poſt non acceptatas conditiones poſtpoſiti. Vt enim Polonis certis conditionibus vocare quempiam licuit: Sic vocatis Principibus eaſdem conditiones non acceptare, omnino fuit liberum. Talique negatione diruta, nemini illata eſt iniuria: Cum in naturali vendentium et ementium contractu videamus, rem dari pro re, nec eandem ex tali contractu, gratis recipi poſſe. Iuuiſſet Princeps ſubſidiis et neruo belli Polonos, et ſi dediſſet filium ſuum in ſpem Regni educandum, prout petierunt Poloni, tunc habuiſſet ea, de quibus inepte iam conquaeritur. Legatum Suedicum ad ſe tendentem a Polonis captum, ſuum nuntium Cracouiam ad Wirtzium mandatum, et ex itinere ad caſtra Polona deductum, maleque tractatum doluit Princeps, ac inde violatam pacem prae ſe tulit. Iam vero legatus ille Suedicus nonne Polonorum hoſtis fuit? quare in ditionibus Poloniae non iure merito intercipi debuerat? Gentium enim de legatis iura, illis duntaxat afferunt libertatem, qui nuntiandae rei alicuius cauſa, etiam ab hoſte veniunt; non autem, qui clandeſtinis practicis, confines Principes contra alterum ſeducunt et nouas contra tertium fabricant colligationes, naturali etiam obſtante lege, quae ſagacitatem homini indidit, vt futura in tempore auertat ſibi imminentia pericula. Nuntius autem ipſius ad Wirtzium mandatus, non pro Polonis, ſed contra tulit literas, quod ex ipſarum tenore, probe compertum eſt, et vniuerſae Chriſtianitati euulgatum. Quare itaque detineri non debuit? quare honorifice tractari? licet de honorifica tractatione falſo imponatur, nam humaniſſime dimiſſus eſt, literis etiam a Principe Lubomierſcio ad Dominum ſuum acceptis, deduci vſque ad confinia Hungariae a deſtinatis debuerat. Verum vano terrore perculſus, pileo etiam rebuſque relictis vna nocte aufugit, quod etiam Poloni rerum eius ac literarum in Makoczam amandandarum neceſſitatem habuerint. Haec itaque iure Polonis inſtituendi belli apud Rakocium cauſa fuit. Non licet Polonis Suecorum homines capere, non licet venientes literas ad hoſtes intercipere; licet autem Tranſyluano contra Polonos hoſtiles legationes excipere, correſpondentias alere, Nuntios Cracouiam cum hoſtilibus literis mittere. Sed eſt adhuc et alia ratio inuadendae a Principe Poloniae. Vocatum enim ſe ad Regnum ab aliquibus Polonis Nobilibus aſſerit, idque authenticis vocantium literis deducit. Si ambitio non obcaecaſſet animum, perpendiſſet Princeps, an ad eiuſmodi rebellium poſtulata, Principalem ſuam dignitatem committere debuerat, non credidiſſet vocantibus ſe Arrianis, et de Regno Poloniae proſcriptis, ac perduellionis labe contaminatis hominibus. Nouerat bene Princeps Tranſyluaniae, cum indigenatum in Regno Poloniae pro filio peteret, quod ad ſolam nobilitatis praerogatiuam, niſi ex conſenſu totius Reipublicae in Comitiis Generalibus poterat aſcendere. Quare igitur per priuatas aliquorum literas, abſque Republica et comitiis,

1657 quod multo maius est, ad Maiestatis solium efferri voluit? quare id contra ius, fasque, viuente Poloniae Rege ambiuit? cum ipse etiam in electiuo Principatu sit, nec sibi idem fieri cupiat? Sed ambitio deduxit vnquam, et alios ad parem animi impotentiam et temeritatem, malo effectu semper, bono nunquam.

Hae rationes igitur fuerunt, quae Principem Transyluaniae necessitarunt ad arma contra Polonos suscipienda. Ingressus ideo Regnum Poloniae cum Transyluanis, Moldauis, Valachis, Cosacis, et diuersa gentium colluuie, patentes vbique publicari fecit literas, se protegere velle Poloniam, pacemque ei restituere, ac decennalem belli flammam extinguere. Progreditur in viscera Regni pacificator, mortuorum atque viuorum hostis, dum coemeteriis ac ecclesiis Christianorum cadauera, ab impio eius milite eruuntur, quaecunque peruia sunt, igne ferroque vastantur, solis Principibus Lubomierscіis ad trecenti exuruntur pagi, et perplura oppida, non est apud praetereuntem diuinarum humanarumque rerum ratio, profanantur, vastantur, comburuntur ecclesiae, occiduntur, vt pecora, homines, miris et inenarrabilibus tormentis ac cruciatibus enecantur Christiani; alii ad veru alligati assantur, alii serra per medium scinduntur, alii in lebetibus ad cereuisiam aptis coquuntur, alii detruncatis manibus, pedibusque demum enecantur, alii super ignem proiecti, pice et resina liniti torquentur, nec sexui, nec aetati, nec conditioni parcitur: infantes vno pede arrepti, ad parietem collisi occiduntur; mendicis et stipem petentibus eruuntur oculi, abscinduntur auriculae, detruncantur manus pedesque, ita vt etiam hostis ipse Suecus doluerit, et rem hanc Rakocio exprobrauerit. Nemo itaque dubium habeat, et praesertim inclyta gens Hungarica, Polonos iuste in ditionem Principis Transyluaniae irruptionem feciss̃e, tot tantisque eiusdem Principis sceleribus lacessitos. Nemo miretur, si vrentes videat pagos, et oppida, si campos cadaueribus stratos conspexerit, si matrum eiulatus, puerorum luctus, gemitus hominum audiuerit; non moueatur contra Polonos, horrida hac et abominabili Transyluaniae deuastatione, cum maiora in Polonia patrauerit Rakocius. Ipse est, qui hunc in Christianitate accendit ignem, ipse est vestigii mali auctor, eius Tyrannicum si non excutietis iugum, maiora vobis imminent pericula ab aliis etiam nationibus, quae tantam Tyranni dominandi libidinem non ferent. Vbi est illa antiqua Transyluaniae libertas? quae Principes tuos, de minori Tyrannide notatos saepius coercuisti? nunc impositum tibi seruitutis fraenum est, gemis sub Rakociano iugo. Hoc tibi sit inclyta Hungariae gens, Polonorum manifestum, qui pariter Vobiscum, et suam et Vestram deplorant calamitatem, dum vicem pro vice reddunt tibi Princeps inimice. Datum in castris ad Munkacz. 19. Iun. 1657.

Rakocio varia ac infausta referunt exploratores.

Forte adhuc in lectione huius haerebat manifestationis, cum ecce alius iterum ex Transyluania aduolat nuntius, referens CHRISTOPHORVM Comitem Generalem PVCHEIM cum lecto duodecim millium Germanorum exercitu, mandato Leopoldi Primi Hungariae Bohemiaeque Regis Potentissimi, ad Cassouiam Hungariae Regni in vicinia haerere Transyluaniae, paratum singulis momentis ingredi Principatum. Eo nec dum satis examinato nuntio, alius adhuc superuenit, qui Chanum Crimensem cum centum millibus Tartarorum aduenisse referebat, delendi Principis gratia. Tot simul imminentibus malis territus Rakocius, reuerti statuerat etiam non compositis cum Polonis rebus, in Transyluaniam, potissimum afflixit illum Generalis Pucheim nuntius. Actum enim de Principatu, vitaque sua crediderat, si Pucheimius tunc intrauisset Transyluaniam, vacuam praesidiis, territamque ad Polonorum insperatam irruptionem, ac minime Tartarorum inundationibus resistere valentem. Igitur haud mora castra mouere, eodem adhuc die imperat

Recedit Rakocius Transyluaniam versus.

perat Princeps Magerouiam versus, quam vndecima Iulii securus ingreditur, ibique liberalius genio cum suis indulgens, insperate eodem die a Czarnecio inuaditur: minor attamen ibidem accidit, quam creditur caedes. Constat enim triginta tantummodo viuos adductos esse a vexillifero Trocensi, centum vero praedio septos, atque bombardis longioribus audaciores, a gubernatore Parcensi deletos. Tabor siue carrago Hungarorum post traiectum Magerouiensem, aliquot millibus conflata curruum, quatuor ad minimum millionum thesaurum vehens, capta certissime a Polonis fuisset, nisi Polonus miles optimae inhians praedae, dedisset interea Rakocianis tempus, vires vt colligerent, Polonosque praedae inhaerentes campo pellerent, eoque modo pulsis campo Polonis, elabi victori Czarnecio properabat Rakocius Zolkieuiam versus. Ausus nihilominus sequi, et premere terga cedentis Czarnecius, per inuios Ianczouiensium saltus, (quem etiam a Zolkieuiae direptione ea tunc tempestate excusserat) Medzibozium vsque comitatus aduersarium, horribile sane in tot aduersis sui fiducia et singulari animo ac spiritu.

1657 Magerouiae subsistit aliquantulum, ibidemque a Czarnecio Poloniisque assequitur. Pugna inter Transyluanos et Polonos ambigua. Rakocius progreditur vlterius.

Interim ad Miedzybosz, Potocius, Lubomierscius, Sapieha, Generales, coniunguntur Czarnecio. Deliberatum ibi est: An progredi vltra deberent, an regredi? decisumque, non ante deserendum Rakocium, donec Hippanim seu Bohum flumen superaret. Prosperauit Altissimus Polonorum consilium, atque in persequendo Rakocio Czarnecii constantiam. Vix enim vnum et medium milliare, post Ducum Polonorum deliberationem processit miles Polonus, cum ecce adest legatus Rakocii deplorans susceptum contra amicam Poloniam bellum, promittebatque satisfacturum Principem, si tantillam moram paterentur Poloni. Respondit illico legato Rakocii Czarnecius in haec concepta verba: Si non simulatus est tuus aduentus Domine legate, ante omnia sistat fugam Rakocius, nostrumque aduentum expectet, ibi, elatis in altum gladiis contrahemus de pace atque iniuriis. Acceptat dictum Czarnecii legatus, currit ad Rakocium, eumque sistit ad fluuium Bohum, quem iamiam transire parabat, mira atque incredibili traiiciendi scientia, superare tamen eo die neque altero tam difficilem passum poterat. Animo itaque consternatus, spe de felici transitu desperata Mikiesium Cancellarium ad Czarnecium ocyus mittit. Qui in conspectum adductus Czarnecii, humiliter salutatis Ducibus exercitus, in haec verba loquutus est:

Subsequitur Czarnecius. Czarnecio iunguntur alii Generales. Deliberant de Rakocio persequendo. Legati Rakocii ad Polonorum castra aduentus. Eius ad Generales Polonos verba.

Quod ex publica fama de tua fortitudine et dexteritate Illustrissime Domine percepi, hoc reipsa experior. Peto nomine Principis mei Illustrissimam Tuam Excellentiam, dignetur ponere modum profusioni Christiani sanguinis, et saltem ad spatium vnius horae exercitum coercere ab armis: ego vero hac fide, qua me obstringo, proximos tractatus polliceor.

Czarnecii responsum, Rakocii legato datum. Mikiesiii cancellarii ad Czarnecium oratio.

Interrogatus deinde a Czarnecio; An essent parati, omnes iniurias, defauillatasque diuinas atque humanas res compensare? Qua ratione? quaesiuit Mikiesius. Respondit Czarnecius, auro et sanguine. Tum Transyluanus: Aurum non dabimus quamdiu ferrum tenemus. Ad haec Czarnecius: An putatis nos latere, vos iam esse in extremo agone vitae? si vobis animus deest compensare ex integro iniurias Regni, nobis vltro sese e venis proripit sanguis effundendus pro Rege, nostrisque fortunis pessumdatis. Haec fatus loco se mouit, atque suum exercitum tubarum sonitu accendens, contra Rakocium illico mouere imperat, remanentibus interea cum Mikiesio supremis bellorum Ducibus, Potocio, Lubomierscio, Sapieha. Czarnecium sequutus Polubinius cum Lituanicis quadraginta signis. Interim tum tubae inflantur, tum arma circumsonant in castris Czarnecii, male habet Lubomierscium tanta Czarnecii fiducia, igitur coram supremo Campiductore Potocio conqueritur. Cur tantum Czarnecio liceret? vt non expectata supremae poreſtatis tuba ipse suam inflaret. Haud mora, mittit supremus Generalis Potocius, qui cum Czarnecio expostularet de facto. Respondit Czarnecius: Non esse sui animi aut moris, non praeire ituris ad pugnam. Timidorum esse sequi vestigia ductoris. His dictis equo conscenso pergit Rakocium versus, plenus irae et indignationis contra Transyluanos, quorum haud procul quatuor millia obuiam habet Duce Kimitsi Ianussio Generale, qui ad Poloni Regis mittrebatur exercitus Duces. Obsecrabat ille per Druskieuicium Polonum, vt tantisper pugnam moraretur Czarnecius, omnibus punctis, Poloni quae vellent, se subscripturos. Respondit Czarnecius: Nihil se horum credere, quae Kimini Ianus significabat, haec enim ficta esse ad circumueniendos Polonos, vt interim Rakocius beneficio imminentis noctis, se et suos vltra Bohum seruare posset incolumes. Tum Generalis Transyluanus

Collocquium inter Mikiesium Rakocii cancellarium et Czarnecium. Czarnecii responsum et conclusio. Indignatio Lubomierscii contra Czarnecium. Eiusdem responsum. Confusio in vtroque exercitu Polono et Transyluano.

1657 ſyluanus rogare inſtanter coepit. Mitteret ſaltem aliquem Czarnecius, qui circumſpiceret caſtra Rakociana, quod loco ſint immota. Huic Tranſyluano poſtulato aſſentit Czarnecius, miſitque illico Stempouium veteranum militum tribunum exploratum; duas vero, non amplius horas, ſubſcribendis pacis conditionibus indulſit.

Czarnecii contra Lubomierſcium proteſtatio.

Interea ſupremi bellorum miniſtri, Potocius, Lubomierſciuſque, mandant Czarnecio, ne auſpicetur pugnam, abſque eorum nutu et aduentu. Ad haec Czarnecius: Proteſtor, inquit, coram vniuerſo exercitu, me non fore in cauſa, ſi euadat hoſtis, tanto viarum diſcrimine, tot equorum interitu quaeſitus, cum tanto in poſterum Reipublicae periculo et diſpendio. Hac facta proteſtatione, rediit ad Potocium, Lubomierſciumque Czarnecius, quos iam conſultantes de pace inuenit. Diſputatum ibi fuit, quaenam conditiones Rakocio proponendae eſſent. Has ipſe cogitauit Czarnecius. Harum autem conditionum a Polonis Tranſyluano propoſitarum haec ſumma fuit:

Poloni conſultant de conditionibus Tranſyluano conſcribendis.

Tranſyluano factae a Polonis propoſitiones.

I. Deprecaretur ſuam Maieſtatem titulo Reatus Rakocius per ſolennem legationem. Similiter et Sereniſſimum Hungariae Regem Leopoldum Primum, ſi quid in eum offenſae ex hoc bello redundet, deprecaretur. Item Portam Othomanicam tanquam iſtius belli haud conſciam.

II. Quatuor milliones pro illatis iniuriis Polonae Reipublicae intra annum numeraret.

III. Omnia ſpolia regni ex tunc deponerent Tranſyluani ac reſtituerent, praeſertim Eccleſiaſtica.

IV. Omnia tormenta, apparatumque Artilleriae.

V. Nomini ac honori ſuae Illuſtritatis inclinarent vexilla.

VI. Reſcinderent omnem amicitiam cum hoſtibus regni, nominatim cum Suecis et Coſacis, quando autem neceſſe eſſet, militem alerent pro Polona Republica.

VII. Omnes captiuos liberos facerent.

VIII. Omnes perduelles ſuae Maieſtati traderent.

IX. Si conſcios huius belli ciues regni aut Senatores aliquos eſſe norunt, eos nominarent, eorumque literas proderent.

Reiicit ille aliquas.

Haec ſumma conditionum, quas Poloni proponebant Tranſyluanis. Acceptant illi omnia, excluſo Leopoldo Primo, Hungariae, Bohemiaeque Rege, cum quo nihil ſibi eſſe aiebant. Neque Poloni poſtea inſtabant pro amico et foederato Rege, cuius auſpiciis pugnarunt, et vicerunt hoſtem. Conſtat propria Czarnecii confeſſione, totius victoriae de Tranſyluanis obtentae, hoc ſtratagema profuiſſe. Sparſerat Czarnecius, per omnes ſuae peregrinationis vias, infinitam potentiam Leopoldi Primi Hungariae Bohemiaeque Regis, iamiam veſtigio ſui adeſſe, vna cum ipſo Polono Rege. Hoc ipſum proprio perſuadebat exercitui, quo facilius deciperet Rakocium. Hinc factum eſt, vt hoc rumore credito, per caſtra Polona, Rakocius quoque captis Polonorum nonnullis idem ex iiſdem crediderit, atque ita panico quodam metu rueret in paludes, pacemque acceptaret, qualem Poloni dixere. Summa igitur genuinae Polonorum cum Rakocio pacis haec fuit:

Czarnecii ſtratagema.

Tandem Poloni componunt cum

I. Princeps Tranſyluaniae deprecabitur Polonum Regem, per ſolennem legatum, ſimiliter et Portam Othomanicam.

II. Vnum millionem exercitui Polono, ducenta vero florenorum millia Polonae monetae belli ducibus numerabit. Similiter honorarium Chano Crimenſi congruens tranſmittet. Sed haec conditio priuato ſcripto vt haberetur, neque exprimeretur in publicis authenticis, impetrauit Mikieſius. 1657 Rakocio, excluſo Hungariae Rege.

III. Omnia ſpolia regni, ex nunc deponent, et reſtituent Tranſyluani, praeſertim Eccleſiaſtica.

IV. Reſciſſionem amicitiae cum hoſtibus Poloniae Regni acceptat Rakocius.

V. Reſtitutio Breſtiae et Cracouiae, in qua Virtzius ſolum vt hoſpes erat.

Polonus exercitus pugnam appetit cum Tranſyluanis.

Ad extremum vitam ſibi donatam fatebantur Tranſyluani, intruſi in inextricabiles anguſtias. Haec dum concludebantur cum belli ducibus Polonis, coram vniuerſo exercitu, oritur confuſus clamor militum, nolle ſe aurum, ſed velle cruorem hoſtis, aut ſuum fundere. Malumus pugnare aiebant, quam aeſtimationem facere ſanguinis innocentis, inermis ab Hungaris effuſi. Reſpondebat Cancellarius Tranſyluaniae idem ipſe Mikieſius: Si coacti a vobis fuerimus, pugnare debebimus et nos. Subiunxit deinde: Si, inquiebat, Celſiſſimus Princeps meus, eſſet captiuus Tartarorum, non pluris ſuam eliberationem aeſtimaret. Deinde coram belli ducibus calculationem prouentuum Tranſyluaniae faciebat, perſuadens ſe paratos decem milliones Polonae Reipublicae contribuere, ſi tanti eſſent.

Rakocii cancellarii reſponſum Polonis militibus.

LIBRI VIII. CAPVT III

SYNOPSIS

Exercitus Rakociani numerus. Literae Reginae ad Potocium in causa Rakocii, cui multum fauebat. Rakocii filius destinatur in Regem Poloniae. Reginae exprobratio Polonis. Rakocium inuisunt Poloni duces, excepto Czarnecio. Eiusdem de Rakocio sensus. Rakocius incidit in Tartaros, a quibus momento circumuentus. Ipsemet per Lubomierscium saluatur. Caesorum numerus, capti Generales. Cracouia ab Hatzfeldio oppugnatur. Legati Rakocii, ad castra Polona aduentus. Cracouiae turbatur Wirtzius, audita pace cum Transyluano. Rem diligentius examinat. Consultant Hungari cum Suecis de Fischeri suscepta legatione. Bethlem Ianussius legatos mittit ad Polonum Regem, negans Cracouiae deditionem. Responsum legatis Ianussii a Polono Rege redditum. Iterum consultant Hungari cum Suecis, ac deditionem persuadebant. Contradicit Wirtzius, Transyluanosque ad extremum vrbe regia pellit. Transyluanorum egressus. Literae Wirtzii ad Hatzfeldium. Responsum Hatzfeldii. Wirtzius inclinat ad vrbis deditionem, si subscribat Hatzfeldius. Consentiunt Poloni Wirtzii postulatis. Eorum cum Wirtzio compositio. Tractatus inter Wirtzium et Polonos de dedenda Cracouia. Recepta Cracouia inter Polonos et Austriacos contentio et tumultus. Literae Przyiemscii ad fratrem contra Austriacos.

1657 Hic finis belli Transyluani parum expectatus, eoque modo haec gesta sunt, quo scripsimus. Certum est, si pugnare ausus fuisset Transyluaniae Princeps ad extrema redactus, forte dubiam belli praestitisset aleam. Erant illi bellatorum selectorum triginti millia, tormenta viginti septem. Equi, vix fides obtinet, quam celeres. Contra Polonorum in vniuersum exercitus vix decem millium numerabatur; equi fere omnes continuis itineribus consumpti, tormenta bellica nulla, pulueris nitrati modica et vix credita quantitas. His accessit Reginae mandatum, et ad belli Duces codicilli, quibus iubebantur inire omnes vias tractatuum de pace cum Rakocio. Si enim (verba sunt Reginae) permisit Deus, vt Princeps Transyluaniae adeo armatus, et aestimatus in Polonia, concurreret ad eius augendam calamitatem, placebit etiam eidem diuinae Maiestati, vt postquam ille experimento suorum confoederatorum aduertet insincerum animum, inueniat media reducendi eum ad antiquum amorem et respectum erga Sereniſſimum Regem nostrum: sperarique potest, eo firmiorem fore ipsius amicitiam, quo imperfectiores fuerunt omnes illae liberales affectuum declarationes, et promissiones noui Domini, quae ante paucos menses, eidem iuramento erant comprobatae.

Exercitus Rakociani numerus.

Reginae ad Potocium literae in causa Rakocii, cui multum fauebat.

Haec summa Poloniae Reginae literarum, quibus illa aperte fauebat Transyluano, sperabatque aliquando futurum, vt filio Rakocii tunc adhuc puero, vix duodecimum egresso annum, paulo post desponderet neptem Reginae, tenellam aetate, Palatina e gente natam, sororis suae filiam, Parisiis in aula Galliae educatam, eoque modo iunctus connubio Rakocius, fatis functo IOANNE CASIMIRO, apud Polonos regnaret, vna cum nepte Reginae. Hoc ipsum proposuerat per legatum Rakocio, minime aspernanti talia promissa, explorata prius Polonorum in Transyluanum animorum inclinatione; tentato, per ANDREAM MIASKOWSKI adhuc ante Transyluanum, Ferdinando tertio Augustissimo Caesare, cuius filio Leopoldo primo, Hungariae tunc Regi, offerebat neptis suae amores. Caeterum aspernata ab Augusta Domo Reginae legatio, egit iratam mulierem in aduersa consilia, vt pro Domo Augusta Rakocium assumeret, Rakociumque ad regnum vocaret. Auditae sunt saepius in ore Reginae exprobrantis voces, coram quibusdam Polonis, Austriacis fauentibus, repetitae: *Ite damnatae ad seruitutem animae, mox futuri apud Viennenses ludibrio, quod nunc de facto ipsi experiuntur Hungari.* Habitum, credo, intelligebat Polonum, quem ludibrio apud Viennenses futurum praedicebat. Haec ex occasione Reginae literarum dicta sufficiant.

Rakocii filius destinatur in Regem Poloniae.

1657 Reginae Polonis exprobratio.

Interim vigesima tertia Iulii, die, S. Apollinari sacro, concluſa, ac iuramentis ab vtraque parte roborata cum Transyluano pax, vniuerso publicabatur exercitui, ipsis supremis belli ducibus Rakocium inuisentibus. Persuadebat et Czarnecio, eiusdem a confessionibus Pater ADRIANVS PIKARSKI, Societ. Iesu presbyter; vt ille quoque adiret, inuiseretque Transyluaniae Principem, literisque Reginae hac in parte obtemperaret. Respondit Czarnecius: *Se non posse vlla ratione intueri illum incendiarium templorum, aut truculentum sanguinis Christiani adorare carnificem.*

Rakocium inuisunt Poloni duces, excepto Czarnecio. Eiusdem de Rakocio sensus.

In hunc modum compositis Rakocius cum Polonis rebus, securus videbatur esse et extra omne periculum, cum ecce insperate incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Octauo siquidem die, ad ipsos Transyluaniae fines, incidit in Crimensis Chani numerosum exercitum, centum viginti bellatorum millium, a quibus primo circumuentus, mox et deletus est, tam foeda clade, vt ex triginta bellatorum millibus, vix, beneficio Polonorum, cum sexcentis euaserit Princeps, pridie de imminenti clade a Lubomierscio elam admonitus, eiusdemque iussu in ipsam Transyluaniam securitatis causa, a militum tribuno Sapieha deductus. Capta tunc omnis Principis suppellex, quae quatuor auri excedebat myriades; abducti in seruitutem ordinum ductores, atque adeo ipse IOANNES KIMINI, dux exercitus, qui, paulo post cladem, inuisenti Chanum Crimensem Lubomierscio, supplex obuiam factus exclamauit: O me miserum! Illustrissime Lubomierski; hominis exto simulacrum, ac viui hominis sepultura! Multi diuinitus punitum per Tartaros credidere Rakocium. Quid enim irarum Tartaris cum Transyluano, Ottomanicae portae vasallo? cuius et illi protectionem agnoscunt. Ita est, Deus tunc ipse miraculo pro Austria, ac Leopoldo Hungariae ac Bohemiae Rege, per Tartaros pugnauit, quem excluserant Poloni, non sine vniuersi orbis admiratione, ira, ac indignatione! Quid enim acturum censebat Europa Rakocium, triginta millibus bellatorum superbum? ac tunc Polonis coniunctum, nisi, vt Portae ministris auro placatis, bellum in mediam transferret Austriam? Quod et accidisset, nisi Deus patronum se Austriae tunc ostendisset, quo momento, vesana Rakocii Polonorumque euertit consilia toti Christianitati nocitura.

Rakocius incidit in Tartaros, a quibus momento circumuentus.

Ipsemet per Lubomierscium saluatur.

Caesorum numerus, capti generales.

Rakocio tali ratione diuinitus punito, animosius obsidionem Cracouiensem premebat Hatzfeldius, ratus totam, simul in vna vrbe liberatam fore minorem Poloniam, quod et accidit. Vrbs illa Cracouia ante id tempus inuicta, caput Poloniae, quamuis Wirtzii colonelli defendebatur virtute, aliquanto post Hatzfeldio cessit. Nemo tamen negauerit, maximum momentum rebus addidisse Transyluanorum ex vrbe Regia egressum. Etenim postquam quarta Augusti, Petrus Fischer Rakocii legatus, Austriaca ad Cracouiam attigit castra, illico de more Polonum veneratus Regem, venire se dixit cum mandatis Principis sui ad Bethlem Ianussium, vt Cracouiam Polono redderet Regi, vrbeque metropoli quantocius abscisteret. Pergratus fuit Fischeri aduentus, potissimum Regi, Proceribusque Polonis, sed magis legatio ad Bethlem Ianussium. Igitur eodem die mittitur ad Transyluanos Regius tubicen, qui mandata Principis deferret Bethlemio, significaretque de concluſa pace, Principem inter et Regem Polonum. Adesse et legatum in castris Poloni Regis, qui certiora afferret, instructum literis, quae mentem Principis vberius declararent. Hoc nuntio instructum Regium tubicinem Cracouiam dimittunt, quam vbi intrauerat, medium vrbis praeterue&tus forum, vt erat instructus, alta voce clamitare coepit: *Pacem vobis, Hungari, fero, Cracouiamque nomine Poloni Regis repeto.* Adductus deinde in conspectum Wirtzii, ab eoque grauiter reprehensus propter audaciam, identidem repetebat; Se vero a Rege Poloniae non ad Wirtzium, sed Bethlem Ianussium missum, vera afferre de pace cum Transyluano stabilita. Interrogatus deinde de literis; respondit, se quidem ad praesens literas non habere, caeterum breui affuturas, si ita videretur Wirtzio. Remissus igitur tubicen ad legatum Rakocii, ab eodem retulit literas, quas Wirtzio extor-

Cracouia ab Hatzfeldio oppugnatur.

Legati Rakocii ad Polona castra aduentus.

1657 quenti reddere negat, niſi ipſimet Bethlem Ianuſſio; accitus deinde Bethlem Ianuſſius a Wirtzio literas aperit, legit, ſtupet, Wirtzioque factum inſperatum communicat; tandemque tubicini reſpondet, die ſubſequenti velle colloqui ipſimet legato, ingrederetur modo Cracouiam.

Cracouiae turbatur Wirtzius, audita pace cum Tranſyluano. Rem diligentius examinat.

Sequenti igitur die, ſexta ſcilicet Auguſti, intrat legatus Rakocii ciuitatem attonito Wirtzio, et in re tam ſubita pauenti. Factum narrat, egreſſumque Tranſyluanorum perſuadet, et vrget, contradicente primo Wirtzio ac mox prae indignatione et ira, vix ſibi ipſi temperanti. Furebat enim violentus et diſcorde tumultu raptum animum ſpargebat in diuerſa: nunc pudore, nunc infelicitate coeptorum agitatus; quam bene proceſſerint initia, vt diu poſſeſſa, vt ſtrenue defenſa erat Cracouia. Sub haec frendens tota ferebatur ciuitate, adeo inutili ad caetera ſenſu, vt nec ruere in ciuitatem ſentiret hoſtes. Eoſdem affectus ſimulauit Bethlem Ianuſſius, quo pacatius ab inſano audiretur Wirtzio, cum hac arte locum monendi ſibi aperuiſſet. Iam nox eſt, inquit Tranſyluanus, melius in craſtinum de deditione vrbis deliberabimus. Ego enim fictas Principis mei ſuppono literas.

Conſultant Hungari cum Suecis ſuſcepta de Piſcheri legatione. Bethlem Ianuſſius legatos mittit ad Polonum Regem, negans Cracouiae deditionem. Reſponſum legatis Ianuſſii a Polono Rege redditum. Iterum conſultant Hungari cum Suecis, ac deditionem perſuadent. Contradicit Wirtzius.

Tribus igitur ſubſequentibus Auguſti diebus, conſultabant Tranſyluani, cum Wirtzio, praecipuiſque Suecorum tribunis militum, concluſumque eſt, non ante vrbe Cracouia excedere poſſe, quam repetitae ab ipſo Principe venirent literae. Eoque reſponſo inſtructos dimittunt duos Tranſyluanos ad Polonum Regem, qui Bethlemii ſignificarent declarationem. Introducti illi ad Regem coram praeſenti Senatu, quae in mandatis acceperant, exponunt, quibus reſpondere iubet illico Rex, referreque ignaris, quae agebantur cum Principe illorum, vt poſt concluſam cum Polonis belli Ducibus pacem, incidiſſet Tranſyluaniae Princeps in Crimenſem Chanum, ab eoque deletus eſt; vt aegre ope Polonorum, ipſemet euaſiſſet periculum vitae, deductus a militum tribuno Sapieha cum pauciſſimis in Tranſyluaniae viſcera. Cauſam tantae cladis non aliam extare, quam barbaricum Tartarorum furorem, ſcilicet, quod iis inſciis pacem cum Principe concluſiſſent Poloni, contra expreſſa pacta, quibus mutuam hoſtium, aut amicorum iurauerant cauſam, hinc nullam pacem cum Principe declarabant Tartari, quae inſciis iis, tanquam confoederatis concludebatur. Deiecto vultu audiuere legati, hanc Principis ſui cladem, et aeternam Tranſyluani nominis labem. Igitur haud mora Cracouiam reuertuntur, enarrantque ſingula Wirtzio, Bethlemioque prout audiuerant. Audito hoc nuntio Tranſyluani, denuo ad conſilium Wirtzium Suecorumque legionum moderatores inuitant, rem omnibus communicant. Tandemque poſt longas ambages, ac trium dierum continuatam deliberationem, ad pacis media cum Polono Rege deſcendunt. Wirtzio nihilominus declarante, ſubeundum potius vltima, antequam vrbem dederet.

Tranſyluanoſque ad extremum vrbe Regia pellit.

Caeterum Tranſyluanis ſerio de pace agentibus, vrbe Regia Wirtzius exceſſum tali arte parat. Finxerat Hatzfeldium generalem, Caſimiriae meditari expugnationem, igitur ad defenſionem omnia praeparat, ſocioſque vrbe excedentes inuitat ad valedicendum Caſimiriae, hilarem eam Tranſyluanis promittens diem, quae Germanorum oppugnationem, eorumque vrbe regia exceſſum antecedebat. Mandatis Wirtzii paruit Bethlem Ianuſſius, conuaſatiſque ſuorum rebus valedicere Suecis in craſtinum parabat, cum ecce egreſſi Cracouia Tranſyluani, Caſimiria quoque a Wirtzio ibi tunc praeſente prohibentur, migrare in Tranſyluaniam ocius imbelles animae edicto Wirtzii iuſſi.

Tranſyluanorum egreſſus. Literae Wirtzii ad Hatzfeldium Generalem. Reſponſum Hatzfeldii.

Ita deluſi Tranſyluani, decima octaua Auguſti exceſſere Regia vrbe, ſine ſociis Suecis. Nec multo poſt Wirtzius luſtratis ſuorum, non amplius mille quingentis poſt exceſſum Tranſyluanorum, quorum tria numerabantur millia, Hatzfeldio ſcribit: Exceſſiſſe vrbe Cracouia Rakocianorum tumultuariam manum, recederet quoque a Cracouia Hatzfeldius, amicoſque Suecos optata pace frui permitteret. Arma enim Auſtriaca ſemper Suecis amica fore ſupponebat, nec alia intentione intraſſe Poloniam credebat Hatzfeldium, quam ad pellendos Rakocianos, quos vltor Deus per Tartaros puniuit. Reſpondit Hatzfeldius Wirtzii literis: Se ad recuperandum Poloniae Regnum, a quibuſuis hoſtibus violenter occupatum, Regique IOANNI CASIMIRO integre reſtituendum veniſſe. Dederet Polono Regi Wirtzius Cracouiam; ſe enim ab vrbe non poſſe, niſi capta recedere, iuſſu Poloni Regis, cuius mandatis obtempero ego, et exercitus mihi commiſſus. Ad haec

haec Wirtzius tergiuerſari primum, mox, vbi videt fallacias non procedere, nec vires eſſe ad reſiſtendum, Hatzfeldio, veterano militi, multarum palmarum Duci fortiſſimo ſimul et feliciſſimo, tractatus et ille pacis cum Polono Rege, Hatzfeldio proponit, ea tamen lege, vt concluſis tractatibus, vterque ſubſcribat Rex Polonus et Hatzfeldius. Negabat enim Polonorum fidei ſe committere velle, ſed Hatzfeldii; dictitans Polonis nullam fidem eſſe; reuocabat praeterea Wittembergii caſum, quo monebatur, nunquam fidendum Polonis eſſe, barbaris quibusdam ferocioribus. Haec Wirtzius contra Polonos Hatzfeldio memorabat. 1657 Wirtzius inclinat ad vrbis deditionem, ſi ſubſcribat Hatzfeldius.

Conſentiunt Poloni Wirtzii poſtulatis. Eorum cum Wirtzio compoſitio.

Audita Poloni Proceres Wirtzii declaratione, haud mora, vrbis potiundae auidi, Hatzfeldium cum Wirtzio componere precantur. Addunt et Polonos commiſſarios, Morſtinium, Miaskowski, Denhoffium, qui rem accelerarent, feliciterque quantocius, vna cum Hatzfeldii concluderent Commiſſariis, Comitibus Montecuculli, et Gieccio, Barone item Keiſerſtein. Illi rem feliciter coeptam, felicius peragunt, vrbemque Cracouiam per deditionem, ſeptimo ab exceſſu Tranſyluanorum die, Polono vindicant Regi. Summa tractatus initi haec fuit:

Summarium punctorum tractatus initi inter commiſſarios exercitus Sereniſſimi Hungariae et Bohemiae Regis, et Sereniſſimi Regis Poloniae, Sueciaeque et Wirtzii Commendantis Cracouiae, in caſtris 24. Auguſti 1657.

I. Tenentur Sueci exire, et ciuitatem Cracouienſem cum arce tradere abſque vllo dolo.

II. Tenentur exire, ſeptima die poſt Contractum ratifactum ab omnibus partibus.

III. Exire eis licitum erit cum ſignis explicatis, funiculis accenſis, globo in ore, tubis et tympanis ſonantibus.

IV. Licitum eis erit auehere, quicquid cum omnibus equis, quos habent in ciuitate, auehere poterunt, quibus Poloni tenebuntur adiungere in itinere ducentos equos.

V. Licitum eis erit 13. tormenta bellica, et munitionem ad ea neceſſariam, ſecum auehere.

VI. Conducentur vſque ad Croſſen, a mille equitibus duce militum tribuno Garner, et ducentis peditibus Germanis.

VII. Ornamenta eccleſiaſtica, ſi quae adhuc ſint, relinquent.

VIII. Ignoti milites, tam Poloni, quam Germani, recipi poterunt.

IX. Arriani veniam deprecabuntur, non facto, fiſco bona tradentur, atque in exilium mittentur.

X. Iudaei clementiae Sereniſſimi Poloniae et Sueciae Regis expoſiti ſunt.

XI. Relinquent Sueci 150. tormenta bellica, centum pulueris centenaria, plurimaſque munitiones.

1657 Haec ſumma compoſitionis cum Paulo Wirtzio militum tribuno Sueco, viro alias fortiſſimo, nam etiam in hoſte laudanda virtus eſt. Die deinde vltima Auguſti egrediebatur vrbe Suecorum praeſidium, ſignis expanſis, tympanisque pulſantibus, militari more: Parte vero ab alia ingrediebantur Cracouiam Germani milites iuſſu Hatzfeldii. Vix intrauerant vrbem Auſtriaci milites, cum ecce a Polonis proceribus monetur Hatzfeldius, debere Cracouia abſtinere Germanos. Virtute enim, aiebant, Polonorum factum, quod Hungari Cracouia ceſſiſſent, hinc inferebant, nihil ſe Germano debere militi, Auſtriaciſque ſubſidiis, cum ipſimet Poloni ſine ſociis Germanis Regno pepuliſſent Rakocium.

Recepta Cracouia inter Polonos et Auſtriacos contentio et tumultus.

Contra Hatzfeldius, aliique militum tribuni pacta memorare Viennenſia, cum Polono legato concluſa, in quibus Cracouia vna cum Poſnania, ſecuritatis cauſa, Leopoldi primi, Hungariae Bohemiaeque Regis cuſtodiendae concedebantur militibus. Diu vtraque pars certabat rationibus, Polonis per vim pellere volentibus Cracouienſe praeſidium, ſimul et Auſtriaca ſubſidia. Ventumque procul dubio fuiſſet ad aperta Polonorum odia, indignationemque, niſi prudenter per id tempus diſſimulaſſent Auſtriaci, infinitis calumniis, ac inauditis criminationibus laceſſiti a Polonis. Duarum hebdomadarum ſpatio vix componi poterant iurgia, a maximis quibuſdam perſonis, potiſſimum Lubomierſcio in immenſum aucta, caeteriſque Polonorum proceribus clandeſtine inſuſurrata ac ſubminiſtrata, inſtante Gallico oratore D'OMBRES, apud Reginam, pro regis ſui foederato Sueco. Certum eſt, vix a ferro tunc temperaſſe Polonum militem, qui ſi fuiſſet auctior, vt erat inſolens, victoria elatus Rakociana, non dubitaſſet eminus congredi cum Auſtriaco milite, cuius opera, eo inſtante, vtebatur, terroreque debellauerat Rakocium, recuperauerat Cracouiam, Regemque Sueciae in Bremenſem vſque egerat ducatum. Tandem ſopitis ad tempus odiis, Cracouiam concedunt Poloni Auſtriacis, ad breue momentum, arce excepta, quae vrbi dominatur, eoque modo, primo ſtatim in limine violata a Polonis pacta Viennenſia, neque deinde quidquam obſeruatum, Polonis omnia Auſtriacorum facta geſtaque in deterius interpretantibus, ac coram vniuerſo mundo, non ſine labe Poloni nominis, criminantibus 99). Extat copia literarum Przyiemſcii equitis Poloni, ad fratrem CHRISTOPHORVM, Culmenſem Caſtellanum ſcripta, et per ea tempora typis impreſſa, audax et inſolens, vt ea ferebant tempora, huiuſmodi tenoris:

Illuſtriſſime Domine Frater,

Przyiemſcii ad fratrem literae contra Auſtriacos.

Redditae mihi ſunt literae tuae hic Cuſtrini, tum plane cum excurrerem in arcem Wildenbruch, ſalutandi gratia Excellentiſſimum Dominum Dauan Court. Et quia quarto die literae tuae peruenerunt huc, facile eſt exinde colligere, quodſi hoc trimeſtre elapſum fuiſſet in mutua correſpondentia, multum commodi redundare poterat in patriam noſtram, circa eius pacem et tranquillitatem, in qua per fatalem incuriam adeo mala inualuere, vt verendum ſit, ne ſalubria quantumlibet remedia fruſtra adhibeantur. Qua de re in praeſentia nonnihil tecum conferam, paratus et impoſterum vlterius progredi, niſi nos partium ſtudia, quae in ſpeciem plauſibilia, non vtilia, patriae eſſe poſſunt, totaliter ſeiungant. Et e re quidem praeſenti videretur, quaedam praefari de inſtituto meo, melioris informationis gratia, quam hactenus vulgi, vel inuidorum tumultuariam ſecutus ſententiam, habuiſti. Verum quoniam liberiori tempore, ſpecialia quaedam in hoc negotio conſignata, tranſmiſſa tibi a me erant, non faciam ex epiſtola apologiam. Breuibus tantum expediam, me nullos adhuc agnoſcere in me errores: nec quiſquam mortalium obiicere mihi iure quidquam poteſt, quod famae et exiſtimationi meae noceat, nunc temporis et olim apud poſte-

99) Male hic mihi auctor et contra principia prudentiae ciuilis ſcripſiſſe videtur, qui violationem pactorum Viennenſium generatim Polonis obtrudat, cum ea, vt optime ſcire et potuit et debuit, non toti genti, ſed quibusdam tantum imputanda. Nil enim neque per Senatus conſilium, neque per comitia hac in re fuit ſtatutum. Regina autem, clam cum Rakocio faciens, vt ipſe auctor innuit, Auſtriacae auguſtae domui incaſſum infenſa, haec omnia machinationibus ſuis, vt moleſtiam Auſtriacis exhiberet, effecit.

poſteritatem, quae omnes has tranſactiones ſine ira et ſtudio diiudicabit. Haud 1657
multum moror praeſentis, quo haec fiunt, temporis praeiudicia: eam ob cauſam, quod iniqui iudices, vel ob manifeſtam in Regem ſuum praeuaricationem, vel ob indecoram paulo poſt inconſtantiam, erga Regem Sueciae, alio iudice, qui talium innocuus ſit, opus habent. Me itaque (vt pauciſſimis verbis attingam) nec temeritas, nec ſpes vlla ad hanc, quae mihi a te obiicitur, neutralitatem impulerunt, ſed partim certae obligationis in ſumma patriae, primum concordia, mox confuſione, neceſſitas, partim praeſentis ſtatus metamorphoſis admiranda: adeo, vt conſilia, quae pro remediis ſuſcepiſtis, tantum abeſt, vt pacem patriae afferre valeant, vt potius eam, niſi Deus ipſe prouiderit, in maiores et inextricabiles difficultates certo certius deducant. Teſtis eſt poſt Deum, et propriam conſcientiam, tota reſpublica, quanto conatu optarim, hanc a republica tempeſtatem abeſſe, cauſam publicam naufragii. Nouit Sereniſſimus Rex, norunt Illuſtriſſimi D. D. Cancellarii, quae conſilia mea circa foedus et ſocietatem cum Belgii Statibus fuerint? Sed ſurdis fabula canebatur, fato imminente. Vſtienſis tractatio notior eſt, quam vt opus ſit in praeſentia repetere. Poſt inſecutas clades exercitus, poſt deditionem Warſouiae et Cracouiae, poſt ſubſcriptum contractum a Generaliſſimis exercitus, poſt ſuſceptam Sueciae protectionem, a Palatinatibus maioris et minoris Poloniae, vt et rubrae Ruſſiae, venit Sereniſſimus Rex Sueciae victor in vrbem Torunenſem, vt in propriam, vbi tunc cum charis pignoribus commorabar. Ibi primum veni in conſpectum Sereniſſimi Regis, eique ex occaſione recordationis, tam fratris noſtri defuncti, Sueciae olim militantis, quam tui ipſius, vtpote legati ad eundem Sueciae Regem, data fide, ſtipulatus ſum. Quis tunc cogitaſſet de mutatione, quae poſt aliquot menſes inſecuta eſt, praeſertim cum a nemine veſtrum, monitus fuerim de iis rebus, quae in Sileſia concludebantur? Et tamen poſt tranſactionem et reſtitutionem Varſauienſem, ſpectabam cum multis vlteriorum conſiliorum rationem, et quid mihi fato patriae aliorſum deducto faciendum foret. Ibi tum momento turbinis exit e vicinia fama, certae iam pactionis cum magno Duce Moſchouiae,, mox cum Principe Tranſyluaniae, tandem cum Sereniſſima Auſtriaca domo. Quae omnia, vt fatear, mihi diſplicuere, et remedia morbo peiora viſa ſunt. Exinde enim intellexi, abieciſſe vos omnem pacis cogitationem cum Suecis, quaſi bellum aliter quam per pacta (quod nulli adhuc belligeranti contigit) finire poſſetis. Quod attinet ad tractatus Moſchouiticos, eos nec ex decoro, nec ex vtili Reipublicae eſſe, et orbis iudicium, et Veſtrum proprium probat; Nam breui hiſce contemtis, vel ſilentio tranſmiſſis, contuliſtis Vos ad Auſtriacos, et ad Sereniſſimam Domum hanc confidentius reſpexiſtis. An non errores ſunt quaeſo? plane hic caecus amor fuit, ſi defectus non animaduertit: quam quidem ambitioſam obſtinationem, iuſta ſubſequi ſolet Nemeſis, et oculos, quos culpa claudit, poena aperit. Et ne ipſe pari vitio teneri videar, quod errores pariter excuſem, hoc ita declaratum cupio, me ex comparatione errorum publicorum, tenuiſſimos vel nullos, in priuatorum innocente vita agnoſcere. Caeterum humani tamen nihil a me alienum puto, reſque mortalium tam profunda calligine merſas, tamque fallaci perſona ſeſe repraeſentantes, vt difficulter indicari poſſit, quid verum, quidue honeſtum ſit. Non ſecus ac imagines ab artifice factae, ex vno latere inſpicienti formam Gigantis, ex altero ſpeciem Pygmaei referunt. Ex hac itaque parte ego, intueor pacta Moſchouitica, quae mihi repraeſentant maiorem in dies Lituaniae calamitatem, et funeſtum exitium. Quamuis id certum ſit, diſſimulare adhuc magnum Ducem contemtum ſuum, qui ſi aliquando apertius furere incipiat, quid ſperandum

1657 eſt? Vos ſi ab alia parte contraria conſpicitis, omnia fauſta infallibili augurio exinde promittitis Reipublicae, amplius edocete. Sereniſſimus Tranſyluaniae Princeps adſcitis Coſacis, vltus eſt pro viribus iniuriam oblatae coronae, et vt vt nunc multis minus decorum videatur Regno exceſſiſſe, at quis ſponſor eum amplius non reuerſurum? Et certe vereor, ne in vindictam huius et prioris iniuriae, et ipſe vires recolligat, et ipſe totum Orientem ſedibus ſuis contra nos excieat? Poterit etiam fieri, vt ſi interea tractatus de pace non interceſſerit, reuertatur, et aliquis alius, praeter illum, iuxta Gallicum prouerbium: pour mieux ſauter, il faut reculer. Ne dicam plus quippiam eſſe, quam errorem ſimplicem, quum tandem coronae Polonae repertus ſit locus, a quo ſemper maiores noſtri abhorruerunt, qui ſolus actus deterret me, a conſiliis aulae, quae hac in parte probare nullo modo poſſum. Nihil iam dico de eo, qui tueri poſſitis famam conſtantiae, rem vnam tribus promittendo, nam tres coronae in vno capite, per fidem ſubſiſtere poſſunt; at vnam coronam tribus capitibus imponere, omnem fidem ſuperat. Quodſi tamen commodiſſime alicui, ex Sereniſſima Auſtriaca Domo eueniret, quaero ex vobis, qua ratione haec cum libertatibus patriae, et iure potiſſimum eligendi, pretioſiſſimo Noſtrae Reipublicae theſauro conciliabitis? Nihil hic detractum volo Sereniſſimae Domui, quae pios, clementes, et fortes tot Principes et Monarchas orbi Chriſtiano dedit; Sed maiores noſtri non perſonas, verum modum dominationis, oderunt. In tali enim haereditario regimine, praeſupponuntur Principes boni, atque iuſti, qui ſi de fragilitate humana degenerent, poteſtas et armata iniuſtitia, dominationem in Tyrannidem mutant. Poſſem hic multa afferre ad demonſtrandam diſſimilitudinem iurium Hungariae, Bohemiae, Sileſiae et Poloniae, ſed quia nota haec ſunt ſatis, ad alia propero, eaque maiora. Sunt in Republica noſtra multi in religione diſſidentes, omnes tamen aequali iure nobiſcum Catholicis gaudent, omnes confoederationis ſecuritas complectitur, habent liberum exercitium religionis, templa in bonis haereditariis aedificant, ſcholas erigunt, libros libere imprimunt. Retinebuntur omnia iſta Priuilegia ſub regimine Auſtriacorum? Non; dices opinor, Chariſſime Domine Frater, nec forte per conſcientiam, id optare debes. Recte ſane, quod et votum meum eſt, vt mortales tandem ſapiant, quam leues ob res, magnas turbas inter ſe moueant; quamque cito Lutherani ad vnionem eccleſiae reuerti poſſint, ſi de ſola religione, non de regione, quaeſtio eſſet. Vt vt autem, non dubium ſit, miſera opum cupiditate, officia etiam pietatis peruerti, ex eoque religionis diuerſitatem periculum Rebuſpublicis afferre, haud aliter tamen vnitatem in eccleſia opto, niſi vt ſponte omnes eccleſiae reconcilientur. Procul vero abeſſe cupio a patria noſtra omnem vim, et violentiam, praeſertim eam, quae conſcientiis inferri poſſit. Quo pacto enim videre poſſemus, neceſſarios noſtros, amicos, vicinos, in vitae et fortunarum diſcrimen incidere, ob ſolum opinationis crimen. Quo pacto permitteremus, vt res breui poſt tempore redeat in circulum, et quae aliis intentauimus, in noſtras non dicam ceruices, ſed conſcientias recidant. Nam ciuitates opulentiores imminentem religionis ſuae euerſionem ſpeculantes, neceſſario recurrent ad protectionem eorum, quibus nunc tanta conſtantia reſiſtunt: Quod claro belli Germanici exemplo confirmare ſufficiat. Ac profecto ſolius inclytae Gedanenſis vrbis, vices hac in parte dolerem, ſi pro laboribus damniſque ſuis, in eam aliquando neceſſitatem, ſummo totius Reipublicae diſcrimine, deuenire debeat. Idcirco autem prolixior in hac materia fui, quoniam fama inualuit concluſum eſſe, per Senatusconſultum non ita pridem, quod ſecuritatem diſſidentium conuellat, quod non facile credo, quia mihi perſpecta eſt clementia Sereniſſimi Regis.

Regis. Etſi recentia quaedam exempla confirmant, premi eos inuidia cauſati belli 1657
Suedici, et quod illi parti adhaeſerint, ſed an iuſta, Deus nouit. Ego initia ſpecto, et cauſas belli reſuſcitati. Quis vllum vnquam ciuem accuſauit vel alicuius correſpondentiae cum Suecis? Ego qui omnibus Reipublicae negotiis interfui, bona fide fateri cogor, conficta eſſe talia crimina, et potiſſimam cauſam eſſe apud eos, qui Lubecae tractatus non abſoluerunt, et quidem tum, cum Sueci faciles erant ad concludendos praedictos Lubecenſes tractatus. Certe proteſtantes, et alii in religione a nobis diſſidentes, iniquiſſime, et vt ita dicam, gratis in hac comoedia pro Achiuis habentur. Et haec ſufficiant tandem, ne quis offendatur. Nunc pergo vos erroris conuincere, ideo quia vos ipſi recedere ab hoc conſilio incipitis, et vtinam recedatis. Id inde liquet, quod veluti in biuio haerentes deliberatis, an non expediat reſumere tractatus cum Moſchis? Et ſi probe perſpexi conſilium Senatus, ideo comitia differuntur, vt et Moſchouiticis et Auſtriacis interea vti liceat, nec neceſſe ſit alterutram ſocietatem deſerere, et adhuc vos non poſſe reſoluere, cui ſociorum nuntius ſit remittendus. Nam inter Comitialia tempora vtraque auxilia ſubſiſtere poſſunt, dummodo ſolis promiſſis res agatur. Sed ſi intercedit pactio cum domo Auſtriaca, vt eam interceſſiſſe multi Senatorum fatentur, an talia diu latere poſſunt! Comitia quae neceſſario haberi debent, rem totam, vt vt hactenus tectam, et incruſtatam, abiectis inuolucris et caerimoniis, declarabunt. Non me latet etiam, multos eſſe in republica, qui per ſocietatem Moſchouiticam, facilius pacem obtineri poſſe credant, ſed difficultas ſola videtur eſſe, ac velut nodus Gordius, in illis Moſchouiticis nodis, quorum memoria nonnulli Senatores ab omni ſocietate cum Moſchis deterrentur, quorum barbaries eo vſque proceſſerat, vt in comitiis quinquageſimi ſecundi non erubuerint legati Moſchouitici pacem et amicitiam Regi et Regno offerre, ea lege, vt certi Senatores (quinam fuerint non ſatis memini) ad ſoluendos forte difficiles iſtos nodos extraderentur.

Ego tamen in ea ſum ſententia, eos, qui a partibus Moſchorum ſunt, hanc habere rationem, quod ſi aliquando iugum ſeruitutis excutiendum eſſet, facilius proceſſurum negotium cum Moſchis, quam cum Auſtriacis, qui in retinendis regnis ac prouinciis potiores callent artes, quam Moſchi, id quod vlteriori Veſtrae deliberationi committo. Et quia inextricabiles difficultates in vtraque ſiue ſocietate, ſiue protectione cerno, vtramque valere iubeo: planeque et ipſe exiſtimo, et vos exiſtimare percupio, redeundum omnino eſſe ad illum modum, qui ſolus eſt capax firmam pacem ſtabilire. Hoc quidem optaui, hocque continuis votis a Deo precatus ſum, vt mihi hanc vnicam in vita gratiam concederet, mediaque menti meae inſpiraret, quibus recluſis de patria mea, tam afflicta, et neceſſariis orbata praeſidiis, feliciter mereri poſſim. Veſtri iam iudicii res ſit, an non Dei beneficio bonum initium factum ſit? Quippe cum non ita pridem Sereniſſimus Rex Sueciae per Pomeraniam cum exercitu in Holſatiam tranſiret, perrexi e proxima vicinia Stetinum vſque, et amore in patriam meam confirmatus, multa de rebus praeſentibus cum Rege Sereniſſimo locutus ſum, tamen vt priuatus, et ſub protectione Sereniſſimi Electoris Brandeburgici permanens, petitaque ea, qua par eſt reuerentia, vlterius compellandi ſuam Maieſtatem venia, quaeſiui, an quid adhuc a Maieſtate ſua ſperare poſſemus, praeter timorem generalis excidii, totius Nobilitatis, et praeter multa his ſimilia, quae Maieſtas Sua omnibus Regni incolis minata eſt? reſponſum accepi humaniſſimum, ab humaniſſimo et fortiſſimo Rege, nunquam ſibi in mentem veniſſe, cupere extra aciem Nobilium internecionem: Quodſi hactenus multa facta ſint, vel ex ſolito belli mo-

1657 re, vel ex insolita nonnullorum tribunorum licentia, vel quidquid est odiosorum exemplorum, haec omnia facta esse in ipso aestu reuolutionis, cum vice versa a Polonis non tantum milites Sueci, sed et ipsae saluagardiae, quibus pro tutela vtebantur, crudelissime occiderentur, omniaque caedibus foede miscerentur. Alterum est, Sereniſſimum Regem nolle in Polonia liberam electionem interire; quinimo praeter bonum animum, qui suo tempore amplius patere Polonis possit, esse ex re et Regni Sueciae, et amicorum eius securitatem postulare, vt potius Regnum Poloniae in pristinum statum restituatur, quam vt deueniat, ad Domum Austriacam, et paulo post in nouum statum reducatur, qualis nunc est Regni Hungariae, et Regni Bohemiae. Tertium est, a pace facienda iustis conditionibus non abhorret, quinimo ad eam propensum animum testatur. Libenter aliquid de Borussia, ratum fixumque intellexissem, sed nolui amplius molestus esse suae Maiestati, postquam hoc audissem, quod loco maximae consolationis mihi fuit: nimirum vbi ad tractatus fuerit deuentum, plura se facturum, quam quae hactenus declarauit. Et quia fecit mentionem pariter, refusionis damnorum, non posse nimirum se ab illa recedere, quoniam magnam vim pecuniae, in hoc bellum Polonicum Sereniſſimus Rex insumpserit, vnde facile posse colligi existimo, non fore inflexibilem suam Maiestatem circa restitutionem Borussiae, si non ex toto, saltim quod sufficere possit ad liberam nauigationem, et alias Reipublicae commoditates. Quartum est: reliquisse suam Maiestatem in Borussia Commissarios, cum plenipotentia et mandatis ad tractandum cum Rege et Republica, neque in se et suis fore moram vllam, attenderent modo a parte Poloniae, eorum consiliis, qui pacem turbatum eunt, et in turbis Poloniae sua quaerunt commoda. Nunc itaque sic tecum Domine Frater ago, et a te vehementer peto, vt communicato praesenti negotio cum bonis amicis, velis paulum, tecum reputare, quid praestet facere, an oblata vti occasione, et cum Sereniſſimo Rege Sueciae pacem tractare, quamdiu recenti vindictae cupiditate in nouum hostem flagrat, quam nouas societates siue protectiones concludere, et fundamenta exstruere absoluti dominii in Rempublicam. Nam vt mihi persuadere conaris, me quodam modo de felici exitu ideo desperare, et a patria abesse, quod mihi non sint nota consilia vestra, et exinde potentiam, qua adhuc Respublica nititur, non satis capiam; attamen vt me haec capere intelligas, nescio vter nostrum de Republica desperare videatur, an qui ad externa consilia confugitis, an ego, qui nullis opus esse auxiliis puto. Qui tantum pollet viribus, vt prostratum hostem teneat, eumque ad omnia concedenda cogit, potens merito dici debet: qui in auxilium vicinos aduocat, apparet ipsum diffidere et succumbere. Neque idcirco impugno auxilia, namque ab aeuo auxiliorum vsus est in bellis, et ipsi Sueci auxiliis pugnant, valentque: Sed in hac re sic explico sensum meum, et pace vestra corrigo sensum nonnullorum: Primum improbo auxilia iniustis conditionibus; alterum est, improbo auxilia viribus nostris maiora. Multa passim occurrunt exempla, mutationes in regnis et imperiis euenisse ex occasione auxiliorum, quae cuique historias legenti, sponte occurrunt. Quodsi animus tuus a curis vacuus, singulare quid ac recens cogitare velit, reputet, quod nec potentissimi Belgii Status vicinis auxiliis sese grauari voluerint, nec nunc Sereniſſima Respublica Veneta redigi sese patiatur, ad auxiliorum externorum necessitatem; non quod illis non indigeat contra eum Monarcham, qui solus potentior est, quam tres, quatuorue in Europa Reges; sed quod tam candida, tamque tuta, hactenus sibi non fuerint oblata, quibus confidere possit, sine vllo in posterum metu vllius mutationis. Ob quam vel solam causam Deus prosperet Sereniſſimam Rempublicam, vt in longissima tempora, exemplum sit, et exem-

exemplar toti mundo, verae libertatis, et inconcussae in variis casibus animae. 1657
Iam vero soli Vos, eam Vobis prudentiam promittitis et felicitatem extraordinariam, vt siue cum Moschis, siue cum Sereniſſima Domo Austriaca (vtinam cum hac non sit factum in aeternam patriae libertatis perniciem) pacisc amini, tamen in nulla re immutabitur status Reipublicae optandum, non sperandum. Ecce scrupulos hosce temporaneos Vobis iniicio. Circa hanc societatem seu protectionem cum Austriacis necessario interueniunt certa pacta: porro pactis standum esse vult fides bona, potissimum societatis humanae vinculum. Et vt Austriaci exhibentes charitatem proximo, propriam charitatem negligant, verisimile non videtur. Nunc si hoc quis affirmare vellet, quaero, cur ante biennium haec auxilia non sint ingressa in Poloniam? quid impediuit? quandoquidem eaedem legiones in ipsis confiniis, videlicet in Silesia, manebant. Vtatur quis iudicio hac in re suo, mihi vti liceat meo, nimirum adhuc Respublica satis videbatur potens, repulsis Suecis, et Germanos in Germaniam ablegare, sed potius expediebat et Polonos et Suecos longiori bello atteri, vt et Sueci facilius debellari possent, et Poloni adeo debiles efficerentur, vt pares non essent futuris auxiliis. Interim illud quoque commodi eueniret, ex hac mora, quod Suedicum nomen, ob diuturnas calamitates, et continuas vexationes, odiosum in Polonia efficeretur, Austriacorum vice versa, vt defensorum gratissimum. Potius itaque credendum est, haud minores hic interceſſisse conditiones, quam sunt illae, quas Moschouiae Dux expressit, vel quod factum est, cum Sereniſſimo Transyluaniae Duce, cum ei oblata esset corona. Quodsi dicat aliquis factum esse, ex consensu paucorum, idem ego dicendum puto de Moschouitica transactione, et de illa, quae facta est cum Sereniſſimis Austriacis.

Illud quoque vehementer animum meum tenet, quod existimem fore, vt in arcibus et fortalitiis Caesareana praesidia confidant, praesertim in illis, ex quibus hostes eiicient. Quod si eueniat, et per fortunae mutationem, extendantur haec praesidia in maiorem Poloniam, in Borussiam, fidem Vestram populares, si vnquam receſſuri sunt! Nam habentes paratas legiones, et antiquum ius in Borussiam, quo pacto illi de possessione deiicientur? Nec dicendum est, per longissimam praescriptionem cecidisse ius Borussiae magistrorum: nam tales discursus priuatorum oblectamenta sunt, apud Principes id aequius, quod validius. Quid igitur vtilitatis exinde in Rempublicam redundabit, si eiectis Suecis Austriaci intromittentur? Maximus fructus, aegre feciſſe Suecis, et interim publicas miserias auxisse: vt hoc praeteream, sub iudice litem esse, quis quem eiecturus sit; Quid si Dani, Angli, et Belgae, vniti cum Suecia, in tuitionem portuum Borussicorum contra Austriam conspirent? Diu hoc saxum voluit Austria, cum inuidia omnium, qui mare Balthicum frequentant. Nihil etiam dictum volo, quale hic iaciatur fundamentum, si non perpetuae succeſſionis, neceſſariae tamen electionis eius, qui in potestate prouincias et arces tenebit. Denique etiamsi periculum liberae electioni ex iis tractatibus nullum sit, tamen grauissimum periculum exinde imminet, quod si ista auxilia vnum atque alterum annum in Polonia sint futura, ingens non modo odium et bellum, sed etiam debitum Respublica contrahet, ita vt aliquando futurum verear, ne adhuc alius aliquis Princeps nobis aduocandus sit, qui auro Germanos eiiciat. Notum est enim cito ex ~~ini~~ amicis fieri inimicos, quoties de pecunia res est. In qua materia singulare exemplum occurrit circa auxilia in Poloniam, contra Sereniſſimum Dominum Gustauum ab Imperatore Diuae memoriae Ferdinando II. missa. Vix anno dimidio meruerunt in Borussia, et Dux Wallensteinius tantas turbas ob non exsoluta

1657 ſtipendia dedit, vt neceſſe fuerit, Sereniſſimo Regi Poloniae acrioribus literis importunitatem eius compeſcere, et interim ſolutionem ex publicis contributionibus procurare. Cito enim debitum contrahitur, ſi quis exacte ſoluere velit, ſtipendia legionibus Germanicis: nec Regum opes, nec Rerumpublicarum diu talibus ſufficiunt, edocti toties, negare non poſſumus. Et cum ante paucos annos, a Republica deſtinatus eſſem vna cum aliis ad exſoluenda militibus ſtipendia, memini me quondam eadem de re tecum egiſſe ex occaſione ſtuporis, qui nonnullos tenuit Commiſſarios, quo pacto vnus Oberſter trecenta florenorum millia praetendere queat? et laudandus paulo poſt laudabatur candor tuus, quod ipſe nos docueris, quo pacto in poſterum rationibus attendendum eſſet. Sed tandem manum de tabula: ne prolixis literis moleſtus ſim, etſi nulla moleſtia eſſe debet, circa bonum publicum verſantibus. Rogo itaque te, amantiſſime frater, nec iam per fraternum amorem, ne quid hic etiam affectibus detur, ſed per amorem patriae, vt ea, quae nunc a me audis, penitus cogitare pergas, et cum Illuſtriſſimis Viris, quibus vteris, vti ſcio, familiariter, magnaque tibi inprimis eſt conſuetudo, cum viris in ea vrbe prudentiſſimis, communices haſce omnes conſilii noſtri rationes, vt veſtro mox reſponſo docere queam, opportune ne id faciam, an fallar, vt putas, ex conſiliorum ignorantia. Quod ſi ita eſt, pertrahetis in partes, ſin minus prudentem, at candidum et amantem patriae conciuem, qui hactenus nec Suedicus, nec Auſtriacus, ſed verus Polonus audire voluit, et ſub protectione Sereniſſimi Electoris, quietus manſit, qui vt plane Veſtro deſiderio ſatisfaciat, promittit etiam Vobis, ſe valedicturum partibus, poſtquam res patuerit in cauſa eſſe, quominus ab vtrinque honeſta pax fieri poſſit. Interim animus firmandus erit fortibus praeceptis, contra paupertatem, exilium, mortem, vel Vobiſcum animo perferre, quaecunque ſors attulerit. Sed meminiſſe Vos volo, quod ſi Auſtriacos Vos appellari perrexeritis, fore, vt me quoque non pudeat nominis Suedici, et hoc ſaltem confuſa Republica dignum familia noſtra, ne indecora leuitate famam in illo exercitu, ſanguine Domus noſtrae partam, corrumpam. Quae res te, o frater, monere debet, ne (vbi par vtilitatis obſeruatur in patriam) plus Auſtriacis, quam Suecis debeas, praeſertim cum conſtantiae tuae interſit, non deiici de gradu conſilii, quod hactenus publice in pace cum Sereniſſimo Rege Sueciae faciendum probaſti.

Praeſtat enim, pax honeſta, quam inhoneſta ſubiectio. Vale iam et bonum publicum vna mecum promoue, qui finis eſt vnicus praeſentis epiſtolae. Cuſtrini die 2. Auguſti 1657.

PRZYIEMSKY.

Haec ſumma Przyiemſcii literarum priuati ciuis ad Senatorem fratrem ſcriptarum; quas aduerſarii Auſtriaci nominis, vt euangelium nouum per Europam ſparſerunt. Inde de caeteris, vt mortalium ingratiſſimis iudicet orbis.

LIBRI VIII. CAPVT IV

SYNOPSIS

Elector Poſnaniam Polonis tradit, odio in Auſtriacos et tunc terrore adactus. Baro de Liſola perſuadet pacem cum Polonis Brandenburgico, qui paulo poſt pacem init cum Polono Rege. Thorunium Poloni oppugnare volunt vano conatu. Legatus magni Moſchouiae ducis, conquaeritur coram Polono Rege, de violata pace. Reſponſum datum a Polono Rege Moſchouiae duci. Regis Poloni cum Brandenburgico Electore conuentus et colloquium. Pacta inter Polonum Regem et Brandenburgicum. Electrix perſuadet Reginae Poloniae aliqua ſecreto, annuente Rege propoſitionibus Electoris. Elector Berolinum diſcedit. Literae Brandenburgici Electoris ad Regem Sueciae. Literae Sueciae Regis ad Electorem Brandenburgicum.

1657 Poſnaniam tradit Polonis Elector, odio in Auſtriacos et tunc terrore adactus.

Eadem circa tempora Poſnania a Polonis recipitur per deditionem, arte magis Electoris Brandeburgici, quam virtute Poloni militis, cuius eſt facilius perdere loca munita, quam expugnare, aut acquirere. Volebat enim deditione vrbis metropolis maioris Poloniae amicos ſibi reddere Polonos Brandeburgicus, inueterato odio in Auguſtam Domum; et tunc pauore correptus eiuſdem potentiae, ſi maiori Polonia potiretur Auſtria. Sequenti igitur menſe, Polono Regi Brandeburgicus reconciliatur, quem adegit terror Auſtriacus, Leopoldique Hungariae Regis legatus FRANCISCVS Baro DE LISOLA, arma Regis ſui minitans Electori, niſi ocius cum Polono componeret Rege. Nec vanae Liſolae minae, quibus territabat Brandeburgicum. Aderat etenim exercitus in promptu a Cracouia redux ſeptemdecim bellatorum millium, qui haud mora in ducalem irrumpere parabat Boruſſiam, parte vero ab altera Vincentius Coruinus Gonſiewski, quem ſuperius Birzam recepiſſe meminimus; cum duodecim Lituanorum millibus inhiabat eidem ducali Boruſſiae.

Baro de Liſola perſuadet pacem cum Polonis Brandeburgico.

Ita ad extrema quaeque redactus Elector, tandem cum Polono componit Rege, cooperante Gonſieuio, quem cum plena facultate Commiſſarium ad tractanda cum Brandeburgico foedera, dixerat Polonus Rex, vna cum Epiſcopo Warmienſi VENCESLAO Comite A LESZNO. Gonſieuius nihil moratus breui tempore per BOGVSLAVM Ducem RADIVILVM pacem cum Brandeburgico componit, aliquot dubiis maioris momenti, Regi ac Senatui ad definiendum reſeruatis; perſuaderque Electori, vt Polono colloquatur Regi, longe plura ab ipſomet impetraturus, quam ab eius legatis poterat extorquere. Neque mora colloquium cum Polono Rege petit Brandeburgicus per Reſidentem ſuum Oberbeck dictum. Pergrata fuit Brandeburgici legatio Polonis proceribus colloquium expetentis. Dicta igitur dies congreſſus trigeſima Octobris, nominata et ciuitas Bramberg dicta, haud procul Thorunio, quod per ea tempora obſidione premere cogitabant Poloni, vano ſane conatu, adulto autumno contumacem per vim velle repetere vrbem, quam quinque Suecorum defendebant millia. Antequam vero ad colloquium cum Electore Brandeburgico, deſcenderet Polonus Rex, legatum Moſchouiae Dapiferum Nazarei Mihalowicz Olſinowitz Varſauiae audit, quo recuperata Cracouia recta diſceſſerat. Literas hic legatus binas e Moſchouia attulerat, quibus magnus Dux Moſchouiae conquerebatur; factas Coſacis Zaporouienſibus ſubditis ſuis, poſt pacta, Vilnae conuenta, a Polonis grauiſſimas iniurias. Excidiſſe Polonos milites Cameneco egreſſos arcem Halacz dictam, et adiacentia monaſteria ac templa violaſſe. Exuſiſſe arces circa Barum in diſtrictu Pinſcenſi, ſollicitatum Soltanum Turcicum et Hanum Crimenſem contra Coſacos, per Poloniae Cancellarium Stephanum Korycinium, prouocaſſe Calmucenſes Tartaros contra eoſdem Coſacos. Indiſcretis verbis, magni Ducis vſurpaſſe nomen, in vltimis literis a Rege ſcriptis. Contra Poloni: Nullas ſe Coſacis iniurias feciſſe aiebant: arcem Halacz dictam non extare in toto Regno: mona-

Paulo poſt init pacem Polono cum Rege.

Thorunium Poloni oppugnare volunt vano conatu.

Legatus magni Moſchouiae ducis, conquaeritur coram Polono Rege de violata pace.

Reſponſum datum a Re-

1657 monasteria prope Barum in Pinscensi tractu nulla violata, cum Barum a districtu Pinscensi
ge Polono longe distet. Fictum quoque a Chmielnicio aiebant Turcam et Tartaros Calmucenses
Moschouiae contra Cosacos stimulatos fuisse a Cancellario Poloniae Korycinio. Ad extremum concessis
duci. omnibus, magno Duci Moschouiae, quae tunc concedi poterant, Dapiferum Nazarei, Mihalowitz Olsinowitz in Moschouiam, remittit Polonus Rex, promissis futuris Ordinum Comitiis, in quibus Vilnenses tractatus, approbari, ac magnus Moschouiae Dux, in Polonum Regem eligi debebat.

Regis Polo- Abeunte in Moschouiam magni Ducis legato Octobri mense, Rex paulo post Var-
ni Brande- sauia Bydgostiam, seu Brombergam citatis decurrit equis, vna cum Regina, quam vbique
burgico consiliorum suorum moderatricem et arbitram circumuehebat Rex. Aderat ibidem paulo
cum Electo- post et Elector Brandeburgicus, cui ad tertiam partem milliaris, obuiam processit Rex cum
re conuen- Regina, salutatisque hospitibus processerunt in vrbem; eo die priuatis a Rege et Regina
tus et collo- excepti epulis. Die deinde sequenti inuisere ambo, Rex cum Regina, Electorem cum
quium. Electrice, et vicissim ab hospitibus visitati. Peractis mutuis salutationibus, tertio ab ad-
d. 30. Oct. uentu die, Rex solennibus epulis excipit Electorem, cum Electrice, reliquum tempus consultationibus, mutuisque datum colloquiis, vsque ad quintum Nouembris, quo die Bromberga Berlinum versus in Marchiam amicus discessit Elector, pari veneratione a Polono cultus Rege, in egressu vrbis, ac in introitu. Summa huius congressus haec fuit:

Pacta inter Polonum Regem et Electorem Brandeburgicum.

I. Elector Brandeburgicus pleno iure ducalem possidebit Borussiam durante linea mascula descendente Brandeburgica.

II. Ratione sumtuum in bellum Polonum expensorum, Polonus Rex cum Republica, Electori Brandeburgico Prussiae duci ex nunc tractum Bytouiensem et Lemburgensem iure feudi assignat.

III. Ducenta item aureorum millia, numerare tenebitur Polonus Rex, Prussiae Duci, Electori Brandeburgico, quae donec soluantur, Elbingam cum eiusdem territorio, interim Electori assignat.

IV. Elector vero Brandeburgicus, Prussiae absolutus Dux, renuntiat ex nunc foederi Suedico, et quidquid iuris in maiorem Poloniam, aut episcopatum Varmiensem praetendere posset; Braunsberga pro interim retenta, donec Elbinga potiatur.

V. Defensiuam et offensiuam coniunctionem armorum cum Polono Rege ac Republica Elector admittit Brandeburgicus, contra persequendum in Pomerania Sueciae Regem. Offert et arma, ac militem, ea tamen conditione, vt simul id fiat, coniunctis cum Sereniſſimi Regis, Hungariae et Bohemiae copiis.

Haec Palam.

Electrix persuadet Reginae Poloniae aliqua secreto, annuente Rege propositionibus Electoris. 1657 Actum vero secreto de Elbingensis ciuitatis diruendo per Brandeburgicum propugnaculo, vrgente id ipsum toto pectore Brandeburgico per Electricem, quae Polonae persuadebat Reginae a marito instructa. Expedire omnino tam propter Austriacam in vicinia consistentem potentiam, quam etiam Gedanensium suspectam fidem diruere Elbingensium munimenta. Facile enim fieri posse, vt, si Austriaci Elbinga potirentur, paulo post vniuersae Prussiae efficerentur domini. Nec Gedanensibus se adeo fidere, qui in illo Balthici maris angulo, si aliqua arte Elbingae iungerentur, Rempublicam sibi formare possent, grauem deinde ducali Borussiae. Haec Electrix Reginae secreto proponebat, illa vero Polono Regi, qui vxoris mandata exequebatur. Igitur Elbingae munimenta Electori Brandeburgico diruenda, committit Rex. Eoque modo auctus duobus territoriis, fortissimaque

simaque Elbinga Brandeburgicus Berlinum discessit, commissa interim Prussiae Ducalis regiminis summa Boguslao Radiuilo, Lituano Duci. 1657 Elector Berolinum discedit.
Elector Berlinum reuersus haud mora Sueciae Regi in haec genuina verba scribit:

Nos FRIDERICVS WILHELMVS, Dei Gratia Marchio Brandeburgensis etc. etc. Sereniſſimo et Potentiſſimo Principi, Domino CAROLO GVSTAVO, Suecorum Regi etc. Domino Cognato Fratri Nostro Colendiſſimo.

Sereniſſime et Potentiſſime Rex,

Domine Cognate et Frater Colendiſſime,

Literae Regiae Maiestatis Vestrae, Vismariae die 11. Octobris exaratae, nobis Brombergae eodem tempore, quo tam apud Regiam Maiestatem Poloniae, quam reliquos Regni proceres, et senatores, pacis negotium vrgebamus, sunt traditae. Literae Brandeburgici Electoris ad Sueciae Regem. Ad quarum resignationem eo alacriores properauimus animo, quo certius nobis persuasum habuimus, Regiam Maiestatem Vestram illis media ad pacem recuperandam esse suppeditaturam. Nam hoc Regia Maiestas Vestra, sibi certo de nobis polliceri potest, nos, sicuti nullum aliud vnquam nobis fuit propositum, quam pacis exoptatissimae redintegratio, inter Regna nobis vicina, nostrique Status conseruationi apprime necessaria, cuius solo intuitu, arma nostra cum Regia Maiestate Vestra olim iunximus; ita quoque in hanc vsque horam omnia tentasse, quae modo ad eam obtinendam facere, nobis viderentur. Verum praeter omnem spem, et expectationem accidit, vt nihil eius generis in istis literis, sed potius mera exprobratoria deprehenderemus, quod illo tempore, quo vna cum Regia Maiestate Vestra exurgentem tempestatem vnitis viribus, supprimere potuissemus, Regiae Maiestatis Vestrae consilio spreto, potius cunctari maluerimus. Et quoniam Regiae Maiestatis Vestrae literae, ea potissimum momenta prae se ferunt, quibus coniunctio cum Principe Transyluaniae fuit facta, summopere admiramur, Regiae Maiestatis Vestrae memoriam fugere, tanta subsidia militaria submissa, quanta illa a nobis ad coniunctionem desiderauit, id quod Regia Maiestas Vestra grato etiam agnouit animo, nostram plurimis in literis promptitudinem depraedicando. Reliquam exercitus nostri partem inseruire ratio belli voluit, non solum nostris regionibus, atque terris, et a Regia Maiestate Vestra occupatis prouinciis, a vi hostili muniendis, sed etiam eo destinauimus, vt a tergo Regia Maiestas Vestra a toto hostili exercitu, qui illius vestigiis insistere properabat, tutior foret. Quemadmodum et vis ista inimica hac ratione fuit retardata, et a Regia Maiestate Vestra vlterius persequenda, reuocata. Vt silentio praetereamus tantas Cosacorum et Hungarorum copias, quibus Regia Maiestas Vestra tunc temporis fuit stipata, sufficientes fuisse, nisi fata alium rerum exitum voluissent, quibusuis hostium viribus conterendis, totique Poloniae Regno subiugando et expugnando. Quoniam vero Regiae Maiestati Vestrae placet respicere ad tempora priora, olimque agitata consilia, speramus Regiae Maiestati Vestrae displicere non posse, si et nos ei in memoriam reuocamus, qua ratione hyeme praeterita, tam ipsimet Hollandiae, quam etiam postea per legatos nostros Marieburgi, omnes has tempestates fideliter, diligenter et saepissime reiterando repraesentauerimus, atque eam ob causam pacis acceleratione consuluerimus, inprimis quia Rex Poloniae, tunc temporis in propinquo constitutus, ab omni foedere et obligatione, cum exteris Principibus liber fuit, et propterea tantam promptitudinem et feruorem se cum Regia Maie-

1657 ſtate Veſtra reconciliandi conteſtatus eſt, vt etiam ſtatim ante tractatus, ceſſionem Regni Sueciae et Liuoniae obtulerit, ſimulque non obſcure intelligendum dederit, etiam propter reſtitutionem Boruſſiae, non ſpernendam argenti ſummam poſſe obtineri. Quantis tunc temporis expetiuerimus votis, tractatum a Regia Maieſtate Veſtra ineundum, in recenti eius adhuc haerebit memoria. Quod vero illa potius ad auxilia Hungarorum et Coſacorum reflectere maluerit, illud nos Regiae Maieſtati Veſtrae arbitrio, vtpote, cui directio totius negotii incumbebat, relinquere coacti fuimus. Et optauimus vt res ex Regiae Maieſtatis Veſtrae voto ſuccederent, taliaque extrema conſilia, alium quam ſuſpicabamur, et nunc euenit, ſortirentur exitum. Poſtquam igitur inchoatum bellum Polonicum, a Regia Maieſtate Veſtra, ob nouos motus hoſtiles fuit derelictum, et illa nobis inconſultis, cum toto exercitu alio tenderet, atque imminens periculum hanc ei neceſſitatem impoſuerit, nos plane deſerendi, ſimulque conſiderato Status noſtri periculo, hoc ſuppeditauerit nobis periculum, vt quouis modo cum Polonia nos reconciliaremus, ſecuritatemque noſtram quaereremus, nos quidem nonſolum ob deſertionem factam, ſed etiam ex conſilio, a Regia Maieſtate Veſtra nobis ſuggeſto, ſtatim potuiſſemus eiuſmodi inchoare tractatus, qui nunquam meliores, quam illo tempore nobis fuerunt oblati, niſi potius quaeuis aduerſa experiri nobiſcum decreuiſſemus, quam intempeſtiue quicquam committere. Cum vero nunciatum nobis fuerit, Regem Daniae adeo caute cum ſuo exercitu agere, vt Regiae Maieſtati Veſtrae impoſſibile eſſet illum ad praelium adigere, et ſenatores ſtatuſque Regni Sueciae, reditum Regiae Maieſtatis Veſtrae ita vrgere, vt nulla in Poloniam reuertendi ſpes ſupereſſet, praeterea etiam Cracouia praeter omnium ſpem, breui temporis ſpatio fuerit reddita: Exercitus Auſtriacus verſus Boruſſiam properauerit; Czarnecki cum ſuis copiis Marchiam et Pomeraniam, et Gonſierowski Boruſſiam inuaſerint, noſtri ſubditi inſtantiſſime nos ſollicitauerint, quod cum Regia Maieſtas Veſtra nos abitu ſuo foedere liberaſſet, nos etiam illi non amplius inſiſteremus, et deinde nulla plane ſpes relicta fuerit, a Regia Maieſtate Veſtra in omnibus illis locis vnicum nobis ſufficiens ſubſidium miſſum iri.

Tandem nobis noſtroque Statui aliter conſulere non potuimus, quam vt auxiliante Numine Diuino in pacem cum Polonia rediremus, id quod etiam iamdudum Regiae Maieſtati Veſtrae vberius in literis noſtris indicauimus; Quare vero illas non reſignatas, Regia Maieſtas Veſtra nobis remittere voluerit, cum tamen ideomate et ſtylo, hactenus inter nos ſaepius conſueto fuerint conceptae, ſuo loco nos oportet relinquere.

Quod de nobis Dominus Comes de Schlippenbach, Regiae Maieſtati Veſtrae ſignificauit, quaſi exercitum noſtrum eum in finem in imperium Romano-Germanicum reduceremus, vt ibi Regiae Maieſtati Veſtrae nos aſſociaremus, et Domum Auſtriacam hoſtiliter aggrederemur, neſcimus ex quo fundamento haec ille retulerit; nam praeterquam quod ille haec a nobis nomine Regiae Maieſtatis Veſtrae deſiderauit, talia nobis nunquam in mentem alias venerunt, Regia Maieſtas Veſtra etiam facile iudicare poteſt, quod ad eiuſmodi reſolutionem effectui dandam longe maturior requiratur deliberatio. Nec etiam poſſumus perſpicere, quod in hiſce ſecuritas noſtra conſiſtat, dum hac ratione nobis, noſtriſque regionibus et terris, potentiores prouocamus hoſtes.

Quod

Quod Regiae Maieſtati Veſtrae hoc laudabile inhaereat propoſitum, noſtri ſtatus acceſſionem ampliorem procurandi, id gratiſſimo agnoſcimus animo, ſi etiam Regia Maieſtas Veſtra retro recordetur, quae in illius emolumentum praeſtiterimus, et quae mala et incommoda noſtrae prouinciae propterea peſſae, non eſt quod dubitemus de eiuſmodi Regiae Maieſtatis Veſtrae propoſito. Nos vero Regiae Maieſtati Veſtrae celare non poſſumus, Dominum Comitem de Schlippenbach nonſolum fere toties quoties nobiſcum fuit, nomine Regiae Maieſtatis Veſtrae Ducatum Boruſſiae a nobis praetendiſſe, ſed etiam vltima vice Regiomonti, inſtantiſſime hanc permutationem vrſiſſe, inter alias etiam allegando rationes, quae harum fere impreſſionum anſam nobis dederint, quaſi eſſet quaedam impoſſibilitas, quod regio aut prouincia, quae Regiae Maieſtati Veſtrae eiuſque ſtatui eſſet ſitu commoda et opportuna, poſſet retineri. Quemadmodum autem Regiae Maieſtati Veſtrae ampliſſima Regna, et quod praeterea Deus ei largitus eſt, non inuidemus, ita certi ſumus, eundem animum Regiae Maieſtatis Veſtrae futurum. Caeterum animitus optamus, vt Deus Ter Optimus Maximus Regiae Maieſtati Veſtrae, eas inſpirare velit cogitationes et conſilia, quibus pax tam deſideratiſſima conſeruari queat, et Regia Maieſtas Veſtra ad literas haſce iunctas, talem nobis tranſmittere moueatur declarationem, vt pacis telam cum Polonis coeptam, communi bono promouendo, maliſque futuris praeueniendis, et auertendis, pertexere, Deo annuente, valeamus, tunc Regiae Maieſtati Veſtrae re ipſa teſtabimur, quod curae cordique nobis ſemper ſit, Regiae Maieſtatis Veſtrae eiuſque ſtatus conſeruatio. Cui de caetero proſperos optamus rerum ſucceſſus. Dabantur in Arce noſtra, Coloniae ad Spream, die 12. Nouembr. 1657. 1657

Regiae Maieſtatis Veſtrae

Cognatus et Frater ſtudioſiſſimus

FRIDERICVS WILHELMVS, Elector.

Addidit et alteras, quarum haec ſumma:

Sereniſſime et Potentiſſime Rex

Domine Cognate et Frater Colendiſſime.

Perſpiciet Regia Veſtra Maieſtas ex annexis literis, quibus de cauſis cum Rege Regnoque Poloniae, tractatus, rerum ſtatu id ita poſtulante, iniuimus. Equidem optaſſemus, vt omnia alio, proſperiorique euentu donari potuiſſent; verum cum eiuſmodi rerum mutatio interuenerit, vt ditiones noſtrae Polonorum vndique direptioni et deſolationi expoſitae eſſent, ſana tandem ratio, atque ſubditorum indefinenter repetitae ſollicitationes, ſuaſerunt eas ab interitu, et ruina totali vindicare. In quam tranſactionem cum Poloni non aliter condeſcendere voluerint, quam vt portus Pillauienſis et tranſitus per terras noſtras, tam Pruſſicas, quam Pomeranicas, copiis Regiae Maieſtatis Veſtrae occludatur, ſummopere eam rogatam volumus, prohibere velit, ne tranſitus per dictum portum Pillauienſem, et ditiones noſtras in poſterum ab exercitu, aut copiis Regiae Veſtrae Maieſtatis petatur aut ſumatur, quippe cum ſatis conſtet, quam miſerae nominatae ditiones noſtrae, per tales tranſitus et ſtationes, quae nunquam ſecundum conſtitutiones imperii inſtitutae aut obſeruatae ſunt, exhau-

1657 ſtae, atque pene ad incitas redactae ſint, confidimus Regiam Maieſtatem Veſtram, haec omnia neceſſitati, quae vitari non potuit, adſcripturam, atque deſiderio noſtro aequiſſimo locum daturam. Quam Diuinae tutelae, cum voto omnis proſperitatis commendamus. Dabantur in Arce noſtra Coloniae ad Spream, die 12. Nouemb. 1657.

Regiae Maieſtatis Veſtrae

Cognatus et Frater ſtudioſiſſimus

FRIDERICVS WILHELMVS, Elector.

Mox de pace mentionem iniiciens, rurſus alias Sueciae Regi ſcripſit huiuſmodi teneris:

Sereniſſime et Potentiſſime Rex,

Domine Cognate et Frater Colendiſſime,

Quum Regia Maieſtas Veſtra pronam mentem, pacem cum Rege Regnoque Poloniae ineundi ſaepius declarauerit, atque idem Regiae Maieſtatis Veſtrae Frater Dominus Generaliſſimus, iteratis nonnunquam literis, cum in Pruſſia adhuc degeremus, teſtatus fuerit; Nobis nihil prius fuit quam vt laudabile hoc inſtitutum ad boni publici emolumentum proueheremus. Hinc Brombergae cum Rege Poloniae, praeſentibuſque ibidem Senatoribus, plura, quae rei tam neceſſariae conducere videbantur, coram contulimus, Regem etiam et Senatores pacis percupidos inuenimus, hoc tantum cum dolore ſubinde repetentes, quod ante annum tractatus pacis, a Regia Maieſtate Veſtra deſtinati, tam inauſpicato ceſſerint, cum ipſi pacem ſerio quaeſiuerint, candideque tunc profeſſi ſint, ſe foedus amicitiamque Regiae Maieſtatis Veſtrae, omnium Regum et Principum confoederatione longe praelaturos eſſe: Verum cum dicti tractatus, ob foedera cum aliis iam contracta, ab ipſis non ſolum dependeant, ad ſecuritatem eorum validius impoſterum ſtabiliendam, ſe illos redintegrare velle aut poſſe, niſi prius a Regia Maieſtate Veſtra ſequentes conditiones firmentur, omnino negarunt.

I. Vt Regni Poloniae confoederati ſimul ad hoſce tractatus inuitentur, cum iiſdem vna et ſimul tractetur, atque Moſcho etiam notificetur tractatus vniuerſales eſſe inſtituendos, ſine quibus nullos ſeſe inituros, ſancte affirmarunt.

II. Vt Regia Maieſtas Veſtra ſcripto declaret, ſe neque totam Pruſſiam, neque partem eius in ſatisfactionem poſtulaturam, ſed poſt tractatus feliciter peractos, omnibus ibidem occupatis ceſſuram, atque omni pratenſioni quocunque modo fundatae, renunciaturam.

III. Aſſeruerunt ſe abſque mediatoribus, et quidem illis, qui olim tractatibus Sueco Polonis interfuerunt, tractare nolle.

Quibus quidem quartam annexerunt, nempe vt Thorunium, atque fortalitium Haupt dictum, ante tractatus in manus tertii ſequeſtrentur, ita tamen vt

vt tractatibus ſine fructu abruptis, in priorem ſtatum reſtituantur. Verum difficultatibus plurimis ſuper hac conditione a nobis oſtenſis, illos tandem ab ea dimoueri poſſe animaduertimus. A prioribus vero ſe neutiquam abituros aut receſſuros, conſtanter dixerunt. 1657

Locum quod attinet Francofurti ad Oderam ad talem actum ob ſituationem vicinam commodiſſimum nobis viſum eſt; in quem Poloni etiam facile conſentient, modo Regiae Maieſtati Veſtrae idem placuerit. Quamuis vero libenter expeditionem, pacis accelerandae viam hac occaſione ſternere annixi ſimus, tamen plura et commodiora impetrari tunc non potuerunt. Haec interea Regiae Maieſtati Veſtrae ſignificare e re cenſuimus, de cuius in pacem propenſa mente cum nulli dubitemus, etiam atque etiam obteſtamur, velit in promotionem et reſtitutionem eius, ſerio ac celeriter incumbere, atque ab omnibus expetitum hoc dulce nomen ancipiti aleae belli praeferre, quo tandem ſanguinis Chriſtiani effuſio ſiſtatur, ruina, vaſtatio, et confuſio hinc toti Chriſtiano orbi imminens declinetur, Barbaris aliiſque nationibus ſpes eundem infeſtandi atque extirpandi dematur, atque tot regna et regiones hiſce motibus turbatae in pacatum ſtatum reducantur. Praeſtabit hoc ipſo Regia Maieſtas Veſtra opus Deo Ter Optimo Maximo gratiſſimum, ſibi glorioſum, et toti Chriſtianitati maxime profuturum. Quam Diuinae tutelae cum voto omnis proſperitatis commendamus. Dabantur in Arce noſtra Coloniae ad Spream, die 12. Nouemb. 1657.

Regiae Maieſtatis Veſtrae

Cognatus et Frater ſtudioſiſſimus

FRIDERICVS WILHELMVS, Elector.

His literis haud mora Sueciae Rex Electori in hunc modum reſpondit:

Nos CAROLVS GVSTAVVS, Dei Gratia Suecorum etc. Rex, Sereniſſimo et Celſiſſimo Principi, vti Fratri Conſanguineo, et Amico Noſtro Chariſſimo, Domino FRIDERICO WILHELMO etc. Literae Sueciae Regis ad Elect. Brandeburgicum.

Sereniſſime et Celſiſſime Princeps,

vti Frater Conſanguinee, et Amice Chariſſime.

Redditae Nobis ſunt *Celſitudinis Veſtrae Electoralis*, literae Coloniae ad Spream die 12. Nouemb. exaratae, quibus Celſit. Veſt. Elect. poſt aliquam praefationem de ſua in pacis ſtudia propenſione, mox noſtras de die 11. Octobr. Wiſmariae ſcriptas reprehendere aggreditur, tanquam perſpiceret eaſdem eſſe a pace plane alienas, et nihil aliud continentes, niſi mera exprobratoria; Deinde ſubiungit liberalem ſui beneficii et ſubſidii, in nobis et Prouinciis noſtris tuendis, commemorationem; Tum inſerit, quando impendio pacis amorem, tota praeterita hyeme inculcauerit, tanquam ex ſpecula has tempeſtates penitius tunc conſpicata, in nos culpam omnem transferens eiuſdem pacis non confectae, cum tam liberaliter offerretur; Tandem Celſ. Veſt. Elector. velut abitu noſtro ex Boruſſia foederis legibus liberata, perquam grauibus criminibus nos onerat, quod eadem inconſulta Polonicum bellum, adeoque Celſ. Veſt. Elector. deſeruimus, ac talis apud noſtros nouos hoſtes facies apparere, vt reuertendi Nobis ſpes nulla ſupereſſet: periculum vero vndique Celſ. V. Elect. ſtatui ſic imminuiſſe, vt niſi

1657 in gratiam cum Poloniae Rege reuerſa, aliter eidem conſulere nequiuiſſet; Quae omnia in Celſit. V. Elector. literis, cum aliis nonnullis admixtis vberius exponuntur. Quemadmodum Celſ. V. Elector. complacuit, nomen ſuum hiſce literis ſubſcribere, quibus culpam a ſe omnem amoliri ſuſcipiens, inſimul complura Nobis obiici patitur, quae haudquaquam pro talibus agnoſcere aut probare poſſumus, ita credimus Celſ. V. Elector. pariter aequi bonique conſulere velle, ſi et nos genuinam rei ſeriem attingentes ad ſingula reſpondendo, pauca breuiter regeramus. Etenim quod Celſ. V. Elector. poſt vindicatum ſibi pacis ſtudium, noſtras de 11. Octobr. datas arguat, tanquam meris exprobrationibus refertas, nulla certe vel cauſa, vel ratio ſubeſt. Scriptae ſunt ab amiciſſimo animo, atque in terminis modeſtiſſimis, nec alieni animi interpretem experiri ſtatuerunt. Parum autem refert multis eo reſpondere, nimirum patere poſſunt iudiciis aliorum, qui procul affectibus rectum earum ſenſum aſſequi valent. Quae vero beneficia Celſ. V. Elector. numerat Nobis a ſe praeſtita eſſe, non putauimus ad eam magnitudinem peruenire debuiſſe, vt exprobratione aliqua facti gloriam contaminarent. Enimuero ſi dicendum quod res eſt, haud dubie talia fuiſſe interpretamur, quae ſi declarata non eſſent, Celſ. V. Elector. indiguiſſet pactorum inter nos erectorum fauorabili interprete. Nouit Celſ. V. Elector. in omnibus quidem (quae tria intra vnius anni ſpatium inter Nos erigebantur) pactis mutuae ſaluti ſatis eſſe proſpectum, atque iiſdem Celſ. V. Elector. perpetuis foederis vinculis ita Nobis deuincitur, vt noſtris rebus non ſecus quam ſuis proſpicere teneatur, certaeque leges de neceſſaria ope mutuum ferenda inter Nos conditae et ſancitae ſunt, quibus durante bello neutri parti, ſe ſubducere licebat. Videtur autem Celſ. V. Elector. velle quaſi vitio vertere, quod hanc fidei ſanctitatem ſecuta, partes debitas tunc temporis expleuerit. Nos vero exiſtimamus Celſ. V. Elector. in eo recte atque ordine feciſſe, nec ſi ſecus egiſſet, culpa omnino vacare potuiſſe. Et ſi Celſ. V. Elector. rem ex vero aeſtimare graue non duxerit, vtique deprehendet Nos, ſi non maiora, certe paria ſecum feciſſe, adeo vt inconcuſſam fidem pro communi bono, vbiuis quidem tenori pactorum comprobantes, loco fructus ex mutui auxilii praeſtatione promanandi, maximam iacturam ſenſerimus ipſimet, eo quod non contemnenda exercitus noſtri pars a Celſ. V. Elector. copiis deſtituta et deſerta, aut Tartarico ferro occubuit, aut miſeram in ſeruitutem abducta eſt. Grauia haec Nobis fuiſſe, vel ipſa Celſ. V. Elector. iudicauerit, neque contra amicitiae leges nos peccaſſe dixerit, ſi pro tali damno gratioris memoriae vices expectaſſemus. Euenit autem, vt beneficio pariter et damno noſtro tanquam obliuione ſepulto, vt nonſolum nulla gratia referretur, ſed ea etiam nonnunquam agerentur et committerentur, quae mox quidem nobis haud exiguam ſuſpicandi occaſionem dederunt, tanquam pactorum religioni neutiquam congrua, atque talia fuiſſe euentus rei poſtea docuit. Ad certiorem vero eius memoriam conducere arbitramur, ſi coram oculis Celſ. V. Elector. ponamus pauca, quae de tempore in tempus euenerunt, vt exinde ipſimet Celſ. V. Elector. facti ſpeciem, tanquam in tabella intuenti, iudicare liceat, quam parum confidentiae, ne dicamus ſubſidii ex tali actionum ſerie Nobis promitteremus. Etenim concluſum inter Nos Regiomonti die 7. Ianuar. anno 1656. pactum vix paucorum menſium ſpatio vigorem obtinere quibat, cum ſub negotiatione tractatus de ſocietate bellica inſtituenda pariter flagitaretur, articulorum feudalium elucidatio, nimirum vt ſubſequentibus dehinc pactis commodius ineundis, de feudalis vinculi abolitione, velut tentamen aliquod in anteceſſum fieret, quod plane eos latere non potuit, qui videbant, quae ſubinde miſcebantur per Georgium Maydel, et quod cum Praefecto tunc etiam

etiam Gonſieuio agebatur. Societatis vero legibus inter nos erectis, cum hoſtis 1657
aggrediendus eſſet, et Celſ. V. Elector. ſe perſuaderi paſſa eſt, vt exercitus eius in campum, contra communem hoſtem, et ad bellicas actiones educeretur, vnicum quodammodo reale officium intra pugnae Varſauienſis laborem conſtitit, quo exantlato nihil fere amplius, praeſtitum eſt, niſi quid nouorum beneficiorum iactatione pelliceremur, tanquam ſolius Noſtra, non communis res ageretur.

Poſt conceſſam vero coelitus Varſauienſem victoriam, bellum Polonicum cum conſenſu Celſ. V. Elector. ſic ordinari cupiuimus, vt vſu tantae victoriae iam ſecure frueremur; Sed vicerunt perſuaſiones Celſ. V. Elector. quibus compellebamur in Pruſſiam reuerti, et quidem ea ſpe, quo limitibus Ducatus Celſit. Veſtrae Elector. Noſtro equitatu communitis, pedites a Celſ. V. Elector. ad Viſtulae oſtium oppugnandum ſubminiſtrarentur, id quod tanquam communi bono ſalutarius tunc temporis, a Celſ. V. Elector. parte (nobis conſulentibus, vt ſedes belli in Podlachia et Breſtia conſtitueretur) iudicabantur. Ad dictorum limitum cuſtodiam conſtituta equitatus Noſtri pars, ingentem quidem, vt ſuperius dictum eſt, iacturam paſſa eſt. Nos vero nec tum promiſſis pedeſtribus copiis, ad dictum oſtium oppugnandum potiti ſumus, nec poſtea etiam vindicata ad Philipouam per Campi-Mareſchallum Noſtrum Comitem Steinbock, qui ad tuendum flumen Niemum miſſus erat, Gonſieuii inſolentia, aliquas cohortes, quanquam inſtanter ad caſtigandum pariter ab altera parte Viſtulae Czarnecium, et Regis exercitum flagitarentur, impetrare valuimus; praetexente ſemper Celſ. V. Elector. nunc alienum anni tempus, nunc Gonſieuii praeſentem terrorem, cum quo tamen et clancullariae intelligentiae initia, quae quotidie magis magiſque emanabant, facta fuiſſe ſatis conſtabat, ac res ipſa docuit, non ſincere Nobiſcum agi, cum nec Nobis hoſtem incommodare quaerentibus, vllum auxilium ſubmitteretur, nec tamen Celſ. V. Elector. hoſti Gonſieuio, quicquam hoſtile ab ea parte inferre ſuſtineret. Quin geſta diu, in animo, et identidem a Nobis prius efflagitata Souueranitas, ſiue abſoluti Principis honor, iam palam et per legatos, tanquam ex debito vrgeri coeptus eſt: Adeo communi rei ſeruiendae, non modo ſegnior ſemper ratio eſt habita, ſed etiam nuper tractata et concluſa, breuiſſimo tempore bona fide ſtare non potuerunt, quin ſubinde nouae praetenſiones ſeſe proriperent, ſolidiſſimeque conuenta recentibus inuentis ſollicitarentur. In quibus omnibus Celſitati Veſtrae Electorali tanquam coniunctiſſimo amico Noſtro, et eandem cauſam Nobiſcum ex animo agere ſe profitenti, nihil non (ſub praeuia tamen admonitione conſtantiae et fidei vtrinque promiſſorum) conceſſimus, ita vt caſſata dicti vaſſallagii et feudi obligatione cum Celſitate Veſtra Electorali ſuper anteriora pacta perpetuum et indiſſolubile foedus iniremus; rati eodem fidei et ſaluti publicae ſic ſatis prouiſum, inprimis articulis foederis Labiauienſis 1667. et 8. quibus nonſolum perpetua ſeparatio Celſ. V. Elector. a Polonia validiſſimis, quae inter Principes vſurpari ſolent, verbis aſſeritur et confirmatur, et Celſ. V. Elector. Nobis denuo quam arctiſſime deuincitur, ſed etiam vis omnis tam pactorum anteriorum, quam porro ſubſequentium abrogatur, quatenus contra hoc foedus, aut tunc facta, aut in poſterum fieri cenſerentur. Ita hoc promiſſo freti, et tractandis modum aliquando poſitum iri, et ſummam rei firmam fore Nobis pollicebamur, ſpe vero mox fruſtrati, noua ſuſpicandi ratio enaſcebatur. Prohibita enim in foedere verbis expreſſis, vtrique parti omnis cum hoſte abſque alterius ſcitu communicatio, et correſpondentia, denuo pullulare coepit, ita, vt praeter omnem expectationem, non-

1657 ſolum cum Epiſcopo Varmienſi, clandeſtina colloquia et correſpondentiae haberentur, et praeſentis haud dubie fundamenta effectus iacerentur; ſed etiam cum magni Ducatus Lituaniae Campi-Mareſchallo Gonſieuio, clanculum in noſtri praeiudicium colludi coeptum eſt: deinde etiam Nobis praeteritis et inconſultis armiſtitia per praefectum Aurick plane concluſa, etiam tum, quando praeſto eſſemus, cum ſufficienti exercitu, nec neceſſitas vlla vrgeret, aut ſana ratio ſuaderet. Hinc ſubſequutae aliae porro ſecretae cum hoſtibus, hinc inde correſpondentiae, quibus ſenſim factum eſt, vt ſacra pactorum religione irreuerenter habita, tandem ad praeſentem rerum conſtitutionem peruenirétur. Etenim Nobis Principi Tranſyluaniae cum exercitibus in Poloniam ingreſſo obuiam euntibus, cum quibus Celſ. V. Elector. copiis, poſt ſedulam ſubſidiorum ſollicitationem, huic expeditioni ſuppeditandorum, Comes de Waldeck quidem ſe aſſociauit, non tamen vt Nobis adhaereret, ſed mandatis inſtructus erat, vt in Poloniam maiorem ſe conferret, quae mandata ſaepius iterabantur, adeo, vt non niſi aegre illum apud Nos aliquamdiu retinere potuerimus. Petricouiam vero in poteſtatem redactam, ſecundum pacta Celſ. V. Elector. tradidimus, cum vero, coniunctione facta, ea rerum facies eſſet, vt meliora quaeuis ſperaremus, et vnicuique, quem bellum Polonicum Nobiſcum contingebat, incumberet prouidere, vt occaſione ſe exhibente, illud ad optatum exitum perduceretur, ac partium omnium ſecuritati ſtabiliendae, et periculi auertendi certa ratio merito iniretur; ad Nos potiſſimum pertinere exiſtimauimus, vt Celſ. Veſtrae Elector. aperiremus, quatenus ipſimet conſultiſſimum duceremus, rei communis bellicas actiones in futurum debere inſtitui, nimirum, vt Comes de Waldeck, cum ſibi adiunctis legionibus nonnullis, Noſtris cohortibus ſuffultus, ab altera parte Viſtulae, verſus Poloniam maiorem, Nos vero acceptis a Celſ. V. Elector. aliquot copiis inter flumen Bugum, et dictam Viſtulam bellum gereremus, quorum altero Celſ. Veſtra Elector. exercitus ſupplantato ab eo Poloniae latere hoſte, in quartiriis eiuſdem locupletari potuiſſet, altero Nos quoque communi cauſae prouidiſſemus, et prouincias Celſ. Veſtrae Elector. armis Noſtris ab ea parte ſatis protexiſſemus. Quo nomine cum Celſ. Veſtra Elector. ſatis ſufficientes copias ad reſiſtendum Samogitis praeterea haberet, eandem primum quidem literis, deinde etiam, vt intentio Noſtra melius conſtaret, miſſo eius ex cauſa ex Podlachia Celſ. Veſtrae Elector. Conſiliario Dobrzynski decenter requiſiuimus, vt Celſ. Veſtra Elector. modicum ſaltim auxilium in tam ſalutarem finem commodaret: Supra ſpatium vero quatuor ſeptimanarum inter tantae multitudinis Tranſyluaniae, Coſacorum, Moldauiae, et Valachiae exercitus Celſ. Veſtrae Elector. reſponſum, et cohortium aliquarum aduentum nequicquam opperiebamur. Interea fama vulgata eſt de exercitu Auſtriaco in Poloniam venturo, quo audito frequentibus literis Celſ. Veſtrae Elector. rerum ſtatum expoſuimus, cum admonitione maturi aduerſus communem hoſtem conſilii et oppoſitionis flagitantes, vt relicta domi validiori exercitus ſui parte, mille duntaxat et ducentos equites, ac Dimachas ſiue Dragonos mille, quingentos, Nobis ſubmittere, inſuper non haberet, quibus, cum Noſtris ac Ragocio coniunctis, dubitare noluimus, communi hoſti occurrere, et malum in herba cum bono Deo aſſopire: Celſ. Veſtra Elector. reputauit quidem vtile eſſe, vt talibus tempeſtatibus mature obuiam iretur, quaeſita tamen fuerunt ſub nomine pacis a Polonis procurandae quaeuis effugia, quibus res ſine fine trahebatur, ſubtecta etiam ad maiorem temporis intercalationem congreſſus et colloquii ſpecie, tanquam magnum aliquid prae manibus haberetur, et maſculis omnino conſiliis res agendae eſſent, de quibus Noſtra quoque ſententia rogaretur, Nos huiuſmodi propoſito etiam confidentes, inductionibus noſtris

noſtris effecimus, vt Princeps Rakocyus et Coſaci domum ſuam alias ire ſatagentes, verſus Maſouiam et vrbem Varſauiam deſcenderent, quibuſcum etiam coniunximus Campi-Mareſchallum Noſtrum Comitem Stenbock, donec certi aliquid de reſolutione Celſ. Veſtrae Elector. mutuaremur. Interea vero profluxit tempus, ac loco expectati reſponſi primum quidem ad aures Noſtras peruenit, quod Celſ. Veſtra Elector. armiſtitium cum ſupradicto Gonſieuio vſque in mediam aeſtatem produxerit: Quemadmodum et ante in Lituania, et circa Breſtiam Nobis bellum proſequentibus, Celſ. Veſtra Elector. flumen Memel hoſtibus tranſituris vltro patere permiſit, cum a copiis ibidem excubantibus, facile et prohiberi et deleri potuiſſent. Fixum autem Nobis fuit, ſi Celſ. Veſtra Elector. ſecundum propoſita Noſtra in fauorem communis cauſae ſeſe declaraſſet, in perſona belli Polonici adminiſtrationem, commiſſa belli Danici ſumma cuipiam Generalium Noſtrorum, ipſimet ſuſtinere, ſiue poſtea ipſi apud exercitum in Polonia commoraturi fuiſſemus, ſiue ad tuendam Pruſſiam reuerſi, per Comitem Stenbock negotia bellica in Polonia peragi curaſſemus. Quo ipſo altememorato Principe Tranſyluaniae, cum introductis ſecum exercitibus in Polonia detento, nonſolum communi rei contra quoſcunque ibi hoſtes ex voto proſpici, ſed etiam ſufficiens exercitus verſus Daniam mitti potuiſſet. Cum vero quaeſitis effugiis et excuſationibus haud obſcure conſtaret, improbari a Celſ. Veſtra Electorali quae in vſu communis cauſae inſtituta cum Principe Ragocio fuit, coniunctionem, ac inſuper Generalis vigilium Praefectus Goetskius, qui cum manu quadam Nobis obuiam quidem venit, nullo tamen commodo propoſiti noſtri, ſed vt Nos ſaltem in Pruſſiam conduceret, ſignificaret cohortes Celſ. V. Elector. non poſſe diuidi, ac iuxta indicaret, deuitari etiam a Celſ. Veſtra Elector. prius oblatum congreſſum, tum vero opinione praeſumere facile potuimus aliud agi, et ſpes Noſtras irritas fore. Viſum tamen Nobis fuit pro Noſtra Perſona Strasburgum concedentibus, negotium pro certiori adhuc reſponſo iterare per Comitem de Waldeck, ac quouis modo Celſ. Veſtrae Elector. perſuadere, quo tanti rem momenti apud ſe perpendere dignaretur, et propoſitum Nobiſcum colloquium alicui effectui iungere. Cum vero in rem praeſentem venire oporteret, reſponſum redditum eſt, congreſſum cum Celſ. Veſtrae Elector. perſona non poſſe ea vice fieri, ſaltim per Deputatos negotium peragi debere. Ibi vero liquidius adhuc conſtat, maſcula conſilia euanuiſſe, ac aliud nihil intendi, niſi vt perpetuae morae necterentur, vnde nihil Nobis ſubſidii pro communis rei incolumitate expectandum erat. Igitur adducti ſuimus ſaepius dictum Principem Rakocyum (qui, niſi huius reſolutionis cunctatione, in partibus Poloniae inferioribus detentus fuiſſet, ſubſecutum deinceps infortunium tempeſtiuius anteuertiſſet) et ſuae ſalutis admonere, et irruentibus in Nos ſimul tot hoſtibus, aliquem aggredi, et ea conſilia capere, quae ad conſeruationem Noſtri, rerum ſtatus, et opportuna in bello celeritas monebat. Scimus Celſ. Veſtram Elector. cum hoc Principe, nullis legibus fuiſſe adſtrictam, interim reſpectu coniunctionis Noſtrae, et communis rei, tenebatur eas rationes omnes amplecti, quae ad communes hoſtes ſupplantandos, et mutuae Noſtrae intentioni inſeruire potuiſſent. Irruente vero Daniae Rege in Prouincias Noſtras Germanicas, ac ipſi imperio ingentem tempeſtatem minitante, neceſſitas Nobis impoſita eſt, pro felicioribus iſtius belli auſpiciis eo proficiſcendi, praeſertim cum Celſ. Veſtra Elector. vti dictum eſt, partim cunctando Nos ſuſpenderet, partim obturando aures ad omnia Noſtra ſalutaria propoſita moram quamuis necteret, hoc fortaſſis animo, vt iis in locis exercitum Noſtrum remorata, ſub clypeo eiuſdem, ab hoſte communi meliores ſibi conditiones licitaretur. Nobis igitur prouidendum vtique fuit, ne tali cunctatione

1657 ſtatione exercitus Noſter, ob neceſſitatem loci aliquid pateretur, qui vt diu ibi nihil agendo ſubſiſteret; ad quartiria pro praeſidiis noſtris exhauriendum, nec conſultum, nec rationi conſentaneum fuit. Antè vero quam itineri Nos accingeremus, nonſolum Celſ. Veſtram Elector. de inſtituto Noſtro certiorem fecimus, ſed etiam per legatum Chriſtianiſſimi Regis Dominum Auangour ac Comitem Schlippenbach, rurſus omnes commouendi rationes repraeſentari fecimus, ſi forte adhuc Ceſ. Veſtrae Elector. perſuaderi poſſet, adiecta vlteriori adhuc oblatione Noſtra, vt quanquam Ragocyus Princeps abeſſet, Nos tamen in Pruſſia ad eius defenſionem ſubſiſtere vellemus, ſi modo ad agendum cum hoſte ſicuti rationes ſuadebant, pro mutua ſalute Celſ. Veſtra Elector. Nobiſcum concurrere ſuſtineret: Sed cum diuerſum plane per dictum Schlippenbach Celſ. Veſtra Elector. reſponſum redderetur, vtique in tali rerum ſtatu tempora non fuerunt fruſtra conſumenda, ſed vrgente hoſte, de itineris ingreſſu cogitandum fuit. Vt tamen nihil a Nobis deſideraretur, etiam circa talem rerum ſtatum ante abitum inſuper ea conſilia vireſque ſuppeditauimus, quae ſi audita et vſurpata fuiſſent, vtriuſque quamuis abſentibus Nobis mutuae conſeruationi apprime inſeruiiſſent. In eum enim finem ſub ductu Celſiſſimi Principis Fratris Noſtri non ſpernendas copias cum Celſ. Veſtr. Elector. quandocunque opus videretur, ad tuendas vtriuſque prouincias, et ſuſtinendos hoſtium impetus, coniungendas reliquimus, validiores relinquere volentes, ſi communi ſtudio a Celſ. Veſtr. Elector. aliqua acceſſio, ſiue conſilii, ſiue opis facta fuiſſet. Cum vero nulla tempori conueniens declaratio impetrari poſſet, nec pro Noſtro Ducatu Boruſſiae, tam magnus equitum numerus requireretur, vtpote munitionibus ſuis freto, potiſſimam partem ad vſum belli Danici quidem deduximus, ita tamen vt mutuae protectioni in Boruſſia copiae non deeſſent. Quarum etiam coniunctionem Celſ. Veſtram Elector. a Celſiſſimo Fratre Noſtro poſtea flagitaſſe nouimus, ſub ſpecie aggrediendi Gonſieuii, ſed paratis, et ad nutum intentis rurſum ſignificaſſe, iis non opus eſſe, in quo non obſcure iterum comprobauimus, Celſ. Veſtrae Elector. ſincerum candorem Noſtrum, cum contra paria rogante Celſiſſimo Fratre Noſtro, ac ſuadente, vt Noſtrae cum Celſ. Veſtrae Elect. copiis apud Soldauiam, vel commodo alio loco coniunctae, inuaſiones hoſtium in Pruſſiam arcerent, cooperatio mutuae ſalutis a Celſ. Veſtra Elector. negata eſt. Sed haec poſt diſceſſum Noſtrum contigerunt, cum forte eo prouectus eſſet cum hoſte conſenſus, vt mirum videri non deberet, ſi mutuorum auxiliorum ratio vileſceret. Cum igitur Thorunii adhuc conſiſtentes, informati eſſemus per Dominum Comitem Schlippenbach, de propoſiti Noſtri neglectu, ſtetit ſententia itineri verſus Holſatiam Nos accingere, ne et ibi res retardata, in peius iret. Ante vero quam Bromberga diſcederemus, ad Nos rediit Conſiliarius, Celſ. Veſtrae Elector. Dobrzynski, ex quo cum ſperaremus conſiliis Noſtris aliquem adhuc locum relictum iri, nihil aliud retulit, quam ad eum Articulum rerum Celſ. Veſtrae Elector. ſtatum propter noua Daniae et Auſtriae bella, redactum eſſe, vt abſque tractatu cum hoſte ſibi conſtare non poſſet, Nos rogans, vti ſtatus Celſ. Veſtrae Elector. ſortem miſeraremur, ac pace Noſtra tales tractatus inſtituere liceret, vbi rurſus fortia conſilia quidem ſuggeſſimus, ſed fruſtra antea deſtinatis pertinaciter inhaerentibus. Tandem inſtantiſſime efflagitanti eidem Dobrzynſcio, ac conteſtato, quod nihil in praeiudicium Noſtri vnquam ageretur: Fatemur affirmaſſe Nos, velle conniuere, ſi Celſ. Veſtra Elector. aliis auxiliis plane deſtituta, in caſu ſummae neceſſitatis ad tractatum condeſcenderet, nihil tamen vt concluderetur, tunc conſenſiſſe, quin poſtea per Dominum Comitem Schlippenbach ſponte Noſtra ſuffragati ſumus, vt concludendo etiam ſuae inco-

incolumitati Celſ. Veſtra Elector. conſulere poſſit, hac tamen expreſſa lege, vt 1657
in tali concluſione nihil omnino committeretur, quod amicitiae Noſtrae aduerſaretur. Ex quibus omnibus facile patet, Noſter ſincerus cum Celſ. Veſtra Elector. agendi modus, adeoque quam inique plane deſertionis a quibuſdam accuſaremur. Quod vero conſiliis Noſtris omnibus, a tergo relictis ingenua Noſtra propoſita et bonam intentionem inſuper traducere, quibuſdam volupe eſt, Nos non mediocriter quidem afficit, ſed ſperamus tamen omnes de reali et ſincera Noſtra perſeueratione erga Celſ. Veſtram Elector. informatos, ſecus iudicaturos, nec talibus Nos communis rei ordinandae curam fideliter gerentes, obrutos eſſe criminibus, quaſi abitu Noſtro, vel Polonicum bellum, vel Celſ. Veſtram Elector. deſeruerimus, cum etiam poſt diſceſſum Noſtrum ſatis ſufficientes Celſ. Veſtrae Elector. ſupereſſent copiae, ad quemlibet hoſtilem impetum ſuſtinendum, ſi mutuae defenſionis amor, et ſtudium acceſſiſſet, tantum quoque abeſt, vt Celſ. Veſtram Elector. pactorum legibus ſoluerimus, aut eidem opus fuiſſet, vllam extremae neceſſitatis ſpeciem praeuertere; quippe, quae nullibi adhuc premebat, niſi talis dicenda venit, quando conſiliis iuſtis non recte obtemperatur, ac peruerſorum vel puſillanimorum lactationibus, quam fortibus propoſitis inſiſtitur. Teſtes ſunt actiones Noſtrae, illibati ſemper erga Celſ. Veſtram Elector. animi, teſtantur conſilia etiam Noſtra propitia, quae pro belli ratione, et incidenti rerum conſtitutione, identidem ſubminiſtrauimus, quibus ſi locus aliquis relictus fuiſſet, ad confuſum aliquem rerum ſtatum, res non recidiſſet, tum etiam copiae adhuc in Pruſſia, ſubſiſtentes teſtantur, bellum Polonicum ne nunc quidem a Nobis eſſe derelictum, nec per Dei fauorem, ſub cuius auſpiciis militamus, vſus veniet, vt niſi aequis conditionibus derelinquatur, multo minus in mentem venit vlla cogitatio Celſ. Veſtr. Elector. deſerendi, cuius ſalutem vigore fidei inter Nos mutuum ſtabilitae, caeteris aliis antepoſuimus, et quidem eo firmo propoſito, vt, ſicubi neceſſitas aliqua iuberet, iactis prius cum ſpe alicuius ſucceſſus Danici belli initiis, in Pruſſiam idonea manu reuerteremur, aut ab hac parte alicubi, ſecundum declarationem Comiti Schlippenbach datam (vt literarum ad Nos exemplum ſub Num. I. monſtrat) iunctis tempeſtiue Noſtris cum Celſ. Veſtrae Elector. copiis, omnem tempeſtatem, quae praemature nimis timeri coepta eſt, auerteremus, ſimul Celſ. Veſtra Elector. reditum in Germaniam, aut periculum aliquod ſuum Nobis ſignificare non grauata fuiſſet. Sed euenit, vt priuſquam aliqua neceſſitas appareret, aut eidem ſi ingrueret, iuſta, et quidem tempeſtiua remedia flagitarentur, Nobis innoteſceret, Celſ. Veſtr. Elector. inconſulto belli ſocio, tractatus cum hoſte communi, non tantum inſtituiſſe, ſed etiam eoſdem ſolenniter perfeciſſe. Quorum maxime inſtigationibus hoc factum ſit, nihil attinet ſcrupuloſe inquirere. Nobis non incognitus eſt Celſ. Veſtr. Elector. candor animi et integritas, quam magni omnino facimus, ſicuti ſemper fecimus, et cui Noſtrum quoque erga Celſ. Veſtr. Elector. ſincerum ſtudium, pro illo, quo eandem complectimur amore, nunquam non comprobare viciſſim annitemur. Dolemus tamen, peruerſis quorundam conſiliorum ſtudiis, Celſ. Veſtram Elector. nonnunquam fatigari. Nam in Celſ. Veſtrae Elector. conſilio eſſe talem diſſonantiam negari nequit, apparuitque etiam tum vehementer, cum de foedere inter Nos ineundo, nonmodo diſputaretur acriter, ſed etiam contenderetur. Quo magis diſplicendum eſt, optime in communis rei emolumentum cogitata et ſtatuta, talibus inſtrumentis quandoque in tranſuerſum agi. Cum vero Celſ. Veſtr. Elector. erga commune etiam rei Euangelicae bonum, quod in ſuperioribus Noſtris eidem commendauimus impenſe, et etiamnum ardenter commendamus, inclinationem paſſim profiteatur ſuam, eam ſpem concipimus, ſuas

1657 actiones ſic directuram, vt eo tamen Nobiſcum certatim collimet, ac quam Celſ. Veſt. Elect. ſiue per neceſſitatem, ſiue alias iniit tranſactionem, eam iuxta veram neutralitatis normam ſic temperaturam, vt contra ſaepius factas conteſtationes, noſtrae amicitiae (cui vtpote certiori et antiquiori aſtricta eſt) nihil praeiudicii aut detrimenti afferri patiatur. Quo intuitu vouemus, vt quam ſibi Celſ. Veſtr. Elector. et ſuis Prouinciis hac tranſactione propoſuit ſecuritatem, ex voto aſſequatur; quo Nobis liceat non modo de felici ſuo ſtatu, cui ſemper fauimus, eidem impenſe gratulari, ſed etiam occaſionem reperire, qua omnibus vicinitatis et candidae amicitiae officiis, de eo bene mereri poſſe videamur. Quod cum Celſ. Veſtr. Elector. Comes Schlippenbach de permutatione aliqua locutus eſt, per diſcurſum quidem eum, et accidentaliter hoc feciſſe affirmandum eſt. Interim patet Celſ. Veſtr. Elector. huic communicationi anſam dediſſe, cum dictus Comes non alio fine, quam ad praeuertendum oſtentatas difficultates talia propoſita fecerit. Nouit enim ſibi expreſſe concreditum fuiſſe, vt omnem moueret lapidem, quo Celſ. Veſtr. Elector. quarumuis accommodationum oblatione ſatis fieret, ac vinculis ſemper intimioribus Nobis coniungeretur. Adiiciuntur hic ipſius Comitis ſub. Num. 2. vt exinde proprius eorum ſenſus facilius eruatur. Tandem quod Celſ. Veſtr. Elector. pacis deſiderium, tanquam ſibi proprium facit, eatenus ferendum arbitramur, quatenus abſque alius eleuatione et iniuria deprae-dicatur. A Celſ. Veſtr. Elector. amice requirimus, velit tempora vſque ab initio belli huius Polonici replicare atque perpendere, an momentum aliquod bonae occaſionis praeterire paſſi ſimus, qua ad pacem honeſtam et tutam via complanari poſſet. Longum foret hoc exponere, et teſtantur poſt deluſum Sterinenſem conuentum, tot Noſtri ſalui conductus, in hunc finem impertiti, et ante annum etiam communi conſilio a Nobis editae declarationes. Conditiones vero ante praeliminarium definitionem et congreſſum, vel dare vel accipere viſum non fuit, vtpote quae tractandi rationes praepoſterae magis valent, ad vtriuſque animum explorandum, et nonnunquam exaſperandum etiam, quam certi aliquid in publicae rei ſalutem decernendum. Vnde more non modo inter Regna Sueciae et Poloniae, ſed alios etiam populos ſolito, omnium primum perfectionem praeliminarium vrgendam cenſuimus: Quarum tractatione abſoluta reliqua facilius vtrinque ſtatui poſſent. Atque qui et formam Reipublicae Polonae, et vſum gentis non ignorant, haud quidem non immerito id a Nobis flagitatum dixerint; praeſertim illi, qui praeter inſigniter editam circa deditionem Varſauienſem fidei male ſeruatae infamiam, non ignorant, quid praeſidio Noſtro ex Cracouia educto inſuper intentatum ſit. Campi Mareſchalli Hatzfeldii generoſo animo in acceptis ferendum eſt, quod conſentire ſe negabat, vt Polonorum inſidiis obnoxium fieret. Ne praeterea a parte Noſtra aliquid, in ſalutari hoc pacis negotio omitteremus vnquam, abiturientes ex Boruſſia huic quoque rei in abſentia Noſtra proſpeximus, relictis inibi Commiſſariis, Procuratorio, et aequis mandatis inſtructis, ſi contingeret aliqua pacis cura aduerſam teneri partem. Atque etiam nuper abunde Nos Aulae Polonicae in hac materia explicuimus, ita vt ſi animus eorum cum literis Celſ. Veſtr. Elector. correſpondeat, ambigendum neutiquam ſit, quin via ad reconciliationem reperiri poſſit, ita vt ex hiſce Celſ. Veſtr. Elector. non obſcure perſpiciat, Nos in eo ſtudio haud dubie cum Celſ. Veſtr. Elector. certaſſe ſemper, in eo quoque hodiernum perſeuerantes, haud omiſſuri ſumus rationem, aut viam vllam eo ferentem. Faueat modo operi, qui et pacis et belli eſt auctor, atque animos hoſtium, ſincera et vera tranquillitatis dulcedine imbuat; quo tandem proſpero fine, diuturno et funeſto bello, impoſito, communi quoque et Euangelicae rei, ex ſenten-

ſententia conſulatur. Quo voto finientes, Celſitatem Veſtram Electoralem 1657
Diuinae protectioni commendamus, proſpera quaeque ex animo apprecantes. Dedimus Wiſmariae, die 6. Decemb. 1657.

CAROLVS GVSTAVVS.

Eduard Philipſon.

LIBRI VIII. CAPVT V

SYNOPSIS

Poloniae Rex Poſnaniam diſcedit. Czarnecii in Pomeraniam expeditio vano conatu. Tranſactio inter Poloniae et Daniae Reges. Quaerelae Daniae Regis contra Polonos. Czarnecius incenſis aliquot Pomeraniae oppidis, in Poloniam redit. Sueciae Rex, imperii principes per ablegatum ſuum concitat contra Polonos. Memoriale Sueciae Regis. Secundum memoriale Sueciae ablegati contra Polonos.

Poloniae Rex Poſnaniam diſcedit. Czarnecii in Pomeraniam, vano conatu expeditio.

Reuerſo Berlinum in Marchiam Brandeburgico, Polonus quoque Rex in maiorem mouet Poloniam, Poſnaniam metropolim, expedito ad Hungariae Bohemiaeque Regis aulam, tunc Pragae in Bohemia commorantem, tribuno militum Garner, qui compoſitam cum Brandeburgico ſignificaret pacem, oraretque coniungere arma Auſtriaca cum Brandeburgicis, ac Polono Generali Czarnecio, quem Rex in Holſatiam, Iutlandiam vſque, per ea tempora expediuerat, vna cum Opalinio Palatino Podlachiae. Huius autem Czarnecianae expeditionis in Holſatiam haec cauſa fuit:

Elapſo Februario menſe huius anni 1657. dum Gedano diſcederet Polonus Rex, obſeruato paulo ante, FRIDERICI tertii, Daniae ac Noruegiae Regis, Schleſuicenſis et Holſatiae Ducis, alieno a Suecis animo, expediuerat in Daniam ad Regis Friderici aulam, TOBIAM MORSZTYN Camerarium ſuum, vt ibidem munere fungeretur miniſtri reſidentis, perſuaderetque Daniae Regi, ſocietatem armorum contra malefidum vtriuſque vicinum, Sueciae Regem. His inſtructum mandatis in Daniam miſerat Morſtynium, quam armatam ille contra Suecos inuenerat, facileque perſuaſerat Daniae Regi, Poloni Regis amicitiam, armorumque ſocietatem. Neque mora, nouam hac ſuper re, cum Daniae Rege conſcribit tranſactionem, cuius haec ſumma fuit:

Tranſactio Sereniſſimi Poloniae Sueciaeque Regis, cum Sereniſſimo Daniae et Noruegiae Rege, Schleſuici et Holſatiae Duce.

Tranſactio Poloniae inter et Daniae Reges.

I. Erit inter Regem Regnumque Poloniae ab vna, et Regem Regnumque Daniae ab altera parte, vera et ſincera pax et amicitia: ita neutra pars alteri incommodum vllum aut detrimentum, nec per ſe, nec per alios inferat, aut inferri faciat; ſed ſemetinuicem bona fide, et candido affectu complectantur, et alter alterius commoda promoueat, damna vero et detrimenta, quantum in ipſo erit impediat et auertat.

II. Vtriuſque partis ſubditi et vaſalli, eandem pacem et amicitiam inter ſe colent, et vbique locorum, vbi ſibi inuicem obuiam facti erunt, tam per

1657 terram, quam per mare, non modo ab omni laesione et iniuria, inuicem abstinebunt: sed et omnem beneuolentiam, et amici affectus officia, quae commode praestari poterunt, alteri alteris mutuo exhibebunt.

III. Vtriusque Regis subditis liberum erit, alterius Prouincias, emporia, portus, flumina cum mercibus suis, tam terra quam mari adire, sine vllo impedimento, ibique versari et negotiari, dummodo consueta vectigalia soluant, ita tamen, ne leges et statuta prouinciarum, quibus alienationes omnes subiacent, vllo modo violentur, et infringantur, praesertim quod attinet ad insulas, et portus quosdam, ad Regnum Noruegiae spectantes, in quibus nec ipsis subditis Regis, negotiari licet, absque speciali Regis indulto et priuilegio. Quandoquidem vniuerso orbi perspectum sit Suecorum molimina, et conatus omnes eo dirigi, vt fines imperii in vicinorum detrimentum et oppressionem dilatent, dominiumque maris Balthici sibi solis vendicent. Ea propter Sereniſſimus Rex Poloniae, et Sereniſſimus Rex Daniae et Noruegiae magnopere desiderantes incommodis, malisque, quae inde exoriri possunt, occurrere, conuenit, vt inter summe memoratos Reges, in eum finem sincerum et inuiolabile sanciretur foedus hoc modo.

IV. Erit inter Regem Regnumque Poloniae, et Regem Regnumque Daniae amica et stabilis confoederatio, ad Sueciae Regem per Prouincias Regnis suis finitimas, terra marique bello persequendum.

V. Ad confoederationem hanc Reges, Principes Respublicae ac ciuitates, quorum omnium quidquam interest, quique honestis conditionibus petant, nonsolum admittentur, sed et inuitabuntur, nominatim Sacra Regia Maiestas Hungariae, Magnus Dux Moschouiae, et Ordines Generales foederati Belgii.

VI. Neutri parti sit liberum trium annorum post foederis huius confirmationem spatio, intra cuius expirationem de praedicti foederis prorogatione agetur, pacem, inducias, seu armistitium aliquod tractare, et multo minus concludere cum Suecis, inscio vel non incluso altero, si includi ac comprehendi velit, et desideret.

VII. Fida et sincera amicitia, mutuaque societas inter summe memoratos Reges futura est, insuperque pro viribus, et quantum fieri poterit, alteri alterius partis commodo, incolumitati et securitati inseruiet, consuletque, quemadmodum etiam in contrarium, Regem Sueciae, vtriusque hostem, damno et detrimento quocunque afficient, et omnibus copiis viribusque aggredientur.

VIII. In posterum quicunque inuadetur a Suecis ab alio succurratur, ita, vt si pax vel induciae semel concludentur, et Rex Regnumque Sueciae ex quocunque praetextu directe vel indirecte aggrediatur Reges et Regna Poloniae et Daniae in prouinciis, terris, et locis eorundem, et Rex, et Regnum iniuria affectum, in bellum descendat, obligabitur, etiam Rex et Regnum confoederatum in apertum bellum descendere contra Suecos, neque pacem postea tractare, vel concludere, nisi ex communi consensu.

IX. Ele-

IX. Electorem Brandeburgicum a Suecorum partibus separare, alte memorati 1657
Reges annitentur et allaborabunt.

X. Quodsi contingat, vt Rex Polonia ac Prussia derelictis, in Ducatum Holsatiae, vel adiacentes et Regno Daniae subiectas prouincias cum exercitu, inuadat, tum summe memoratus Rex Poloniae, si ab hoste Sueco, quod breui sperat, et aliis hostibus liber tunc fuerit, praedictum exercitum omnibus copiis prosequi, hostem communem adoriri, et coniunctis viribus oppugnare tenebitur, sin autem bello Suedico, vel alio impeditus esset, mittet nihilominus contra exercitum Suedicum competentes copias, quas vltra suam propriam defensionem habere poterit.

XI. Tractatus hic intra trium mensium ab hoc die numerandorum spatium, a Sacra Regia Maiestate et Senatoribus residentibus Regni Poloniae ab vna, et Sacra Regia Maiestate et Senatoribus Regni Daniae, ab altera parte approbabitur et confirmabitur, eodemque tempore tradetur, et permutabitur vtrinque praedictus tractatus, et Sacra Regia Maiestas Senatusque Poloniae, obligabuntur specificata clausula, eundem in proximis comitiis generalibus regni a dicta Sacra Regia Maiestate Poloniae, et omnibus ordinibus Regni insuper confirmatum et approbatum fore. Dictus tamen tractatus interea temporis ab vtrinque fideliter, atque ex omni parte obseruabitur. In quorum omnium euidentiam et robur, conscripta sunt bina huius tractatus, et foederis, eiusdem tenoris exemplaria, quae inuicem tradita Nos supra Nominati propriis manibus subscripsimus, et sigillorum impressione et appensione muniuimus. Hafniae die $\frac{18}{28}$ Iulii anno 1657.

Quae puncta omnia tam a Sacra Regia Maiestate et Senatoribus Regni iam approbata et subscripta sunt in data incidenti pro prima Septemb. Cracouiae 1657.

Haec summa foederis Poloniae inter et Daniae Regem, vigore cuius tenebatur Polonus Rex, abeuntem, vt superius memini, in Holsatiam, ac deinde Iutlandiam Sueciae Regem, subsequi, qui tunc grauis Danorum inhaerebat ceruicibus, et quem propulsare propriis viribus nequaquam illi poterant, mutata fortunae Suedicae in momento volubilitate, quae in Polonia victa, in Dania victrix demum extabat; mediam enim tunc de Dania Sueciam Carolus fecerat; occupata fere tota quam late patet, Iutlandia, et magna ex parte Holsatia. Conquerebatur Daniae Rex contra Polonum Regem. Quod Carolum Sueciae Regem, libere e Prussia dimiserit, cum lecto exercitu: quod Cracouiense similiter Suedicum praesidium vna cum Wirtzio libere in Pomeraniam, ac inde in Holsatiam abire permiserit; concludebatque e Polonia noua hostium quotidie aduentare subsidia, contra quam sperabat ab amico et confoederato Principe. Igitur Polonus Rex, pensato actionum suarum dedecore, si in tempore confoederato non succurreret Regi, Czarnecium vigore pactorum exeunte Octobri mense in Holsatiam, vna cum Palatino Podlachiae Opalinio dimittit, vano sane conatu. Etenim Czarnecius vigesima octaua Octobris, transmissa ad Francofurtum Odera, Garcz, Templin, Potzar, incensis Pomeraniae oppidis, auctus quoque spoliis, opinione celerius redierat in Poloniam decima tertia sequentis mensis Nouembris die, non ausus vltra Stetinum metropolim Pomeraniae progredi, siue, vt ille aiebat, Mecklenburgici Principis asperiori territus responso, qui transitum Czarneciano negabat exercitui. Quidquid causae fuit, dolendum certe nihil tunc boni in Pomerania operatum Czarnecium, quam vacuam inuenerat; quanquam de Polonorum pridem ante edocta, hostili in se animo.

Quaerelae Daniae Regis contra Polonos.

Czarnecius incensis aliquot Pomeraniae oppidis, in Poloniam redit.

Extant bina Memorialia, a Mathia Biorenklau, Sueciae Regis Francofurtum ablegato, Ordinibus imperii 22. Septembr. Francofurti ad Moenum porrecta, quibus nomine Sueciae Regis, Domini sui, ita exponebat.

1657 Sueciae Rex, imperii principes per ablegatum suum concitat contra Polonos.

MEMORIALIA BINA,

SACRAE REGIAE MAIESTATIS SVECIAE NOMINE,

PRIVS,

AD EMINENTISSIMVM DOMINVM ELECTOREM MOGVNTINVM,

POSTERIVS VERO,

AD IMPERII ORDINARIAM DEPVTATIONEM,

DIRECTA ET EXHIBITA,

A

REGIAE SVAE MAIESTATIS CONSILIARIO AVLICO, DVCATVVM BREMENSIS ET VERDENSIS PRAESIDE, VT ET EIVSDEM ABLEGATO EXTRAORDINARIO,

MATTHIA BIORENKLAV,

HAEREDITARIO IN ELMENHOFF, WANNESTADT ET TISLINGEN.

Memoriale Sueciae Regis.

Primum Memoriale.

Eminentissime Princeps et Elector,

Domine Clementissime,

Quod ad instantiam Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, Domini mei clementissimi Eminentia Vestra Electoralis, die 7. huius mensis ordinarios imperii deputatos, ad consultandum super memoriali, a parte Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, ratione irruptionis Danicae, ante plures menses exhibito, conuocare voluerit, eo nomine non minus, de omnibus Sacri Romani Imperii statibus, quam de Sacra Regia Maiestate Sueciae, ceu eiusdem imperii membro, bene mereri pergit. Intellexi Austriacum directorium in collegio Principum impediuisse dictam consultationem. Vt ergo Eminentia Vestra Electoralis penitus perspiciat, cur Austria hoc tempore interregni, ventilationem eius negotii tantopere reformidet, huic meo adiungo alterum memoriale ad Sacri Romani imperii ordinariam deputationem. Non potest Eminent. Imp. Electoral. latere status rerum in imperio, et in eiusdem vicinia, praecipue vero, quod hinc inde Germaniae admoueantur faces noui et magni incendii. Si tamen dignabitur dictum memoriale perlegere, deprehendet eos, qui pacem in imperio, et fidam vicinitatem, cum regnis foederatis colere debuissent, talia pericula iamdiu, qua consiliis, qua armis architectari. Notum est toti imperio, nonsolum quo zelo Eminentia Vestra Electoralis, cum aliis imperii Electoribus, Principibus, et Statibus, iamdiu suaserit, vt Constitutiones de Imperii defensione recognitae, praesenti

senti tempori quantocius aptarentur, sed etiam quorum instinctu et quo praetextu tanta et tam necessaria consultatio nouissimis Imperii comitiis suspensa sit. Scilicet interfuit eorum, qui intendebant pacem oretenus tantum seruare, re ipsa vero eandem conculcatum ire, imperium manere semper, si non plane inerme, saltim perfecta et huic tempori accommodata dispositione statae et ordinariae militiae destitutum. Quia vero ordinaria imperii deputatio, vigore tam priuatae institutionis, quam nouissimae Ratisbonensis Imperialis Constitutionis de ratione exactae defensionis in medium consulere potest, et Eminentiae Vestrae Electorali ortis magnis et repentinis motibus, quales sunt irruptiones Danorum et Polonorum, competit dictae deputationis et conuocatio, si nondum congregata est, et congregatae directio; ideo vigore adiunctae plenipotentiae, et acceptorum mandatorum tanto confidentius ad Eminentiam Vestram Electoralem confugio, et qua par est humillima reuerentia ab eadem peto, velit adiunctum meum memoriale ordinariorum Imperii deputatorum consultationi subiicere, et eo rem dirigere, vt si de integra et perfecta Imperii defensione, et securitate consultandum sit, interea et sine aliqua interposita mora, ex praescripto Constitutionum Imperii, et quidem nouissimae Ratisbonensis, Nach dem auch Chur Fursten vnnd Ständen, &c. pro recuperanda Bremeruerda, et aliis locis a Rege Daniae occupatis, quantocius auxilium Imperii decernatur. Deus conseruet Eminentiam Vestram Electoralem quam diutissime Imperio saluam et incolumem. Francofurti ad Moenum, die 22. Septembr. anno 1657. 1657

Eminentiae Vestrae Electoralis

Humillimus et obsequentissimus Seruitor

MATTHIAS BIORENKLAV.

Secundum Memoriale.

Secundum Memoriale Sueciae ablegati contra Polonos.

In quo, nomine Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae exponitur, quod inconsultis Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus et Statibus Sacra Caesarea Maiestas nuper defuncta decreuerit, et Regia Maiestas Hungariae et Bohemiae, ceu Sacri Imperii Romani membrum, et Con-Status susceperit bellum in Polonia contra Sueciam, quodque durantibus dicti belli praeparatoriis Austriae procurarit, et Poloniae vltimum pene exitium, et Germaniae non modo inuasiones Polonorum et Danorum; sed etiam (nisi in tempore praeueniatur) ingens belli incendium.

Sacra Regia Maiestas Sueciae ex quo ante biennium, et eo amplius contra Poloniam arma resumere necesse habuit, manifestis equidem indiciis intellexit, nuper defunctam Sacram Caesaream Maiestatem, auerso quodam animo, partim concitare Sueciae odia, et inimicitias, vicinorum, partim etiam praeparare arma sua, vt semotibus aliquando immiscereret Polonicis; sed simul tamen considerauit, non esse Imperatori Romano-Germanico integrum, sine comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio et consensu inire foedera, et bella concernentia salutem totius Imperii suscipere, atque ideo sperauit deuolutum iri, hoc negotium ad Comitia Imperii, vbi Sacra Regia Maiestas Sueciae suam

1657 quoque mentem toti Imperio exponere posset. Postquam etiam Deo placuit, Sacram Caesaream Maiestatem praeterito vere, inter medias belli contra Sueciam inferendi cogitationes, ex hoc mundo euocare, subiit Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae animum certas spes fore, vt Regia Maiestas Hungariae et Bohemiae, vt et Austriaca Domus, respectu incertae electionis, si non diutius, tantisper tamen a prioribus consiliis desisterent, dum nouum Imperio caput fuisset electum. Atque in eum finem, et vt Sacro Romano Imperio constaret, de supra indigitatis Domus Austriacae consiliis et actionibus; in mandatis dedit Sacra Regia Maiestas Sueciae ministris suis in imperio agentibus, vt quisque eorum in certis Electoralibus et Principum aulis nexum consiliorum Austriacorum, quatenus bello Polonico innexa deprehendebantur, vt et grauamina Sacrae Regiae Maiestatis, mature et decenter exponerent, eoque ipso requirerent, vt Sacri Romani Imperii Electores in futuro conuentu electorali, reliqui vero Principes et Status conuenienti ratione singula grauamina et Domus Austriacae attentata apud se perpenderent, et quisque eorum pro suo munere cauerent paci per Imperium, et impendentia mala in tempore auerterent. Verum a parte Austriae plus valuisse proprii et domestici status rationes et principia, quam Imperii praesentem statum, et iura, vel inde apparet, quod post decessum Sacrae Caesareae Maiestatis, nonsolum Rex Daniae eius instinctu et impulsu inuaserit Sueciae prouincias, in imperio sitas, sed etiam Regia Maiestas Hungariae et Bohemiae aperte iam arma susceperit contra Sacram Regiam Maiestatem Sueciae in Polonia, idque cum alias ob causas, tum maxime (vt Regiae Maiestatis Bohemiae instructio pro Domino Wolmaro conscripta, et postea typis publicis vulgata id aperte dicit) ad conseruandam pacem Imperio nuper partam, et praeuertendum, ne subacta Polonia cum Suecico exercitu, Orientales barbari populi, vndique Germaniae imminentes, imperium aperto bello aggrederentur; nullo, in tam ardua, et totum Imperium concernente re, habito respectu interregni, et futurae electionis; nullaque facta mentione praeuiae legitimae et comitialis omnium Sacri Romani Imperii Ordinum, consultationis et suffragationis: non aliter hac in re agendo, quam quasi Imperium in absoluto iure et ditione Austriae esset, illique integrum pro lubitu, de belli pacisque negotiis in Imperio disponere. Praetexuntur equidem huic festinatae resolutioni sequentes causae: quod scilicet Sacra Regia Maiestas Sueciae Regem Poloniae vi pactorum Osnabrugensium et Monasterienſium, amnestia generali comprehensum, armis adorta sit; et licet nuper defuncta Sacra Caesarea Maiestas interpositionem suam cum adiunctione Electorali, Regibus belligerantibus obtulisset; et Rex atque Respublica Poloniae oblatam admisissent, Regia tamen Maiestas Sueciae, postquam Caesareum ablegatum in quartum mensem frustra et non sine ludibrio distinuisset, dictam Caesaream interpositionem reiecerit: quodque hoc non attento Sacra Caesarea Maiestas perseueraret tamen in priori suo scopo, consulendi nempe, paci inter duo Regna faciendae, et e contra, quod Sacra Regia Maiestas Sueciae, (fatentibus id Gallicis ministris) nequidem permittere voluerit, vt Sacra Caesarea Maiestas pace Sueciam inter et Poloniam facienda comprehenderetur; sed continuando immane illud bellum, Regem Poloniae Regno pepulerit, et Silesiam infestauerit, ansamque dederit Tartaris appropinquandi Imperio: ita vt Sacra Caesarea Maiestas certior facta a Rege Poloniae pluribusque aliis, Sacram Regiam Maiestatem Sueciae, instinctu Galliae instituisse, post debellatam Poloniam, in Austriacas ditiones sedem belli transportare, in eumque finem apud portam Ottomanicam laborauerit, vt Princeps Transyluaniae Poloniam bello impeteret, non amplius nec ipsa nuper defuncta Sacra Caesarea Maiestas, nec post eius obitum Regia Maie-

Maiestas Bohemiae sibi esse cessandum; sed antequam Polonia plane pessundaretur, et tot barbarorum agmina Imperio propius appropinquarent, ipseque Turca neglectis induciis, huic motui sese immiscereret, e re sua et imperii futurum iudicauerint assistere Poloniae, non animo acquirendi aliquid in Polonia, sed quia mitioribus mediis fieri non potuit, armata manu flectendi Sacram Regiam Maiestatem Sueciae ad aequas conditiones pacis. Hae causae obtenduntur armis Austriacis, contra Sacram Regiam Maiestatem Sueciae. Sed vt pateat Sacram Caesaream Maiestatem nuper defunctam, et eius exemplo Regiam Maiestatem Hungariae, et Bohemiae, contraria omnia egisse, et nihil minus quam imperii salutem et pacem spectasse: ideo cum res haec concernat totum imperium et ordinaria imperii deputatio, ex commissione sibi data corpus imperii nunc repraesentet, eidem ordinariae deputationi hoc memoriali ad oculum monstrabitur. Primo quod nuper defuncta Sacra Caesarea Maiestas: non modo impediuerit pacem inter Sueciam et Poloniam, sed simul etiam excitauerit, Sacrae Regiae Maiestati et Regno Sueciae alios hostes, imo ipsi imperio Romano-Germanico varias hostiles inuasiones, eoque ipso in causa fuerit, quod et Sacra Regia Maiestas Sueciae alios in societatem armorum contra Poloniam admiserit, et quod Poloniae Regnum exinde misere sit afflictum. Deinde, quod Domus Austriaca dextre procuratis aliorum armis, ad affligendam sibi semper aduersantem Poloniae nobilitatem, demum bene contusis et humiliatis Polonis, affectauerit gradum ad Coronam Poloniae, et adipiscendi perpetui in eam iuris ergo bellum hoc susceperit; Tertio, quod cum Domus Austriaca tenax sit talium iurium et praetensionum; vicini vero Reges, Principes et Respublicae nunquam possint permittere, vt Austriacae ambitioni alias immensae, Polonia quoque accrescat, ideo nihil aliud inde expectandum esse, quam Poloniam fore theatrum omnis miseriae, et antemurale illud Imperii conculcatum iri, adeoque iam ab Austria occasionem, et causam praebitam esse aliis, inuadendi Imperii Prouincias. 1. Quod attinet primum membrum, id propius considerabitur, postquam ex occasione et ductu supra allegatae Regiae Bohemicae instructionis paucis et quidem in transcursu causas huius belli Sueco-Polonici attingere licuerit. Fuit equidem Rex Poloniae comprehensus pactis Osnabrugensibus, sed suo modo, et ea ratione, vt alii Reges, Principes, et populi, clausula ibidem Generali recensiti sunt. Quemadmodum vero absurdum esset, omnium Regum et populorum dictis pactis comprehensorum, controuersias, vigore generalis eius clausulae esse sopitas: ita controuersia, quae vertitur inter Reges Sueciae et Poloniae, de iure Regni Sueciae, non potest illuc trahi, vtpote de qua nihil neque actum, neque statutum est, imo nec statui quidem potuit in tractatu Osnabrugensi. Quin potius in pactis Stumdorffianis An. 1635. prouisum fuit, vt de perpetua pace inter duo Regna ineunda peculiaris tractatus institueretur: qui deinde post conclusam Germaniae pacem vtriusque partis consensu Lubecae bis est habitus. Placuit tum Poloniae (quod ex Polonicorum Commissariorum Protocollo Lubecae scripto, multis ad oculum demonstratum est, et adhuc demonstrari potest) post victoriam a Tartaris et Cosacis ad Berestecko obtentam, mandare suis Commissariis Lubecae agentibus, vt sub ventilatione praeliminarium, penetratis Commissariorum Suecorum animis, congressum Lubecensem dextre dissoluerent. Quod cum diu tentassent, et Suedici integram titulaturam constanter vrsissent, tandem habetur Lubecae inter Polonicos Commissarios consultatio, an ad praetensionem Suecicorum Commissariorum tituli possent reformari? In qua post lectam Magni tum Poloniae Cancellarii, nunc vero Archiepiscopi Gnesnensis epistolam, ad Commissarios Polonicos Varsauia, die 20. Augusti Anno 1651. scriptam,

1657 ptam, de nullatenus admittendo Sueciae poſtulato, circa titulum Regis Poloniae haereditarium; ſed potius reiiciendo tractatum in aliud tempus, et hoc ea de cauſa, ſiquidem cum renunciatione tituli ceſſaret materia tractatuum, tum lecta illa epiſtola, Caſtellanus Chelmenſis ſuadet, ne acriori titulorum propugnatione, innocenti vitulo damnum paretur: non eſt (ait idem in Protocollo) nobis amplius integrum praetendere talia a Suecicis ob nimiam in nouiſſimis tractatibus Pruſſicis Commiſſariorum Polonicorum licentiam, commiſſam non tantum infami ſigilli raſura, ſed etiam pactis ſuper titulatura et modo communicationis cum Suecis. Si a nobis inſtantius vrgeretur, fieretque cauſa diſceſſus, facile a Suecis in conuulſionem pactorum baptizari poſſet, et intempeſtiuum nobis cauſari bellum, cuius auerſio quantam nobis ob labefactatas Reipublicae vires imponat neceſſitatem, nemo eſt, qui non perſpiciat. Tranſierunt quidem in eam ſententiam Caſtellanus Gneſnenſis, et Capitaneus Mitauienſis; ſed ille tamen cenſuit, vt non alte nimis, ita nec demiſſe cum Suecis eſſe agendum: Suecis enim aeque optabilem eſſe pacem ac Polonis; vires Reipublicae Poloniae acciſas auxiliis Auſtriae poſſe adiuuari, vtpote quae ab ineunda concordia (verba ſunt dicti Polonici Protocolli) nos retrahens promittit ex Hiſpania, claſſem et belli neruum contra Sueciam, quoties opus fuerit, et petit, vt ſolis ciuitatibus Hiſpanicis commercium permittatur Polonicum, et vt Rex Poloniae ſemper armatas habeat naues, ad aſſerendum pro ſua parte maris Balthici dominium. Scilicet Poloniae Rex hac Auſtriaci auxilii ſpe illectus, non amplius de perpetua pace ſancienda; ſed de commoda occaſione aggrediendi Sueciam cogitauit. Et quia talis illi apparebat tum emerſiſſe, quando ſcilicet ſub abdicationem Sacr. Reg. Maieſt. Reginae Chriſtinae Sueciae orti videbantur, cum domi parum concordes animi, tum in Ducatu Bremenſi motus bellici, ideo Poloniae Rex, licet male conſtitutis rebus in Polonia et Lituania, vſurus tamen ea occaſione de claſſe in mare Balthicum inuehenda, et Coſacis contra Liuoniam animandis conſilia inire coepit. Et vt in tempore iuri ſuo in Sueciam praetenſo conſuleret, quendam nomine Canaſiles in Sueciam miſit, qui An. 1654. Vpſaliae in publicis Regni comitiis circa dictam abdicationem non modo proteſtatus eſt contra translationem Coronae in modernam Sacram Regiam Maieſtatem, ſed alia etiam intoleranda non veritus eſt inter ſtatus Regni Sueciae diſſeminare. Regia ergo Maieſtas Sueciae admota clauo ſui Regni, et intelligens Regem Poloniae nullo perpetuae pacis deſiderio teneri; quin potius in praeiudicium pactorum Stumsdorfianorum non modo multa exemplo ſui Fratris commiſiſſe; ſed etiam auſum eſſe per expreſſum emiſſarium in conuentu Ordinum Regni proteſtari contra translationem Regni, in ſe et ſtirpem ſuam iamdiu delati, et ſimul etiam tam in Regno Sueciae, quam extra idem apud vicinos procurare ſibi odia et bellum internecinum, inque eum finem arrogare ſibi, et denegare Sacrae Regiae Maieſtati debitos Titulos, conſiliaque agitare de introducenda claſſe in mare Balthicum, pro aſſerendo ſibi dicti maris dominio; iuſtiſſimas vtique et neceſſarias habuit cauſas ſumendi arma contra eundem Regem Poloniae, vt cum eo, qui nec amicabili ratione pacem promouere, nec induciarum pacta religioſe obſeruare voluit, ſub clypeo de pace agere poſſet. Neque enim aliquis, niſi affectibus ſuis nimis indulgens, affirmauerit, Reges et Regnum Sueciae debere pati pactorum Stumsdorfianorum violationem, et infinitas Polonorum iniurias, propterea, quòd Rex Poloniae comprehenſus eſſet pactis Oſnabrugenſibus. Antequam vero Sacra Regia Maieſtas arma caperet, monuit Regem et Rempublicam Poloniae, primum per dictum Polonicum Emiſſarium Caneſilles, et deinde per ſuos et Regni ſui Senatores, vt pactis tantopere violatis mature conſulerent, redintegrandae

grandae paci, vel certe bellum expectarent. Quemadmodum vero ex ſupra 1657
allegato Polonico Protocollo apparuit, Auſtriam impediuiſſe, quominus Lubecae pax fieret; ita ex ſequentibus euidentiſſime patebit, quod ex quo ante biennium, et eo amplius res viſa eſt ſpectare ad bellum, inter Sueciam et Poloniam, et poſtea etiam eadem omnibus viis et modis tractatui et paci ſeſe obiecerit. Cum enim Rex et Reſpublica Poloniae an. 1655. legationem in Sueciam mitterent, ſimul et eodem tempore Sacra Caeſarea Maieſtas miniſtros ſuos ad Czarem Moſchorum ablegabat, vt dum legatio Polonica Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae fruſtraneo tractatu in Suecia diſtineret, et ab expeditione in Poloniam auerteret, Caeſarei Czarem Moſchorum ad bellum contra Sueciam excitarent. Tentauit equidem legatio Polonica, Stockolmiae primum, vt prioribus induciis ſtaretur, et deinde (cum Suecia talibus amplius nollet fidere) vt exercitus Suedicus, non in Poloniam, ſed Liuoniam tranſportaretur, vt ſcilicet ita Czari Moſchorum eo maiorem ſuſpitionem cieret. Cum neutrum obtineri poſſet, et legatio in tali cauſa cauſaretur defectum mandati, conuentum eſt de tractatu Stetinum transferendo. Pergit deinde Sacra Regia Maieſtas Sueciae, primum in Pomeraniam, et deinde in Poloniam. In primo ingreſſu in Poloniam obuii proceres Poloniae, incuſabant Regem ſuum, et eius adhaerentes, quod ſecuti ſint non tam Nobilitatis et Reipublicae ſuffragia, ad pacem tum maturandam intenta, quam Auſtriacorum conſilia euentum commiſſionis in Moſchouia expectandum inculcantia. Rex Poloniae ſpe quoque ſucceſſus dictorum conatuum Auſtriacorum, reiecit etiam tractatum Stetinenſem, in quem Commiſſarii Polonici Stockolmiae conſenſerunt. Sancitum eſt pactis Oſnabrugenſibus, vt vtraque pars paciſcens, alterius vtilitatem, honorem et commodum promoueret, neque vllius rei praetextu altera alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, moleſtiae, aut impedimenti, clam vel palam, directe vel indirecte, in imperio, aut vſpiam extra illud inferret, aut inferri faceret. Quam religioſe nuper defuncta Sacra Caeſarea Maieſtas huic legi pacis ſteterit, et quam fidam vicinitatem, et ſecuram ſtudiorum pacis culturam Auſtria erga Sueciam adhibuerit, teſtatur cum ſupra allegata diſſolutio tractatus Lubecenſis, tum vel vnica mediatio eius Vilnenſis inter Regem Poloniae, et Czarem Moſchorum, in qua (vt ex Protocollo Commiſſariorum Polonicorum Vilnae notato, et typis publicato pluribus patet) non modo praecipuas partes et laudes obtinuit concitatorum Moſchouiticorum armorum contra Sueciam, cauſamque praebuit immaniſſimi belli in Liuoniam, Eſthoniam, et Ingermanlandiam prolati; ſed etiam Czarem Moſchorum ineſcauit vana ſpe adipiſcendi Coronam Poloniae, quam tum ſuae Domui conciliatum ibat. Erant haec Auſtriaca conſilia adhuc ſub incude in Moſchouia, cum Sacra Regia Maieſtas Sueciae ann. 1655. victricia ſua arma per Poloniam circumtulit. Et quia de euentu tentaminis illius Auſtriaci in Moſchouia nihil certi adhuc haberi potuit, ideo Rex Poloniae per legatos ſuos, Przyiemski et Brochowski, viam iterum ad tractatum parare coepit. Nam pro Palatino Lancicienſi Domino Comite Leſczynio, et Regni ſupremo Mareſchallo Domino Lubomierſcio in eum finem ſaluus conductus a Sacra Regia Maieſtate poſtulatus eſt. Et cum vtrinque appareret ſpes boni ſucceſſus ibi tum Sacra Caeſarea Maieſtas 16. Nouembr. An. 1655. mittit Bohemiae Vice-Cancellarium, Dominum Comitem de Poettingen, ad Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae vt verbis mediationem offerret, re ipſa vero diſſidio oleum adderet. Nouit equidem tum Sacra Caeſarea Maieſtas coeptum eſſe agi de pace inter duo Regna, ſine mediatoribus: nouit etiam, quod ſi mediatores eſſent aſſumendi, non poſſe eos praeteriri, qui Lubecae fuerant vtroque aſciti, et admiſſa imperiali mediatione, numerum vltra modum auctum iri.

1657 Nouit etiam omnium optime, quibus mandatis legatio ſua in Moſchouia haerens inſtructa eſſet, facileque coniicere potuit, Sùecicos legatos ibidem et percepiſſe, et Sacrae Regiae Maieſtati retuliſſe, quanta ſemina diffidentiae inter Sueciam et Moſchouiam, iam tum ſparſiſſent; nouit inſuper nonſolum Sacra Caeſarea Maieſtas ſed tota etiam Germania Regem Poloniae per Palatinum Lancicienſem Viennae implorare auxilia contra Sueciam. Quod vero Caeſareorum auxiliorum ſpe freta eſſet Polonia, iam tum cum Dominus Poettingen in Commiſſione ſua fuit, id Sacra Regia Maieſtas Sueciae eodem tempore ex Regis Poloniae literis ad ciuitatem Thorunienſem intellexit. Nouit, inquam, Sacra Caeſarea Maieſtas haec omnia, et iudicare potuit, talia non conuenire offerendae interpoſitioni, miſit tamen ablegatum ſuum et literas ad Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae, vt Polonos in tractatum cum Suecia pronos, hac ſpe aliquantiſper diſtineret, et interea belli flammas commoueret in maius; idque probari poteſt, tam ex actionibus ipſius ablegati Caeſarei, quam literarum tenore. Supra allegata inſtructio indigitat, ipſum imperialem ablegatum in quartum menſem cum ludibrio a Sacra Regia Maieſtate diſtentum fuiſſe. Venit idem imperialis ablegatus Thorunium, cum Sacra Regia Maieſtas ann. 1655. in Decembri cum exercitu eſſet ad oppidum Fridlandiam in Ducatu Boruſſiae. Et cum illico, atque Thorunium aduenit, a loci Commendante in itineris praeſidium et ad maturandam ſuam profectionem, habere potuiſſet ducentos equites, maluit ibi praeſtolari, dum nobilis, cum tubicine ad exercitum Suedicum ab eo miſſus, referret illi Regium ſaluum conductum, quo tutius non ad exercitum Regium, ſed Elbingam ire poſſet. Poſtulanti dicto nobili non fuit Paſſeportus denegatus, ſed quandoquidem iam tum innotuit, Quartianos defeciſſe et Sacra Regia Maieſtas propterea ad comprimendum dictum motum voluit, cum aliqua exercitus ſui parte per Maſouiam inexpectata tranſire Louicium, et alicubi in itinere imperialem ablegatum audire, ideo fecit indigitari dicto nobili, vt ad dies aliquot expectaret, quo Sacra Regia Maieſtas locum et diem audientiae, praeſidiumque certum ablegato Caeſareo aſſignare poſſet. Neque enim conſultum videbatur, tractatu adhuc cum Sereniſſimo Domino Electore Brandeburgico pendente, et itinere per Mazouiam intuto de ſupradicta Sacrae Regiae Maieſtatis intentione properandi in Poloniam, informare Caeſareum miniſtrum, alias parti alteri addictum. Quia vero nobilis indeſinenter et importune ſatis inſtitit, vt deſideratus ſaluus conductus expediretur, indultum eſt in eo eiuſdem voluntati. Poſt paucos dies itineri ſe committit Sacra Regia Maieſtas in Poloniam, et in eo mittit quendam e cubicularìis ſuis Thorunium, accerſitum inde imperialem ablegatum Soldouiam, vt iſthic commiſſa exponeret. Sed quia iam ante Elbingam properauerat, forte vt iſthic Sacra Regia Maieſtas (vt ille putabat) contra Gedanenſes moturam opperiretur; ideo Sacra Regia Maieſtas per ſuum et Regni ſui Cancellarium, notum illi fecit de ſua profectione, et quod (modo ſtatim itineri ſe committat) eundem vel Louicii vel Varſauiae ad audientiam admittere vellet. Non venit ille ante Varſauiam, quam Sacra Regia Maieſtas copias Polonorum ad Columbo cecidiſſet, et tergori iam in Leopolienſem Palatinatum fugientium inhaereret. Inde mandata dedit ſuis miniſtris, vt quandoquidem imperialis ablegatus, Varſauia Sendomiriam, et inde in Auſtriam commodiſſime redire poſſet, Sendomiriam eum cum neceſſario praeſidio deducerent. Expoſita illi fuit intentio Sacrae Regiae Maieſtatis et opportunitas itineris redituſque in patriam; Verum maluit ille cum quibuſdam maleuolis turbare res Suecicas, quam hanc redeundi occaſionem aucupari. Vbi ergo ita a Decembri in Aprilem ſequentis anni, vel propria cunctatione, vel certe a Liſola et eius comitatu impeditus, Commiſſionem protraxiſſet,

traxiſſet, tandem reduci Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae, ex Palatinatu Leopo- 1657
lienſi die 5. April. ann. 1656. in oppido Praga ad Varſauiam, mandatum ſibi negotium vna cum literis imperialibus expoſuit. Data illi mox fuit optio, vt quando Sacram Regiam Maieſtatem cum exercitu ſuo hoſtem in maiorem Poloniam contendentem ſtatim inſequi, et deinde in Boruſſiam ire vellet, vtrum exercitum comitari, et in itinere verſus Sileſiam dimitti, an vero in Boruſſiam recta ire, et ibi expediri cuperet? Habita deſuper conferentia cum Reſidente Liſola poſterius elegit, manſitque Varſauiae, vſque dum Rex Poloniae eandem vrbem obſidione cinxiſſet. Inde vero egreſſus ad ſeptimanas aliquot cum Reſidente Liſola manſit in caſtris Polonicis, et inde vna Thorunium venientes ille ibi ſubſtitit, nec Sacram Regiam Maieſtatem tum Mariaeburgi commorantem inuiſere ſuſtinuit, hic vero Mariaeburgum contendit. Conuenientius forte muneri, acceptiſque mandatis exiſtimabant nectere moras, et vbique animare exacerbareque animos Polonorum, quam maturando iter, et indifferenter agendo Sacrae Regiae Maieſtati tantum et tam ſalutare negotium interpoſitionis commendare. Si a miniſtris ad conſiderandas ipſas imperiales literas animi conuertantur, inuenientur in illis minaces exprobrationes, partis Polonicae ſtudium et intentionem fuiſſe, non nuda et indifferente mediatione, ſed vel pro imperio et ſumma poteſtate, Imperatori a Deo impoſita, vel certe iure patroni et protectoris, adeo, vt, ſi nullae aliae rationes obſtitiſſent, ſolae literae ad vtrumque Regem ſcriptae Sacram Regiam Maieſtatem ab accipienda interpoſitione auertiſſent. Cum dictae imperiales literae expedirentur, tum pene omnes vtriuſque Poloniae et Ruſſiae Rubrae Palatinatus erant in fide Sacrae Regiae Maieſtatis vt et milites quartiani. Coſaci etiam pro eadem ſtabant, et Czar Moſchorum omnia adhuc amica praeſeferebat: et tamen Sacra Caeſarea Maieſtas in dictis literis dicit, ſe nonniſi grauiter poſſe ferre concurſum et ſtrepitum, tot tamque variorum armorum in vicinia. Nihil tamen exprobratum fuit Poloniae Regi, qui tamen e Sileſia in Poloniam impune emittebat ſua agmina, et machinabatur ibi motum illum, qui poſtea maiores ſtrepitus edidit. Et ſi procul affectibus conferantur Sacrae Caeſareae Maieſtatis literae ſcriptae ad vtrumque Regem, deprehendetur, laudari in iis Sacram Regiam Maieſtatem Poloniae, atque illi teſtimonium dari, quod vti nunquam antea, ita ne tunc quidem, ab amicabili aequaque compoſitione abhorruerit: De Sacra vero Regia Maieſtate Sueciae coniicitur, quod vel primo exardeſcentis belli impetu, vel aliis forte de cauſis, tractationi locum non dederit; quinimo quod animus eius ex ſucceſſibus rerum non ad aſſumendum tractatum compoſitionis, ſed bellum proſequendum propenſior eſſet factus. An congruerit vel Sacrae Regiae Maieſtatis actionibus haec ſuſpicio, vel etiam mediationem affectanti, tam aperta partialitas, aequus arbiter dixerit. Mentio quoque ſummi in Republica Chriſtiana, inter eiuſdem Reges et Principes, Imperatori a Deo impoſiti muneris, non exiguum ſcrupulum animo Regio iniecit. Magna equidem eſt inter Chriſtianos Reges, Imperatoriae Maieſtatis praerogatiua, quam Sacra Regia Maieſtas conſenſu Intereſſatorum introductam, exemplo aliorum Regum decenter habet. An vero, vel ſummitas et ſuperioritas, iuriſdictionis in Reges alios a Deo eidem ſit impoſita, vel quod ad Regum controuerſias componendas neceſſarium ſit Caeſareum arbitrium, de eo vtique incidere potuit, vt iuſta dubitatio, ita etiam anſa declinandi mediationem. Neque ſatis fuit imperioſis, et ſuſpectis eiuſmodi literis auertere Regium animum, etiam alio indicio erat ſtringendus. Imperialis Reſidens Liſola, mox poſt Domini Comitis Poettingeri audientiam, communicauit Sacrae Regiae Maieſtati exemplar literarum a Palatino Siradienſi Domino Ioanne Koniecpolio ad miniſtrum quendam Imperialem ſcriptarum die 22.

1657 Ianuar. ann. 1656. verbis ſequentibus: *Hoc infelici Patriae noſtrae tempore confugimus ad patrocinium et tutelam Sacrae Caeſareae Maieſtatis vti ſupremi totius Chriſtianitatis protectoris, nec equidem in ea nunc fallimur opinione. Quodſi itaque propoſitum fuit Sacrae Caeſareae Maieſtati componere Regum Sueciae et Poloniae diſſidia, vigore vel ſummi imperii, vel ſuſceptae protectionis, quomodo a Sacra Regia Maieſtate Sueciae acceptari et haberi potuit pro indifferenti mediatore?* Dicit quidem ſupra allegata Regia Bohemica inſtructio, non Caeſaream modo interpoſitionem; ſed etiam Electoralem Moguntinam et Saxonicam tum fuiſſe adiunctam. Verum de Electorali illa, ne verbum vel protulit Dominus Comes Poettinger, vel continuere literae Imperiales. Quod vero Auſtriaci demum concultata iam omni confidenti communicatione cum Suecia, in conuentu hoc Francofordienſi propoſuerint mediationem Caeſaream cum Electorali adiunctione, eo vtique ipſo videntur voluiſſe Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae apud ſtatus inculpare, et hos deinde cauſae ſuae per indirectum innectere. Qui ergo procul affectu, odioque, totum oblatae mediationis negotium penſitat, videbit ex omnibus eius circumſtantiis, Auſtriacos nihil aliud intendiſſe, quam vt eo ipſo praeberetur anſa, primum Sacrae Regiae Maieſtati repudiandi Caeſaream interpoſitionem, et deinde Auſtriacis concitandi alios contra Sacram Regiam Maieſtatem, ceu omnia pacis media ſubterfugientem. Neque enim Auſtriacis ſatis fuit excitare Czarem Moſchorum, et animare Polonos in perniciem Sueciae, etiam Princeps Tranſyluaniae et Zaporouiana gens erat tentanda, et exciendi contra Sueciam, Turcae, Tartari, Dani. Apud Coſacos in Vkraina, vt vt contra Sueciam laborauit, non tamen inuenit fidem Auſtriacus miniſter. Neque Liſola auſus in Boruſſia opera Radzieuii ſeducere Coſacorum deputatum Abbatem Danielem, intentionis ſuae effectu gaudere potuit. Cum miniſter Auſtriacus ad portam Ottomanicam pro Polonia omnem mouiſſet lapidem, pro auxilio obtinendo, Tartaris indultum eſt, vt illa Polonis adferrent: quanta Poloniae clade, et hominum abductorum numero, non facile quis computauerit. Haec ſciunt Auſtriaci ſe egiſſe, et inſtructio tamen culpam confert accerſitorum Tartarorum in Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae! Poloni ergo reduniti et aucti copiis Tartaricis nihil de pace audire ſuſtinuerunt, ſed cum legatus Sacrae Regiae Maieſtatis Chriſtianiſſimae, pacis auctor eſſet, reſponderunt, nullam vnquam fore pacem niſi Sacra Regia Maieſtas Sueciae cum ſuo exercitu Polonia, et eius Prouinciis excedat, et pro illatis hoc bello damnis ſatisfaciat. Victus vero ſequentibus diebus ad Varſauiam Rex Poloniae per terrae Vielunenſis Dapiferum Dominum ALBERTVM GIZICKI ſignificari fecit, non fore ſibi ingratam Regis Chriſtianiſſimi operam interpoſitionis, modo legati ad ſuam Maieſtatem nunc ire vellent. Suſceperunt illi mox iter Lublinum, et primis diebus ſpes boni ſucceſſus apparuit; quamprimum vero nuntius Vienna aduenisſet, priori longe durius, et quidem tale reſponſum retulerunt, vt idem Sacram Regiam Maieſtatem omnino celare voluerint. In Moſchorum et Danorum diuerſionibus, tum ſita erat omnis ſpes. Renouato vero foedere inter Sacram Regiam Maieſtatem Sueciae, et vniti Belgii Ordines Generales; vt et Czare Moſchorum aliquantulum in Liuonia retuſo, iterum Rex Poloniae Gedani ann. 1656. brumali tempore commorans, cum per mediatores, tum etiam per alios internuntios pacis ſtudium oſtendit. In quo cum vterque Rex et mediatores vltro citroque commeantes eo vſque eſſent progreſſi, vt Sacra Regia Maieſtas Sueciae et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, in Praeliminaria, prout a Polonis poſtulabatur, conſentirent, et totum negotium videretur poſſe tridui ſpatio componi, ibi tum ad Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae aulam conſtitutus Impe-

Imperialis Reſidens Liſola oppreſſurus negotium in herba, illico non ſalutata Sacra Regia Maieſtate Sueciae Elbinga Gedanum contendit, effecitque, vna cum Danico miniſtro, vt et tractatus intermitteretur, et Rex Poloniae ad Czenſtochouiam tantiſper contenderet, dum Danica arma plane apparari, et duae illae conditiones, quas Auſtria in pactis erigendis cum Polonia, ſuper auxiliorum praeſtatione adhuc exegit, melius perpendi poſſent. Hic iterum regerit inſtructio Bohemica, non modo Gallicos miniſtros tum aſſeueraſſe, quod Sacra Caeſarea Maieſtas et Domus Auſtriaca non potuerit comprehendi tractatu illo, inter Sueciam et Poloniam ineundo; ſed etiam Galliam intendiſſe, vt compoſito bello Sueco-Polonico, Sacra Regia Maieſtas Sueciae Auſtriam bello adoriretur. Quod ſi vel miniſtri Gallici talia (quae tamen ab iis in Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae aula nunquam ſunt propoſita vel audita) dixerunt, vel Sacrae Caeſareae Maieſtati cordi fuit comprehendi dicto tractatu, cur imperialis Conſiliarius et Reſidens Liſola non informauit vel Sacram R. M. Sueciae, vel etiam Foederati Belgii legationem, tum munere mediatorum fungentem, de Sacrae Caeſareae Maieſtatis propoſito? Si Sacra Caeſarea Maieſtas ſciuit Sueciam et Galliam compoſito bello Polonico velle inuadere Auſtriam et conſequenter bellum in Imperio excitare, cur tanto et tam periculoſo tempore Imperii, Electores, Principes et Status non conuocauit ad Imperii prorogata comitia? Cur eorum conſilia et vota, decenti et legitimo modo, non requiſiuit? Saepe nominata inſtructio Bohemica exaggerat imperio tum imminentia pericula, et ſollicitam Sacrae Caeſareae Maieſtati curam, pro eiuſdem pace et ſalute, et nullibi tamen fit mentio ſtatuum, qui tamen in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, praeſertim, vbi bellum decernendum, vel auertendum, vbi pax aut foedera facienda, ſine contractione, imo ſine vlla interpoſita cunctatione deberent gaudere iure ſuffragii, et ſine eorum comitiali conſenſu, ſiue ſupradictis, ſiue aliis eiuſmodi negotiis nihil ſuſcipi. Scilicet intererat tum Auſtriae, et ignorare Sacri Romani Imperii Electores, Principes et Status intentionem contextumque conſiliorum Auſtriacorum, et Polonos ab imminente Tranſyluaniae, et Coſacorum exercitu egregie caſtigari, vt ita ab hiſce in tanta calamitate verſantibus, eo citius extorquerentur praetenſae conditiones, et illi videntes concurſum tot tamque variorum armorum in Imperii vicinia, conatibus Auſtriacorum applauderent. Sed qui expendit, quot quantiſque viis Auſtria non modo tractatum inter Sueciam et Poloniam impediuerit, ſed etiam quot hoſtes, cumprimis Moſchos et Danos Sueciae excitauerit, non diffitebitur, Auſtriam quoque in cauſa fuiſſe, quod Sacra R. M. Sueciae alios in ſocietatem armorum contra Poloniam admiſerit. Corona Poloniae cum variis eſſet oſtentata, etiam Celſiſſimo Principi Tranſyluaniae oblata fuit. Princeps ſciens non modo Conſtitutionum et iurium Poloniae, ſed conſiliorum etiam, quae ſuper eadem Corona, tam in aula Imperatoris, quam in Moſchouia agebantur, non potuit non pro ludibrio et officiis habere ſibi factam oblationem: vtpote qua videbat Auſtriacos non minus ſe, quam Czarem Moſchorum ludere, et interea ſuae Domui illam Corollam, aliis vero bellum praeparare. Sacra etiam Maieſtas Sueciae accepto poſt pugnam Varſauienſem ſuperbiſſimo iſto reſponſo a Rege Poloniae, et videns Polonos non niti propriis conſiliis, ſed pendere ab Auſtria, hanc vero nihil minus, quam pacem promouere, coepit exinde ſtrictius ſociare conſilia cum Celſiſſimo Principe Tranſyluaniae. Foedus, quod tum cum eo percuſſum eſt, nihil in ſe continet, quod quieti et paci ſiue Romani Imp. in vniuerſum, ſiue Auſtriae, quoad eius regna et prouincias haereditarias ſigillatim, vel vllo in articulo praeiudicioſum ſit. Foederatorum ſecuritas, et honeſta Poloniae pax ſcopus erat dicti foederis. Et ſi Poloni

1657 et Lithuani praeterito vere vel aestate in aperto etiam campo, eam facere voluissent, apud Sacr. R. M. Sueciae et eius foederatos, nullam inueniissent siue tractandi moram, siue conditionum iniquitatem, quin potius, tam quoad liberam electionem, quam aliorum iurium integerrimam suam libertatem. Et Deus, quando inter medias belli suscipiendi cogitationes, et ingentes istas Poloniae flammas, Sacram Caesaream Maiestatem Ferdinandum III. ex hac vita auocauit, videbatur ostendisse non minus Poloniae quam Austriae tempus esse cogitandi de pace. Verum hoc vno Polonia infelix fuit, quod quandoquidem inter tot hostes vniuersalia comitia conuocare, et in commune consulere non potuit, ideo Austriae consilia sequi, et eius praesidium quaerere adacta sit. Neque haec siue causae suae, siue occasioni tali defuit, sed dextre procurauit, vt Poloni, qui Regem Austriacum toties sunt auersati, et nunc bellis afflicti, vix de tali Rege suscipiendo audire sustinebant, ab amicis iuxta et hostibus, Suecis, Germanis, Moschis, Tartaris, Transyluanis, Cosacis, Moldauis, Valachis, imo ipsis Polonis, vltra quam dici potest, tam quoad bona, quam cruciatus, et vitae dispendia, magis, magisque contererentur et redderentur opportuni intentioni Austriacorum. Nam (vt nunc ad alterum membrum eatur) si Austria, non proposito acquirendi Regnum Poloniae, sed mota, vel pactis cum Polonia antiquis, vel commiseratione Christiana erga afflictos bellum hoc susceperit, cur pacem Lubecae, et postea tot vicibus impediuit? Cur Poloniae (non dicam) saepe contra hostes Turcas et Tartaros, sed nuper contra Cosacos et Moschos, graues Poloniae hostes suppetias non tulit? Cur in principio recrudescentis huius Suecici belli, praecipue, cum omnes Palatinatus a Rege Poloniae, iam in Silesia agente, ad Sacram Regiam Maiestatem Sueciae concessissent, et res in Polonia videretur desperata, vigore antiquorum pactorum in campum non descendit? Scilicet non defuit iis voluntas, sed occasio, quae ostenderet et Poloniam in cineribus et coronam offerri cum iure perpetuae successionis. Non opus est recensere priora tempora, et quam saepe in Poloniae interregnis Austria Poloniae sceptrum ambiuerit? propiorum temporum meminisse iuuabit, et quidem primo quod anno *1655*. cum Rex Poloniae armis Suecicis Regno esset pulsus, et quartiani nutarent, tum Austriacus quidam fuerit apud quartianos, qui iis auxilia imperatoria promitteret, modo post fata Regis Ioannis Casimiri corona conferretur alicui ex Domo Austriaca. Quando Proceres et Nobiles quartianis adscripti hanc propositionem reiiciebant, non propterea a parte Austriae omissum est idem institutum. Apud Regem et Senatorum quosdam de eo deinde agi coeptum esse, vel inde apparet, quod cum Rex Poloniae in supra allegatis literis suis, scriptis Crosnae d. 4. Ianuar. anno *1656*, ad ciuitatem Thorunienſem affirmat, Caesarem promittere sibi auxilia, tum legati Imperiales in tractatu Vilnensi suaserint Polonis, vt concitato iam Czare Moschorum contra Sueciam, et duobus istis inuicem collisis tractatum cum Moschis rumperent, quo spes, quam Czari Moschorum fecerant de consequenda corona, Polonorum ruptura concideret, et sic Imperator non videretur ineiscasse Czarem vana spe, et sibi procurasse Poloniae regnum. Tum et hoc diligenter est considerandum, quod cum Lisola Gedani tractatum, qui (vt supra est relatum) in Borussia institui debebat, interturbasset, et Mediatores causam tam subito mutati consilii perquirerent, palam professi sint Poloni, coeptum scilicet esse tractatum inter Sacram Caesaream Maiestatem et Sacram Regiam Maiestatem Poloniae de euentuali successione Principis Austriaci in regnum Poloniae, eamque etiam posse ratihaberi a Republica. Sed quandoquidem Sac. Caes. Maiestas postulabat adhuc duas conditiones: Primo, vt Poloniae cassato iure eligendi, posthac Austriae adscriberet perpetuum ius succedendi in coronam Polo-

Poloniae. Secundo, vt Austria, et Polonia vna cum Dania in decem annos 1657
mutuo foedere contra Sueciam necterentur, anniterenturque communibus viribus, eliminare Sacram Regiam Maiestatem Sueciae, non modo Polonia et Borussia, sed etiam Prouinciis Germanicis: ideo diuisis in hoc negotio suffragiis Senatorum, qui Regi Poloniae tunc erant a latere, eundem esse Regi ad Częstochouiensem, aut alium Senatorium conuentum, vt ibi certiores reddantur, et Austria de sua praetensione, et Polonia de desiderato auxilio. Negant quidem Austriaci, talia pacta sibi cum Rege Poloniae intercessisse, et id quidem non sine causa. Neque enim adhuc consultum foret, aperte talia fateri, tam ob Czari Moschorum indignationem, quam propter aliorum odia, imo totius Reipubl. Polonae incerta suffragia. Ipse tamen Poloniae Rex in quadam resolutione d. 15. proxime praeteriti mensis Iunii data, Sacrae Regiae Maiestatis Christianissimae legato, ait: Se tam vigore antiquorum pactorum, quam foederis nouissime cum Sereniſſima Domo Austriaca iniri, ita esse cum ea, aliisque coniunctum, vt sine eius scitu et consensu, nec diem, nec locum, nec formam praescribere possit congressibus. Et Poloni, vt hactenus libero iure eligendi sibi Regem gauisi sunt; ita ex quo fama cassati eius iuris etiam ad illos, qui in exilio vixerunt, emanauit, illico pactionem illam editis scriptis, et nullitatis, et iniquitatis summae arguere coeperunt. Non potest ergo aliud ex supra allegatis rationibus elici, quam Austriam suscipiendo hoc bellum, et percutiendo tantum foedus cum Polonia intentionem habere, acquirendi sibi non modo ius, euentualis successionis, post fata moderni Regis Poloniae, sed hisce etiam primordiis ius perpetuae successionis. Non est opus in tertio huius belli membro multis exponatur, quantae sit et considerationis et consequentiae exitiosae hic Austriae conatus. Saeculorum labor est, quem nunc consummatum eunt, non alia intentione, quam vt sociatis tribus regnis haereditariis fundamentum ponant affectatae iamdiu dominationi in vniuersam Europam. Nouerunt omnes Polonae gentis potentiam, et quam polleat militari laude, et cumprimis equitatu. Quod si is sub imperio periti Ducis Austriaci iungatur, equitatui, peditatuique Germano, exercitusque necessariis prospiciatur, nihil non audebit Austria, non modo contra omnes vicinos, sed etiam contra Imperium Romano-Germanicum, et Statuum libertatem ac iura. Et quandoquidem Austria est tenax, suarum praetensionum, et ad plus vltra semper tendit; vicini vero Principes non poterunt permittere, vt tanta potentia coalescat: ideo tanti Austriae conatus necessario videntur procuraturi, primum exitiosam et vltimam Poloniae ruinam, et deinde ex flammis Polonicis vicinae Germaniae incendium. Velint Sacri Romani Imperii Electorum, Principum et Statuum Deputati apud se perpendere non modo exempla praeteritorum temporum, et quam cito vel inimicissimi conuenerint ad destruendam surgentem et ambitiosam eiusmodi potentiam, sed etiam quantis et quam bellicosis Germania circumdata sit gentibus: quarum aliae nunc iniuriis et armis Austriae sint lacessitae, aliae vero cum prioribus consilia sociare incipiant, omnes sine dubio ita animatae, vt prius extrema tentare velint, quam pati, vt Austriae noua haec potentia Polonica accrescat. Neque est, quod pericula imminentia exaggerentur, cum praesentium et Imperio iam impendentium satis sit; Quam friuolis praetextibus Daniae Rex bellum suscepерit contra Sueciam; arma vero sua, impulsu magnorum suorum foederatorum Austriacorum et indignissimo quodam ausu in Imperium conuerterit, et in eo S. R. Maiestatem Sueciae ceu imperii membrum, nunc terra et aquis impugnet, notius est, quam vt eius circumstantias hic repetere opus sit, praesertim cum Sacra Regia Maiestas, ea de causa ad Sacri Rom. Imp. Electores, Principes, et Status, ipsa iamdiu scripserit.

1657 Ex Polonia et Bohemia ſcribunt Auſtriaci miniſtri primariae dignationis, Regem Poloniae velle mittere Regi Daniae ſuppetias, et earum cauſa Polonicum exercitum debere tranſire per Imperii ditiones, ſcilicet Auſtriaca ſunt talia conſilia, Polonis ſuppeditata, vt quemadmodum Poloni antehac Marchiam et Pomeraniam, Dani vero Bremenſem Ducatum, impune et ſine aliqua Imperii reali indignatione infeſtarunt, ita nunc Poloni non vereantur pari facilitate Pomeraniam et reliquas Imperii inter Cimbriam et Poloniam ſitas, aliaſque vicinas prouincias, populari, et ſic pacem Imperii rumpere et plane conculcare. Quare cum nuper defuncta Sacra Caeſarea Maieſtas, et eius veſtigiis inſiſtens Regia Maieſtas Hungariae et Bohemiae, tantam moleſtiam, impedimentum et tandem apertam hoſtilitatem, quoad ſtatum et ſecuritatem, tam per ſe, quam alios, clam et palam, directe et indirecte, in Imperio, et ferme vbique extra illud Sacrae Regiae Maieſtati et Regno Sueciae contra manifeſtiſſimas inſtrumenti pacis diſpoſitiones intulerint, et adhuc inferri faciant, adeo quidem, vt iugulum ſtatus et ſecuritatis eius hunc petant, et quod hic maxime conſiderandum venit, Sacram Regiam Maieſtatem et Regnum Sueciae ditionibus ſuis in Germania acquiſitis eiicere intendant: et Sacra Caeſarea Maieſtas nuper defuncta, de conſilio et conſenſu Sacri Romani Imperii Electorum, Principum et Statuum, a die concluſae pacis Sueciam in plena iuſtaque Ducatuum et ditionum in Imperio ſitarum poſſeſſione conſtituerit, promittentes vigore pactorum Oſnabrugenſium, ſeſe ratione ditionum, bonorum, iuriumque per dicta pacta conceſſorum, ſecuritatem illi praeſtituros, et Sueciam in eorum poſſeſſione quieta, contra quemcunque inuiolabiliter conſeruaturos, et manutenturos; ideo et Sacra Regia Maieſtas Sueciae, quae antea per alios ſuos miniſtros Sacri Romani Imperii Electores, Principes et Status ſigillatim de ſupra dictis Auſtriae attentatis infirmauit, nunc ex quo molimina omnia in apertum bellum eruperunt, et nulla vniuerſalia Imperii comitia hoc tempore haberi poterunt, ordinariae huic Imperii deputationi eadem ob oculos ponere, non ſua modo, ſed Imperii etiam quam maxime intereſſe exiſtimauit. Quemadmodum enim ex ſupra allegatis, et iis etiam, quae nomine Sacrae Regiae Maieſtatis Chriſtianiſſimae eiuſdem extraordinaria legatio, coram Sacri Romani Imperii ordinaria deputatione nunc profert, videre eſt, quam abſolutam et illimitatam poteſtatem nuper defuncta Sacra Caeſarea Maieſtas ſibi in Imperio arrogauerit, et in quem periculoſum Statum exinde Sacrum Romanum Imperium, reſpectu vicinorum nunc coniectum ſit: ita ex parte Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae, non dubitatur, quin Sacri Romani Imperii Electores, Principes et Status, eorumque vices nunc in ordinario conuentu ſuſtinentes ordinarii deputati, accepta hac integra rerum omnium notitia, et memores non modo poteſtatis, auctoritatis, et iurium, quae ad conſeruandum Imperii aequilibrium Statibus per pacta Oſnabrugenſia, ſarta, tecta, reſeruantur, ſed fidei inſuper, qua non minus Regibus et Regnis foederatis, quam ſibi inuicem in obſeruationem pactorum ſanctiſſime obſtricti ſunt, in praeſenti interregno, et hac rerum coniunctura, ceu membra vnius Reipublicae, et cuſtodes communis libertatis, concordibus votis et ſuffragiis concurrant, et tantis malis, Regnorumque Sueciae et Galliae grauaminibus adaequata remedia adhibeant. Inprimis vero nomine Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae, decenter a Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus, et Statibus, hoc ipſo requiritur: Primo, vt diligenter expenſis ſupradictorum conſiliorum Auſtriacorum, et ſuſcepti belli in Polonia conſequentiis, in Imperii praeiudicium tandem redundantibus, Regiam Maieſtatem Hungariae et Bohemiae, ceu conſtatum ſuum auctoritate Imperii, et reapſe, quantociuſque a motibus Polonicis, et ſocietate Regis Daniae auertant, efficiant-

que

que, vt damna Sacrae R. M. et Regno Sueciae iam data reſarciat. Secundo, vt 1657
Sacrae Regiae Maieſtati et Regno Sueciae ceu pacis conſorti et membro Imperii, non modo contra Regem Daniae adhuc Bremenſi Ducatui armis ſuis inhaerentem, et Pomeraniae maritima loca infeſtantem, commerciorumque ſecuritatem in Imperii fluminibus Albi et Wiſurgi turbantem; ſed etiam contra quoſcunque alios, qui Sacrae Regiae Maieſtatis et Regni Sueciae iura et ditiones in Imperio ſitas armata manu et defacto impetere audebunt, debito et legibus Imperii conuenienti modo, quantocius, et quidem ad recuperandam arcem Bremeruerdam, adſiſtere, et plenam Guarantiam praeſtare velint; Et tertio, vt rationes ineant, quibus Sacrae Regiae Maieſtati et Regno Sueciae poſthac ratione prouinciarum et iurium ſuorum in Imperio caueatur de non amplius turbando. Plures iam ſunt menſes cum Sacrae Regiae Maieſtatis nomine praeſens Imperii ordinaria deputatio ratione adſiſtentiae contra Daniam monetur. Quod ſi vt hactenus, ita poſthac etiam, praeualentibus artibus et inueterata auctoritate Auſtriacorum tam neceſſaria res cenſebitur ſuperuacanea et indigna Statuum conſilio, atque ita Sacr. R. Mai. Sueciae communis ſecuritatis et auxilii, quod vigore Imperialium Conſtitutionum membris Imperii in tali caſu praeſtari debet, diutius relinquetur expers, ipſa ſibi de neceſſaria ſui conſeruatione quouis modo obtinenda proſpicere adigitur. Francofurti ad Moenum, die 22. Septemb. Anno 1657.

Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae

Ablegatus extraordinarius

MATTHIAS BIORENKLAV.

LIBRI VIII. CAPVT VI

SYNOPSIS

Polonus Rex Gallicum oratorem Posnaniam euocat. Quaerelae Polonorum contra Austriacos. Reginae contra eosdem inuectiua. Mittitur ablegatus ad Hungariae Regem. Puncta legationis Ministri Austriaci de Polonis conqueruntur. Gesta Polonorum vetera contra Austriacos recensentur, recentiora et nouissima. Massinii propositiones Austriacis factae. Responsum Austriacorum, ad Massinii propositiones. Habdaei Sueciae exploratoris Pragam aduentus. Eiusdem propositiones et Sueciae arcana. Responsum Habdaeo redditur a comite Schwarzenberg. Rakocius Transyluania pellitur et substituitur primo Raday, postea Bartzey. Gembicius, Cracouiensis episcopus, moritur Ratiboriae in Silesia. Officia distribuit Polonus Rex. Moritur Pstroconius episcopus Chelmensis. Chmielnicii Cosacorum ducis obitus. Wittembergius moritur. Gonsieuii in Liuoniam expeditio. Loca in Liuonia per Gonsieuium occupata.

1657 Hinc clare patet Sueciae Regem expectasse Polonorum in Pomeraniam irruptionem; contra quam tamen neque praecipua loca, neque difficiliores muniuerat viarum transitus; nisi forte studiose haec egisse credamus Sueciae Regem, quo facilius incautos deciperet, deleretque Polonos, huc illuc per camporum errantes planitiem. Audito Polonus Rex Czarnecii Opaliniique ex Pomerania reditu, a quibusdam male cautis persuasus Consiliariis, legatum Gallicum illico Varsauia Posnaniam euocat, missus propriis sexigis, honoris ergo. Neque ille diu moratus, celerrime Varsauia Posnaniam aduolat, paciscque mentionem hucusque Regiis ingratam auribus laetus audit. Assentiebatur Regina, Regiae voluntati, conquerebaturque passim coram regni proceribus. Nihil hucusque egisse in Polonia Germanum militem, nisi praedas et rapinas: Thorunium potuisse expugnare Hatzfeldium ante saeuientem adhuc hyemem, sed intactum reliquisse; decade annorum opus fore in recuperandis Prussiae propugnaculis, si Germanicis manibus vtetur Rex suus. Ad extremum concludebat pacem bello meliorem, hortabaturque singulos, vt positis armis ac controuersiis, tractatus pacis cum Sueciae Rege, mediante Christianissimi Regis legato Domino Ombres inirent Poloni, maxime si Prussiam redderet Suecus, quod per Electorem Brandeburgicum effecturam se pollicebatur Regina.

Polonus Rex Gallicum oratorem euocat Posnaniam.

Polonorum contra Austriacos quaerelae.

Reginae contra eosdem inuectiua.

Pacis mentio a Regina iniecta, Polonis placuit proceribus. Vnicum restabat dubium, qua arte Hungariae et Bohemiae Regem circumuehirent Poloni, cui paulo ante arctissimo vnionis vinculo colligati videbantur, concluſumque est, ablegare aliquem extraneum ad aulam Bohemiae Regis, qui iniurias, caedes, aliaque nefanda a militibus patrata, liberiori ore explicaret ministris Austriacis, peteretque restitui Polono Regi Cracouiam, cuius adhuc tenebat Germanus miles praesidium. Ita factum; CHRISTOPHORVM MASSINI, Gente Italum, patria Mutinensem, a literis Italicis Secretarium Regium, expediunt Pragam. Summa legationis fuit: Restitutio Cracouiae, iniuriarumque a milite Germano patratarum immensi questus: Addidit videri ordinibus Poloniae, ipsique Regi, vt, coniunctis cum Electore Brandeburgico armis, Hungariae Bohemiaeque Rex, Pomeraniam Suedicam ingrediatur, eoque modo vno exercitu, ad miraculum felix, Suecum opprimat deleatque; Paratum Czarnecium, abeuntes ex Polonia Germanos subsequi, illisque mixtum tamdiu militare, donec Suecum Pomerania pellerent, Daniaeque subuenirent Regi. His instructus mandatis Massini Pragam ingreditur Decembris septima die. Quem, quarto post die, subsequitur Polonus veredarius; literas is Massinio attulerat, quibus Polonus Rex vberius adhuc declarabat mentis suae arcana; et inprimis

Mittitur ablegatus ad Hungariae Regem.

Puncta legationis.

Vt

Vt se absolute spatio octo dierum declararet Regia Sua Hungariae Bohemiaeque 1657
Maiestas, an velit conitingere arma sua in Polonia sita, armis Brandeburgicis, Czarnecii legionibus, eoque modo bellum offensiuum inferre Sueciae Regi.

II. Si hoc acceptare nollet Poloni Regis, eiusque Confoederatorum, Dani scilicet Brandeburgicique Electoris salutare, vt aiebat, consilium, saltem mediator esset pacis, quam offerebat per Schlippenbachium Sueciae Rex Polono Regi.

III. Quod si nec mediator vellet esse, an saltim collateraliter posset includi pactis Suedicis? Ad extremum dispensari petebat a pactis Viennensibus, quibus se obligauerat non paciſci vllo modo cum Sueciae Rege, sine expresso consensu Hungariae Bohemiaeque Regis. Cum enim, inquit ille, videat Polonus Rex, se, populumque sibi a Deo concreditum, bellis longioribus et dilationibus eorum sufficere non posse; putat se obligatum tantummodo ad hoc, vt Maiestatem Vestram (licentiam ad paciscendum cum hoste ab eo petendo) veneretur, et deinde iuri naturae, duraeque necessitatis legibus obtemperet.

Haec summa inexpectatae legationis et literarum Poloni Regis, quibus ille per vim extorquebat, non alio fine, nisi vt pacem quacunque ratione componeret cum Suecis. Tum primum deceptos se esse a Polonis, mirati sunt Austriaci. Tunc vnus alteri vetera de Polonis memorare exempla. Duorum scilicet Maximilianorum Caesaris et Archi-Ducis, irritas electiones. Arnheimii duodecim bellatorum in Prussiam a Ferdinando Diuae memoriae secundo, Sigismundo tertio contra Gustauum Adolphum Sueciae Regem submissum exercitum, fame, armis, et inedia enecatum. Concluſa Stumdorffii pacta, cum Sueciae Rege Gustauo Adolpho anno 1636. 12. Septembr. exclusa Domo Augusta atque adeo ipso auxiliatore Ferdinando, Diuae memoriae, secundo, optimo Caesare. Contra quem eodem anno 1636. die 20. Martii confoederatio Wismariae concluſa fuit, inter Ludouicum XIII. Galliae Regem, et Christinam Reginam Sueciae. Emissae deinde saepius ex Polonia in Galliam integrae Polonorum legiones, contra Hispanum Regem, Polonis semper amicum. Adiuti commeatu Austriacorum hostes ab Episcopo Varmiensi, Venceslao Lescynski. Proscripti e Regno in gratiam Suecorum, qui grauissimi belli Suedici tempore, Ferdinando II. eiusque glorioſissimo Filio Diuae memoriae Ferdinando III. aliquas suppetias tulerunt, cum tamen, quod nec semel licuit Caesari, licuit semper Sueco, apud quem integrae Polonorum Przyiemscii, Rosciszeuii, aliorumque merebant legiones. Risu exceptae, tot Caesaris Hispanique Regis legationes, quibus opem a vicinis orabat Polonis, cum ad portas Viennenses haereret Suecus. Extorti per vim Ducatus Oppolienſis et Ratiborienſis grauissimi belli Suedici tempore, a Vladislao eius nominis quarto. Tentata saepius fidelitas ipsiusmet Silesiae per Polonos proceres, potissimum Kobierzycium, Castellanum Gedanensem, Caroli Ferdinandi Poloniae Principis supremum tunc aulae praefectum. Adiuncta iussu Vladislai Regis Silesia geographicae Polonae tabulae. Suppressi codicilli Caroli Ferdinandi, quibus haeredem instituerat Auguſtum Leopoldum, Hungariae tunc Regem Neporem suum. Cantatum Varsauiae Te DEVM, ob profligatum ad Atrebatum Sereniſſimum Leopoldum Wilhelmum Archi-Ducem Austriae. Addebant, Austriaci: Harum iniuriarum memores debuisse extare Austriae ministros Regios, nec vnquam nimium fallacibus credere Polonis.

Ministri Austriaci de Polonis conqueruntur.

Polonorum gesta vetera contra Austriacos recensentur.

Recentiora.

Nouissima.

Redeo ad Massinii legationem, quam paulo ante recensui. Nunc quae scripto ille conceperat, Ministrisque Austriacis per ea tempora porrexerat, clarius insinuo.

Elector Brandeburgicus supponens (nescitur ex quo fundamento) Vestram Maiestatem nolle suum exercitum iungere suis ac Polonicis copiis ad opprimendum in Pomerania Suecum, suadet Sereniſſimo Regi Poloniae pacem et tractatus cum Sueco.

Massinii propositiones Austriacis factae.

Schlippenbach Regis Sueciae legatus fuit apud Electorem Brandeburgicum, egitque nomine Domini sui, vt res ad pacem et pacta deducatur. Admittit Rex Sueciae, non tantum vt Sua Maiestas Hungariae includatur pactis, sed etiam vt sit mediator pacis, Regem tamen Daniae vellet excludere, sed absolute loquendo etiam hunc admittit. Idem Schlippenbach ab Electore Brandeburgico petiit, vt ista nuntiaret Sereniſſimo Poloniae Regi, vtque adderet, quod ipse ita suo Domino ordinante vellet currere Posnaniam, et ibi de pacis

1657 conditionibus loqui, cum Sereniſſima Regina, in praeſentia aliquot Senatorum. Fecit Elector et ſignificauit omnia Sereniſſimo Poloniae Regi. Reſponſum Electori a Sereniſſimo Rege Poloniae, quod nec velit, nec poſſit, ſine ſua Maieſtate Hungariae, et Sereniſſimi Regis Daniae, ſcitu et conſenſu, ad vllos tractatus cum Rege Sueciae deſcendere. Nihilominus ſi Schlippenbach velit venire, non veniret aliter, quam habens a ſuo Domino inſtructionem et poteſtatem omnia loca in Pruſſia reſtituendi, et foederatis Regibus ſecuritatem omnem in pactis prouidendi. Quod Schlippenbachio cum talibus conditionibus praeſcriptis data ſit poteſtas veniendi Poſnaniam, non conſulta ſua Maieſtate Hungariae, Sereniſſimus Rex Poloniae dicit ſe feciſſe, cum interpretatiuo conſenſu ſuae Maieſtatis Hungariae, cum nullum appareat in hoc praeiudicium, et Perſonae, et vnionis armorum Maieſtatis Hungariae.

Mittit interim Sereniſſimus Rex Poloniae ad Electoris aulam Palatinum Poſnaniae non legati, multo minus Reſidentis titulo, ſed it illuc Palatinus ſub ſpecie amici Electoris, vt attendat eius actionibus, dum inter illum et Regem Sueciae conſiſtant iſti Schlippenbachii et ſimiles. Haec ſumma ſcripturae Poloniae, quam, vt ſuperius innui, Auſtriacis miniſtris Poloni porrexerant ablegati.

Reſponſum Auſtriacorum ad Maſſinii propoſitiones.

Interim Auſtriaci indignari ad Polonorum propoſita, nihilque aliud reſpondere, quam non expedire vtrique Regum rebus adhuc dubiis Germano praeſidio vacuam relinquere Cracouiam. De tractatibus cum Sueco inſtituendis, quod attinet, reſponſum eſt: Commiſiſſe Hungariae Regem tam arduum et difficile negotium penitius introſpiciendum Raymundo Montecuculli, ac Franciſco Baroni de Liſola, quos Berlinum ad Electorem Brandeburgicum ocyus ire iuſſerat Rex. Haec ſumma reſponſi Regii, quod Maſſini referret Polono Regi.

Habdaei Sueciae exploratoris Pragam aduentus.

Eadem circa tempora, dum Maſſini Poloni Regis nomine apud Hungariae inſtaret Regem, aduenit Pragam Sueciae Regis, ablegatus, an explorator incertum, Habdaeus nomine, quem vniuerſa Regia aula, per irriſionem cognati nominis Habemus appellauit. Pacem ille oretenus Regis ſui nomine, per mille ambages domui obtulit Auguſtae, duo obſecrans ab eadem, vt videlicet ex Polonia Germanas reuocaret legiones, Regemque Danum nequaquam iuuaret. Caeterum quia nullas prorſus ad Regios miniſtros, ipſumque Regem attulerat literas, aliam enim aduentus ſui Pragam finxerat rationem, nec ſe a Rege Sueco, ſed tantummodo a Comite Schlippenbachio miſſum aſſerebat, multa in Sueciae Regem, eiuſque conſiliarios bellicos coram Miniſtris debachatus, tanquam Regi offenſus Sueciae, ob natale Colonienſe ſolum, quod ſuſpectum illum reddiderat in Aula Sueciae. Quaedam ergo arcana Suedica, potius aenigmata, dum iuſſu Regis Comiti propoſuiſſet Schwartzembergio Habdaeus, paulo poſt Praga Norimbergam diſceſſerat nullo accepto a Rege reſponſo. Horum autem arcanorum tria potiſſimum fuere capita:

Eiuſdem propoſitiones et Sueciae arcana.

Primum, Male conuenire miniſtros Sueciae circa proſequendum in Polonia bellum, quoſdam enim eſſe, qui Polonis fauerent, ac proinde bellum cum Polonis, Sueciae multis argumentis diſſuaderent Regi, potius eundem contra Moſchum ſtimulantes, alios autem cum vtroque, tam Polono quam Moſcho paciſci velle, bello in Thraciam translato, cuius ſententiae Schlippenbachium eſſe aſſerebat.

Secundum, Iureiurando affirmabat Sueciae miniſtros nullo modo velle permittere Regi ſuo pacem Oſnabrugenſem turbare, hinc inferebat, non debere Auſtriam metuere Suecica arma, non enim mens eſt Sueciae Regi, Germano ſanguine edito, Germanorum turbare tranquillitatem.

Tertium, Explorabat mentem Hungariae Regis, an vellet aliquos inſtituere cum Sueciae Rege tractatus, ſe quidem nulla ad praeſens inſtructum veniſſe inſtructione, caeterum breui rediturum ampliſſimis inſtructum mandatis, ſi ita videretur Hungariae Regi.

Haec ſumma colloquii Habdaei cum Swarzembergio, quod ille poſtea Regi fideliter retulerat, nullo properanti Habdaeo in poſterum reddito reſponſo, niſi iret bonis auibus,

bus, quo vellet. Haec dum Pragae geruntur in aula Hungariae Regis, Rakocius, iuſſu Byzantini Caeſaris, Tranſyluaniae pellitur Principatu, adulto iam autumno. Huius indignationis ratio in abdito latuit, praetextus non defuit, expeditio ſcilicet Rakocii in Poloniam, inſcio Caeſare. Eius loco ſubſtitutus eſt in Tranſyluaniae Principatum Franciſcus Raday Dynaſta non poſtremus Hungariae, qui paulo poſt Rakocio, armata manu repente paternum Tranſyluaniae ſolium vltro ceſſerat Principatu. Hoc ipſum in deterius interpretante Caeſare, quaſi quod eſſet adhuc tanti Rakocius, qui eius contemneret iuſſa, non exequeretur mandata. Iterum ergo Byzantinus Caeſar deſpecto Radayo, Bartzeium armata manu inſtituit, pulſo per vim Rakocio, cuius turpem caſum infra paulo poſt memorabimus.

1657 Reſponſum Habdaeo redditur a Comite Schwarzembergio. Rakocius Tranſyluania pellitur, ei ſubſtituitur primo Raday, poſtea Bartzey.

Per ea tempora, Ratiboriae in ſuperiori Sileſia excedit PETRVS GEMBICKI Cracouienſis Epiſcopus, Dux Seueriae, ſeptuagenario maior, poſt exactam bonis artibus adoleſcentiam, virilem aetatem, et ingenii omnem vim, qua pollebat, plurimum ad maiora Regni contulit negotia: Primo Cancellariae maioris Regens, deinde Secretarius maior Regni, paulo poſt Vice-Cancellarius, et Epiſcopus Praemyslienſis: vergente vero in ſenectam aetate, ſecretiori in conſilio apud Vladislaum IV. inter praecipuos Regni miniſtros audiit. Tandem inclinatis in occaſum annis ex ſupremo ſigilli Cuſtode Epiſcopus Cracouienſis, quae vltima eſt togatis in Polonia laurea, melior Archiepiſcopatu Gneſnenſi, quia tranquillior, et reditibus opulentior vita. Gembicio in Epiſcopatu Cracouienſi ſuccedit ANDREAS TRZEBICKI Vice-Cancellarius Regni, relicto loco, in officio Vice-Cancellariatus NICOLAO PRAZMOWSKI Secretario maiore. Epiſcopatum vero Praemyslienſem contulerat tunc poſt aſcenſum Trzebicii Rex, STANISLAO SARNOWSKI Regni Referendario.

Gembicio, Cracouienſis epiſcopus, moritur Ratiboriae in Sileſia.

Officia diſtribuit Polonus Rex.

Gembicium paulo poſt ſubſequutus eſt STANISLAVS de Buzenin PSTROKONSKI, Epiſcopus Chelmenſis, Abbatiae Tynecenſis adminiſtrator, Regis quondam Vladislai multis annis ſecretiorum arcanorum moderator et arbiter, quamdiu per aetatem vtrique licuit; mox conſcientiae eiuſdem admotus, gratia Regis ad extremum florebat, excepto die mortis, quo abeſſe iuſſerat Epiſcopum Vladislaus, aduocato interea Szenoffio Societatis Ieſu Sacerdote, qui eius expiaret conſcientiam, prout factum eſt. Adeo mortis die ludicra ceſſant, dum hora adeſt. Epiſcopatum Chelmenſem vacuum morte Pſtrokonii, Rex THOMAE LEZYNSKI confert, dudum emerito Praelato. Abbatiae vero Tynecenſi ſuccedit STANISLAVS PONIATOWSKI, Regni Referendarius.

Moritur Pſtroconius epiſcopus Chelmenſis.

Iiſdem diebus moritur BOGDANVS CHMIELNICIVS Coſacorum Dux, primus libertatis Ruthenicae aſſertor et vindex, flagellum Poloniae: relicto filio Georgio, ſexdecim annorum puero. Zamoſcii quoque per ea tempora, catarrho extinguitur ARSEDVS WITTEMBERG, Campi Marſchalcus Caroli Sueciae Regis, cuius funeri indoluit Suecia vehementius, amiſſo in carcere viro fortiſſimo.

Chmielnicii Coſacorum Ducis obitus. Wittembergius moritur.

Claudo annum vna et librum, Gonſieuii in Liuoniam expeditione ſatis felici, ſi finis reſpondiſſet principio. Etenim poſtquam Gonſieuius, pacem cum Brandeburgico Electore, vti ſuperius innui, nomine Poloni Regis compoſuerat, nihil amplius in Pruſſia moratur, Liuoniam inſperate debellandam, ſibi propoſuerat, certior per exploratores redditus de ciuium Rigenſium prona voluntate. Igitur nihil moratus recta ex Boruſſia in Liuoniam traducit exercitum duodecim millium, primoque ſtatim impetu Vendam capit, Volmariam expugnat, Hieſſe vero vna et Bromberg ad deditionem cogit. Neque mora, ad ipſam Metropolim Liuoniae vrbem Rigam caſtra ocyus promouet; per abſentiam Ponti de la Garde animoſior, qui tunc Reuelii erat procurandae paci Moſchum inter et Suecum intentus. Interim ciuibus libertates Gedanenſibus ſimiles, vltro offerre, exprobrare Suecorum ſeruiturem clandeſtinis coepit literis. Ea res paulo poſt detecta multos ciuium perdidit. Iamque Gonſieuius primo impetu exteriori potitus foſſa imminere videbatur acrius ciuitati, cum ecce Ponti de la Garde cum aliquot ſuorum millibus, Reuelio egreſſus aderat, a tergo Gonſieuium impetens, prout et pepulit tandem eundem, introducto praeſidio ſexcentorum militum in vrbem Rigenſem, proſpectante Gonſieuio. Quem his poſtremis annis duobus victorem, ſequenti vero catenatum Ducem apud Moſchos, et ſpectabit et audiet Europa.

Gonſieuii in Liuoniam expeditio.

Loca per Gonſieuium in Liuonia occupata.

HISTORIARVM POLONIAE

AB

EXCESSV DIVI VLADISLAI IV

POLONIAE SVECIAEQVE REGIS

LIBER NONVS.

LIBRI IX. CAPVT I

SYNOPSIS

Montecuculli ac Baronis de Lisola Berlini labores. Nouum foedus inter Augustum Leopoldum primum Hungariae et Bohemiae Regem, ac Fridericum Wilhelmum Electorem Brandeburgicum, Berlini sancitum. Rex Poloniae Posnaniae primum secreto mediationem admittit Gallicam, adnitente coniuge. Mox eandem ordinibus regni in Varsauiensi publicat conuocatione. Trutina mediationis Gallicae. Ducatus Oppoliensis ac Ratiboriensis traduntur Reginae Poloniae.

1658 Montecuculli ac Baronis de Lisola Berlini labores.

Ineunte anno Christi Saluatoris nostri millesimo sexcentesimo octauo supra quinquagesimum, resurgere ac iterum reuiuiscere coepit Poloniae regnum, ope, studio, et auxiliario milite Austriacorum sibi ipsi restitutum. Laboratum tunc vel maxime est principio huius anni ab Austriacis per Raymundum Montecuculli, belli ducem, et Franciscum Baronem de Lisola Regis tunc legatos, vt pax certa cum Electore Brandeburgico melioribus, quam fieri posset mediis, ac in rem Polonam conditionibus stabiliretur. Etenim Elector, Polonorum siue viribus, siue constantiae haud satis tunc fidens, nil certi concludere in rem Polonam volebat, nisi iisdem tractatibus Hungariae quoque includeretur Rex, vt caput et auctor tanti moliminis tantique operis, auditusque palam coram Polono Rege, totoque praesente Senatu, protestari Elector Brombergae, se eatenus cum Polono Rege ad tractatus descendisse pacis, vt simul quoque Hungariae Bohemiaeque ea tunc occasione reconciliaretur Regi, alias solis haud fidere posse Polonis, peditatu viribusque inualidis, nec satis constantibus in propositis. Et Hungariae quidem Bohemiaeque Rex Brandenburgici haud defuit tam ardenti desiderio, quem satis procliuem in augustam domum suam inuenit, licet obstaret Gallicus orator Dauocourt, qui inaudita, nomine Regis sui, offerebat Electori media, dummodo Austriaca fastidisset consilia. Sed frustra Gallicus oratur talia memorabat Electori, cui optime Gallica patebant consilia, breui Electori funus et interitum allatura. Igitur nihil moratus, nouum foedus illudque duplex defensiuum huius anni initio cum augustissimo Hungariae ac Bohemiae Rege Berlini stabilit, cuius summa haec fuit:

FOEDVS

1658

FOEDVS DEFENSIVVM

INTER

DOMVM AVSTRIACAM

ET

BRANDEBVRGICVM ELECTOREM

INITVM COLONIAE AD SPREAM

1658.

In Nomine Sacro-Sanctae et Indiuiduae Trinitatis DEI Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

Nouum foedus inter Augustum Leopoldum primum Hungariae et Bohemiae Regem, ac Fridericum Wilhelmum Electorem Brandeburgicum.

Cum Serenissimus et Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus LEOPOLDVS, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniaeque Rex, Archi Dux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Wirtembergiae, superioris et inferioris Silesiae, Marchio Morauiae, Landgrauius Alsatiae, superioris et inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi et Tyrolis, ex vna, ac Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICVS WILHELMVS, Marchio Brandeburgensis Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius, et Princeps Elector, Magdeburgi, Prussiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorumque, nec non in Silesia Crosnae et Carnouiae Dux, Burgrauius Norimbergensis, Princeps Halberstadii et Mindae, Comes Marcae et Rauensbergi, Dominus in Rauenstein, ex altera parte, mature considerauerint, quantum hoc tempore strepentibus vndiquaque bellis ac bellorum apparatibus, ipsorum Regnis, Electoratui, et statibus interfit, vt ad quosuis casus, cumprimis ad componendos motus Polonicos, et instaurandam reducendamque pacem illius Regni, et conseruandum Sacri Romani Imperii statum tranquillum, arctiori inter se vinculo copulentur, et de matura defensione ad vtriusque securitatem necessaria, tam certi reddantur, vt alter in alterius auxiliis certam fiduciam ac fundamentum collocare queat: Idcirco inter Sacrae Regiae Maiestatis et Serenitatis Suae Electoralis deputatos, idonea instructos plenipotentia, nempe ex parte Sacrae Regiae Maiestatis Hungariae et Bohemiae Illustrissimos et Excellentissimos Dominum Raymundum Comitem a Montecucoli L. B. in Hoheneg, eiusdem Regiae Maiestatis aulicum consiliarium bellicum, Camerarium, Colonellum et Generalem Campi Mareschallum, et Dominum Franciscum de Lisola, Dominum de Tysen et Marienfeldt, eiusdem Regiae Maiestatis Consiliarium Camerae aulicae, ex parte vero Serenitatis Suae Electoralis Illustrissimos et Excellentissimos Dominum Ottonem L. B. a Schwerin, Dominum in Landsberg, Oldewigshagen, et Drewitz, haereditarium Electoratus Brandeburgensis Camerarium, eiusdem Serenitatis Electoralis Consiliarium status intimum, et negotiorum feudalium Directorem; nec non Sereniſſimae Electricis, Supremum aulae Praefectum, et Capitaneum in Oranienburg; Dominum Ioannem de Houerbeck, in Elchmeden, Baronowo, Domkaco, et Geyerswalde Dominum et Haeredem, Dapiferum Electoratus Brandeburgensis haereditarium, eiusdem Serenitatis Electoralis Consiliarium status intimum, et Praefectum Hohensteinensem, et Dominum Laurentium Christophorum a Somnitz Dominum

1658 in Grumſdorff et Drenaw, Haereditarium Camerarium in Ducatu Pomeraniae, eiuſdem Serenitatis Electoralis Conſiliarium ſtatus intimum, nec non Cancellarium in Pomerania Ducali, dictorum ſuorum Principalium nomine ſequens foedus reciproce defenſiuum factum et concluſum fuit.

I. Conſtans erit et inuiolabilis inter vtramque partem amicitiae nexus, alter alterius commoda promouere ſtudebit, damnaque mutuo auertere, et reciproce vtilitati ac ſecuritati ſedulo conſulere.

II. Si Sacra Regia Maieſtas Hungariae Bohemiaeque in ſuis regnis, ſtatibus ac prouinciis haereditariis, in et extra imperium ſitis, quae in praeſentia poſſidet, vel ſua Serenitas Electoralis in ſuis ſtatibus ac dominiis haereditariis, tam extra imperium, quam in imperio, ſiue antiquitus ab ipſa, vel praedeceſſoribus poſſeſſis, ſiue per pacem Oſnabrugenſem, vel Welauienſes et Bydgoſtienſes tractatus nuper acquiſitis, promiſſis, pactiſque a Sereniſſimo Rege Sueciae, vel eius in praeſenti confoederatis, vel adhaerentibus quocunque titulo vel praetextu hoſtiliter impetatur, tunc pars altera, ad alterius requiſitionem, vno menſe poſt factam ipſi intimationem, tenebitur parti laeſae et grauatae realiter ſubuenire, cum certo copiarum numero infra determinando, quae quidem eius defenſioni ſtrenuam nauabunt operam, ac pro ea militabunt, quamdiu periculi ingruentis neceſſitas poſtulabit, et vſque dum pax facta fuerit.

Quanquam vero in hoc articulo dictum ſit, quod pars altera partem alteram contra Regis Sueciae ſupradictos in praeſenti foederatos et adhaerentes quocunque titulo, vel praetextu, alterutram partium impetentes, defendere obſtricta eſſe debeat, hoc tamen intelligendum eſt, pendente quidem hoc bello, pace vero Suecica confecta, illa obligatio mutui auxilii locum quidem habebit contra Suecos ſemper et quocunque caſu, contra eorum adhaerentes vel foederatos, quoties coniunctis armis cum Sueco, bellum alterutri partium intulerint, non vero ad alios caſus extendetur, videlicet, ſi aliquis ex praedictis foederatis, vel adhaerentibus Regis Sueciae ſolus, aliqua alia de cauſa, quae nihil cum hoc Suecico bello commune habeat, arma in alterutrum mouerit.

III. Regia Maieſtas Hungariae et Bohemiae, in praememorato defenſionis caſu Suae Serenitati Electorali 6000 milites, ſcilicet equites 4000 et pedites 2000 armis et omni militari apparatu, et re tormentaria, talibus copiis conuenienti, inſtructos: Sua Serenitas Electoralis autem, eodem caſu Regiae Maieſtati Hungariae et Bohemiae 3500 milites, nempe equites bis mille, et 1500 pedites, omni ſimiliter apparatu neceſſario proportionabiliter inſtructos ſuppeditabunt. Quamdiu etiam vigore foederis de coniunctione armorum contra communem hoſtem agent foederati, non erunt interea obſtricti ad ſubmittenda auxilia hoc articulo vtrinque promiſſa. Licet etiam alterutra partium ſimul ac Suecis et eorum foederatis, vel adhaerentibus diuerſis in locis inuaderetur, nihilominus pars altera non tenebitur niſi vno in loco, et contra vnum ex hoſtibus promiſſum auxilium ſubminiſtrare.

IV. Victualia omnia, copiis auxiliaribus eadem ratione, modo, et proportionali quantitate, prout propriis, ſumptu illius, pro cuius defenſione militabunt ſuppeditabuntur, idque tamdiu, quamdiu in ipſius ſtatibus pro ipſo expeditio illa durabit, ſtipendium vero militare, quiſque ſuis copiis ſoluet. De apparatu autem rei tormentariae pro expeditionibus campeſtribus, quiſque ſuis copiis, ſuo ſumptu prouidebit. Vbi vero locus aliquis oppugnandus vel propugnandus erit, tunc ea pars, pro qua bellum geretur, tormenta maiora, apparatumque rei eiuſdem tormentariae ad oppugnationem, vel propugnationem neceſſarium ſuo ſumptu praeſtabit.

1658

V. Directio autem armorum ad eum ſpectabit in cuius ditionibus, et pro cuius defenſione bellum geretur, cummunicato tamen cum alterius Generalibus conſilio: ita tamen ne quidquam, quod ſummam rei concernat, niſi communi conſenſu ſuſcipiatur, et cuique in ſuos iuriſdictio maneat.

VI. Copiis vtriuſque partis per vtriuſque ditiones, ſecundum rationis bellicae exigentiam liber patebit tranſitus, et receſſus, cum ordinaria militi ſubſiſtentia et neceſſitate, requirente, tutus ipſis receptus ſub moenibus et tormentis ciuitatum et fortalitiorum reciproce concedetur, ibidemque contra hoſtium inſultus protegentur, e contra vero neutra pars hoſtibus ſupra deſcriptis tranſitum, commeatum, ſtatiua, nec vllum auxilium directe vel indirecte, per ſe vel per ſuos permittet, ſed omni conatu et viribus impediet.

VII. Sine vtriuſque partis, vel eius plenipotentiariorum ſcitu, conſenſu, ac praeſentia, de pace vel armiſtitio nulli tractatus inſtitui, multo minus concludi poterunt, et in congreſſibus, qui pro pace inſtituentur, quaelibet pars alterius vtilitatem et ſecuritatem procurare tenebitur.

VIII. Durabit hoc foedus nonſolum pendente hoc bello Suedico, ſed poſt pacem confectam ratum nihilominus firmumque manebit per decennium, ab ipſo die concluſae pacis numerandum, iiſdem, vt ſupra, conditionibus, cum reciproca defenſione contra ſupradictum hoſtem et euictione conditionum, quae in pacis tractatibus ſtabiliuntur. Elapſo autem decennio, conueniet inter partes de vlteriori foederis prorogatione, iuxta rerum exigentiam.

IX. Sereniſſimo Daniae Regi, aliiſque Principibus ac Statibus, praeſens hoc foedus amplecti cupientibus, liber patebit aditus, vt mutuo partium conſenſu, ad illud admittantur.

Concluſa fuerunt haec omnia, inter praememoratos Sacrae Regiae Maieſtatis et Serenitatis Suae Electoralis Plenipotentiarios, vigore plenae facultatis ac mandatorum a Suis Principalibus ipſis conceſſorum, et reciproce commutatorum, quorum tenor infra ſequitur, ſub ratihabitione Sacrae Regiae Maieſtatis Hungariae et Bohemiae, et Serenitatis Suae Electoralis, quas vtriuſque partis Plenipotentiarii intra ſpatium quinque hebdomadarum, a dato huius computandarum extradendas et commutandas promittunt.

In quorum fidem praeſens hoc inſtrumentum a praenominatis Dominis Plenipotentiariis ſubſignatum fuit et ſigillis munitum. Datum Coloniae ad Spream.

1658

FOEDVS OFFENSIVVM DOMVM INTER AVSTRIACAM ET BRANDEBVRGICAM INITVM ANNO MDCLVIII.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Notum sit vniuersis et singulis, quod cum Sereniſſimus atque Potentiſſimus Rex Hungariae Bohemiaeque, tum quoque Sereniſſimus Elector Brandeburgicus ex veteribus recentibusque cum Sereniſſimis Regibus Regnoque Poloniae initis pactis eidem Suecico bello implicito, armis suis suppetias ferre neceſſum habuerint, atque etiamnum obstrictos se agnoscant, atque indies certiores fiant, nec se Regnis Electoratui atque Prouinciis suis, nec Foederatos pacem ab hoste communi, Rege Regnoque Sueciae, honestam atque securam obtinere posse, nisi vnanimi consilio, iunctisque copiis contra eundem agatur, super communi defensione, et pacis praedictae obtinendae et conseruandae rationibus inter praedictos Sereniſſimos Regem atque Electorem in hanc quae sequitur pactionem insertasque conditiones per vtriusque Plenipotentiarios conuentum sit.

I. Sincera erit atque mutua amicitia inter Sereniſſimum Hungariae Bohemiaeque Regem, eiusdemque posteros, atque Sereniſſimum Electorem pariterque eius descendentes et successores, eiusque vi alter alterius commodum promouebit, damna et contumelias auertet.

II. Ac in praesenti quidem, postquam Sueciae Rex Poloniam nuper, atque Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Ducatum Pruſſiae infestis aggressus est armis, indeque tum Sacram Regiam Maiestatem Hungariae et Bohemiae, cum Suam Serenitatem bello isto inuoluerit, illudque adhuc trahat, vt hinc certae hostilitates, minime vero communis tranquillitas expectanda sit, conuentum praeterea est, vt vtraque pars, tam pactis nuper cum Sereniſſimo Potentiſſimoque Rege inclytoque Regno Poloniae initis, donec omnium foederatorum consensu pax restabilita sit, insistere, tum praeterea altera alterius partis Regna, Electoratum, terras, quas quisque contrahentium nunc possidet, omni meliori, quo potest, modo, armis viribusque tueri, ac defendere, quamdiu praedictus hostis foederatis imminet, easdem copias, quas Regi Regnoque Poloniae, nuper pactis vtraque pars promisit, videlicet 12000 Rex Hungariae et Bohemiae: 6000 Sereniſſimus Elector, cum re tormentaria requisita, eo vbi Rex Sueciae, eiusque copiae deprehenduntur, educere velint. Si copiae praedictae bello continuando non suffecerint, de maioribus adducendis inter partes pro temporum ratione conueniet, et tenebuntur istis interea omnibus viribus vbi erit opus, assistere.

III. Protestatur autem vtraque pars, quod quanquam ad instantiam Sereniſſimi Regis Poloniae, et communi foederatorum consilio, bellum in Regis Sueciae

Sueciae terras in imperio sitas transferendum sit, partes foederatae nullo modo pacem praedicti imperii aut turbare aut violare, sed hoc tantum intendant, vt quatenus per Dei Gratiam, ius fasque gentium licebit, ad honestas pacis conditiones adigere velint, praesertim cum ex illis ipsis prouinciis Rex Sueciae contra foederatos firmissimam manum educat. 1658

IV. Institutum et hoc, quod foederati nullum reliquis imperii statibus periculum damnumue hac expeditione arcessere, neque publicam imperii quietem turbare, sed stabilire velint, ipsi vicinis Regibus, Sereniſſimo collegio Electorali facta coniunctione significabunt, eorumque auxilium et consilium in tam iusta causa implorabunt.

V. Et quanquam in re praesenti, ac pro temporum ratione illis conueniens capi possit consilium, hoc tamen hic determinatum, atque omnium, quorum interest, consensu receptum est, quod copiae istae in hosticum, atque Regis Sueciae terras, et primo omnium in Pomeraniam, quatenus ista a Suecis possidetur, vel vbi alioquin in imperio Romano hostis vires frangi poterunt, duci debeant, donec partium consensu de vlterius administrandi belli rationibus pactum sit.

VI. Fiet autem ista coniunctio armorum, et sistentur praedictae copiae auxiliares vna cum Polonico exercitu, prout cum Sereniſſimi Regis Plenipotentiario conuentum est prope ad diem.

VII. Conuentione facta generali, cuiusuis exercitus iurisdictio in suos relinquetur; quod autem summum imperium in omnes copias attinet, quando in hostico agetur, id illi, qui e foederatis Principibus in persona aderit, competet; tamen hac ratione, vt nihil agatur, quod summam rei concernit, nisi ex consensu et communi placito foederatorum Generalium; si plures adfuerint ex foederatis principalibus, forte, alternis vicibus, per singulos dies singuli imperium obtinebunt, habito tamen consilio communi, vti supra cautum est: Si in terris alterutrius foederatorum bellum geratur, eius directio penes eum erit, ad quem terrae istae spectant. Si Generales tantum aderunt, quisque in suos habebit imperium, bellum autem communi consilio administrabitur.

VIII. Si per alterutrius foederatorum terras exercitus aut cohortes singulas ducere oportebit, in itinere commeatus ipsis absque refusione pretii praebebitur; si haerere illos aut morari necesse fuerit, aequa sumptuum restitutio a reliquis foederatis fieri debet, iis, qui illos ita ratione suppeditabunt, de quo inter eos amice conueniet.

IX. Posthaec quemadmodum ad instantiam, et ex communi sensu Regis Regnique Poloniae inita sunt, ita vt iis accedat Sereniſſimus et Potentiſſimus Daniae et Norvegiae Rex, Ordines Hollandiae, aliique Christiani Principes, rogabuntur; interim tamen Sacra Regia Maiestas et Sua Serenitas Electoralis contra communem hostem cum exercitu Polono agere non cessabunt.

X. Quemadmodum autem totum hoc foedus nihil aliud quam optatam pacem respicit, ita tamdiu durabit, donec ista per Dei Gratiam restituta fuerit:

1658 neque alterutra partium, aut foederatorum quiſquam, abſque aliorum ſociorum conſenſu cum Rege Sueciae tranſiget, paciſcetur, nec inducias, nec armiſtitium, nec pacem faciet.

XI. Si quae vrbes in Pomerania Occidentali et quatenus in praeſenti a Suecis poſſidentur, captae fuerint, iis praeſidium Electorale Brandeburgicum imponetur, atque Ducatus ipſe, copiis Suae Serenitatis Electoralis ad pacem confectam relinquatur; iſta vero loca iuraque, quae Regnum Sueciae in vltimis tractatibus cum Sua Serenitate Sedini ſuper limitibus inſtitutis, et iam contra manifeſtam aequitatis cauſaeque rationem extorſit, Suae Serenitati Electorali vt reſtituantur, et in perpetuum maneant, nec arma, hoc antequam fiat, deponantur.

XII. Finito hoc bello per Dei gratiam, ſi aliud alterutri partium a Rege Sueciae occaſione horum, aut huius pactionis intra decennium inferatur, Rex Hungariae et Bohemiae Suae Serenitati Elector. 12000, Sua Serenitas Electoralis Regi Hungariae et Bohemiae 6000 ſuccurret.

Haec ſumma Berlini tunc Ianuario menſe actorum cum Electore Brandeburgico per Raymundum Generalem Montecuculli et Franciſcum Baronem de Liſola, legatos Auguſti Hungariae Regis. Interim, dum Berlini Polonis rebus conſulunt Auſtriaci, Polonus Rex in diuerſa raptus Poſnaniae conciliationem pacis admittit Gallicam, adnitente coniuge, quae tunc maritum regebat, vt paruus Aethiops elephantem. Stupuit tunc Europa ad Poloni Regis, totiuſque Gentis ſummam erga Auſtriam ingratitudinem, condoluere et ipſimet hoſtes, qui fatebantur Poloniam, Poli fauore, fortuna Auſtriaci, Dani motu, Tartarorum interuentu, abſente in Dania Sueco, nulla Polonorum virtute, ſubito liberatam. Sed quis perſuadeat Polonis, quibus hodie impune datum eſt, toti contradicere orbi 100).

Rex Polonus Poſnaniae primum ſecreto mediationem admittit Gallicam, adnitente coniuge.

Admiſſam clandeſtine *mediationem* Gallicam, mox palam Ordinibus, Varſauiae ad vndecimam Februarii congregatis, declarat Caſimirus Rex, contradicente Clero, qui diu reſtitit mulieris imperio, donec ad extremum conſentiret, adactus Pſeudopoliticorum, ipſiuſque adeo Regis ad vltimum voluntate. Dilemma tunc a Regina Polonis proponebatur proceribus, pax certa, vel certus omnium interitus. Pacem ſi vellent Poloni, eam in ſinu ſuo geſtare Galliam ſcirent, modo eorundem admitteretur pacis conciliatio. Contra, certum expectarent interitum, ſi excluſa Gallica *mediatione*, Gallos optime ſemper de Polonia meritos, ea tunc irritarent excluſione. Nec Gallos ſolum cogitarent, ſed Galliae coniu-

Eandem ordinibus Regni in Varſauienſi publicat conuocatione.

100) Quantumcunque omnes in hoc intelligendo loco intendi neruos, ingenue fateor, me mente capere non potuiſſe, quid hoc ſibi velit: *Polonis impune hodie datum eſt, toti contradicere orbi.* Scimus in comitiis tum prouincialibus, tum generalibus, impune datam eſſe facultatem contradicendi, ſed extra regnum, qua ratione valere Rudauſcii temporibus Polonorum contradictiones potuerint, ignoramus. Forte auctor aliquoties erga populares ſuos male animatus male etiam ſcribit, qui, licet condendae hiſtoriae leges bene calluerit, tamen partium ſtudium, ſeque a partibus Auſtriacorum contra Gallos ſtare, patefecit, plura inſuper de popularibus ſuis, aſperius, quam aequitas fert, ſcribens, cum tamen hiſtoriarum ſcriptor omnino neutrius partis eſſe debeat, nullo odio affectus, ſola tantum nudaque veritate adductus, quae angulos non quaerit. Male etiam totam gentem ingratitudinis erga Auſtriam inſimulat, cum omnia ſolius Reginae artificiis facta fuerint. Caeterum nemo negare poteſt, Poloniam illis temporibus ſola Auſtriae virtute liberatam fuiſſe, ſine cuius ope et conſilio, neſcio qua ratione ſibi tunc conſulere potuiſſet. Dani enim motus, et Electoris Brandenburgici a Suecis ad Auſtriacos alienatio, in Auſtriae conſiliis ortum habent. Hoc modo Sueciae Rex, fortiſſimus Poloniae hoſtis, e Polonia abire coactus fuit, et tum demum, deleto Rakocio, cuius hoſtis internecionem praeter Tartaros et Auſtriacis Polonia debet, altius iterum reſpirare meliuſque valere coepit Reſpublica Polona. Ignorantiam igitur hiſtoriae Polonae profitetur is, qui contendit Czarnecium Rempublicam ſeruaſſe, prout nuper mihi in circulo illuſtrium virorum fuit falſo obiectum. Czarnecius magnus fuit heros, ſummis laudibus ob magna in Rempublicam merita dignus, ſed non tanti ob deficientes Reipublicae vires fuit, vt eam ſeruaſſe dici poſſit.

coniuratum Orbem totum, Anglos, Suecos, Germanos, Batauos, Luſitanos. Addebat 1658
ſemper mediatores fuiſſe Reges Gallos, anteactis temporibus, Polonos inter et Suecos, nec Regem Hungariae poſſe vllatenus mediatorem agere, cum de facto pars exiſteret. Ad extremum fruſtra Polonos Auſtriacorum hoſtes in ſuam euocare perniciem, Gallos, nempe et Anglos. Concludebatque vel inuito Hungariae Rege *mediationem* admitterent Gallicam.

Haec Regina per Lubomierſcium, Leſczynium Regni Theſaurarium, Conſieuium, et Wielopolſcium Caſtellanum Woynicenſem, clero, proceribus, populoque perſuadebat Polono. Contra clerus, pacis conciliationem Gallicam, vt infructuoſam reiicere, Galloſque execrari, vt Suecorum ſocios, Anglorumque confoederatos. Audita tunc Andreae de Leſzno Archiepiſcopi Gneſnenſis, pleno Senatu decies repetita vox: *Fruſtra et nonniſi per ludibrium Senatorum exquiri ſententias de mediatione Gallica, cum illa iampridem acceptata fuerit Poſnaniae, inconſultis Senatoribus, ad neſcio cuius mulierculae libitum, vmbraeque pertinaciam*, legatum Gallum D' Ombres intelligebat. Eadem ſentiebant caeteri Epiſcopi cum Primate ſuo, eratque vna omnium vox, nullatenus debere mediationem admittere Gallicam, ſi ſaluam vellet Polonam Rempublicam Poloniae Regina, cuius mater audiebat. Sed fruſtra talia Clerus memorabat Reginae, in perniciem tunc Auſtriacorum a Gallis animatae.

Aderat interim dies finiendae conuocationis, expectabantque auidius ordines, quem tandem finem mediatio Gallica habitura eſſet. Primus Lubomierſcius Archi Marſchalcus Regni, licentia perorandi obtenta, omnino admittendam mediationem cenſebat Gallicam, cuius auctor ante Poſnaniae fuerat. Idem ſentiebat et Leſczynius Theſaurarius Regni, additis rationibus Reginae ſubſcribentibus voto, quam tunc non alio niſi matris appellabat titulo. Leſcynium ſequutus Conſieuius, aliique, vt dixi, Proceres omnes vnanimes eandem admittebant mediationem. Concludebantque omnino e re Polona fore, ſi mediatio admitteretur Gallica. Ita dum omnes Reginae applaudunt, Archiepiſcopus proximus Regi, in haec verba alloquitur Regem:

Mirari ſe ſatis non poſſe, totam Rempublicam, adeoque ipſum praeſentem Regem, tam recentis beneficii ab Auſtriacis accepti, immemores exiſtere! Puderet Polonum Regem matre natum Auſtriaca, Auſtriacis armis poſt exilium Regno reſtitutum, tam cito obliuiſci beneficiorum! Ecquid dicent vicinae, quid remotae nationes? niſi Polonos ingratiſſimos mortalium eſſe, nec colere amicitias, ſed violare.

Haec ille vultu in Regem aliquanto commotiori. Suſpenſis omnium animis, oculiſque in terram deiectis, audita tunc a Senatu Archiepiſcopi Oratio. Donec Rex ipſe ſalutato Senatu, paucis praefatis in fauorem Gallorum, ſubiungeret: *Mediationem Gallicam Poſnaniae, elapſo Ianuario ſe admiſiſſe de conſenſu Senatorum lateri tunc ſuo adhaerentium, nec ſe eandem amplius reuocare poſſe, abſque laeſo Maieſtatis honore.* Tum recitare votum ſuum vltimum e codice iuſſit, excuſata prius apud Senatum tardiori memoria, Nicolaum Prazmowski, qui Regis mentem legere aggreſſus eſt, in hunc modum:

Antiqua ac peruetuſta huius inclyti Regni cum Chriſtianiſſimis Galliae Regibus amicitia, tum continuata fere a duobus et vltra ſaeculis eorundem mediatio, facile ſuam Maieſtatem induxerunt, vt bono patriae periclitantis conſulens, vltro oblatam a Chriſtianiſſimo Rege admitteret mediationem, non tamen omnino excluſa Domo Auſtriaca, cui multum debebat. Monuiſſe ſe de hoc ipſo facto, qua literis, qua internuntiis Hungariae Regem, tentaſſe omnia media et remedia, quae pacis erant, reiiciente vel non acceptante Auſtriaca aula Polonorum conſilia. Ad extremum ſaniora ac compendioſiora accepraſſe remedia, quae pacem promitterent citam: Nec mediationem Gallicam potuiſſe vllatenus reiicere, niſi eodem ſimul tempore acceptaſſet hoſtilitatem Galli et Britanni. Interim velle ſe eadem mediatione Gallica includere, ſi vellet, Hungariae Regem. Nec tempus ſupereſſe vllum, conquirendi aliorum mediationem Venetorum nempe ac Hollandorum ſalua Chriſtianiſſimi Regis Maieſtate.

1658 Haec ſumma Regis ſententiae, qua lecta ſtatim in proximum conclaue ſe proripuit, Lubomierſcio, Wielopolſcio, Leſczynio, Gonſieuio, Reginam interim inuiſentibus, quibus ab eadem palam gratiae actae ob egregiam nauatam operam Regi Chriſtianiſſimo. Ita finiit tunc conuocatio Ordinum ad mentem Reginae. Ita acceptata mediatio Gallica, excluſis Auſtriacis ob nimiam bonitatem, qua dicebantur, non poſſe ſaeuire ea de cauſa, in vicinos et Catholicos Polonos. Scripta tamen aliqua memoranda ea tunc occaſione emanarunt contra eandem mediationem, inter caetera

Trutina mediationis Gallicae.

Cuius ſumma haec fuit:

Trutina mediationis Gallicae.

Ingerit ſe medelae noſtrae non accerſitus Empiricus, exotica nobis remedia non appetentibus, et vel inuitis propinans. Pacem offert, qui bellum in ſinu gerit, tranquillitatis commoda depraedicat, domi foriſque agitatus, dignus oppido, cui hoc vulgare adagium regeramus: Medice cura Te ipſum. Nos ignoto quidem Archiatro non ante commiſſuri ſalutem noſtram volumus, quam ſi prius in ſe affectuum, morbi, genera, pharmaci ſui fecerit experimentum. Quia tamen ipſa mali vis, et impatientia dolendi incautum ſaepe aegrotum, ad quaeuis obuia temere ſuſcipienda prouocant, ſollicitauit me patriae charitas, et pacis ardor, vt oblatum munus ipſa offerentis conditione et ſollicitudine ſuſpectum, an aegro congruat, perpenſis rerum et temporum circumſtantiis examini ſubiiciam.

Mediationem Polonis offert Gallus, indiuiduus ſcilicet Suecorum ſocius, Cromuelli foederatus, Auſtriaci nominis infenſiſſimus aemulator, mediationem, inquam, vrget, rebus Suecorum depreſſiſſimis, poſtquam Gothicus furor impune per Poloniam graſſatus extremum virus exercuit, et ex aggreſſore ad defenſionis partes adactus, hoſtium numero et potentiae tantiſper ſubmittere cogitur effrenos, indomitoſque ſpiritus. Variae grauiſſimaeque rationes omnino ſuadere videntur, vt in tractatibus pacis, inter Regna Poloniae et Sueciae, Gallica nobis mediatio ſuſpecta ſit, et explodatur.

I. Ipſa mediationis infructuoſitas, in qua nihil prorſus eſſe praeſidii, experientia in modernis hiſce bellorum motibus abunde comprobauit. Mediatores enim fuerunt Galli induciarum, quas Rex Sueciae, impune violauit, quam quidem iniuriam Gallico nomini et mediationis auctoritati a Suecis irrogatam vltionis loco nouis auxiliis et foederibus Galli compenſarunt.

II. Polonia talibus ad ſecure tractandum indiget mediatoribus, qui pacem illam ratam, firmam, et inuiolabilem optare debeant, qui illius infractorem ſupercilio coercere, vel armis certe refellere vellent et poſſent. Neutrum illorum Galliae quadrat.

Ratio enim Gallorum, et praecipuum vrgendae pacis motiuum, aliud non eſſe videtur, quam vt amicos foederatoſque Suecos, imminenti certoque exitio ſubducant, bellumque in Domum Auſtriacam deriuent, quo pacto nulla prorſus in pace Polonica ſecuritas, et Poloni ſtatim nouis, maioribuſque bellorum in vicinia turbinibus implicarentur; tenerentur enim ex vi pactorum, et propriae neceſſitatis impulſu, vires omnes in Auſtriacorum defenſionem conuertere, ſicque periculoſius redintegraretur bellum, et debellatis (quod Deus auer-

1658 auertat) Auſtriacis, Polonia omni praeſidio deſtituta et hoſtibus vndequaque circumſepta, auctis noua Prouinciarum vicinarum acceſſione Suecis, ipſorum arbitrio, ſeu potius libidini miſerrime obiiceretur. Pacem Poloni quaerunt, non belli tranſmigrationem, ſolidam quietem, non noua pericula ex ſociorum aggreſſione, et nouis Suecorum progreſſibus ipſis imminentia. Mediatores volunt, qui pacis perturbatorem refraenare poſſint ac velint, et quorum intereſt Poloniam incolumem ſtare. Hoc Gallorum rationi, tot foederum et reciprocae neceſſitatis nexibus Suecis coniunctorum omnino repugnat, et ſi maxime vellent, quid a gente tot occupationibus diſtenta, tot bellis exhauſta, tot externis interniſque corruptionis principiis vitiata, tanto locorum interuallo diſſita, nullo nobis foederum, vicinitatis, commercii, ſanguiniſque vinculo copulata opis ſperandum ſit, contra Suecos, tot bellorum praedarumque ſocios? Id prudentum relinquo iudicio.

III. Nonſolum Gallica mediatio nullum pondus ac momentum promouendae paci adiuuandaeque adfert, ſed etiam maxima eidem erit remora, et inextricabilibus illam difficultatibus inuoluet. Primo enim ſi a Polonis admittatur illa mediatio, maximam inde caeteri confoederati, diffidentiae anſam accipient, quidquid a Gallis proponetur, id ſuſpectum erit, ac dubiis interpretationibus obnoxium, ipſorum promiſſa, nullam apud alios foederatos fidem inuenient, dolum latere vel ſub ſpecioſiſſimis oblationibus ſemper ſuſpicabuntur.

IV. Polonis nec decorum, nec tutum vnquam accidere poteſt, ſi abſque omnimoda Domus Auſtriacae ſecuritate tractarent, quod Gallicis intentionibus e diametro videtur oppoſitum, inde probabile eſt Gallos hoc in puncto maxima paci obſtacula iniecturos.

Ratio Gallorum omnino poſtulat, ne Sueco in hac rerum conuerſione, vel minima in re diſpliceant, quod eos longe molliores reddit, vt illum ad reſtitutionem ablatorum fortiter impellant, quin potius probabile eſt, ipſos nonſolum eiuſdem ambitioni et cupiditatibus ſuffragaturos, ſed omnem adhibituros operam, et quam cautiſſimis pro Sueco conditionibus res tractaturos, cum ipſorum vel maxime interſit exaltari potentiam Suedicam, quam Domui Auſtriacae validius obiiciant. Quod a fortiori poſſumus colligere. Ipſorum enim quondam mediatione, Poloni licet bello victores, tractatibus tamen victi fuere, et in florentiſſimo rerum ſuarum ſtatu, Liuoniae poſſeſſionem et fructus, per triginta annorum inducias hoſti conceſſerunt: quid hoc tempore effecturos in gratiam Suecorum Gallos putamus? qui longe arctiori, quam alias vnquam neceſſitudinis et foederum vinculo ipſis ſunt copulati. Gallis denique refert Suecos in Pruſſia ſubſiſtere, ad communes Triumuiratus Cromuelliani conatus exequendos.

Haec ſumma trutinae Gallicae. Addebat idem auctor: *Si*, inquit, *Polonia, tuam ſalutem Galliae commiſeris, quidquid inde cladis tibi emerget, acceptum feres credulitati tuae.* Reuocabantque eadem occaſione multi Procerum in mentem Polono Regi ANDREAE MIASKOVII Regii Viennam internuntii, elapſo anno 1656. cum Auguſtiſſimo Diuae memoriae Ferdinando tertio factam compoſitionem, ipſiuſque Miaskouii ſcripto conceptam propoſitionem, cuius hic tenor erat:

1658

Sacra Caesarea Maiestas,

Domine, Domine Clementissime,

Propositio Miaskouii et compositio factae Viennae.

Serenissimus Rex, Dominus Meus Clementissimus bello iniusto a Sueco impetitus, viribus Regni bello Moschouitico ciuilique distractus, dum coniunctione externi Principis aduersus hostem valescere cupit, primam in haec foedera vocandam Sacram Caesaream Maiestatem Vestram censuit, apud quam consanguinitas affectum conciliabat, et vicinia, communisque ab antiquo hoste periculorum societas coniunctionem hanc recommendabat. Hinc tot missae ad Sacram Caesaream Maiestatem Vestram legationes, quae licet optatum non sortirentur effectum, non destitit Sacra Regia Maiestas, causam hanc propositumque promouere, donec vltimo ablegato tandem Viennae declararetur, mittendos esse cum plenaria facultate legatos, nec interea tractatus alios, cum quoquam praeter Moschouiae Ducem, instituendos. Cui declarationi insistendo, Sacra Regia Maiestas legatos duos ex Ordine Senatorio ad Sacram Caesaream Maiestatem Vestram destinauit, plena concludendo foederi potestate instructos. Sed quia ex anteactis non satis constat, quae sit circa hanc coniunctionem mens Vestrae Caesareae Maiestatis, et quia legati tam expedito itinere procedere non possunt, vt et tempus non perdatur, et legati certi sint, se non incassum venturos, praemisit Sacra Regia Maiestas me ablegatum plenaria quoque instructum facultate tractandi, ad vltimum vsque ratificationis, quae legatis reseruatur, punctum. Legati ergo iter suum prosequi non praesument, donec a me ablegato fuerint euocati: qui exinde audientiam et conferentias maturari mihi peto. Ita enim et ratio belli, autumno iam adulto postulat, vt si quid gerendum sit, sine dilatione inchoetur, et caeteri tractatus, qui Sacrae Regiae Maiestati offeruntur, inde dependent. Quod enim Sacra Caesarea Maiestas Vestra requisiuerit, ne interea cum quoquam transigatur, hoc sancte a Sacra Regia Maiestate seruatur, et quamuis a Suecis, et priuatim, et per legatos Galliae, pax non iniqua, et in reliquos hostes oblata sit coniunctio, hactenus tamen, ita suspenso remissi sunt responso, vt integrum sit Suae Regiae Maiestati, quoquo modo rebus suis consulere, vbi ei de Sacrae Caesareae Maiestatis Vestrae constiterit cogitatis, vnde Sacra Caesarea Maiestas Vestra indubitatum capere potest testimonium, constantis Serenissimi Regis, Domini Mei in Sacram Caesaream Maiestatem Vestram propensionis, et Ordinum quoque Regni voluntatis: Quorum consilio assensuque proponitur Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae a Sacra Regia Maiestate Reipublicaque Poloniae foedus, armorumque societas, idque directe tantum contra Suecos et Electorem Brandeburgicum eatenus durabile, donec communibus viribus consiliisque hostes ex imperio, Regnoque Poloniae eiiciantur. Quod foedus nonnisi communi consensu partium erit dissoluendum, vt foederatis non sit fas futurum, separatim vel tacite vel publice vllo titulo praetextuque paciſci. In quam rem omnes meliores petentur, dabunturque assecurationes.

Foederi huic iungendus videtur Rex Daniae, hostilia a Suecis passus, et inde, illis infensus: vt et Belgii foederati Ordines, si causa interruptorum commerciorum in id inclinent.

Principes quoque illi, quibus controuersiae cum Brandeburgico intercedunt, non videntur negligendi: praecipue vero Serenissimus Dux Neoburgicus, qui ita in foedus assumendus, vt eius differentiae cum Brandeburgico, communibus foederatorum viribus propugnentur, vel ei a Sacra Caesarea Maiestate Vestra permittatur, iniurias a Brandeburgico acceptas, armis ex nunc vindicare, damnaque sibi illata vlcisci: quod vel tacito assensu vlcisci potest, prout melius in rem communem Sacra Caesarea Maiestas Vestra iudicabit.

1658

Magnus Dux Moschouiae praecipue in foedus hoc pertrahendus: quod non alias sequetur, nisi Sacra Caesarea Maiestas Vestra continuet per legatos suos eam mediationem, cuius officio hactenus armistitium inter Regna illa intercedit: et eas ab illis exprimat pacis conditiones, quae nec auulsionem Ducatus Lithuaniae, nec vastiora adhuc consilia sapiant. Quod si duriorem se praebeat, hic quoque considerandum Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae erit, quo pacto foedera, quae proponuntur, possint Regno Poloniae contra Moschos prodesse: cum illud foedus, quod a Suecis offertur, et pacem a Suecis, et coniunctionem in Moschos promittat.

Foedus autem hoc in rem religionis catholicae ineundum, quo pacto summo Pontifici declarari, et qua ratione Sua Beatitudo in illud aggregari queat, beneplacito Sacrae Caesareae Maiestatis Vestrae Sua Regia Maiestas permittit.

Haec sunt quae debita cum reuerentia Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae exponenda habui, cuius accessum, benignumque responsum humillime expecto.

Haec summa Miaskouii propositionis, cui tunc in omnibus punctis et clausulis assenserat Augustissimus Diuae memoriae Caesar Ferdinandus tertius. Aderant et alia passim scripta pacis conciliationem improbantia Gallicam, quae apud Regem Reginamque ludibrio fuere. Cui tunc Oppolienſis ac Ratiborienſis Ducatuum iura, licet alienigenae contra concluſum cum Vladislao IV., Poloniae Rege, contractum ab Augusto Bohemiae Rege confirmata sunt.

Ducatus Oppolienſis ac Ratiborienſis traduntur Reginae Poloniae.

LIBRI IX. CAPVT II

SYNOPSIS

Mittitur Francofurtum Olszeuius. Reginae quaerelae nomine vniuerſi Cleri maioris Poloniae contra Auſtriacos. Olszeuius contra Suecos proteſtatur coram Electoribus, ſed vano conatu. Eiuſdem memorialia duo ad Electores directa. Litterae a collegio Electorum ad Regem Polonum. Litterae a collegio Electorum ad Carolum Sueciae Regem. Olszeuius Francofurto diſcedit, ſuperueniente Vladislao Rey, regio ablegato, qui Leopoldi electionem turbutam venerat. Arguuntur Francofurti ſcripta a Polonis contra domum Auſtriacam. Poloniae morum deſcriptio inconueniens.

1658 Mittitur Francofurtum Olszeuius.

Interim dum Varſauiae magno tumultu Auſtriaci a Polonis inique excluduntur, Francofurti ad Moenum apud Electores imperii, eodem tempore peſſime traducuntur per ANDREAM OLSZEWSKI, Regium tunc, ad actum electionis Caeſareae ablegatum. Extant eiuſdem querelae, typis euulgatae, quas nomine vniuerſi cleri maioris Poloniae falſo inſcripſerat, potius Reginae querelas vocare debuerat. Conſtat enim vel ex ipſa Alberti Tholibouii, Epiſcopi Poſnanienſis ſubſcriptione, Reginae querelas fuiſſe. Quis enim Tholibouius, niſi Reginae intimus? arcanorumque omnium conſcius? Referam iſtas querelas, quas per id tempus Francofurtenſe vulgauerat praelum.

Reginae Querelae nomine vniuerſi Cleri Maioris Poloniae contra Auſtriacos.

QVERELAE
VNIVERSI CLERI IN MAIORI POLONIA
ET DIOECESI POSNANIENSI
SVPER
BARBARA AVSTRIACI MILITIS INSOLENTIA
IN ORDINEM ECCLESIASTICVM ET CHRISTI PATRIMONIVM
EXERCITA
AD
SACRAM REGIAM MAIESTATEM HVNGARIAE
ET BOHEMIAE ETC.
DIRECTAE ET SCRIPTAE POSNANIAE D. XXII. IANVAR. MDCLVIII.

Sacra ac Regia Maieſtas,

Domine Domine Benigniſſime,

Eccleſiaſtici Ordines et Clerus vniuerſus maioris Poloniae, Dioeceſis Poſnanienſis, humiles ſerui et indigni apud Deum exoratores, ad Thronum Sacrae Regiae Maieſtatis Veſtrae iſto libello venerabundi accedimus: Nouum id plane, neque in hunc diem forte auditum, ab externo regno ad Regem externum: Sed malorum nouitas adeo ſuperat, vt quod in medicina fieri ſolet, conſumtis fruſtra veteribus, nouata et externa remedia neceſſitate adacti quaeramus. Patiatur bonitas Auſtriaca, indoleſque alta et Regia Sacrae Maieſtatis Veſtrae, miſerias noſtras breuiter ſibi narrari, et quam in lubrico res Sacrae, Clerus iſtius orae,

orae, poſtremo fides catholica, verſetur, niſi magnitudine animi, pietate, iuſtitia, clementia Sacrae Maieſtatis Veſtrae fulciantur. 1658

Onerari inuidia auxiliarem militem apud aures Sacrae Maieſtatis Veſtrae minime velimus, illum praeſertim egregie de nobis meritum, cuius auctoritati ac terrori firmatam rem Polonam libenter imus adſcriptum.

Nouimus exercitum ſine annona haberi regique non poſſe, ſed rationes noſtrae tot per annos attritae cogunt ingenue fateri, nullas omnino vires opeſue nobis ſuppetere, queis ferendo tanto oneri ſufficiamus.

Accedit, legiones per oppida, vt plurimum eccleſiaſtica diſpoſitas, patrimonium Chriſti lacerare, annonam et pecuniam ex agris multis exigere, iubereque, vt in longinquas ſtationes, alicubi ad decem, quindecim, vel amplius milliaria, commeatus deuehantur.

Commiſſionem, ſeu ordinationem hybernorum nullo eccleſiaſtico vocato aut praeſente, peractam; Sanctuaria Parochorum, omni iure et conſuetudine exempta occupari, alimenta eorum conſumi, praedia et curias quaſuis eccleſiaſticas a milite inſideri, boues, armenta mactari, abigi, non quantum licet, ſed quam libet, et quod acerbum longeque miſerrimum, neque ipſiſmet dominis ad tolerandam vitam neceſſaria et propria permitti.

Equidem experiendo didicimus, ineuitabilia haec mala comiteſque in bello prouinciarum calamitates ac aerumnas. Magna tamen ſpe ducimur, exhauſtis egentibuſque a clementia Regia Sacrae Maieſtatis Veſtrae praeſidium ac leuamentum fore.

Ingentem modo animum Sacrae Maieſtatis Veſtrae digniſſimum haec cura exerceat, euerſis eccleſiaſticis bonis, ſacerdotes victus inopia, (prout nunc euenit) a templis et altaribus diſceſſuros, ſubituram haereſin, cui pridem validae in hac prouincia, compendium ad praeſens videtur occaſione publici mali partes ſuas longe proferendi.

Porro innatae clementiae et magnitudini animi Sacrae Maieſtatis Veſtrae humillime et cum lachrymis ſupplicamus, velit iubeatque Sacra Maieſtas Veſtra, cultum diuinum et patrimonium Chriſti, relaxatione a tantis, tamque impoſſibilibus oneribus conſeruari.

Rependet Deus Ter Optimus tanto erga nos Sacrae Maieſtatis Veſtrae beneficio longaeuam vitam, tranquillum imperium, lata incrementa, immortales terra coeloque triumphos, quod nos animitus oramus vouemuſque. Datum Poſnaniae, die 22. Ianuar. 1658.

Sacrae ac Sereniſſimae Maieſtatis Veſtrae

Domini Domini Benigniſſimi

Serui et exoratores humillimi

ALBERTVS TOLIBOWSKI, Epiſcopus Poſnanienſis, mpp.

ANDREAS BLZOWSKI, Praepoſitus Poſnanienſis, Capituli Eccleſiae Cathedralis et Cleri Dioeceſis Poſnanienſis nomine, mpp.

1658 Haec ſumma querelarum Reginae per Olſzeuium falſo in maioris Poloniae clerum coniectarum. Num enim ſolus Poſnanienſis Epiſcopus cum Praepoſito Belzouio tantummodo eo tunc tempore aemulatores extabant patrimonii Chriſti, cum ſupereſſent illis gradu altiores Praelati in Polonia maiori, quorum muneris erat, modeſte conquaeri, ſi quid tale factum fuiſſet. Eminet in maiori Polonia adeoque toto Regno Archiepiſcopus Gneſnenſis Regni Primas, primuſque Princeps, cui ſubeſt Poſnania ipſa, Gneſna, Caliſſium, aliaeque maioris Poloniae ciuitates, oppida plurima, pagi infiniti, et hic tamen nullam tunc nec poſtmodum deponebat contra Auſtriacos milites querelam. Imo illis ipſis, in ſumma victus penuria, ad ſex millia farinae gratiſſime obtulit modios.

De Belzouio, Praepoſito tunc Poſnanienſi, mera fuit fabula. Quid enim Belzouio cum cathedrali Praepoſitura? quam tunc adminiſtrabat VITOVIVS, non Belzouius. Hinc merum apologum ſupra cleri querelas videat orbis, Olſzeuiique malitiam, ea tunc tempeſtate Reginae omnibus modis placere conanti, quo altius deinde proſiliret. Neque alia de cauſa, alioque fine mandatum tunc Francofurtum ad Moenum Olſzeuium, inuenio, quam vt has querelas ſpargeret inter congregatos Electores et Principes, quod et fecit. Praeſentauerat quidem binos Electori Moguntino libellos ſupplices, adeo frigidos, vt fidem omnibus fecerit, ſe non cum libellis, ſed cum querelis Francofurtum aduenisſe. Horum autem libellorum haec ſumma fuit:

Olſzenius contra Suecos proteſtatur coram Electoribus, ſed vano conatu.

Eiuſdem memorialia duo ad Electores directa.

MEMORIALE

NOMINE

SACRAE REGIAE MAIESTATIS POLONIAE

ET SVECIAE

AD

SERENISSIMOS, EMINENTISSIMOS, ILLVSTRISSIMOS,

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORES,

PRINCIPES, ET ORDINES

DIRECTVM ET EXHIBITVM

AB

EIVSDEM REGIAE MAIESTATIS ABLEGATO,

REGNI POLONIAE CANCELLARIAE REGENTE,

ANDREA DE OLSZOWA OLSZEWSKI

CRACOVIENSI, POSNANIENSI, PRAEPOSITO, METROPOLEOS GNESNENSIS CANONICO, DOMINO HAEREDITARIO IN IANCZYCE ET MICCZNY

MDCLVIII.

Bellum a Suecis aduerſum Polonos, quam indigne, ne grauiore verbo vtar, inceptum geſtumque ſit, nemo non agnoſcit. Sed iudici Deo et vindici, curae aliquando erit, abruptas inducias, euerſam fidem diuini humanique iuris poſtpoſiti, nefas impune non omitti.

Porro Sereniſſimus et Potentiſſimus Rex Poloniae, et Sueciae, Dominus meus Clementiſſimus merito exiſtimat, publicam connexamue Germaniae et Poloniae cauſam in eo verti, ſpectareque ad Sacri Romani imperii iniuriam, quidquid contra Regiam Eius Maieſtatem et rempublicam Polonam Sueci patrauere.

Cum

Cum enim pace vniuerſali Monaſterienſi Reges et Regnum Poloniae comprehendantur, integritatis pactorum, exindeque tranquillitatis imperii Romano-Germanici interfuit, ac porro intereſt, Regni amici, vicini, et foederati curam et defenſionem ſuſcipi, hoſtilitatem omnem motuſque nouos prohiberi, ne procedente primo Suecorum auſu, vlteriorem licentiam ſuadeat ipſa tolerantia, et ſemel accenſa belli face, vicinus etiam paries deflagret. 1658

Minime vero fides ſit, otioſe Poloniam inſtrumento pacis inſertam eſſe, aut Suecos vigore eiuſdem inſtrumenti, nulla obligatione teneri ad pacem cum Polonis obſeruandam. Nimirum viſum eſt Suecis, inter cauſas armorum, primo loco exponere Bothium, neſcio quem Caeſarianum Colonellum, quod gnaro et conniuente Rege Diuo VLADISLAO, cum Germania bello flagraret, per Prouincias et Ducatus Regni Poloniae peruaſerit, ad infeſtandam armis Liuoniam, et poſtquam inſtigante Rege, ac impellentibus Polonis expeditio illa ſuſcepta eſſet, plurimum mali inopina Bothii irruptione ſubditis Regni Sueciae ibi locorum allatum, multi trucidati, bona eorum direpta et ſpoliata, magnuſque metus illi Prouinciae illatus fuerit.

Expreſſius etiam crimini datur, quaſi irruptione Crocouii Caeſariani Ductoris in Pomeraniam, res Suecorum in Germania turbatas, eamque prouinciam deuaſtatam Poloni voluerint, adeoque non ſatis fuerit Crocouio tranſitum a Polonis indultum fuiſſe, verum etiam ex Putſcenſi Fortalitio, aliiſque in Boruſſia locis auxilia et tormenta eidem ſubmiſſa.

Quae, tametſi vanitatis plena, cum inſuper obliuione perpetua et amneſtia generali ita ſepulta ſint, vt non licet eorum, vllius alterius rei cauſa, aut praetextu (quidquid occaſione ac tempeſtate belli Germano-Suedici, clam vel palam, directe vel indirecte, vltro citroque commiſſum fuerat,) hoſtilitatem, inimicitias, aut moleſtiam inferre, ſub poena fractae pacis, ipſo iure et facto incurrenda etc. ſane iſtiuſmodi cauſas extinctas, abolitaſque reſuſcitare, ac bello contra Poloniam tabulis Monaſterienſibus incluſam et abſolutam vindicare, Sueci nullatenus poterant, ſine ingenti praeiudicio, imo ruptura pacis vniuerſalis.

Vtcunque vero foret, ſi a Suecia ipſa, vel ex Liuonia Suedica ditione bellum intra Poloniae Regni viſcera inuectum fuiſſet: ſed cum e Pomerania imperii Romani prouincia, ortum progreſſumque habuerit: cum exercitus Suedicus in dicta Pomerania, vti et in Bremenſi, Verdenſi, Mecklenburgenſi, aliiſque terris ſcriptus, auctoratuſque ſit, neque adhuc inſcribi, ſuppleri, refoueri, et contra Poloniam omitti deſinat, perturbatae profecto Germaniae, et fractae pacis culpa, tot atrocia et infeſta, ac ſecutura (quod Deus auertat) maiora mala, Suecis auctoribus debentur.

Accedit, ſociatis viribus tam Principum nonnullorum quam ciuitatum imperialium, iniuſtiſſimum poſt hominum memoriam, Sueciae contra Polonos bellum promotum, et ſuſtentatum fuiſſe, atque in hunc diem promptis auxiliis, et continuis ſupplementis, (quod Sacra Regia Maieſtas Poloniae et Sueciae, Dominus meus Clementiſſimus iniuriae ducit, doletque): plus vltra ſuſtentari, plane vt non Sueciae magis, quam Germaniae viribus, Polonia, nihil tale commerita, concutiatur.

1658 Ea propter, consentaneum duxi, nomine saepe memoratae Sacrae Regiae Maiestatis, Regnique Poloniae, rem totam ad Sereniſſimos, Eminentiſſimos, et Illuſtriſſimos Sacri Romani Imperii Electores, Principes, et Ordines decenter referre, ac officio, quo par est, postulare, ne Regni Poloniae pacis Germano-Suedicae consortis facta per Suecos inuasio, ne ex Pomerania, aliisque terris imperii prima et vlterior hostilitas: ne Principum et ciuitatum Germaniae, subsidia, et quotidiani pro Sueco militares delectus, dissimulatione et silentio habeantur, sed communis plane causa, communibus studiis, consiliis, et auxiliis iuuetur, ac obtinendae publicae et securae tranquillitati, vel reprimendo malo mature consulatur.

Est porro aliquid etiam momenti in Regni Poloniae conseruatione, et integritate, quod euerso hoc antemurali, velut aggere rupto, verendum sit, ne barbararum gentium colluuies, (quae nuper finibus ipsis admota, nec longius vnius diei itinere a Silesia distans, periculi in posterum monet, terretque) vicinam Germaniam inundet.

Quae singula et omnia prudenter expendenda Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus, et Ordinibus, paucis ad praesens submittens, nullus dubito, iusto dolori, et laesioni grauissimae Sacrae Regiae Maiestatis Domini mei clementissimi, et vniuersae gentis Polonae pro praeterito, ac in futurum securitati, opportunum, atque ex saepe dictis pactis iure debitum allatum iri remedium.

A. Olszewski mp.

Sequuntur eiusdem Olsæuii

EXPOSITIONES

CORAM

EMINENTISSIMO DOMINO ELECTORE MOGVNTINO

VERBO ET SCRIPTO FACTAE, HVIVSMODI TENORIS:

Non posse satisfactam reddi Regiam Maiestatem Poloniae et Sueciae, quod Collegium Electorale epistolam nuper adhortatoriam ad Regem, Sueciae possessorem, de pace cum Polonis facienda scripserit.

Est amplius quod desideratur, et quo tendit Memoriale, nomine dictae Regiae Maiestatis Poloniae porrectum, id est:

I. Vt dignoscatur: Suecos contra pacem vniuersalem Monasterienſem bellum Poloniae intulisse; occasione sumpta ex irruptionibus in Liuoniam et Pomeraniam (id enim reale quasi factum Polonicum, et pro fundamento videtur iustitiae Suecobellicae, reliquis plane mentalibus, ac plerisque potius omissi quam commissi praetensionibus) quibus et similibus querelis, causis,

causis, non causis, silentium perpetuum indictum est, per inclusionem Regis Poloniae instrumento dictae pacis, et comprehensionem amnestia generali. 1658

II. Vt cum ex Pomerania et aliis prouinciis imperii bellum coeperit, et hucusque continuetur, Sacri Romani Imperii Electores tanquam pacis custodes, serio et efficaciter inhibeant, hostilitatem ex illa prouincia. Quid enim iniquius? quam licere hostibus ex Pomerania in Poloniam irrumpere, ac eodem se attritis viribus, tanquam ad asylum recipere; Polonis e contra, et eorum colligatis Austriaco et Brandeburgico, ne persequendo hostem, bellum ex Polonia transferant, ac par pari retalient, Maiestatem imperii obtendi.

III. Vt supplementa et delectus Suecorum, et pro Sueco, in prouinciis et ciuitatibus imperii prohibeantur. Videre enim est in hac ipsa ciuitate Francofurtensi, praesentibus et conniuentibus Sacri Romani imperii Electoribus, militem in dies colligi, atque Suecorum in castra deduci.

Si dicatur: ius esse et libertatem Germanorum, cuiuis militiae nomina dare (si tamen congrue id fiat, et seruatis seruandis secundum leges imperii): idque fauorabile non tam Suecis, quam Germanis; cur Polonis odiosum sit, auxilia defensiua a foederatis et adhaerentibus suis euocasse? Nostris stipendiis, nostra annona militem Germanicum retinere? et quare iniuriae ducant Sueci, quod illis licet, id ipsum nobis et pro nobis, pari modo licere?

IV. Cum per prouincias Sacri Romani Imperii liber tractus militi Sueco in Poloniam concedatur, cur non eadem Polonis, ac eorum foederatis libertas de iure aequalitatis competat.

V. Sereniſſimus Elector Brandeburgicus reuocatur ab executione foederis cum Polonis sanciti, promittitur eius Serenitati guarantia, in quantum Suecus Brandeburgicas ditiones impetierit. Vnde animaduertitur, id consilii esse, vt Germania tranquille agente, sola Polonia centrum, et theatrum sit bellicae calamitatis. Id equidem non alienum est ab ordinato suimet magis quam proximi amore, minime tamen in hoc puncto conquereremur, si Suecia contra Poloniam bellaret: Sed cum Pomerania, aliaeque ditiones Imperiales, sese bello immiscеant et inuoluant, certe aut praecaueri debet, ne quid contra Polonos ex dictis prouinciis attententur, aut pari modo securitas et guarantia, nobis praestanda est ab imperio, in quantum Sueci ex prouinciis imperii, ac viribus et delectibus prouinciarum imperialium, Poloniam impeterent.

Ad extremum plane videtur Poloniae curam minore loco haberi, neque forte subire animos Sacri Romani Imperii Electorum, quid rei catholicae, quid Germaniae aliquando periculi, nobis perditis, immineat. Pacem enim vtcunque ore proferant Sueci, pacem aequam, honestam, securam, optamus magis quam speramus. Edocti sumus Suedicarum artium, cum alias, tum anno praeterito, apud Gedanum, vbi interuenientibus et inuitantibus Gallicis et Hollandicis legatis pax proponebatur. Haec pollicitatio, et speciosum nomen tractan-

 dae

1658 dae pacis, Regiam Maieſtatem Poloniae vrbi Gedanenſi cum exercitu admouerat. Magna ſpes videbatur tranſactionis, vicinis inter ſe Regibus, et facili ad concludendum commercio. Vtque orbi et toti Reipublicae Polonae, teſtatum faceret, Sacra Regia Maieſtas, Dominus meus Clementiſſimus animum ſuum ad pacem propenſum, declarauit prior, et vltro per ſupremum Regni Cancellarium Dominum Comitem Korycinski, intentionem ſuam memoratis Dominis legatis, clare, candide, ſine ambagibus, et tricis quibuſuis, maxima Suecis concedendo. Quae facilitas declarationis Regiae non ſperatae, admirationi fuit ipſiſmet DD. legatis. Fidem eorum deſuper appello.

Deinde cum ad reprimendum Rakocyum Gedano diſcederetur, ne tum quidem relicta penitus pacis cura, hortatu praecipue legatorum Chriſtianiſſimi Regis, dati, et relicti in eadem vrbe fuerunt a Rege et Senatu Polono, cum poteſtate ampliſſima commiſſarii plenipotentiarii, ad tractandum, illuſtres viri, Dominus Epiſcopus Varmienſis, Palatinus Mariaeburgenſis, Gedanenſis, et Culmenſis Caſtellani, Senatorii omnes ordinis.

Aderat tum praeſens in aula Polona Dominus de Liſola Imperatoris diuae memoriae Ferdinandi tertii miniſter, tot ſcriptionibus Suedicis fruſtra exagitatus, neque tamen declarationi, ac Commiſſioni praedictis, obſiſtere valuit, aut voluit.

Eidem poſtremo fini, ſinceroque pacis ſtudio, ac inprimis interpoſitae auctoritati Sereniſſimi Electoris Saxoniae, (vicina licet tum, et procliui ad patiendum quiduis hoſtile Pomerania) conceſſum erat, vt miles noſter irruptione ſeuere prohibita, in caſtris apud Gedanum, dura hyeme, et diſpendio incredibili haberetur, et coerceretur.

Nihilominus vno eodemque tempore Suecus oſtentatione tractatuum cum Polono luſit, cum Moſcho agitauit, cum Tranſyluano concluſit, et barbarie omni ſedibus ſuis emota, in viſcera Regni penetrando, iunctiſque viribus cum Rakocio, Coſacis, Valachis, Moldauis, Poloniam magno rumore pacificationis prope ſecuram, ferro et igni ſaeuiſſime afflixit.

Haec ſumma Olſzeuii laborum Francofurti ſuſceptorum, nihilque aliud, toto commorationis ſuae tempore obtinuit ab Electoribus, quam binam epiſtolam, ad vtroſque Reges, Polonum nempe et Suecum, nomine electoralis collegii expeditam pro ineunda pace. Quarum literarum hic tenor erat. Et quidem ad Regem Polonum in hunc ſenſum ſcripſerant Electores:

Sereniſſime et Potentiſſime Rex.

Litterae a collegio Electorum ad Regem Poloniae.

Conſtat palam quam funeſtis bellis, fere a principio huius ſaeculi, per triginta annos continuatis Romanum Imperium, omneſque eius circuli fuerint oppreſſi, dilacerati, exhauſti, et quam difficulter pax tandem perpetua, veraque et ſincera amicitia, inter belligerantes Monaſterii et Oſnabrugi Veſtphalorum ante nouennium fuerit concluſa, eique a principalium tranſigentium parte Regia dignitas et Maieſtas Veſtra non minus, quam omnes alii vicini Reges, Principes et Reſpublica incluſi. Vnde non immerito omnes boni nobiscum illis condolent, qui in dictae pacis limine de nouo miſeriis bellicis ſint implicati. Cum autem ſecundum fundamentales imperii leges, id noſtri potiſſimum muneris ſit,

ſit, vt patriae ſaluti, et publicae ſecuritati; vt optime fieri poterit, conſulamus, 1658
et is belli ignis, qui iamdiu alias in florentiſſimi Poloniae Regni viſceribus ſaeuit, nunc aliarum partium acceſſione crudeſcere, et magis magiſque ſerpere videatur, timendumque ſit, ne vna cum Regia dignitate et Maieſtate Veſtra, etiam vicinos vtriuſque Saxoniae circulos implicet, prout querelae deſuper multoties inde ad nos allatae conteſtantur. Non poſſumus, quin Regiam Veſtram Dignitatem et Maieſtatem pro eo, quod ſemper coluit, pacis ſtudio ſedulo hortemur, et peramanter rogemus, vt cum Sereniſſimo Sueciae Rege, vtpote ſecundum conteſtationes nobis iterato factas, ſine dubio ſimiliter aequis conditionibus ad pacem procliui, eos ſine mora pacis tractatus concludat, quos ad mutuam ipſorum amicitiam, et vtriuſque, vt et imperii Romano-Germanici vtilitatem et ſecuritatem, praecipue vero firmum Regni Poloniae ſtabilimentum a ſinceris regiis, ex arcto ſanguinis vinculo coniunctis animis, facile et glorioſe finiri poſſe, non dubitamus, et confidimus, quod interea neutra pars, vltra Sacri Romani imperii ſtatum, eiuſque ſubditos per incurſiones et inuaſiones, exactiones, tranſitus, conſpirationes, aut alias quaſcunque militares moleſtias grauabit. Obligabit Regia Dignitas et Maieſtas Veſtra nos, et omnes Sacri Romani imperii Principes et Status ſingulariſſime, quin et totam Europam, quod regnum antemurale, quam diutiſſime ſaluum et incolume eſſe exoptat. Dum ſic vouemus, et voto nos compotes fore, confidimus, Regiae Dignitati et Maieſtati Veſtrae omnem proſperitatem apprecamur, et paratiſſima officia noſtra offerimus. Dabantur in Conuentu Electorali Francofurti ad Moenum 4. Maii 1658.

Similes literas ſcripſerant quoque Sueciae Regi, quarum haec ſumma fuit:

Litterae a collegio Electorum ad Carolum Sueciae Regem.

Sereniſſime et Potentiſſime Rex,

Amice et Conſanguinee honorandiſſime,

nec non Domine Clementiſſime,

Dum eam, quae ex parte Sereniſſimae Sueciae Reginae in concluſione pacis Oſnabrugenſis, cum perpetua nominis ſui laude interpoſita fuit, ſollicitudinem perpendimus, et glorioſiſſimum Regiae Dignitatis et Maieſtatis Veſtrae ſtudium, quo ſinceram praedictae pacis executionem Norimbergae promouit, ipſoque facto cum immortali gloria ſua ſincere praeſtitit, memoria recolimus, non poſſumus non dolere, quod pax belli Germanici tantis curis et laboribus vix dum exſtructa, inter Veſtram et Poloniae Regias Dignitates et Maieſtates iterum inflammata fuerit, et tantus nunc ignis exortus ſit, vt niſi ſedatis et benignis vtriusque regiis animis quantocius refrigeretur et extinguatur, non tantum Regnum Poloniae, ſed et vicinas Germaniae, praeſertim vero vtriuſque circuli Saxonici prouincias correpturus eſſe videatur. Cum igitur fundamentalis Sacri Romani imperii lex id potiſſimum curae noſtrae iniungat, vt ſecuritati publicae omni ſtudio proſpiciamus, et Regiae Dignitati et Maieſtati Veſtrae eadem ſit laudabilis intentio, prout non tantum confidimus, ſed etiam per ablegatum ſuum deſuper identidem certi facti ſumus, eandem diligenter et peramanter rogamus, vt cum Sereniſſimo Poloniae Rege, ſimiliter, ad pacem procliui, et ad illam a nobis pariter rogato, eos, qui iam coepti ſunt pacis tractatus, quam citiſſime fieri poterit, aequis conditionibus ad finem promouere, et ſepoſita praeteritorum memoria, factaque fida pace, tum inter ſe, tum qui iiſdem bellis inuolui videntur, et Regiam Hungariae Dignitatem et Maieſtatem, Noſtrumque Coelectorem

1658 Sereniſſimum Brandeburgicum, perpetuam, veram, et ſinceram amicitiam ſtabilire, hocque glorioſiſſimi Regis et Germani Principis facto, et funeſtis illis facibus conſtanter extinctis, nos, omneſque imperii Principes et Status, praeſertim vero dictae prouinciae circulos, vtpote periculo viciniores cum aliis adiacentibus prouinciis publicae tranquillitatis ſecuros reddere velit. Interea autem confidimus vtramque partem proſpecturam, ne vllus Sacri Romani Imperii ſtatus eiuſque ſubditi per inuaſiones, tranſitus, hoſpitationes, exactiones, aut alio modo, quacunque militari moleſtia afficiantur, prout etiam Regia Dignitas et Maieſtas Veſtra hac in re publicum imperii intereſſe concernente, in nouiſſimo circuli ſuperioris Saxonici conuentu ita ſe facturam per legatos ſuos publice recepit. Deuinciet certe ſibi totum imperium maximopere ad gratitudinem nunquam intermorituram, et ſimul ad omnia officia, quae nos eidem promptiſſima offerimus, et omnem regiam felicitatem ex animo apprecamur. Dabantur in Conuentu Electorali Francofurti ad Moenum 4. Maii 1658.

Olſzeuius Francofurto diſcedit, ſuperueniente Vladiſlao Rey, regio ablegato, qui Leopoldi Electionem turbatum venerat. Arguuntur Francofurti ſcripta a Polonis contra domum Auſtriacam.

His literis ab Electoribus obtentis Olſzeuius, ſparſo prius ante diſceſſum libello querelarum contra innocuos Auſtriacos Francofurto diſceſſit, adueniente interim alio ablegato regio VLADISLAO REX, Dapifero Cracouienſe, Libuſenſi gubernatore, qui ſimiliter nullo alio Francofurtum aduenerat fine, quam turbandi Auſtriaca conſilia, Leopoldique electionem, et turbauit certe non mediocriter, diſtulitque electionis diem ad duos circiter menſes, quanto Europae, totiuſque Chriſtianitatis incommodo, iudicent alii, qui illius anni geſta legent. Certum eſt nihil intentatum reliquiſſe Dapiferum, quominus nocere potuiſſet Auſtriacorum rebus. Primum eius in innocentes Auſtriacos ac potiſſimum crimen fuit, quod Electoribus perſuadere conabatur: Nolle Auſtriam paciſci cum Sueciae Rege, ſummo cum praeiudicio Regni Poloniae. Hoc ipſum Electori Moguntino ſaepius repetendo tantum obfuit Auſtriacis, vt Elector non prius de eligendo Romanorum Rege, quam de componendis exortis, cum Sueciae Rege, diſſidiis cogitaret, dum interim abſente Nauclero fluctuaret imperii ratis, ac parte ab vna Byzantii Imperator Tranſyluaniae immineret, parte vero ab altera, Dunquerca, ac tota Flandria Anglica conſpicerent ſigna. Actum deinde de acceptata a Polonis Gallica mediatione vel inuitis Auſtriacis, approbatumque factum a Moguntino Gallicarum tunc partium anteſignano.

Ita dapiferi legationem, quae prodeſſe debebat Auſtriacis, multum obfuiſſe certum et exploratum eſt. Et quanquam ad extremum comperta eſſent dapiferi mendacia, Gallicaque factio Polonae aulae enituerit, in differenda Auguſti Leopoldi electione, nulla tamen Poloniae Regi culpa vnquam adſcripta eſt: quinimo ablegatus Rey, peracta electione triumphanti ſimilis, quaſi re bene peracta, in Poloniam redierat, cauſato Auſtriae damno, quot aliquot auri exceſſerat tonnas. Ita recentis, calentiſque adhuc beneficii ab Auſtria accepti Poloni immemores, omnia tunc in Auſtriacorum molliebantur perniciem. Patuitque tandem per experientiam, quod pridem vulgari circumferebatur prouerbio, verum de Polonis Germanorum dicterium: Ab Italis, inquiunt illi, diſtinguimur Alpibus, a Gallis fluminibus, ab Anglis Oceano, ſolo a Polonis odio [101]).

Alii

101) Falſum eſt, Germanos a Polonis ſolo diſtingui odio. Ad veritatem, quae huc pertineant, dicam, neque Germanis neque Polonis blandiens. Polonos Germanis, Germanoſque Polonis non adeo fauere, generatim, quod plebem attinet, ita dicendo, verum eſt. In cauſa videntur eſſe, primum, bella, quae varia Poloni cum Germanis geſſere, multiſque malis pro malis, vt in bello fieri ſolet, inuicem ſibi datis, non potuit non mutuum inde odium oriri, id quod idem eadem ex cauſa inter Germanos et Gallos, inter Gallos et Anglos fuit creatum: deinde mores in varia viuendi agendique ratione oppoſiti. Cum autem neque illatae vtrinque iniuriae belli tempore, neque diuerſa viuendi ratio, facta pace, inter prudentes et bene educatos homines, odium verum gignere poſſit, facile inde patet, iſtud inter Germanos et Polonos praedicatum odium ad infimam tantum multitudinem vtriuſque gentis pertinere, neque tritum illud in Polonia prouerbium:

Poki ſwiat ſwiatem
Polak Niemcowi nie będzie bratem.

hoc eſt:

Quamdiu terrarum orbis durabit, Polonus Germano non erit ~~amicus~~, frater.

Alii Poloniam ita deſcribebant:

1658 Poloniae morum deſcriptio inconueniens.

Prodigalitatis mater.
Officina crudelitatis.
Licentiae nidus.
Omnium ſcelerum fautrix.
Nouitatis amans.
Inimica pacis.
Appetens alienorum [102]).

non, niſi de populi ſentina intelligendum eſſe. Bene enim educati et ſinceri Poloni, prudentum et politiorum Germanorum optimi ſunt amici.

102) Quia in apographo ad quatuor tantum horum dictorum loca, adiectum aliena manu verbum eſt Polonicum *fałsz*, hoc eſt, falſum, idque re vera ita etiam ſe habeat, paucis quatuor haec dicta confutabo. Primum occurrit *officina crudelitatis*. Qui Polonos crudeles dicit, aperte exteros mendacio fallit. Si enim nonnulli crudeles forte reperiuntur, non ideo tota gens crudelis vocanda, cum maxima Polonorum pars, experientia teſte, humanitatem habeat, pauci eam exuant, id quod etiam quidam aliarum gentium faciunt. Cum enim apud omnes in tota Europa populos mali quidam ſint mixti bonis, neſcio qua ratione praetendi poſſit, vt Polona natio omnibus aliis Europae gentibus ſit melior. Sed haec prae aliis nationibus, Italis in primis et Germanis, ſingularis Polonae gentis virtus eſt, vt lento gradu ad vindictam ſui procedat, ac praeterlapſo primo impetu facile ignoſcat. Poloni praeter ea miſericordes ſe praebent, hoſpitalitatemque exercent, quae virtutes cum ſint crudelitati oppoſitae, manifeſta eſt, Poloniam officinam crudelitatis dicere, calumnia. Secundum, *omnium ſcelerum fautrix*. Nemo prudentum Polonorum negabit, omnia, quae apud alias gentes committuntur crimina, etiam in Polonia patrari. Quis autem inde Poloniam omnium ſcelerum fautricem diceret? Nonne legum publicarum ſanctiones contrarium dicunt? Nonne malefactorum punitiones et ſupplicia aperte calumniam confutant? Si aliquoties potentiores non ſemper ſecundum iuſtitiam puniri poſſunt, idem fieret apud alias gentes in tanta libertate viuentes. Hoc forte aniam ad hanc calumniam praebuit, quod iudices raro ex officio in crimina inquirunt, et omnino actore, quem *inſtigatorem* in Polonia dicunt, opus ſit, neque ſumtus inquiſitionis atque executionis in ſe ſuſcipiunt, qua ex cauſa quidam ſe iuſtitiae ſubducunt. Sed his non obſtantibus tanta fruuntur per vniuerſum regnum ſecuritate publica, vt mirum ſit, in libero regno tam paucos inueniri malefactores. Quod ſi libertate Polona aliae gentes vterentur, forte nemo ſecurus in via eſſet, id quod graui et maximo argumento eſt, Poloniam minime ſcelerum eſſe fautricem. Tertium *inimica pacis*, et quartum, *appetens alienorum*, vix refutatione digna videntur. Polonia enim nil magis niſi pacem quaerit et colit, nil magis etiam Poloniae quam pax conducit, qua opus habet prae caeteris aliis omnibus bonis. Aliena etiam non appetit, ſed ſua tantum ſeruare ſtudet. Si aliquoties Polonia inimica pacis iniquae fuerit, ſuaque iniuria ablata omni modo recuperare laborarit, quis non recte et bene feciſſe dicet? Credo ſi Polonia inimica pacis et appetens alienorum eſſet, longe alias ad hunc conſequendum finem faceret praeparationes. Sed eiuſmodi friuolae exprobrationes magis ſunt contemnendae, quam refutandae.

LIBRI IX. CAPVT III

SYNOPSIS

Regina Berlinum Posnania excurrit ad Electorem. Quid cum Electore tractauerit? Electoris responsum. Varsauiae a Polono Rege indicuntur comitia. Moschorum in Polonos indignatio. Moriuntur clari in Republica viri Andreas Leszynski, Archiepiscopus Gnesnensis, marchio Myszkowski, palatinus Cracouiensis, Matthias liber baro de Wolczyn, supremus salisfodinarum administrator, Stephanus de Pilca Korycinius, regni cancellarius, cui succedit Nicolaus Prazmowski, secretarius regni maior. Dignitatum distributio. Varmiae descriptio, de qua dicitur, cum gladio et stola Varmia sola. Thorunium versus mouet Rex. Cosacorum status post mortem Chmielnicii. Vichouius conuocationem indicit vniuersae Russiae, Wdowiczenko contrariae factionis primario duce contradicente. Vichouius Tartarorum amicitiam reuocandam concludit, atque legatos eum in finem in Tartariam expedit. Renouatum foedus Tartaros et Vichouium inter. Coniuncti Vichouio Tartari vastant omnia circa Boryslhenem. Praelium atrox Vychouium et Wdowiczenium inter. Wdowiczenius in acie cadit. Vichouius Czechrinium redit. Magnus Moschouiae dux Vichouium et reliquos Cosacos corrumpere pecunia tentat, sed vano conatu. Vichouius Kiouiam oppugnare aggreditur vano conatu. Eluditur arte palatini Kiouiensis. Polonis adhaeret Vichouius. Pacta Cosacorum cum Polonis.

1658 Regina Berlinum Posnania excurrit ad Electorem. Quid cum Electore tractauerit. Electoris responsum.

Interim dum Francofurti per summum nefas, Polonia, quae orbis iudicio Austriae fauere dicebatur, Austriae illudit, Poloniae Regina, quo magis adhuc placeret Gallis, Posnania Berlinum auolat, Electori collocutura Brandeburgico, quem iam arctissime Augusto adhaesisse Hungariae Bohemiaeque Regi aegre ferebat. Igitur persuadet Electori, primo per occultos ministros, mox ipsa palam, desereret Austriacam factionem, Polonisque adhaereret. Fore enim aliquando vt filius illius Regno praeesset Polono, si sua Elector sequi vellet consilia. Ad haec Elector: se ab Austriaca nequaquam posse recedere factione, quod si faceret, ad extremum certe res suas adduceret discrimen, illo ipso facto. Regnum Poloniae pro filio, nunquam se appetere, nec vltro oblatum acceptare, stante misera Regum Poloniae conditione, quibus datum est, felices alios facere, et ipsos non esse felices [103]). Plura

103) Licet hoc dictum sit magni principis, tamen non ad veritatem omni ex parte directum. Non est misera Regum Poloniae conditio, non sunt infelices, nisi principum forte felicitas vnice in absoluto imperio consistat. Regum munus est, salutem populi, cui imperant, curare, eumque felicem reddere. Quis autem omnium Europae Regum tanta pollet auctoritate ac facultate, innumeras familias hominesque felices facere, meritaque in Rempublicam et aulam beneficiis compensare, quam Poloniae Rex? Inauditum quid, vllum terrarum orbis Regem, tam multa subditis suis donasse bona, quam vi legum Poloniarum Reges indesinenter suis largiuntur. Felix Poloniae Regum conditio, qui regia benefaciendi virtute omnes alios Reges superant. Si deinde felicitas sit, ad gubernaculum regni sedere, non minor, si non maior, felicitas erit, libero populo ac tam multis proceribus magnisque dominis imperare. Nulli, praeterea, Regi tam multi optimates ad inserviendum domino suo praesto sunt, quam Polonorum Regi, quorum semper singularis in Reges suos fuit pietas. Si Poloniarum Rex non tam multis prouentibus gaudeat, quam alii Reges, nulla etiam publica expensa facit, quippe quibus omnibus Respublica prouidet, accepta et expensa ergo proportionem habent, quae ad tuendam maiestatem sufficere videntur. Manifestum enim, historia teste, est, VLADISLAVM IV, et IOANNEM III, Poloniae Reges, magnifice ac regie vixisse, ac posteriorem insuper magnos coaceruasse thesauros, licet nullis extra regnum possessis haereditariis prouinciis. Felicissima igitur conditio Regum Poloniae est, se ipsos posse felices, multis bene, paucis male facere.

Plura ab Electore penetrare haud potuit Regina, quae tertio deinde die rursus Posnaniam, ad Regem redierat, quo per aeris Varsauiensis intemperiem secesserant ambo, exeunte Martio mense. Neque diu ibidem commorati, initio Iulii iterum Varsauiam redeunt, generalia ordinum celebraturi comitia, in quibus de futura successione magni Moschouiae Ducis quaestio erat. 1658 Varsauiae a Polono Rege indicuntur comitia.

Octo continuis hebdomadis durauere haec Comitia, ad vltimos Augusti dies, nullo certe fructu, potius ingenti Reipublicae damno. Quis enim adulta aestate, quo tempore pugnandum est, consilia format?

Nec cum magno Moschouiae Duce, quidquam tunc sinceri tractatum est; quod ipsum dum Moschi aduertunt, illico Polonis infensi, paulo post compositis cum Suecis rebus, eorundem etiam atrocissimi hostes extitere, vt in tempore memorabimus. Moschorum in Polonos indignatio.

Redeo ad comitia, in quibus, vti dixi, vix aliquid de publicis actum est negotiis. Dignitates tantummodo distribuebantur, morte aliquorum vacuae. Obierant enim immediate ante comitia illustres in Republica Polona viri, ANDREAS DE LESZNO LESCZYNSKI Archiepiscopus Gnesnensis, legatus natus, Regni Poloniae Primas primusque princeps, Regi ac Reginae, quoad vixit, infensus: potissimum apparuit illius contra Regem Casimirum, vehementior indignatio tempore interregni, tunc cum Ioannes Casimirus minari Polonis videbatur, si forte electio illius non processisset: hoc ipsum aduertens Leszynius, regni per ea tempora Vicecancellarius, captiuandum Principem Casimirum, tanquam sui impotentem, censebat, quod et successisset certissime, si electus fuisset Carolus Ferdinandus, cuius partium erat tunc Leszynius. Archiepiscopum subsequuti sunt, Marchio MYSZKOWSKI, Palatinus Cracouiensis. MATTHIAS, liber Baro de WOLCZYN, salisfodinarum Wielicensium et Bochnensium supremus administrator, vir literis, eloquentia, munificentia, magnanimitate, nulli secundus, inuidia, quae comes est virtutis, ab aula oppressus; et cui ducenta aureorum millia, Rex Polonus debitor extitit. Malo afflatus aere, qui haud procul pestilentia aberat, in castris ad Cracouiam medio fere decubuit anno, donec tandem in Silesia superiore, in propriis bonis, prima Maii moreretur, quinquagenarius. Sepultus paulo post sexta eiusdem in monte Palaestino. Baronem Wolczynium, STEPHANVS de Pilca KORYCINIVS Cancell. Regni, paulo post subsequutus est, vir triginta et aliquot annorum, quem Baro moriens incusauerat, vt corruptum iudicem, et hunc ante tribunal strictissimi citabat iudicis, ob amissam paulo ante, per summum nefas coram eius subsellio iustissimam causam, cum mercatore quodam Italo Moriconio, a quo magnis muneribus, quod palam erat, corruptus erat Korycinius: in cuius tunc locum suffectus erat NICOLAVS PRAZMOWSKI Secretarius regni maior, fauore Reginae, ad tantam inopinato euectus dignitatem: cui eodem fere tempore Luceorienſis quoque adiecta fuit cathedra, promoto STEPHANO WYZGA, Luceorienſi, ad Warmienſem, Varmienſi vero, VENCESLAO LESCZYNIO, ad Gnesnenſem principem basilicam euocato. Minus quoque regni sigillum, cesserat tunc BOGVSLAO DE LESZNO LESCZYNSKI, Thesaurario regni, thesaurus vero, CASIMIRO KRASINSKI, Palatino Plocensi. Moriuntur clari in Republica viri. Dignitatum distributio.

His in hunc modum dispositis Rex conuocata Ordinum soluit comitia, altius offensis multorum animis in distributione dignitatum facta. Aegre enim ferebat LESCZYNIVS praelatum sibi in munere maioris sigilli PRAZMOVIVM, nec clerus contentus videbatur suffecto in Gnesnensem cathedram Leszynio patrueli fratre defuncti, quasi Gnesnensium Pontificum dignitas Leszyniis haereditaria esset. Male quoque audiebat VENCESLAVS ob secretiora cum dissidentibus commercia et amicitias. Capitulum quoque pontificale Varmiense protestabatur coram Rege, de violato iure electionis, ac conuulsis statutis ecclesiae illius, quae iubent et docent, nullum alium eligi a Rege in Episcopum, nisi ex medio illius collegii.

1658 Est autem episcopatus Varmiensis, Borussiae terrae, toto orbe celebratae, portio haud perexigua: quippe quae in latum duodecim, in longum viginti fere Germanicis excurrit milliaribus, neminem superiorem agnoscens, nisi solum Pontificem Romanum, a quo fundatus episcopatus, expulsis gentilibus illius orae quondam accolis: Romanorum praeterea Caesarem, quem sibi pridem, vt protectorem, dixit, vicissim aurea bulla a Caesare Carolo IV. donata, imperioque Romano incorporata. Hinc commune illud de Varmiensi Dioeceси seu principatu passim circumfertur prouerbium: *Cum gladio et stola, Varmia sola.* Haec de Varmiensi Dioeceси dicta ad praesens sufficiant.

Varmiae descriptio.

Cum gladio et stola Varmia sola.

Thorunium versus mouet Rex.

Redeo ad comitia a quibus morte aliquorum Poloniae procerum tantillum digressus sum. Igitur finitis comitiis Rex Thorunium versus suorum signa promouet, reiectis Moschorum postulatis in aliud commodius tempus, cui forte tunc spem addiderat WYCHOVIVS, per occultum legatum, promittebatque haud mora reducendos Cosacos ad Poloni Regis obsequium. Rem altius repeto de Cosacorum nouello tunc statu, qui post mortem CHMIELNICII erat.

Cosacorum status post Chmielnicii mortem.

Mortuo Czehrinii BOGVSLAO CHMIELNICIO elapsi anni 1657. aestate, in duas illico potentissimas factiones vniuersa Russia, quae Maeotidem paludem, desertaque Tartariae loca spectat, diuisa est, Wichouianam et Moschouiticam. Vichouio crudam Moschorum gubernationem non satis apud populum probante, coaceruatae tandem cum tempore populi Russiae contra Moschos iniuriae, ob certas cremati siue vini adusti intolerabiles accisas, ac certa monopolia ad hanc diem in Russia insolita Vichouii stabiliuere consilia, prouere intentiones. Ergo autumno adulto 1657. Czehrinii haud procul Borysthene Vichouius conuocationem vniuersae indicit Russiae; dissimulante Moschorum palatino congressum Czehrinii Cosacorum, quem et in melius interpretabatur Vichouius, scilicet qui propter certa tributa ac monopolia congregauerat populum in fauorem Moschouiae Ducis.

Vniuersae Russiae conuocationem indicit Vichouius,

Haec conuocatio Vichouii toto autumno 1657. durauit, causa tantae morae, non comparentes trans Borysthenem accolae Cosaci, qui hanc ipsam Vichouii conuocationem, sociorum rebellionem apud Moschos palam criminati sunt. Vichouius nihilominus in suorum Cosacorum persistebat conuocatione, dimisso ad reliquos diuisos Cosacos abbate quodam, qui vnionem cum caeteris suaderet, ac ad conuentum Czehrinium inuitaret; Sed frustra talia lymphatis sociis memorabat abbas, Vichouii aliorumque Cosacorum legatus; iam enim maturuerat potentissima Moschorum contra Vichouium et Cosacos factio, quorum Dux primarius WDOWICZENKO erat. Repetitum per eundem iusiurandum magno Moschouiae Duci, admonitus per legatum Vichouius, ne se pro duce Cosacorum gereret, aut noua molimina contra praesentem tunc statum attentaret. Igitur Vichouius frustra consumtis remediis in sociorum a Moschis auulsione, potissimum Wdowiczynii, iam et propriis diffidens Cosacis, in illa tunc Czehrinii autumnali conuocatione, nihil aliud proposuit Cosacis, quam Tartarorum reuocandam postliminio vnionem ac amicitiam, vtpote quorum auspiciis ac confoederatis armis vniuersae Europae terrori paulo ante erant Cosaci debellatis toties Polonis ac Moldauis, promittebatque meliora Russiam sperare posse tempora, si Tartaris reconciliarentur Cosaci.

Wdowiczenko contrariae factionis primario Duce contradicente.

Vichouius Tartarorum amicitiam reuocandam concludit.

Pergrate acceptata est a legionum ductoribus, caeterisque, qui aderant, Cosacis, Vichouii propositio, acclamatumque illico est: Bene sentire Vichouium, reuocandam esse, cum Tartaris amicitiam, feriendum cum iisdem immortale foedus, stabiliendam concordiam. De Moschis adiectum nihil, altius dissimulante offensam Vichouio, increpanteque Cosacos, qui dicere quaedam tunc contra Moschos parabant.

Atque legatos eum in finem in Tartariam expedit.

Finita demum conuocatione, dimittit legatos Vichouius ad Tartaros cum literis, initio anni 1658. illorum sollicitans amicitiam; adiecit quasdam contra Moschos querelas, quo facilius illorum vniendos flecteret animos. Hos legatos Vichouii trans Borysthenem, vna cum literis interceperat Wdowiczenko. Neque mora legatis Wichouii sub glaciem Borysthenis actis, literas Moschorum transmittit palatino, qui suspectam in dies magis ac magis habens Vichouii fidem, admonebat Vichouium obstricti magno Duci Moschouiae Sacramenti, minabaturque eidem a longe, nisi ad saniorem mentem haud mora redire veller.

let. Vichouius detecta per Wdowiczenko sua suorumque consilia videns, diuersis itineribus, quibus intercipi non possent literae, legatos ad Tartaros dimittit, eorum implorans auxilia, contra rebelles sibi Cosacos Borysthenis accolas, nulla de Moschis facta mentione. Aliqui horum legatorum in manus inciderant Wdowiczynii, duo autem ad Tartaros euasserant, a quibus vltra modum solenniter excepti, auditi, ac dimissi sunt, promissis abunde omnibus, de quibus scripserat Vichouius. Neque mora, suos quoque ad Vichouium orantes Tartari expediunt legatos, mutuum Cosacis contestaturi amorem, ac perpetuum iuraturi foedus, contra quoscunque Cosacorum hostes, iussi, mandato Tartari Regis, Budziacenses Tartari in promptu esse ad omnes Vichouii conatus. 1658

Renouatum foedus Tartaros et Vichouium inter.

Stabilita in hunc modum Vichouius cum Tartaris amicitia ac indissolubili vnione, primis diebus Aprilis elapsi anni, transmisso apud Krzemienczum Borysthene, vna cum Tartaris Budziacensibus, Wdowiczenko minime talia expectantem hostiliter inuadit, sociis Tartaris, ferro et igne omnia circa Borysthenem vastantibus ac diripientibus, non sine strage Cosacorum Wdowiczenii, qui primo Zolninum, deinde Zlotonoszam, tandem Kamiouiam insperati confugientes omnes ferro Tartari militis perierunt, a sene vsque ad infantem. Tandem circa Pereaslauiam Vichouio vna cum suis occurrit Wdowiczenko. Ibi tunc atrox praelium inter vtrosque initum, Vichouium procul dubio feciſſet victorem, nisi in medio pugnantium aestu, decem circiter Moschorum millia laborantibus subsidio venissent Cosacis. Ergo praelium longe atrocius quam antea restauratum ab vtrinque, quo in praelio dum auidius pugnat Wdowiczenko, in primo statim cadit agmine, caeteris in pugna persistentibus. Quis vicerit huc vsque non constat, vtriusque partis militibus victoriam occinentibus. Vichouius aemulo sublato, glorioſus iterum Czehrinium rediit, Moschi vero Kiiouiam ouantes ingressi, pulso, vt aiebant Czehrinium Vichouio.

Coniuncti Vichouio Tartari vastant omnia circa Borysthenem. Praelium atrox Vichouium et Wdowiczenium inter. Wdowiczenius in acie cadit. Vichouius Czechrinium redit.

Interim insperatam mutuam post cladem, Borysthenis accolae Vichouio maledicere, nouum Moschis, irritati a Vichouio, dicere sacramentum, Vichouium, vt Polonum, non alio quam Lechi nuncupare nomine, tyrannum, inuasorem Russiae, turbatoremque appellare. Misere et legatos ad magnum Moschouiae Ducem, subsidia quadraginta millium orantes, eiusque imperio se, ac suorum nepotum nepotes in perpetuum subiicientes, modo illos contra Polonum, vt aiebant, Vichouium tyrannum defendere veller. Haec clerus, hoc milites, haec plebs vniuersa scripsit Moschouiae Duci. Interim Vichouius suorum quoque colligebat agmina, dimisso ad Tartaros pariterque Polonos legato, etenim Tartarus Rex pacificationem Vichouii cum Polonis in se susceperat. Nec magnus Moschouiae Dux tanti faciebat Vichouii factionem, scilicet vniuersi promissi Poloniae Regni spe inescatus; viginti attamen suorum millia Palatino Kiiouiensi subsidio misit, eidemque scripsit, contentaret Vichouium, caeterosque Cosacos aliqua promissa pecuniae a Moschouiae Duce summa, et in specie ipsi Vichouio centum in singulos annos ex imperatorio aerario promitteret millia, caeteris ducta proportione, vsque ad infimum militantem. Haec magnus Dux Moschouiae, initio Iunii Palatino scripserat Kiiouiae, qui statim talibus promissis mandato Caesaris sui aggressus Vichouium, vna et reliquos Cosacos, difficiliores ac diffidentiores inuenit. Et Vichouius quidem tergiuersari iam coeperat, sed reliqui obstabant duces, obstabat et clerus, Kiiouiam repetens e manibus Moschorum, aderant incentores Tartari, vna et Polonus legatus, qui Vichouium caeterosque animabant, infeliciter coepto opere. Ergo Vichouius a Tartaris pariterque Polonis animatus reassumpto iterum spiritu, Kiiouiam pertinacius, quam antea, initio Augusti mensis a Moschis repetit, ni ocius redderent, arma minatur, populique rebellionem. Excusat deditionem Palatinus Kiiouiae, insscio magno Duce, cui se scripturum promiserat, dilato in sequentem Septembrem Cosacorum desiderio, spem tantum Vichouio reddendae vrbis iniecerat, si interim Cosaci deponerent arma, ac demisse peterent ea, quae vellent obtinere, eo modo fore, vt votis illorum clementissimus annuat Caesar. Interim munire adhuc eminentiorem Kiiouiae vrbis locum, quem arcem vocant, coepit Palatinus Moschouiae, prouidere necessaria tandae obsidionis. Hoc vbi resciuit Vichouius, illico fratrem suum cum aliquot legionibus Cosacorum, prohibendae inferendae amplius in vrbem annonae praemiserat. Sed frustra iuerat ille, nam toto Borysthene inferebatur in vrbem annona, adnitentibus Borysthenis accolis, ac Moschorum adiuuantibus conatus.

Magnus Moschouiae dux Vichouium et reliquos Cosacos corrumpere pecunia tentat, sed vano conatu.

Vichouius Kiiouiam oppugnare aggreditur vano conatu.

Eluditur arte palatini Kiiouiensis.

1568 Elapſis duobus menſibus, quibus a magno Moſchouiae Duce Palatinus Kiiouiae Coſacis promiſerat optatum reſponſum, inſtat Vichouius Kiiouiam repetens per fratrem ſuum, qui circa CHWASTOW oppidum in proximo Kiiouiae caſtra metauerat. Moſchi bene prouiſa Kiiouia, breui ſe reſponſuros Vichouio aiebant, neque mora, initio menſis Octobris, aucti aliquot Coſacorum legionibus, Chwaſtouiam inopinato excurrunt, Vichouiumque nihil tale metuentem inde depelluntes, reuerſi deinde Kiiouiam maiorem partem vrbis, quae lignea erat, defenſioniſque incapax, Vulcano conſecrant, pleriſque ciuium ſuſpectis ferro trucidatis.

Vichouius vbi et fratrem depulſum et Kiiouiam receptu difficiliorem aduertit; ratus nihil iam, niſi apertam caedem a Moſchis expectare, Polonorum tractatus, hucuſque eluſos, ſubſcribit, Bienczyniumque legatum Poloni Regis, blande ad ſe euocatum de omnibus anteactis edocet, rogatque ſuppetias, quibus a Bienczynio promiſſis, palam Moſchorum excutit iugum Vichouius, Tartaris Poloniſque confidens. Neque mora Kiiouiam parte ab vna obſedit, vano ſane conatu. Etenim defendebant Kiiouiam quatuordecim Moſchorum millia, ſex Coſacorum; vrbi nihil deerat, et ſi quid defuerat, in proximo ſtatim ſubuenerunt Coſaci ab altera parte Boryſthenis accolae. Neque procul Kiiouia, ad Pereaslauiam Moſchorum quadraginta, viginti lectiſſimorum Coſacorum millium ſubſtiterat exercitus, in Vichouium propediem moturus. Tartaris quoque magnus Moſchouiae Dux, dilata in ſeptimum annum ſtipendia, numerare iuſſerat. Ita nullum tunc optatum finem Vichouii factio habuit. Pacta autem, quae tunc cum Polonis Vichouius iniuerat, haec fuere:

Polonis adhaeret Vichouius.

Coſacorum pacta cum Polonis.

I. Palatinatus debellati ac a Coſacis de facto poſſeſſi, Kiiouienſis, Braclauienſis, Czerniechouienſis, erigantur in Ducatum ſeorſiuum Ruſſiae, ad inſtar vnionis, magni Ducatus Lituaniae, officiales quoque maiores habituri in poſterum Coſaci, Marſchalcum, Cancellarium, Theſaurarium, et alios.

II. Metropolita Kiiouienſis locum in Senatu Polono obtinebit, immediate poſt Archiepiſcopum Leopolienſem.

III. Abbates et Praelati Ruſſiae, Leopolienſis, Luceorienſis, Praemyslienſis, Chelmenſis, immediate Epiſcopos Poloniae in ſuis diſtrictibus ſubſequentur.

IV. Pecunia Ruſſiae cudi debet, ad ſimilitudinem rei nummariae magni Ducatus Lituaniae.

V. Reſtitui debent omnia bona ritus Graeci tam ſaecularibus quam monachis per Polonos ablata, et eccleſiis Romanis adiudicata.

VI. Ciues Graeci ritus gaudebunt iiſdem libertatibus ac praeeminentiis in vrbibus, quibus gaudent Romani, ſimiliter et ad magiſtratus admitti debent aequaliter cum Romanis.

VII. Contributiones agrariae ex tribus iſtis Palatinatibus, inferentur non aerario Poloniae, ſed Ruſſiae, eaedemque contributiones conuerti debent in ſtipendia militis variarum gentium, quorum numerus decem millia non excedet: hique dependere debebunt pro nunc a Generali Coſacorum Zaporouiano Illuſtriſſimo Domino Wychowski, poſt fata vero illius, ab Excellentiſſimis Generalibus Poloniae.

VIII. Ouracenſis, Pereaslauienſis, Czerinenſis, Capitaneatus, iuridicam exercebunt.

IX. Mo-

IX. Moderno Generali Coſacorum Zaporouiano Czehrinenſis Capitaneatus iure aduitalitio conceditur, poſt fata vero illius ad alios ſemper pertinebit Generales Coſacorum Zaporouianos, quorum clauae adiungitur in perpetuum Palatinatus Kiiouienſis. Lubomſcenſem vero Capitaneatum, quem Sacra Reginalis Maieſtas titulo menſae poſſidebat, in vim huius pacificationis iure feudi domui Vichouianae attribuit. 1658

X. Electio generalis Coſacorum penes milites Zaporouianos manebit tali ratione. Quatuor ſemper Candidatos ex medio ſui praeſentabunt Suae Maieſtati, quorum vnus ad beneplacitum Regium a Sua Maieſtate confirmabitur.

XI. Numerus militum exercitus Zaporouiani reducetur ad triginta millia.

XII. Conceditur generalis amneſtia omnibus illis Nobilibus qui hucuſque claſſicum ſecuti fuerunt Chmielnicii et Vichouii.

XIII. Praeſentationes bonorum eccleſiaſticorum ritus Graeci manebunt penes Metropolitam et Abbates, hac tamen conditione, vt ex quatuor candidatis, vnum confirmet Sua Maieſtas.

XIV. Binae Academiae, vna Kiiouiae, altera in magno Ducatu Lituaniae, vbi commodum videbitur, erigi debent. Profeſſores vtriuſque religionis Graecae et Latinae, exploſis haereticis omnium ſectarum.

XV. Scholae Academiis contrariae, vtpote Ieſuitarum, in vniuerſum tollantur.

XVI. Bibliothecae et typographiae vbique locorum permitti debent, in quibus in materia fidei praecauebunt contra perſonas Romani ritus.

XVII. Ex ſingulis legionibus centum nobilitabuntur Coſaci, ſunt autem legiones in vniuerſum 14.

XVIII. Poſt dictum iuramentum in centuriatis regni comitiis liber reditus Nobilium ad bona cuique ſua conceditur.

Actum et concluſum die 18. Septembris anno 1658. in caſtris Coſacorum trans Boryſthenem, ſeſqui milliari Putiwlo a confiniis magni Ducis Moſchouiae.

STANISLAVS CASIMIRVS BIENIEWSKI, Caſtellanus Wolinenſis, Regis ac Reipublicae Polonae legatus eorundem nomine ſubſcribo mp.

LVDOVICVS CASIMIRVS ZEBLAZEWSKI, Caſtellanus Smolenſcenſis magni Ducatus Lituaniae legatus eiuſdem nomine ſubſcribo mp.

DANIEL WYCHOWSKI, Generalis exercitus S. R. Maieſtatis Coſacorum Suo et totius exercitus nomine ſubſcribo mp.

NICOLAVS TRETER.

1658 Thorunium obſidetur ac poſt Polono traditur Regi.

Haec ſumma compoſitionis Coſacos et Polonos, aut potius Wichouium et Polonos inter. Conſtat enim Wichouium ea tunc pacis concluſione, rebus ſuis priuatis per TRETERVM apud Polonum Regem voluiſſe conſulere, ac a diſſidentibus Coſacis ſpecioſis pacis tractatibus; vna cum immenſis coaceruatis ante Chmielnicii theſauris, tranſire enituiſſe, quod poſtea contra accidit, vt in tempore memorabimus.

LIBRI IX. CAPVT IV

SYNOPSIS

Thorunium obſidetur ac poſt Polono traditur Regi. Puncta deditionis Thorunii. Gonſieuius a Moſchis, et Curlandiae dux cum tota ducali proſapia a Suecis capitur. Fit pax inter Danos et Suecos. Articuli pacis inter Sueciae et Daniae Reges.

Redeo nunc ad Thorunenſem obſidionem, quae ad finem huius anni ſtrenue defendente commiſſam fidei ſuae vrbem commendante BILAV, tandem XXIII. Decembris Polono Regi iterum dedita eſt. Puncta compoſitionis haec fuere:

PVNCTA TRANSACTIONIS,

INTER

SACRAM REGIAM MAIESTATEM POLONIAE,

ET

SACRAM REGIAM MAIESTATEM SVECIAE

DEPVTATOS,

RATIONE

DEDITIONIS VRBIS THORVNENSIS.

I.

Puncta Thorunii deditionis.

Sacra Regia Maieſtas Poloniae et tota Reſpublica, vt clementiam ſuam teſtatam faciat, tam in nobiles, quam ruſticos Hollandicos, qui ad ciuitatem Thorunenſem confugerunt, quam ſingulos regni Poloniae, et ducatus Pruſſiae ſubditos, et caeteros omnes peregrinos et incolas, cuiuſcunque conditionis ipſi ſint, et partes Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae durante bello moderno ſecuti, arma pro ipſis ſuſcipiendo, vel in militaribus aut ciuilibus officiis conſtituti fuerint, nullam praetenſionem inſtitui, ſed quidquid ab vno, vel altero factum vel omiſſum eſt, obliuioni traditum et perdonatum eſſe, vt nemini tam in perſonam, quam bona, ſtatum, honorem, dignitatem, vel ſubſtantias ſuas, damnum inde euenire, ſed in eundem ſtatum et conſtitutionem, in quo ante initum bellum, conſtitutus fuit, eundem reſtitui volunt: Cuicunque etiam, tam nobilibus, quam ignobilibus, huius regni Poloniae, et ducatus Pruſſiae incolis, vel exoticis, libera et conceſſa erit facultas in ciuitate permanendi, vel cum milite praeſidiario diſcedendi, aut ſpatio trium menſium bona ſua ei, vel iis, cuicunque ipſis

ipſis libitum fuerit, vendendi, et modo ſupra dicto itinere nauali vel terreſtri, in eum locum, qui ipſis placuerit, abſque omni impedimento diſcedendi. 1658

II.

Quantum attinet ciuitatem Thorunenſem, Sacra Regia Maieſtas Poloniae pro ſe, et ſucceſſoribus ſuis eiuſdem magiſtratum, communitatem, ciues, et cuiuſcunque ſtatus et conditionis incolas, vniuerſos ac ſingulos vtriuſque ſexus, eadem qua olim clementia, et gratia proſequetur, ac tuebitur, omniumque ſimul anteactorum hiſce clementiſſime impertitur, amneſtiam, promittitque inſuper vi ſpecialis eo nomine benigniſſime conceſſi diplomatis, tam ciuitatem, quam etiam omnes et ſingulos praefatae ciuitatis ciues ac incolas circa iura et priuilegia in ſpiritualibus et ciuilibus ſine vlla exceptione in eo, quo ante bellum fuit, ſtatu, per omnia ſaluos, et integros conſeruatum iri.

III.

Quemadmodum Sacra Regia Maieſtas Poloniae iam ante declarauit, nemini occaſione eorum, quae triennio abhinc circa occupationem vrbis Varſauienſis acciderunt in Illuſtriſſimum et Excellentiſſimum Dominum Benedictum Oxenſtierna comitem de Korſzholm et Vaſa, Regni Sueciae Senatorem, iuris quicquam competere, ita eadem nunc quoque repetit, praetenſionemque illam tollit plane, atque abolet. Cumque praedictus Dominus comes hoc tempore, quo praeſidium ex Thorunenſi vrbe deducetur, inde quoque decedet, liberum ipſi erit, cum toto comitatu ſuo et domeſticis, adeoque cum miniſtris regiis Suedicis, omnibus et ſingulis, cuiuſcunque illi ſint nationis et ordinis, quorum circa adminiſtrationem Culmenſis palatinatus, aut praeſidii Thorunenſis conſeruatione vſus fuit, famulis vndecunque oriundis, ſuppellectili, curribus, equis, rebuſque omnino ſuis omnibus per Poloniam, ſiue terra, ſiue aqua, quocunque in ditiones regno Sueciae ſubiectas libuerit, proficiſci. Quod quemadmodum vel de memoratorum miniſtrorum coniugibus quoque et liberis intelligendum eſt, ita pari illi omnes cum praeſidio ſecuritate fruentur, operam quoque et curam interpoſitura eſt Sacra Regia Maieſtas Poloniae, vt per terras et portus Sereniſſimi Electoris Brandeburgici libere tranſire poſſint: iuſſura praeterea, ad aſportandas res ſuas, quas in hac vrbe, vel alibi in hoc palatinatu depoſitas habent, tam de nauigiis ipſis aut curribus, et equis, quam de victu per totam viam ſufficienter, et ſine dilatione proſpiciatur. Qui ſi forte ex rebus ſuis aliquid hic relinquendum putauerint, id ipſis quandocunque et quocunque libuerit, ſiue terra ſiue aqua, ſine vlla praetenſione, damno, mora, aut moleſtia auehere licebit, exhibebunturque in eum finem tot currus et equi, ſiue etiam nauigia, quot vſus et neceſſitas requiſierit.

IV.

Cumque obſidionis diuturnitas prouentuumque decrementum omnium facultates imminuerit, adeo vt ratio aliqua diſſoluendorum publicorum priuatorumque debitorum reperiri, nemo eam ob cauſam circa abitum moleſtabitur, cauebit autem vnuſquiſque creditoribus ſuis de expediendis nominibus conuenientе ſyngrapha.

1658

V.

Moneta Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae nomine et effigie impreſſa, cum paris, cum reliqua, quae in his oris viget, ſit probitatis, in pretio ſuo et vſu relinquetur.

VI.

Neque ciuibus, incolis Thorunenſibus, neque aliis, ſiue nobiles ii ſint, ſiue ignobiles, cuiuſcunque nationis, qui officio aliquo functi, ac ſeruitiis Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae obſtricti, vel partes eius ſecuti fuere, aut ſecuti inſimulantur, negotium aut periculum quiſquam faceſſet, ſed iuribus ſuis et immunitatibus fruentur pari modo, vt ſoliti fuerunt antea, ea etiam quae ipſis hac occaſione ablata ſunt, reſtituentur, hoc tamen Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae reſeruatur, vt omnes, qui res, et pecunias Regias verſauerint, et adminiſtrauerint, ad rationes inde reddendas teneantur. Quocirca ipſis committetur, vt cum praeſidio ſimul Mariaeburgum, vel alio abeant, atque quatuor ſeptimanarum ſpatio ad ſua huc redeant, neque ab hac re quenquam aut ordinis, aut negotiorum, aut praetextus vllus excuſabit.

VII.

Nemo etiam, neque Generalis Maior Bilau, neque vllus alius ſuperioris aut inferioris conditionis, praeſidiique officialis, vel vllus alius equeſtris aut pedeſtris miles ob damnum in aedificia, praedia, perſonas ſpirituales vel ſaeculares illatum, multominus propter debita, vel promiſſa non ſeruata arreſtabitur vel detinebitur. Debita ſi quae notoria, in vrbe a praeſidiariis contracta ſunt, ea ciuibus perſoluentur, quae vero parata pecunia ſolui non poſſunt, pro iis debitores creditoribus ſuis ſyngrapha fidem ſuam obligabunt, ſe intra certum tempus ſoluturos. Nulla quoque in alia bona mobilia, bello et alio quouis modo acquiſita, equos, vel alias res cuiuſcunque denominationis ſint, inquiſitio, reuiſio, vel praetenſio fiet. Res tamen et omnes apparatus eccleſiaſticos, qui in eccleſiis in praeſentiarum reperiuntur, de quibus tamen nulla inquiſitio fiet, bona fide in vrbe relinquentur.

VIII.

Tormenta omnia campeſtria Suedica, tum et duo mortaria, vnum aeneum, alterum ferreum, et alia quatuor 6. librarum tormenta cum globis aliiſque pertinentibus ad deuehendum neceſſariis, vt et puluis tormentarius, plumbum, funes, et alia ad ciuitatem non pertinentia, nonſolum libere ſine impedimento dimittentur, verum etiam a parte Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, equi, curruſque ciuium Thorunenſium quotquot reperiri poterunt, qui bona fide Mariaeburgo mox remittentur, aut etiam liberum erit, ea quae aſportari non poterunt, in vrbe relinquere, quae bona fide extradentur, reſtituenturque, quotieſcunque ea repetierint, ſiue ſimul et vna vice, ſiue per partes ea deportare voluerint, idque libere et abſque refuſione ſumptuum. Simili modo a parte Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae committitur, vt neceſſarios currus et equos praeſidiariorum aegrotis et vulneratis Mariaeburgum concedentur. Si autem aliqui adſint, qui propter vulnus, vel morbum, vel defectum curruum et equorum modo deportari non poſſint, iis libera hoſpitia dabuntur, et neceſſarius victus, ſingulis 2. librae

librae panis, 2. librae carnis et 2. menſurae cereuiſiae diurnae. Reſtitutis autem ad ſanitatem, vel abire cupientibus ſaluus conductus, currus et comitatus ad regimina eorum ipſos deducent, concedentur, ad tempus requiſitionis eorum officialium in eum finem remanentium, quod vltra tres ſeptimanas non prolongabitur, a die egreſſionis praeſidii computando. Interea temporis obſides ab vtrinque detinebuntur donec aegroti Mariaeburgum miſſi fuerint. Et vt aegrotorum cura eo melius habeatur, Capitaneus locumtenens, et inferioris conditionis officiales cum chirurgo relinquentur, quibus libera hoſpitia, et victus porrigetur. Et ii ipſi ſubſequutionem reſtitutorum aegrotorum promouebunt, quorum tamen omnium ſpeciale ante egreſſum praeſidii regiſtrum exhibebitur. 1658

IX.

Omnes captiui, nempe capitaneus pedeſtris Oſſowski, Commiſſarius Lode, locumtenens Lapaſzek, Adolf Boy, a parte Sacrae Regiae Maieſtatis Maior Mayer, locumtenens Pruſz, locumtenens Linde, ſignifer Ioannes Connede, ſignifer Sebaldus Flantſon, quam etiam omnes alii captiui, qui toto obſidionis tempore, vel in caſtra Polonica, vel in vrbem abducti, captiuique ſunt, et in captiuitatem Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, et Sacri Romani Imperatoris, exercitus, tum etiam Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae praeſidiariorum poteſtatem deuenerunt et adhuc ſunt, neque in ſeruitia bellica conceſſerunt, libere dimittentur, et ad quos pertinent reſtituentur.

X.

In maiorem et ſecuriorem obſeruantiam ſupradictorum et infra dicendorum articulorum, haec ad hos tractatus deputatorum manibus ſubſcripta, a Sacra Regia Maieſtate Poloniae, tum et praeſentibus Senatoribus, ſuo et tertii ordinis nomine ſpeciali reſcripto confirmabuntur, et ſupra haec ſpeciali reſcripto quoad exercitum Generalis Polonici, tum ſimili reſcripto exercitus Caeſareani de ſecuritate exeuntis praeſidii cauebitur.

XI.

Praeterea obſides a Sacra Regia Maieſtate Poloniae generoſus Adamus Biskupski, Capitaneus Vielunenſis, et generoſus Nicolaus Comes de Oſtrorog Capitaneus Garuolinenſis dabuntur, qui mox Mariaeburgum mittentur, qui eo momento quo Mariaeburgum peruenerint, id a gubernatore vel commendatore Mariaeburgi commendatori praeſidii Thorunenſis ſignificabitur, atque poſt hanc ſignificationem et curruum equorumque ſubminiſtrationem, porta veteris ciuitatis interna ac externa praeſidio peditum Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae obtinenda tradetur, ſub hac conditione, vt nemini intrandi facultas concedatur, ſine ſchedula a commendatore Generali Maiori de Bilau ſubſcripta, neque exeundi ſine ſchedula Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae officialis ad portam ad praeſens excubans. Poſt biduum autem computatis noctibus, notitia obſides Mariaeburgum deueniſſe data, totum praeſidium vrbe, ſecundum conditiones ſupra et infra ſcriptas excedet, obſides quoque viciſſim a Commendatore praeſidii generoſus Benedictus ab Hatten Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae Colonellus, et G. Leonard Bok Vice-Colonellus, in caſtris regiis ſiſtentur, qui pro reditu obſidum cauebunt et Thorunii detinebuntur, medio itinere poſtea cum regiis Polonicis permutandi.

1658

XII.

Praesidii Commendatori Generali Maiori de Bilau, et caeteris omnibus tam superioris quam inferioris conditionis officialibus, Auditori maiori, ciuitatis, et Artilleriae ministris, caeteris quoque equitibus, dragonis, et pedestribus ad praesidium hoc pertinentibus militibus de supremo ad infimum vsque liber et securus discessus cum vexillis pedestribus et equestribus expansis, tuba tympano, et fistulis sonantibus, superiori et inferiori armatura, ardentibus funibus, globulis in ore, et bombardis paratis in quemcunque modum quam honoratissime armari possunt, tum quoque cum vxoribus, infantibus, famulis, aurigis, pueris, et ancillis, aut in quam denominationem venire possunt, ac pertinentibus curribus, (alias Bagage) tota suppellectili et substantia absque vlla visitatione discedere, concedetur. Caeteris quoque Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae officialibus et ministris Thorunii commorantibus, ad praesidiarios nunc pertinentibus eadem cum tota eorum suppellectili ac substantia, facultas discedendi datur.

XIII.

Praesidiariorum Commendator Generalis Maior Bilau, omnes superioris et inferioris conditionis officiales, auditor et maior ciuitatis Thorunensis, et omnes Artilleriae ministri, similiter et equites, dragoni et omnes pedites de supremo ad infimum vsque ad praesidiarios pertinentes, et eorum vxores, infantes, famuli, serui, aurigae, pueri, ancillae, et quocunque nomine appellari possunt, pertinentibus, curribus, equis, et rebus quibuscunque a Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae militibus Mariaeburgum deducentur. Qui milites ad saluum conductum sufficienter praedictum praesidium comitari, et aduersus quosuis Polonicos exercitus, vt et Caesareanos, Brandeburgicos, Gedanenses, Cosacos, Tartaros, tueri, et ad vltimum defendere tenebuntur, pro cuius salui conductus securo reditu a praesidii commendatore idoneis obsidibus datis cauebitur. Nimia quoque celeritate itineris non cogentur, sed ad maximum duo milliaria singulis diebus absoluent, liberum quoque ipsis erit ad tertium diem vel subueniente tempestate et intemperie, aut iis intercluſis in locis ad pernoctandum accommodatis, pro requie quaerenda commorari, vbi liberali hospitio et victu tam pro hominibus, quam equis necessario, prouisi erunt. Ductum tamen itineris eum sequentur, qui illis a Commissariis Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae monstratus fuerit. Postquam autem praesidium Mariaeburgum peruenerit, et deductum fuerit, liberum eidem erit, quo voluerit in vicina loca fortalitiaque in potestate Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae existentia, intra 14 dies ab aduentu Mariaeburgum eiusdem praesidii abscedere et transgredi, cum omni a Sacra Regia Maiestate Poloniae fruenda et praestanda securitate, cuius gratia etiam obsides regii ad eandem diem detinebuntur.

XIV.

In exercitibus et praesidiis, quae hoc discedens praesidium praeteribit, sub poena graui vetitum erit non discedentium militum conscribere, vel alio quocunque modo abstrahere, siue in seruitio Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, aut Sacrae Caesareae Maiestatis aut Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, ipse antehac fuerit, vel non fuerit, ex seruitiis, quae antehac sustinuit, cuiuscunque nominis, conditionis, aut nationis, discesserit. Si quoque aliquis equitum, dragonorum, vel peditum, officialis, aut officialium seruus, cuiuscunque conditionis, aut nationis, vel religionis ipsi sint, et in ingressu, vel post ingressum praesidii,

sidii, seruitia sua deseruerit, vel aufugerit, isti ad instantiam suorum officialium, in quocunque loco inuenti fuerint, restituentur, et secundum tenorem iuris militaris punientur. 1658

XV.

Si post hos tractatus subscriptos et ratificatos tam in vrbe, quam in itinere petulantia aliqua, domus incendendo vel spoliando exerceatur, aut vllum aliud delictum perpetratum fuerit, tum neque Generalis Maior de Bilau, nec vllus alius officialis, nomine, mandato eorum subiectorum de illato damno respondebit, sed quilibet apprehensus delinquens, ad iudicium, cui subiectus est, extradetur, et secundum tenorem articulorum militaris iustitiae rigorose punietur.

XVI.

Cum hic quoque Thorunii diuersae foeminae commorentur, quarum mariti praesentes non sunt, ipsis tamen, etiamsi earum mariti ad hoc praesidium non pertineant, inprimis coniugi Domini Generalis Maioris Korycki, cum ipsius ministris, famulis, seruis, aurigis, pueris, ancillis, curribus, equis, ac tota substantia sua, discedendi facultas dabitur; si autem vnius vel alterius conditio non ferat modo discedere, illis liberum erit, vsque ad tempus ipsis accomodatum commorari, et cum ipsis abire placuerit, tunc sufficienti comitatu, cum omnibus pertinentibus domesticis, et tota suppellectili comitabuntur, et saluae eo, quo praesidium deductum fuit, deducentur.

XVII.

Si aliquis praesidiariorum discedentium ex rebus suis aliquid Thorunii deponere vel oppignorare necessitate ductus fuerit, ei concedetur, hac data occasione in vsum suum vel vendere, vel repetere, in quem euentum literis salui passus munietur.

XVIII.

Cum etiam principum, comitum, nobilium et ignobilium, tum quoque diuersorum officialium cadauera hic Thorunii relinquenda sunt, ea in locis, vbi iam deposita sunt, intacta et inuiolata permanebunt, vsque dum Sacra Regia Maiestas Sueciae, vel Sereniſſimus Princeps ea aliorsum deportari vel terrae mandare prouidebit.

XIX.

Antequam praesidium excesserit, prius commendator Generalis Maior de Bilau in manus Commissariorum Polonicorum extradi curabit reliqua tormenta remque armamentariam.

XX.

Promittit praesidii commendator se vrbem bona fide tradere velle, neque vllos suppositos cuniculos, aut alium dolum periculumque subesse quod non demonstretur.

XXI.

His transactis, articulis subscriptis, omnis hostilitas cessabit, et sublata erit, et quae in his transacta sunt, ea bona et sincera fide ac verbo regio tenebuntur.

1658 buntur. Et vbi notitia de obsidibus Mariaeburgum receptis ad praesidii commendatorem peruenerit, exinde vrbis veteris ciuitatis externa et interna porta tradetur, milite pedestri Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae sub conditione, articulo XI. dicta, obtinenda. Interea in nullo alio loco quisquam praesumat vallo, muris, munitionibusque vrbis propius appropinquare, vt nec accessus ab extra promouere, vel intra vrbem fortiora propugnacula reddere. Et si supra dicta in art. VIII. tormenta et res armamentariae cum quacunque suppellectile ob defectum equorum per terram deportari non possent, Sacra Regia Maiestas Poloniae itinere nauali ea Mariaeburgum mittere curabit, ad primum ex parte Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae requisitum, idque libere et absque refusione expensarum.

XXII.

In cuius rei fidem haec ab vtraque parte deputatis commissariis transacta et concluſa, propriis manibus subscripta, et sigillis firmata sunt. Dabantur in castris ad Thorunium die 23. mens. Decemb. anno Domini 1658.

IOANNES ANDREAS MORSTEIN, Regni Referend. Colonell. S. R. M. Poloniae.

ERICVS DRACO, S. R. M. Sueciae Colonellus.

VLADISLAVS REY de Naglowice S. Reginal. M. Cancell. Neoforiensis Libuſ. Capitaneus.

BENEDICTVS AB HATTEN, S. R. M. Sueciae Colonellus.

FRIDERICVS TVNNER, Auditor. (L. S.)

BARTHOLOMAEVS RAVTENFELS S. R. M. Secretarius. (L. S.)

His conditionibus Polono Regi dedita est Torunia, nunquam alias dedenda, nisi fortissimos quosque Suecorum morbus absumpsisset, quem a consumptis gingiuis squinantiam medici dixere [104]). Vrbi nihil deerat nisi militum numerus, quo per morbos exhausto, vacua ciuitas defendi non potuit.

Dedita Thorunia, quantum moeroris Carolo in Dania triumphanti attulit, tantum Polono Regi exciuit gaudii. Nisi nimium exultantem Polonum Regem iterum aduersa turbassent. Captus per eos dies a Moschis belli Dux GONSIEVIVS, a Suecis vero Dux Curlandiae cum Ludouica Charlotta Georgii Wilhelmi Electoris Brandeburgici filia, totaque Ducali prosapia, vterque vno mense, et tantum non vno die. Adeo vincula et priuatis et principibus communia sunt. Captiuitatem Ducis breui totius Curlandiae subsequuta est deditio, stupente Rege Polono, cui triumphanti semper moerorem obiiciebat fortuna.

Gonsieuius a Moschis, et Curlandiae dux tota cum ducali prosapia capitur a Suecis.

Dum haec in Prussia, Lituania ac Curlandia eo anno geruntur, interim Dania extremam fere animam agere videbatur, cui iamiam extremum spiritum ducenti illico foederati principes misere auxilia. Et inprimis Augustissimi Caesaris LEOPOLDI primi, haud contemnendus septemdecim millium bellatorum numerus fuit, duce comite MONTECVCVLI, cui adiunxerat sese Marchio Brandeburgicus, vna cum Czarnecio Poloni Regis per ea tempora fortissimo belli imperatore.

Rem

104) *Squinantia* non a consumtis gingiuis dicitur, sed corruptum barbarumque verbum est, ortum a *cynanche*, Graeca voce, strangulationem cohibitumque spiritum significante. Morbus hic, plenus periculi et contagiosus, a medicis *angina* nuncupatur, cuius variae sunt species. Signa eius deglutitio ac respiratio dolens atque impedita, maxime simul faucium inflammatio profundior, non autem gingiuae hoc in morbo consumuntur.

Rem altius repeto de bello Danico, cuius ampliorem historiam Danicis relinquo 1658
scriptoribus. Postquam huius anni initio inaudita celeritate atque audacia Sueciae Rex Zelandiam ingressus fuerat, Rex Daniae propriis diffisus viribus Gallico adnitente mediatore Fit pax Dapacis tractatus a Carolo Sueciae Rege toties oblatos, ad extremum acceptat. Horum autem nos inter et tractatuum haec summa fuit: Suecos.

TRACTATVS ARTICVLI, ET PACIS CONCLVSIO,

INTER POTENTISSIMOS REGES

CORONAE SVECIAE AB VNA,

ET

CORONAE DANIAE AB ALTERA PARTE,

RATIFICATA IN ROTSCHILDT XXVI. FEBR.

ANNO MDCLVIII.

I.

Perpetua semper et inuiolabilis erit, et manebit pax vtrobique, inter regias Maiestates, eorumque Successores, regna, terras, consiliarios, officiales, subditos et incolas, Sueciae, Daniae, et Noruegiae, tali conditione, quod in posterum abusus, inquietudines, discordiae, inimicitiae, et bella omnino tollentur, sicut etiam omnia quae vtrobique tam antehac, quam hoc durante bellorum tumultu contigerunt aût contingere potuerunt, mediante generali, et ad omnes sese extendente amnestia, penitus obliuioni tradentur; et e contra fiducialis amicitia, et amica fiducialitas pax et concordia, sicut et bona ciuilitas erit et manebit, ita quod vnus alterius, commune bonum et vtilitatem tam verbis quam factis, sicut et proprium promouere et manutenere studebit, et quidquid in alterius partis, personae, regiminis, regni, terrae et subditorum damnum vergere posset, hoc ipsum quantum possibile fuerit, amouere et impedire conabitur. Pacis articuli inter Sueciae et Daniae Reges.

II.

Vt autem eo melius haec fieri possint, et mutua fiducia et amicitia inter regias Maiestates, eorum regna Sueciae et Daniae conseruetur, vtrobique confoederationes et allianciae, quae cum aliis Potentatibus, Regibus et Principibus, Statibus et Rebuspublicis, etiam quibuscunque erectae aut concluſae sunt, in alterutrius partis damnum aut detrimentum seu praeiudicium, omnino reiicientur et tollentur, sicuti etiam nullae aliae imposterum allianciae ab vno contra alterum erigentur, nec alterius inimico vllo modo aut quouis praetextu stabitur et succurretur.

III.

In eundem finem inter Nos mutuo concluſum et determinatum fuit, nullas exteras hostiles Naues aut Galeras etiam quascunque per Sund et Belt permittere transire, sed hoc vtrobique pro sua parte quantum possibile fuerit impedire conabuntur.

1658

IV.

Concluſum quoque et determinatum fuit, quod omnes naues, quas Regia Sua Maieſtas Sueciae, eiuſque ſubditi, aut aliqui in Suecia, ſeu ſub iis comprehenſis prouinciis, terris ac ciuitatibus, nulla excepta, aedificant, inhabitant, ſpectant, communiunt, aut demuniunt, paruae aut magnae, quibuſcunque etiam mercimoniis onuſtae, indifferenter, non tantum in Oreſund et Belt exemptae ac liberae erunt ab omni tributo aut telonio, inquiſitione, viſitatione, aliiſque moleſtiis et difficultatibus, quomodocunque tandem appellari poſſint, ſed etiam nullatenus obligatae erunt aliquas certificationes de bonis contentis exhibere aut demonſtrare, dummodo tantum ſecurum et liberum maris conductum, in Regiae Maieſtatis Daniae telonio in Helſingoer et Nyburgh exhibeant; ſed de bonis ad Regiam Maieſtatem, eiuſque ſucceſſores, ſubditos et incolas Sueciae, et ad omnes ſub iiſdem comprehenſas prouincias, terras, et ciuitates, ſpectantibus, ſi in alienis nauibus comprehendantur, ita ſeruabitur quantum ad certificationem ſicut ante hac fuit, ſecundum tenorem pactorum Bremenſium, tali conditione, quod ſi tantum nudam et rectam certificationem exhibuerint, ex tunc abſque vlla difficultate et moleſtia ſeu telonii perſolutione, per Sund et Belt libere tranſire et pertranſire poſſint; verum bona Suedica in externis nauibus contenta, ſi nullam deſuper certificationem exhibere poterunt, Sund et Belt ſubiecta erunt.

V.

Cum etiam Regia Sua Maieſtas Sueciae hoc bellorum tempore armis ſuis varias terras, prouincias et inſulas, et in iis ſitas fortificationes, caſtra et ciuitates, a Regia Maieſtate Daniae, ſibi acquiſiuerit, eaſque iure belli nunc poſſideat; hinc Sua Maieſtas Daniae pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus regibus Daniae ac Noruegiae eorumque regno conſenſerunt et promiſerunt, pro ſatiſfactione vtriuſque et pro reſtitutione occupatarum terrarum, ſicut etiam pro reſtauratione omnium damnorum et ſumptuum, qui hoc bellorum tumultu Regiae Suae Maieſtati, eiuſque regno Sueciae illati ſunt, et praeterea ad vlteriores difficultates praecauendas, Regiae Suae Maieſtati, eiuſque ſucceſſoribus et regno Sueciae cedere prouincias Halland (quae olim pro aſſecuratione Regi Sueciae conceſſae fuere) vt Schonen, Blecking, et Bornholm, cum omnibus ad dictas prouincias ſpectantibus terris, feudis, et appertinentibus ciuitatibus, caſtris et fortalitiis, inſulis, dominiis, comitatibus, iuriſdictionibus, et legibus tam eccleſiaſticis quam politicis, contributionibus, teloniis, prouentibus, et iuribus, terra marique, ſicut olim Reges Daniae et Noruegiae eaſdem poſſedere, vt impoſterum ad Regiam Maieſtatem, eiuſque ſucceſſores Regni Sueciae in perpetua poſſeſſione et dominio permaneant.

VI.

Similiter etiam ceditur Regiae Suae Maieſtati eiuſdemque coronae Sueciae, a Sua Maieſtate et corona Daniae, caſtrum et feudum Bahus cum domo et feudo Trondheim, et comprehenſis ciuitatibus, caſtris et fortalitiis; ſicut etiam iuriſdictionibus tam eccleſiaſticis, quam politicis, bonis, feudis et appertinentiis quae ſub iis de iure ſpectant et olim ſpectarunt, tam in terra quam in mari, coronae Sueciae perpetua poſſeſſione incorporanda; quemadmodum deſuper, ſicut et ſuper alia iis conceſſa bona, terras et prouincias, vt in praecedentibus articulis

culis dictum, a Regia Sua Maieſtate Daniae, eiuſdemque regni conſiliariis, literae dimiſſoriales ſubſcriptae et conſignatae, illud clariſſime demonſtrant. 1658

VII.

Praeterea etiam ceduntur Regiae Suae Maieſtati, Eiuſque regno Sueciae, a Sua Maieſtate Daniae et ſucceſſoribus Eius regnoque omnes iuriſdictiones, tam eccleſiaſticae quam politicae, in quantum Sua Maieſtas Daniae eas habuit ſuper bona, quae in principatu Rugenſi ſita ſunt.

VIII.

Omnes quoque nobiles (qui in dictis illis prouinciis, terris, et feudis, bona habent et habitant) obligati erunt et tenebuntur Regiae Suae Maieſtati, Eiuſque ſucceſſoribus regni Sueciae iuramentum fidelitatis praeſtare, ſeque ad debitam obedientiam et ſeruitia eius obligare, vti olim Regiae Suae Maieſtati Daniae obligati fuerunt. Similiter quoque omnes in praedictis prouinciis habitantes tam religioſi, quam ſaeculares, ciues ac ruſtici, ſolum Regiae Suae Maieſtati eiuſdemque ſucceſſoribus ac regno Sueciae in perpetuum obligati erunt; et omnes praepoſiti et ſacerdotes Epiſcopo, ſicut et Superintendens et conſiſtorium ſubſequentur, quem vel quos Regia Sua Maieſtas Sueciae ad hoc deputabunt.

IX.

E contra vero a Regia Sua Maieſtate et regno Sueciae compromiſſum et addictum fuit, quod omnes ſtatus nobilium et ignobilium, eccleſiaſticorum et ſaecularium, ciuium et ruſticorum, ſuper terras illas feudaque in hoc tractatu ceſſa, in Dania et Noruegia, bona ſua, et proprietates reſeruare debeant, quae ipſis per haereditatem, emptionem, permutationem aut pignus ante haec belli tempora, vel a corona Sueciae, vel a priuatis, debentur; Et poſthaec poteſtatem habebunt, illa poſſidendi, fruendi et conſeruandi, ſicut et alienandi, vendendi, aut permutandi ſicut antea: Similiter etiam apud antiqua priuilegia et iuriſdictiones, abſque vlla moleſtatione, aut turbatione permanendi, in quantum illa non militant contra leges fundamentales eiuſdem coronae Sueciae, quacum in poſterum, terrae iſtae ſeu feuda perpetuis temporibus incorporata manebunt. Vt etiam Regiae Suae Maieſtatis Sueciae innatum fauorem et gratiam conditiones ſuas magis ampliandi, quam diminuendi, aduertere poſſimus, compromiſſum fuit, quod omnes tam nobiles quam ignobiles, qui ſe ſub Regiae Suae Maieſtatis, eiuſdemque regni Sueciae iuriſdictione totaliter dederunt, cum innatis Suecis conſimilem acceſſum ad honores et beneficia habere poterunt.

X.

Similiter etiam dictum fuit, quando fortalitia et terrae a Regiae Maieſtatis commiſſariis tranſportabuntur, quod ex tunc ſimul omnia documenta et inſtructiones, quae ad manus haberi poterunt, quoad terras, in iiſque ſituatorum bonorum conſtitutiones, prouentus aut quaeſtus, vel etiam circumferentias aut vicinitates, vel quod iuſtitiam attinet horum ſcripta, libri et documenta conſimiliter tradentur, ac inpoſterum cum certis deputatis commiſſariis, duobus aut tribus vtrobique aſſignabitur, qui circumiacentia loca, eorumque diuiſiones inter abſceſſores bonorum, et proxime illis adiacentium, conſeruataſque prouincias et feuda, oculatam ſument inſpectionem et diiudicabunt, vt eo melius omnes

1658 controuerſiae, lites et abuſus euertantur, et vnuſquiſque ſuum, quod ipſi adiudicatum eſt, in pace et quiete conſeruare et poſſidere poſſit.

XI.

Omnia quoque loca, quae Regiae Maieſtati Sueciae eiuſdemque regno, hoc bellorum tempore deſumpta ſunt, vbicunque etiam illa ſita fuerunt, plenarie reſtituentur, ſimiliter etiam duae iſtae naues Suedicae, quae in belli huius initio in Sund detentae fuerunt, cum omnibus ſuis bonis, contentamentis et certis appertinentiis, aut conſimilibus mercimoniis reſtitui debent. Et praeterea ab vtraque parte concluſum fuit, quod omnia mercimonia, quae virtute emanatarum commiſſionum facta ſunt, et ante Porſtruppicam pacis concluſionem introduci non poterant, illis reſtituentur, ad quos ſpectauere. Quidquid autem ex aliis bonis et mobiliis poſt illa tempora vnius alteriuſue partis ſubditis, terra marique ablatum fuerit, et a Regia Maieſtate Sueciae aut Daniae ante praememoratam pacis confoederationem alicui donatum fuit, conſimiliter reſtituetur.

XII.

E contra Regia Sua Maieſtas, eiuſque ſucceſſores coronae Sueciae, cedunt Regiae Suae Maieſtati, eiuſdemque ſucceſſoribus coronae Daniae, omnia priuilegia, omneſque iuriſdictiones, quas Regia Sua Maieſtas iure belli in omnibus fortalitiis, caſtris, inſulis, prouinciis, ciuitatibus, et territoriis habere potuerunt, quas Regia Sua Maieſtas hoc bellorum tempore armis ſuis inuaſit, maxime in prouinciis Selandiae, Lalandiae, Falſtriae et Langelandiae cum fortalitio Naſchoer, item Fioniam, Iutlandiam, Sleſuicum, Holſatiam, Stormariam et Dithmarſiam, cum fortalitiis Friderichſoede, Hallſchantz, cum domo et comitatu Pinnenberg, ſicut et inſulas Alſam et Monam, cum domibus principum Sunderburg et Nordburg, et omnibus in hiſce duobus regnis Daniae et Norueglae, ſicut et in praememoratis principatibus, eiſque adiacentibus prouinciis et inſulis, occupatis ciuitatibus, fortalitiis, caſtris, feudis et domibus nobilium, ſicut et territoriis quomodocunque nominari poſſint, et in hiſce concordantiis per expreſſum conceptae non ſunt, haecque omnia poſtquam virtute compoſitionis pacis denuo reſtituta fuerint, apud Regiam Suam Maieſtatem eiuſque ſucceſſores coronae Daniae, cum omnibus ſuis appertinentiis et iuriſdictionibus inpoſterum imperturbata manebunt.

XIII.

Conſimiliter cedunt Regia Sua Maieſtas Sueciae pro ſe et ſucceſſoribus ſuis omnia iura et praetenſiones, quas Sua Regia Maieſtas, ratione Ducatus Bremenſis, habuere aut habere potuere ſuper comitatum Delmenhorſt et ſuper Dittmarſen, et transferunt illa Regiae Suae Maieſtati Daniae, eiuſque ſucceſſoribus et Ducibus e domo Holſatiae regiae et Gottorpicae lineae, hac conditione, quod Regia Sua Maieſtas Sueciae, illiuſque ſucceſſores deſuper nunquam vlteriorem praetenſionem habebunt, et caſu quo Sua Maieſtas Sueciae ratione dicti Ducatus Bremenſis aliquam praetenſionem haberet, ſuper bona quaedam nobilium in Holſatia, eadem hac occaſione promiſit et iure ſuo ceſſit, quod documenta praeſentia hucque ſpectantia, Regiae Suae Maieſtati Daniae, et domo Holſatiae regiae et Gottorpicae lineae tradentur.

XIV.

XIV. 1658

Sicut erga fortalitia vtrobique, tam quae hoc bellorum tempore occupata, quam quae ſecundum pacis concordata traducta ſunt, vacua et abſque vlla munitione, prouiſione aut tormentis relinquentur, conſimiliter etiam concluſum fuit, quod ruſtici in feudis illis, vbi fortalitia illa ſita fuerint, obligati erunt, tormenta illa, munitiones et prouiſiones verſus littus abducere, vbi iſthaec omnia illa melius nauigio abduci poterunt.

XV.

Praeterea etiam concluſum eſt, et determinatum, quod in caſtris ſeu fortalitiis, quae ab vna ad aliam partem tranſacta ſunt, aut euacuata, deputabuntur certa quaedam loca, vbi is, qui fortalitia tradidit aut deſeruit, prouiſionem ſiue ammunitionem ſuam in certa cuſtodia habere poterit, vſque dum illa commode iſtinc auehi poterunt, ſeu abduci.

XVI.

Vt autem euacuatio, et permutatio ſupradictarum prouinciarum, ciuitatum, et fortalitiorum vtrobique eo melius fieri poſſet, ambae partes ita deſuper concluſerunt et conuenerunt, quod, quamprimum 2000. equites (qui Regiae Suae Maieſtati Sueciae hac occaſione a Sua Maieſtate Daniae promiſſi ſunt) traditi fuerint, Sueciae exercitus confeſtim Selandiam petet, et deſuper Helſingoburgum 27. Februarii, Landscrona 28. eiuſdem, Malmogia 1. Martii tradentur; ſimiliter eiuſdem Chriſtianſtadt, Regiae Suae Maieſtatis Sueciae commiſſario, eodemque die Naſchoer, Regiae Maieſtatis Daniae commiſſariis cedentur, quo tempore etiam Sueciae exercitus denuo ex Lalandia, Falſtria, et Langelandia abducetur, etiam 15. Martii Chriſtianopolis et reliqua pars Bleckingiae, cum Bornholmia, (in quantum poſſibile fuerit, et aura permittet) ſicut et Bahus 18. eiuſdem tradetur. Item 1. Maii Trontheimium, Iemptia et Bremeruerda, ſicut et alia loca, quae Regia Daniae Maieſtas hoc bellorum tumultu occupauit, vbicunque tandem ſita fuerint, Regiae Maieſtatis Sueciae commiſſariis denuo reſtituentur; e contra vero totus exercitus Regiae Maieſtatis Sueciae, eodem die diſcedet ex Fionia, Iutlandia, Sleſuico, Holſatia, Stormaria, et Dithmarſia, ſicut et ex circumiacentibus inſulis, fortalitiis, caſtris, et domibus nobilium, quomodocunque etiam appellari poſſint. Item caſtra et fortalitia Friderichsoede, Pinnenberg, Halſchantz, cum adiacentibus omnibus locis, vbicunque tandem ſitis, quae hoc bellorum tempore ad Regiae Maieſtatis Sueciae manus deuenere, eodem die 1 Maii Regiae Maieſtatis Daniae commiſſariis manibus tradentur. Eodem etiam tempore inſula Alſa cum Sunderburgo et Nordburgo, proprio ſuo domino tradentur, et ſi quid vlterius in praedictis regnis, prouinciis, ducatibus, et inſulis inueniri poterit, quod ab vna alteraue parte occupatum fuerit, omnia liquidentur, et omnino reſtituentur.

XVII.

Vt etiam incolis nulla fiat violentia, ſeu inſolentia, quando praedictae permutationes fortalitiorum fient, ſiue quando milites a ciuitatibus et prouinciis, termino praefixo, demigrabunt, vtrobique commiſſarii deputabuntur, qui diligentem inſpectionem habebunt, ne quid violenter ſubditis auferatur, vel modo etiam illicito quidquam ab ipſis petatur. Et ſicut exercitui Suedico, quamdiu hiſce in partibus com-

1658 commorabitur, omnia neceſſaria ſubminiſtrabuntur; ita etiam apud eoſdem bonus ordo, et diſciplina ſeruabitur, tali modo, quod incolis et ſubditis, a die quo pax concluſa fuit, nihil amplius, ſiue tributum, ſiue quaedam alia belli incommoda, cuiuſcunque etiam nominis, extorqueantur: quam quod ad neceſſariam militum ſuſtentationem, ab vtriuſque partium commiſſariis hac in re ordinatam, neceſſarium fuerit, quamdiu in hoc regno permanſerint.

XVIII.

Quod autem ſupra memoratum eſt, de reſtitutionibus terrarum, et earum euacuationibus in praeſcriptis terminis, intelligendum erit ſecundum leges patriae, tali modo, quod illi, qui feuda poſſident, illorum prouentibus vti poterunt, vſque ad futurum feſtum ſanctorum Philippi et Iacobi, ſicut etiam reſidua acceptare ab anno 1657. a feſto S. S. Philippi et Iacobi, vſque ad annum 1658. hoc tamen reſpectu, quod quae illis ſtatim perſolui nequeant, ſufficiens tempus concedetur illa poſthac certis praefixis terminis repetendi.

XIX.

Similiter vtrobique omnes captiui, magni et parui, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis fuerint, confeſtim abſque redemtione dimittentur, quod autem attinet ſuſtentationem ipſorum, illa ſecundum aequitatem perſoluetur.

XX.

Omnes quoque ſubditi et incolae, qui ex praedictis occupatis terris aut prouinciis ad alias ciuitates migrare deſiderant, id libere facere poterunt, dummodo tantum id fiat, ſecundum leges et ſtatuta patriae aut terrarum, a quibus tranſmigrant: quod autem attinet bona, quae in ciuitatibus illis hoc bellorum tumultu in ſaluo poſita ſunt, ad quoſcunque tandem ſpectauerint, ſine vlla contradictione et difficultate eadem repetere poterunt.

XXI.

Praecedentia vero pacta, velut Stetinica, Sieredica et Brembſebroica, quae inter hos duos Reges laudabiliter erecta ſunt, totaliter et plenarie in ſuo vigore et ſuis articulis, ſicut in initio huius belli fuere, permanebunt, ac ſi de verbo ad verbum hiſce nouis inſerta forent, dummodo per hunc tractatum expreſſe mutata non fuerint.

XXII.

Regia quoque Sua Maieſtas Daniae tenebitur Sereniſſimum Principem de Schleſwig, Holſtein, Gottorp etc. ſecundum aequitatem contentare, deſuper autem commiſſarii Regiae Maieſtatis Daniae, et Sereniſſimi Principis tractabunt, ita tamen, quod circa 2. diem Maii concluſio fiat.

XXIII.

Praeterea etiam quaecunque hoc bellorum tumultu fieri potuerunt, aut facta ſunt, quae inter Regiam Maieſtatem et coronam Daniae, ac inter Sereniſſimum

ſimum Principem de Schleſwig Holſtein et Gottorp aliquam diſplicentiam aut 1658
abuſum cauſare poſſent; vel a Regia Maieſtate Daniae, et Sereniſſimo Principe, vel contra ſeipſos, aut eorum miniſtros, officiales, aut ſubditos, forſan aliter quam bene ſumi, aut intelligi poſſet, omnia illa in poſterum ſine vllius damno, et detrimento obliuioni tradentur, et per huius pacis compoſitionem reconciliata manebunt.

XXIV.

Similiter promittitur, quod Domino Corfitz de Vlefelt, intra 3. Aprilis, omnia ſua bona in Dania et Noruegia, tam mobilia quam immobilia, integre reſtituentur, et praeterea pro omnibus ei damnis illatis, ſecundum aequitatem, ſatisfactionem et compenſationem habebit intra futuram S. Ioannis feſtiuitatem; Ipſique etiam comiti et comitiſſae eiuſdemque matri, liberis, amicis, et miniſtris liberum erit in Dania quocunque ipſi, aut ipſis placuerit, libere et ſecure permanere et habitare; feudis quoque, quorum comes de Vlefelt eiuſque filius feudatarii ſunt, velut Hirsholm, Minckelien, et Monaſterium S. Ioannis in Noruegia, ſecundum tenorem literarum feudalium, deſuper emanatarum, frui poterunt, ſimiliter etiam ipſius coniugi debitus titulus plenarie reſtituetur.

XXV.

Quicunque etiam Reges et reſpublicae, potentes et principes, huic paci intereſſe voluerint, et ſubſcribi, hoc ipſum apud vtrumque Regem quaerere poterunt.

XXVI.

Abrogabitur quoque ius feciale cum manifeſto Danico, et non amplius exhibebitur aut diuendetur.

XXVII.

Quod autem haec omnia, in iſtis verbis iſtoque ſenſu et opinione, vt ſuperius ſcriptum vtrobique fiducialiter et confidenter erigi et in poſterum obſeruari queant, concluſum et determinatum fuit, quod hi noſtri amicabiliter erecti tractatus, et pacta, ab vtriuſque regni Regibus, CAROLO GVSTAVO, Rege Sueciae, et FRIDERICO III. Rege Daniae, propriis manibus et ſignaturis confirmabuntur, et pro maiori ſecuritate, ab vtriuſque regni conſiliariis intimis, ſubſcribentur, et officii ſui ſigillo munientur.

XXVIII.

Concluſum quoque et compromiſſum fuit, quod ab vtraque parte conuenient, vnus regni conſiliarius cum ſuo ſecretario in Helſingoer circa 2. Aprilis; et huius ratificationem, ſub vtriuſque manus ſubſcriptione, et ſigilli communitione, modo iam praedicto et concluſo ſecum conferent, ſimiliter etiam eodem tempore Dani literas ceſſoriales ſuper Halland, Blecking, Schonen, Bornholm, Bahus, et Trondheim, eaſque ad inuicem permutabunt, ad maiorem certificationem initae et confirmatae pacis.

Pro maiori item ſecuritate et confirmatione, quod haec omnia a nobis, tali modo, vti ſupra dictum, peracta concordata et concluſa ſunt, et a regia Sua Maieſtate, Sereniſſimo et gratioſiſſimo noſtro Rege ac Domino, fiducialiter ac firmiter ita ſeruari et obſeruari debeant, et illius ratificatio tempore aut die praefixo

1658 fixo infallibiliter exhibebitur, haec propriis manibus subscripsimus, et officii Nostri sigillo communiuimus, et insuper a Regiae Suae Maiestatis Franciae, et Suae Celsitudinis Protectoris Angliae, respectiue ordinariis oratoribus, et extraordinariis legatis, tanquam mediatoribus in hisce tractatibus pacis, rogauimus, vt pro maiori firmitate ac meliori certitudine et testificatione, haec omnia vna Nobiscum subscribere et subsignare non grauarentur, quod factum est in Rotschildt 26. Februarii anno 1658.

Nouum bellum inter Daniae et Sueciae Reges.

Haec summa pacis Dano Suedicae, quae vix medio durauit anno. Vbi enim Daniae Rex Bremeruerdae propugnaculum Sueciae restituit Regi, illico ex amico atrocissimum hostem Carolum breui expertus est: dum haud multo post eundem, 20. nempe Augusti, insperate ad Haffniae (Regia Daniae est) cerneret portum. O quid non mortalia pectora cogis dominandi cupido!

LIBRI IX. CAPVT V

SYNOPSIS

Origo noui dissidii inter Suecos et Danos. Literae Sueciae Regis ad Regem Christianissimum. Literae Sueciae Regis ad confoederatos Belgii. Czarnecius in Daniam submissus. Literae Daniae Regis ad Czarnecium, belli ducem.

Origo noui Danos inter et Suecos dissidii ac praetensa causa Suecorum fuit:

Origo noui dissidii Suecos inter et Danos.

I. Turbata a Danis post confectam pacem, non minus quam antea armis vindicata et asserta, commerciorum et nauigationis omnimoda libertas.

II. Exacta a Suecis vectigalia, causa saepe inter regna Septemtrionalia magnorum motuum, sed qui proximo tractatu finiri omnino videri debuerant.

III. Rescissa a Scandia insula Huena, a Nidrosiensi Satrapia praefectura Romsdalensis.

IV. Negata coniunctio classis, ad arcendam secundum pactorum tenorem violentiam a mari Balthico.

V. Impedita Suecis per tractatum expresse attributa cum prouinciis cessis regalia, et iurisdictiones, qualibus vsa est antehac Dania Noruegiaque.

VI. Naues et bona ante clarigationem belli, siue aperta Danorum vi, siue per suppositam alieni nominis practicam, erepta, et vigore pacis restituenda, partim in immensum protracta, partim adhuc retenta.

VII. Militia tradi mox debita, nimis diu dilata, quanquam satis externi militis frequenter in Dania alebatur.

VIII. Damni, ex subrepta per piraticam Africae societate promanantis, nulla, licet eiusdem restitutio pacta esset, reparatio.

Haec

Haec summa praetensionum noui belli et incendii Daniae, cuius succinctam rela- 1658
tionem per ea tempora Christianissimo Galliae Regi Sueciae submiserat Rex. Cuius haec summa fuit:

Literae Sueciae Regis ad Regem christianissimum.

Nos CAROLVS GVSTAVVS, Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque Rex, etc. Sereniſſimo et Potentissimo Regi Christianissimo etc. salutem et prosperos rerum successus.

Non dubitamus mirari *Maiestatem Vestram*, quid Nos mouerit ad arma in Daniam denuo stringendum, ex quo benignam pacem, interpositione Maiestatis Vestrae non ita pridem adepti, forsan videmur. Proinde non alienum duximus Maiestatem Vestram, paucis saltem adductis, informare, vt de iustitia instituti Nostri certior facta intelligat non nouum Nos suscipere bellum, sed necessitate quadam cogi ad vetus continuandum, cum tot aliis distringamur, vt hocce si licuisset, libenter superfederimus. Bellum enim terminatum dici nequit, nisi adimpletis legibus, quarum praeuia conditione pax reducta intelligi debet. Stipulati sunt ea Dani, mediante tractatu, quae si tanta alacritate executi fuissent, qua sinceritate et facilitate videri voluerunt promisisse, nouo in his oris strepitu haud fuisset opus. Sed experti sumus, omnem praeteriti tractatus apparatum, alium in finem non fuisse institutum, quam vt tunc cursui armorum Nostrorum velut obice posito, iniectisque verbalibus delinimentis tempus aucuparentur ac postea executionis tergiuersatione, remora, cunctatione, et contradictione Nos ea regni Nostri securitate priuarent, ad quam bello et tractatu vnice connitebamur. Factum enim est, vt exercitu Nostro accincto ad discedendum ex Selandia mox traditio munitorum locorum in Dania dubia redderetur, nec secundum instrumentum pacis praesidiis Nostris imponendis patefacta fuissent, nisi in eo tunc statu fuissemus, vt arma Nostra vim operi adiecissent, similiter quoque negari milites, qui in potestatem Nostram redigi deberent, antequam Selandia excederemus. Ex quo vero Selandiam exercitu et copiis vacuam fecimus, sub praetextu foederis Nobiscum ineundi, libertatisque commerciorum, omnem omnino pactorum vim, aut elidere prorsus, aut fodicare tentabant Dani, totumque negotium in eam lubricitatem redigere, vt, in quo securitatis, tantopere a Nobis desideratae, spem amplius collocaremus, nihil fere reliqui esset. Ex hisce talibus contrauentionibus, nata Nobis est necessitas pertractatorum executionem fidelius vrgendi. Atque vt ea Maiestatem Vestram prorsus non fugiant, paucis quaedam oculis eiusdem subiiciemus, quibus intelligi possit, quantum Nobis ab isto tractatu polliceri liceret securitatis. Nam turbata est post confectam pacem, non minus, quam antea armis vindicata et asserta commerciorum et nauigationis omnimoda libertas; Exacta a subditis Nostris vectigalia, causa saepe inter regna Septemtrionalia magnorum motuum, sed qui proximo tractatu finiri omnino videri debuerunt: Rescissa a Scandia insula Huena ab Nidrosiensi satrapia praefectura Romsdalensis: Negata coniunctio classis, ad arcendam secundum pactorum tenorem violentiam a mari Balthico: impedita Nobis per tractatum expresse attributa cum prouinciis cessis regalia et iurisdictiones, qualibus vsa est antehac Dania Noruegiaque. Naues et bona ante clarigationem belli, siue aperta Danorum vi, siue per suppositam alieni nominis practicam, erepta, et vigore pacis restituenda, partim in immensum protracta, partim adhuc retenta, militia tradi mox debita, nimis diu dilata, quanquam satis externi militis frequenter in Dania alebatur: Damni ex subrepta per piraticam Africae societate promanantis nulla, licet eiusdem restitutio pacta esset, reparatio; Quaeque alia plura longum foret literis enumerare, quorum executionis laboribus non modo

1658 Noſtri commiſſarii, ſed etiam Maieſtatis Veſtrae legatus tantum non fatigati ſunt. Singula vero ita ſunt comparata, vt niſi effectui iungantur, nulla Nobis ab hac pace ſecuritas expectanda veniat, ob quam tamen adipiſcendam ſingulari moderatione vſi ſumus, in temperandis conditionibus pacis, cum aliquas accipere nihil opus videretur. Talis quoque eſt conditio regni Noſtri, vt niſi hic tuti fuerimus, haudquaquam integrum Nobis ſit implicari longinquioribus bellis. Cognitum enim eſt non modo ſuperioris temporis exemplis, ſed hoc recenti apprime conſpicuo, nulla re magis ſupplantari ſucceſſus Suecorum, quam diuerſionibus quibuſcunque Daniae, cui facile ac promptum ſemper eſt, vndiquaque propriis et alienis viribus inferiores regni Noſtri receſſus, prouinciaſque eidem annexas penetrandi, id quod non abſque inſigni periculi et impenſarum ſenſu experti ſumus, cum e Polonia in has oras ſuperiori anno nos conuertere coacti ſumus. Sperauimus equidem fore, vt, quamuis Daniam ſatis pigram ad executionis negotium deprehenderemus, ſui tamen ſtatus rationem in conſilio haberet, ac leuata per executionis ſucceſſum militia Noſtra ex ſuis prouinciis, arctioris foederis vinculo Nobiſcum coaleſceret, quod nimium quantum circa tractatus Rotſchildienſes, iteratis multoties conteſtationibus ambiuit, verum comprobauit poſtea verbis exiguam fidem, maluitque nonſolum pacis leges ſuſque deque habere, ſed etiam antiquis inſiſtere conſiliis, quibus Nobis periculum perpetuum crearetur, ac eorum praeferre amicitiam, qui iam diu faces aliorum quieti et concordiae ſubmittere conſueuerunt, ac illam ipſam Daniam tempeſtatibus quodammodo commiſit. Hinc nihil impetratum, niſi tanquam ab inuitis, vt reperta olim occaſione rumpendi, praetextus velut coactis non deeſſet. Vnde maximum Nobis oriturum diſcrimen conſpicabamur, foreque vidimus, vt ſi in eo ſtatu relicto negotio, exercitum moueremus, in eundem rurſus ſcopulum impingeremus, ac par rurſus periculum cum ſuperioribus ſubiremus. Nam ex quo inimici Noſtri coeperunt alibi prominere, tempus quoque agendi videretur Nos eo vocare, irritus fuit omnis, quanquam inſtantiſſimus commiſſariorum Noſtrorum pro abſoluendo et ſubſcribendo tractatu conatus, admonitiones quoque et literae Noſtrae propriae in vanum fuere, iudicantibus ſcilicet Danis neceſſitatem ineuitabilem Nobis vel inuitis iniici tunc excedendi, re plane infecta: idque maxime comprobarunt, cum copias Noſtras, aut plane migrare iuſſimus, aut ipſimet cum exercitus robore verſus fines properauimus. Quanto enim magis abitum parauimus expectantes vltimam operi manum impoſitum iri, tanto minus ad perficiendum negotium inclinabant; imo ſemel tractata ſcripto reddere, partim in hunc diem differebant, partim reuocare tentabant, interea frequenter miſcere conſilia cum inimicorum Noſtrorum miniſtris Hafniae et alibi exiſtentibus, militemque externum non abſque grauibus impenſis alere, eundemque nouis ſupplementis locupletare pergebat: quod certe de nihilo eſſe non potuit. Inſigniter vero apparuit Danorum tergiuerſatio et cunctatio, cum Rex Hungariae ad imperiale faſtigium ſurrexiſſe audiretur. Tunc vero, vt intercalaretur tempus, miſſi ſunt ad Nos internuntii exceſſum armorum Noſtrorum, infecta omnino re, perſuaſuri, vt interea Noſtri legati operi manum adhibituri nihil agerent, ac tempus protraheretur, quo alibi pro Danis non nihil fieret. In tanta ergo rerum lubricitate, animorum mutationibus, tractatus incertitudine, cunctationibus etiam, quae Nobis haud exiguum damnum apud alios Noſtros hoſtes accelerarunt, tergiuerſationibus et occultis cum inimicorum Noſtrorum miniſtris colluſionibus, vtrique non immerito Noſtrae tam ſalutis, quam ſecuritatis proſpiciendae admonebamur, ne procul cum aliis implicati ſolitas Daniae inſidias experiremur. Teſtari ſane poſſumus, paucas ante ſeptimanas, ne quidem in mentem

mentem Nobis veniſſe hanc expeditionem, ac ſi dicendum, quod res eſt, haud 1658
facile aliam, inuito magis animo, iniuimus. Vbi vero nihil certi vel ſtylo conſignaretur, nec ad vllum exitum res peruenire poſſet, quin idem Nos ſemper maneret periculum, quod Nos obruebat in Polonia conſtitutos; Maieſtati Veſtrae iudicandum relinquimus, annon ea ſecuritas armis quaerenda eſſet, quae pacis legibus obtineri haud quaquam potuit. Nobis certe, inuitis huc adductis, perſuademus, Maieſtatem Veſtram, tam hiſce literis, quam ex legato ſuo informatam, inſtituto huic Noſtro, vtpote quod iuſtitiae iuncta neceſſitas Nobis eligendum dictauit, pro mutua, quae Nobis cum Maieſtate Veſtra intercedit neceſſitudine, ſuffragaturam. Digna enim res eſt benigno fauore, quae ſub pactorum religione impie defraudata, conſeruationem et ſecuritatem ſui, non niſi iuſtis armis, ſortitur. Quibus etc. Dedimus in caſtris Ottersloff ad Hafniam die 21. Auguſti 1658.

Maieſtatis Veſtrae

Bonus Frater, Conſanguineus, Amicus et Foederatus

CAROLVS GVSTAVVS

Eduard Ehrenſteyn.

Haec ſumma literarum ad Galliae Regem continens expeditionis in Selandiam relationem. Addidit et alias literas ad ſtatus confoederati Belgii. Quarum haec ſumma:

Literae Sueciae Regis ad confoederatos Belgii.

Nos CAROLVS GVSTAVVS Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex etc. Celſis et praepotentibus Vniti Belgii Ordinibus etc.

Non dubitamus, mirum Vobis videri, quod arma denuo in Daniam ſtringamus, ex qua non ita pridem pacem adepti forſan dixeritis. Sed cum de iuſtitia inſtituti Noſtri certiores facti fueritis, intelligetis, nec ſuperiori bello adhuc finem fuiſſe impoſitum, nec rebus ſic conſtitutis potuiſſe Nos de pace ſecuros eſſe. Bellum enim terminatum dici nequit, niſi adimpletis legibus, quarum praeuia conditione, pax intelligi debet reducta; quibus ſi Dani ea animi alacritate fuiſſent obſecuti, qua promptitudine eas polliceri non detrectarunt, nouo in his oris ſtrepitu haud fuiſſet opus. Sed cum experiremur praeteritum tractatus apparatum alium in finem non fuiſſe expetitum, quam vt tunc curſui armorum Noſtrorum obice velut poſito, iniectiſque verbalibus delinimentis tempus aucuparentur, ac poſtea probata animi Noſtri moderatione in temperandis pacis conditionibus, egreſſoque ex Selandia exercitu Noſtro, executionis perpetua in hunc diem tergiuerſatione, remora, et contradictione Nos regni Noſtri ſecuritate priuarent, reiectos in ſuperiorum temporum diſcrimen, ſi arma ad alios Noſtros hoſtes, re hic infecta, conuertiſſemus; vtique neceſſitas Nobis eſt impoſita, abiis Nobis cauendi, quibus facile ſemper ac promptum eſt, in nuda imperii Noſtri viſcera, eique adnexas prouincias penetrandi. Cuiuſmodi quidem facinori ſaepe obnoxii fuimus, verum tunc conſpicuo plane exemplo, cum e Polonia ſuperiori anno diuertere cogeremur, non abſque inſigni periculi et damni Noſtri ſenſu. Longum foret ea omnia literis recenſere, quae Nobis hanc expeditionem cauſata ſunt, alias animo conſtituentibus caeteris Noſtris hoſtibus in tempore obuiam ire, qui ex tanta Danorum tergiuerſatione occaſionem arripuerunt potiores praerogatiuas prenſare, et irreparabilia Nobis damna inferre.

1658 Exponet Vobis miniſter Noſter apud Vos reſidens, nobilis ſincere Nobis fidelis HARALDVS APPELBOM fuſius, quae in hanc rem ſunt, vt intellecto, quanta et tarditate et aſtutia Dani Nobiſcum in omnibus fere punctis conſeruationem et ſecuritatem regni Noſtri concernentibus egerint, alienum non iudicetis, ſi Nobis conſulere nitamur, ne ad eundem plane ſcopulum, rurſus impingamus. Reputantibus vero Nobis, quae res Danos tantopere moraretur, quominus pacta conuenta iuſte exequerentur, cum viderent Nos et literarum Noſtrarum admonitiones, et legatorum Noſtrorum inſtantias comprobare, partim copiarum Noſtrarum in prouincias Noſtras Germanicas eductione, partim Noſtro proprio verſus fines cum robore exercitus abitu, non alia occurrit cauſa, niſi quod haud quaquam eo animo Danos animaduerterimus, vt promiſſis ſtare cuperent, exiſtimantes, vel inuitis neceſſitatem ineuitabilem Nobis imponi, negotio neutiquam confecto, hinc excedendi, tot ſcilicet aliis hoſtibus Nos prouocantibus. Quanto enim magis abitum parauimus, ſperantes eo rem perductum iri, vt vltima manus executioni imponeretur, tanto minus negotium curae cordiue iis fuit, ad tres ſeptimanas omnem cum legatis Noſtris conferentiam abſcindentes, et quidem, quae ſemel tractata videri debebant ſcripto reddere, in hunc vſque diem, quanquam inſtanter Noſtris et ſaepe flagitantibus, differebant, nonnulla etiam reuocare tentabant, apertam ſibi vbiuis ad controuerſias et actionem tenentes viam, et, cum opportunum videretur, pacem rurſus rumperent. Caeterum militem externum alere, eundemque nouis ſupplementis locupletare pergebant, quod ſicuti Daniae hoc tempore non niſi graue eſſe poteſt, ita de nihilo fuiſſe haud quiſquam facile iudicauerit, qui anteacta cum praeſentibus componere didicit. Et quamuis eo redactam Daniam arbitraremur, vt omiſſis alienis ſui rationem ſtatus in conſilio potiſſimum haberet, compertum tamen eſt, aures inimicorum Noſtrorum miniſtris, tam in Dania, quam extra eandem frequenter aperuiſſe, id quod haud minimam tergiuerſationis rationem Nobis ſubiicit. Non tamen adeo miramur, ſi aperti et iurati Noſtri hoſtes Daniam contra Nos inſtigent, id vero Nos magis afficit, quod vehementer iactet breui a Vobis contra Nos conſpicua auxilia ſubminiſtratum iri; Imo vero affirmet legatum Veſtrum BEVNINGIVM prolixiſſime hoc promiſiſſe, atque id egiſſe, ne tractatus Nos inter et Daniam omnibus numeris abſoluatur. Nouimus equidem aliunde etiam dictum legatum ea negotiatum eſſe, quae amicitiae et foederationi Noſtrae aliorumque Veſtrorum legatorum, apud Nos degentium, conteſtationibus haud quaquam reſpondent, non tamen eo excurrere et praeualere animi eius intemperantiam putauimus, vt ipſi integrum ſit, tempeſtates magis exaſperare, quam ſedare. Cum vero hactenus ea egerit, dixeritque, quae nec foederis Noſtri legibus conſona ſunt, nec conſeruatio Noſtri patitur, dicendumque ſit, eundem haud poſtremam cauſam eſſe turbatae in Septemtrione tranquillitatis, verendum ſane eſt, ne ad Vos iam reuerſus ſiniſtre omnia interpretetur, diſſidiaque potius, vt diu conſueuit excitare, et alere, quam paci et bono inter amicos conſenſui operari conetur. Nos vero cum nihil antiquius aut potius ducamus, quam ſinceram Vobiſcum colere amicitiam, valde abhorremus ab iis, qui diſcordiae faces ſubmittere quaerunt, atque proinde non ea modo contribuimus ſemper animo et factis, quae Vobis et reipublicae Veſtrae grata, foederibus vero mutuis commoda iudicauimus, ſed etiam cum Veſtrorum quorundam miniſtrorum operas eo collimare videremus, quomodo rebus hoſtium Noſtrorum Vos miſcerent, per miniſtrum Noſtrum amice requirendum putauimus, quid Nobis omnino de inſtituto Veſtro perſuadendum eſſet; victuri ne ſitis Nobiſcum ſicuti optamus et ſperamus in conſtanti et infucata amicitia tot annorum foederibus non ſine praeclaro

claro vtriuſque partis fructu communita, an, vti dictus legatus, Beuningius ſpem 1658
hoſtibus Noſtris ſubieciſſe fertur, conſilium et mentem abſque vlla a Nobis data cauſa mutaturi, et hoſtium Noſtrorum partes conſilio et ope Veſtra roboraturi ſitis? Nos certe, vt talis legati Veſtri ſtudii, nec cauſam legitimam nec fructum ſatis commodum inde venturum perſpicimus, ita nec in animum inducere poſſumus, vt Veſtro id iuſſu egerit, eoque magis fixum Nobis eſt perſeuerare in illibata Vobiſcum amicitia, eandemque, ſicuti in omnibus occaſionibus fecimus, comprobare certiſſimis candoris argumentis parati ſumus, ſi non diſpliceat Vobis paria Nobiſcum, vt veros confoederatos decet, facere. Atque cum Nos non fugiat, poſſe ſubditis Veſtris ex hoc cum Dania reſuſcitato bello ſuboriri aliquam ſuſpicionem, quaſi per illud commercia quidquam damni patiantur, ad liberandum eos tali opinione ac pariter conteſtandum certitudinem amicitiae Noſtrae conuenire cenſuimus, vt hiſce Vos aſſecuraremus, nihil nec incommodi, nec impedimenti ad libertatem nauigationis aut commerciorum, inde manaturum; quin potius conſpicietis, atque re ipſa experiemini promptos Nos fore, tam ad ea, quae ad dictae nauigationis commerciorumque ſolitos ſucceſſus prouehendos ſeruient, quam ad amicitiam mutuis beneficiis ſtabiliendam pertinere poſſit. Qua de re plura dedimus in mandatis ſupradicto reſidenti Noſtro dicenda, cuius verbis tanquam Nobiſmet ipſis, vt fidem habere ac talem Nobis reddere declarationem velitis, quae foederum Noſtrorum tenori conformis ſit, et Nos de Veſtrae conſtantia amicitiae certos reddere queat, amice requirimus, commendantes Vos diuinae protectioni cum voto proſperi reipublicae Veſtrae ſucceſſus. Dedimus in caſtris ad Haffniam die 21. Auguſti 1658.

Veſter bonus Amicus et Foederatus

CAROLVS GVSTAVVS.

Eduardus Ehrenſtein.

Ita ex caſtris ad Haffniam ſitis gladio ac calamo cum Danis certabat CAROLVS, contra quem in Selandia exultantem, in Holſatia triumphantem, vbique victorem, Caeſareus, Brandeburgicus, ac Polonus iuſſus eſt mouere exercitus. Nec vano conatu, caeſis aut pulſis ex Holſatia Suedicis praeſidiis. Extant ſingularis beneuolentiae Daniae Regis literae ad CZARNECIVM belli ducem, per ea tempora ſcriptae. Quarum haec ſumma: Czarnecius in Daniam ſubmiſſus.

FRIDERICVS III. Dei Gratia, Daniae, Noruegiae, Vandalorum, Gotthorumque Rex, Dux Schlewici, Holſatiae, Stormariae, et Dithmariae, Comes in Oldenburg et Delmenhorſt etc. Daniae Regis ad Czarnecium, belli Ducem, literae.

Singulari fauore ac beneuolentia Noſtra Regia praemiſſis,

Illuſtriſſime Domine ſincere grateque Nobis dilecte,

Maxima cum exiſtimatione Nobis relatum eſt, quomodo *Illuſtritas Veſtra* diuerſis conflictibus, nouiſſime etiam in occupatione inſulae Alſen, ſitorumque in ea caſtellorum, inter alia hoſtis copias numero militum ſolus quam triplo fortiores praeeunte ſuo agmine profligando, virtutem ſuam vere Heroicam cum laude et admiratione omnium exercuit. Quemadmodum Nobis ſemper de Illuſtritate Veſtra, vtpote duce rebus ſuis geſtis praeclaro, gratulati ſumus, affectumque Sereniſſimi Regis Veſtri fraternum, in auxilium armorum Noſtrorum

1658 Illustritatem Vestram submittendo abunde deprehendimus, ita beneuolentiam Nostram regiam, quam meritis suis etiam apud Nos acquisiuit, contestari hisce voluimus, ex animo optantes, vt felicissimis quibuscunque successibus fama Illustritatis Vestrae, nonsolum patriae, sed et exteris etiam magis magisque cognita vniuerso orbi, praesertim huic Arctoo magis magisque innotescat. De caetero persuadeat sibi Illustritas Vestra, Nos quidquid officiorum Nobis praestitum fuerit, grato animo, omnique fauore Regio cum Deo et tempore agnituros. Dabantur in arce Nostra Regia Haffniae die 24. Decemb. anno 1658.

Illustritatis Vestrae

Beneuolus

FRIDERICVS, Rex.

LIBRI IX. CAPVT VI

SYNOPSIS

Moschorum ad Caesarem legatio. Electio in Regem Romanorum Leopoldi primi, Hungariae ac Bohemiae Regis. Eius Viennam ingressus. Responsum Caesaris electi Moschorum legatis. Olszeuii canonici Cracouiensis ablegati Poloni Viennam aduentus, ac legationis puncta. Eius in Poloniam reditus. Poloniae Regis indignatio in Austriacos. Suecorum in Prussia progressus. Tumultuantur praetorianae cohortes. Confoederatio et tumultus Polonorum militum ob non soluta stipendia. Eiusdem confoederationis finis, mense Martio. Regni comitia, in quibus pacta cum Cosacis adnitente Wychouio approbata sunt. Cracouia excessus Caesarei militis. Moschorum ad Konotop clades. Noui tumultus in Russia contra Polonos. Vichouii fuga. Graudentii expugnatio. Grodnensis ciuitas recuperata. Mors Leszcynii vicecancellarii Poloniae, vna et Koniecpolscii. Marchionis Durlacensis infelix casus. Expugnatio Czehrinii. Mohilouiam Potocius obsidet, quam deinde intactam relinquere debuit. Missio Ponocii mercatoris in Angliam et Hollandiam vano conatu.

Moschorum ad Caesarem legatio.

Dum haec in Dania geruntur Moschorum legati Lentium veniunt, nouum salutaturi Augustum Caesarem LEOPOLDVM primum, cui post parentis optimi mortem vnanimi consensu, octo viri [105]), Francofurti ad Moenum, communi omnium voto, vltro imperii detulere fasces, decimo octauo Iulii die, subsecuta paulo post coronatione, prima Augusti. Igitur Moschorum legati Lentio Viennam a Caesare redire iussi, ibidem ad publicam Caesaris admissi fuere audientiam. Summa huius legationis, gratulatio fuit de imperio occidentali ac continuatio fraternae cum augusta Domo amicitiae. Reuocabant praeterea in memoriam Augusto Caesari interceſſionem oblatam Polonos inter et Moschos, vrgebantque magni Ducis in Regem Poloniae electionem; breuiter enumeratis in transitu beneficiis Regi ac regno Poloniae a magno Duce restatis. Quod victoriam non sit prosequutus, cum potuisset Cracouiam vsque Suecos praeueniendo pertingere. Deinde quod bellum susceperit contra hostem Poloniae, Sueciae Regem, et hoc consilium Suae Maiestatis

Electio in Romanorum Regem, Leopoldi primi, Hungariae et Bohemiae Regis.

Eius Viennam ingressus.

105) *Octouiri*, nempe S. R. imperii principes electores, quo tempore octo tantum erant, principe Electore Hannouerano nondum in collegium electorale recepto.

tis Diui parentis FERDINANDI III, Romanorum imperatoris, in gratiam Poloniae, Regis factum aiebant. Ad extremum paratum esse magnum Moschouiae Ducem restituere Polonis omnia ad Berezynensem tractum, modo Vilnensibus tractatibus satisfacerent Poloni. Ad haec Caesar Augustus: gratias se habere respondit, pro fraterno magni Ducis Moschouiae amore, mutuaque amicitia, quam reciproce magno Duci offerebat. Electionem in regnum Poloniae quod attingeret, optare se magni Ducis bonum vicinum esse, modo id per ipsos Polonos liceret, quos pro posse suo, hoc in puncto literis monere non desisteret Imperator, eoque fine haud mora magno Duci Moschouiae, fratri suo, magni Ducis Lituaniae non denegasse titulum, contradicente licet Polono, vt vel hinc magno Duci euidenter pateat, moram in eligendo illo sibi imputari haud quaquam posse. 1659

Responsum Caesaris electi Moschorum legatis.

Haec summa responsi Caesarei, magni Ducis Moschouiae legatis dati, quo illi accepto, Vienna Cracouiam perrexere, anni subsequentis initio, ibidemque a magistratu illius ciuitatis subsistere iussi, vix Polonorum effugere compedes, erepti tamen, Caesaris iussu, ab illius loci gubernatore IOANNE Barone KEISERSTEIN, Caesaris militum tribuno, ac clam noctu Cracouia educti, ne quid in ius gentium peccasse videretur Caesar, per Silesiam, deinde Hamburgum vsque, comitati sunt, frendente Polono Rege in Caesaris ministros, potissimum Keiserstein, quod Moschos, Poloni Regis iuratos hostes, impune Cracouia abire permisisset.

Olszeuii, Canonici Cracouiensis, ablegati Poloni Viennam aduentus, ac legationis puncta.

Moschorum legatis in aula Augusti Caesaris degentibus, superuenit Viennam ANDREAS OLSZEWSKI, Cracouiensis canonicus, a Rege Polono ad Caesarem ablegatus cum grauissimis postulatis, quorum haec summa fuit:

I. Vt pax cum Suecis quacunque tandem ratione fieret, vel inuito Caesare tanquam foederato.

II. Vt Cracouia praesidium Caesaris abiret, similiter miles auxiliarius excederet Polonia.

III. Compensentur damna per militem Austriacum Poloniae illata. Addidit contra Generalem Sussium quaerelas, ob non oppugnatum strenue Thorunium.

Ita tunc pacem cum Suecis, summo ardore promouebant Poloni, ignari Suecos in Liuonia et Pomerania, adeoque extra Balthicum mare existentes, nunquam quietos fore, atque adeo semper vicinas haud dubio turbaturos prouincias. Responsum a Caesare Olszeuio, puncta a Polono Rege per illum proposita commisisse iam Caesarem Baroni LISOLAE suo in illa aula oratori decidenda. Rediret proinde canonicus salutaretque nomine suo Polonum Regem de occupato Thorunio triumphantem.

Eius in Poloniam reditus.

Ita rebus infectis Viennae, ad Polonam aulam redierat Olszeuius, frendens in Caesarem, aulaeque ministros, paulo post Varsauiam redux ordinibus congregatis de Caesare conqueritur; contemtui se Viennae habitum, nec vllo dignatum certo responso in Poloniam rediisse. Hinc Polonorum in Caesarem acclamationes et multorum minae, quae postea in ventum abiere, audita paulo post Suecorum in Prussiam et Pomerellam Wirtzii noui Generalis irruptione, qui Stetino ex improuiso erumpens, Choinitiam, Staragardam, aliaque Pomeraniae subito impetu occupauerat loca, stupentibus Polonis, talia ac tanta audere Suecos, quos semimortuos expugnato Thorunio imaginabantur.

Poloniae Regis indignatio in Austriacos.

Suecorum in Prussia progressus.

Tumultuantur Praetorianae cohortes.

Confoederatio et tumultus Polonorum ob non soluta stipendia.

Eadem quoque circa tempora, primis videlicet huius anni diebus praetoriani milites (quartianos Poloni denominant) habito Lublini circulo, electoque factionis suae antesignano MARIANO IASKOLSKI dicto, excubiarum contra Tartaros praefecto, tumultuari inceperunt. Origo seditionis turbarumque, dilata in sextum iam annum eorundem stipendia, quae, dum respublica ad feliciora remittit tempora, miles primum insolescere, mox superbire coeperat, ad extremum flagitare a republica ea, quae per modestiam alias non obtinuisset. Igitur Rex post nuntios Polonae seditionis, quanquam nihil adhuc de

1659 Eiusdem confoederationis finis mense Martio.

Potocio, Lubomierscioque certum acceperat, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne externo quidem militi confisus; quod remedium vnicum rebatur, comitia regni transigit, in quibus sexies centena millia aureorum militi soluta, plura promissa, si tranquillum regni statum pacifici expectarent. Tum conuersus Rex Polonus ad pacificandum omnimode Russiae statum, Cosacorum legatos ad iuranda aeterna foedera missos introducere iubet.

Regni comitia in quibus pacta cum Cosacis adnitente Wychouio approbata sunt.

Principes legationis fuere, NIEMIERZYCZ Polonus, DANIEL WYCHOWSKI, et TRETER. Perorabat Niemierzycz altioris ingenii vir veniamque nomine totius Zaporouiani deprecabatur exercitus. Eadem Vichowski cum Tretero gestibus exprimebant. Neque Poloni, de propria anxii salute diu votis Cosacorum restiterunt. Igitur non iam, quasi cum hostibus et subditis, sed cum amicis et sociis humanitate certatum. Pax aeterna iureiurando a Rege ac toto Senatu, tota insuper nobilitate stabilita. Cosaci libera gens declarati. Officia dignitatesque distributae. Additum et singulare diploma huiusmodi tenoris:

Nos IOANNES CASIMIRVS, Poloniae Rex praefato Zaporouiano exercitui, pro Nobis et successoribus Nostris Regibus Poloniae, nomine totius Reipublicae promisimus, et sub Regio Nostro honore, dignitate, ac verbo veritatis addiximus, prout tenore praesentium promittimus, et corporale iuramentum ad Deum et sancta euangelia praestamus, pro firma, fideli, et inuiolabili obseruantia, contra nil faciendi, nec, vt fiat, procurandi, quacunque excogitanda via, neque Nobis vllae exceptiones, dispensationes, absolutiones, canonica et ciuilia iura, quocunque indigitentur nomine, proderunt. Datae Varsauiae 30. Iunii 1659.

Interim dum metropolita Kiiouiensis locum sibi a Senatu designari petit immediate post Leopoliensem Archiepiscopum: contradicente Cracouiensi antistite illius postulatis, ac possessionem negante, eo quod Cracouienses antistites, quondam Archiepiscopi gauisi fuerint praeeminentia ac praerogatiua, (hinc inferebat Episcopus, non posse nec velle metropolitae Rutheno, vllatenus auito cedere loco) soluuntur comitia, duodecima, a quo coeperant, hebdomada, in speciem prospera et pacifica, re autem funesta et tristia, quod infra memorabimus.

Solutis comitiis Rex Varsauia in Prussiam mouet, praemisso comite LVBOMIERSCIO, qui Graudentum interim arcta cingeret obsidione, SAPIEHAM quoque cum KOMORSCIO et POLVBINIO in Liuoniam expediuerat, qui DVGLASSI victricia in Curlandia diuerterent arma, alias per Samogitiam in Prussiam transitura. VICHOVIO Generali Cosacorum, vna cum POTOCIO imperatum est, Moschos toto robore aggrederentur illi, ac iunctis cum Tartarorum aduentantium copiis, illos Russia primum, deinde Lituania tota pellerent. Viennam quoque vniuersae Poloniae missae fuere preces, liberandi Cracouiam Caesaris praesidio, et si fuisset possibile, totum regnum Austriaco milite. Sed longe antea Polonas preces anteuerterat Caesaris mandatum, quo iubebatur praesidiarius miles Cracouia, vna cum Barone Keiserstein excedere; caeteri in Prussia Poloni Regis operirentur mandata Heistero duce. Vichouius quoque vna cum Tartaris ad Konotop obuias insperate sex Moschorum legiones ad internecionem deleuerat; sparsa in immensum apud Polonum Regem prima victoriae suae fama, quasi centum millium cecidisset exercitum.

Excessus militis Caesarei Cracouia.

Moschorum ad Konotop clades.

Occubuere in illo praelii aestu Moschorum praecipui, Dux POZARSKI, Dux LEO RADWANSKI, PROKOPOWICZ, LEPANOW, duo BARTOLINI Germani fratres Principes, HILKA Cosacorum dux et alii. Fertur Tartarorum Rex votum vouisse ante conflictum prophetae suo captiuos omnes trucidandi, quod et praestitit. Omnes enim Moschos Tartari per summam barbariem peremere, sanguine eorum in vascula ad id praeparata demisso, quo deinde illorum sacrificuli primum insignia, deinde equos, tandem vniuersum exercitum mira superstitione aspersere.

Caeterum breui reuocati Tartari a pugna Moschouitica ad bellum Transyluanicum, Moschorum erexerunt in Russia animos, turbarunt Cosacorum, qui per absentiam illo-

illorum liberiores facti, ac a Polonis irritati militibus, paulo post Polonorum atrocissimi extitere per ea tempora hostes. Ita tunc nihil profuit Polonae reipublicae in centuriatis Regni comitiis, ad aequales libertates adsciuisse Cosacos, quibus eodem fere tempore per summum nefas illusere Cosaci, caesis factionis Vichouianae primariis, qui Varsauiae in verba Poloni iurauerant Regis, partiti inter se honores et titulos, occiso insuper Niemierzycz, qui Russiae designatus a Rege redibat cancellarius, pulso Vichouio totius huius scenae architecto, qui non expectato epilogo, ocyus suae saluti consulere debuerat, acuto palo alias a Cosacis affigendus.

1659 Noui tumultus in Russia contra Polonos.

Fuga Vichouii.

Redeo ad Graudencensem Lubomierscii obsidionem, quam ad 20. vsque produxerat Augusti: nec vano conatu, aduentante siquidem paulo post cum Caesariano exercitu Heistero duce, captum per vim Graudentium, temeritatis suae poenas luit. Caesi ibidem Suecorum ducenti. Hoc laeto nuntio accepto Polonus Rex, Varsauia in Prussiam mouerat, euocatus a Galliae ministris ad tractatus pacis cum Sueco habendos. Eadem quoque circa tempore Generalis SAPIEHA Grodnam in finibus Lituaniae ac Podlachiae situatam vrbem a Moschis per tractatus receperat, inde in Curlandiam diuerterat Duglassii Suedico exercitui oppositurus Lituanum, cum Curlandiae nobilitate pro finibus Samogitiae, quo iam sensim progrediebatur, Duglassii exercitus, propediem in Prussiam moturus.

Graudentii expugnatio.

Grodnensis ciuitas recuperata.

Haec inter, rebus humanis Varsauiae eximitur BOGVSLAVS Comes in Leszno LESCZYNSKI, ex Thesaurario paulo ante Vice-Cancellarius regni designatus: Vir magni nominis, et cui parem tunc Polonia non habuit. Mortem eius terrifica signa, toto triduo subsequuta sunt, concurrentes deinde euri, vno fere momento nouorum aedificiorum euerterunt ima, nec Regiae pepercerunt moli, e cuius apice deiectum maiorem horologii globum, terrae alliserunt, allisumque in duas diuiserunt partes. Ignis deinde derepente, e regione regii palatii eodem die vastam egit in cineres domum. Hinc populus vniuoco ore exclamare coeperat: Cecidisse in sapientissimo Lesczynio rempublicam Polonam [106]). Lesczynium aliquot ante mensibus praeiuerat ALEXANDER KONIECPOLSKI, Sacri Romani imperii Princeps, Palatinus Sendomirienſis, cuius vitam et gesta tota haec loquitur nostra passim historia. Nec omittendum puto quod huius anni mense Maio in Germania acciderat memoratu notabile. Marchio Durlacensis natu minor, e bello Polonico domum redux, inter congratulationes amicorum propinquorumque, hilares ducebat dies, solennibus excipiens epulis amicorum praecipuos. Quadam die Assueri meditatus conuiuium parentes inuitat, tum sacros calices ac patinas adferri iubet, praedam Polonam dictitans esse, a Rege Sueciae sibi dono datam. Singulos deinde amicorum hortabatur, biberent hilariter ex scyphis Papistarum, et in patinis comederent; Praedicantibus Lutheranis nequiequam exemplo Balthasari Regis absterrere eum conantibus. Tandem laetitia omnium feruente, ipse pyxidem sacram praegrandem vino impleri iussit, et fratri suo sanitatem Sueciae Regis propinauit. Admoto ori cum vino vase, Marchio animo linqui, et in sellam collabi coepit, accurrentibus nobilibus corruentem sustentantibus.

Mors Leszynii Vice-Cancellarii Poloniae.

Vna et Koniecpolscii.

Marchionis Durlacensis infelix casus.

Interim immane monstrum ingreditur, cuius terrore Parentes Marchionis turbati, vna cum reliquis fuga velocissima dilapsi sunt. Monstrum autem illud Marchioni potatori collum obtorsit, et gulam fregit, per triduum deinde furiose eadem in aula a monstris et spectris debachatum est. Hic finis Marchionis Durlacensis parum expectatus, quem diuinitus punitum quis negauerit [107])?

106) Ideo terrifica, quae toto triduo Lescynii mortem subsequuta sunt signa, Rudauscius hic memorare digna duxit, quia secundum populi iudicium in Lescynio respublica Polona cecidit. *Furiz eurus ab ortu*, sed tunc ad terrifica edenda signa propter Lescynii mortem plures euri concurrerunt, quod longe mirabilior, quam globus terrae allisus inque duas partes, ex quibus compositus erat, diuisus. Tantas nugas garriunt historiarum scriptores sanioris physices expertes.

107) Rudauscium vetularum fabulam hic recensuisse, quis nostris temporibus dubitarit? Turpitudine iure notandus historicus, inprimis pragmaticus, quamuis caeteroquin bonus, qui eiusmodi fabulas ad fouendam superstitionem venditat. Ignorantiam insuper demonstrat, apoplexiam quae multos homines interimit, in miraculum mutare. Ante aliquot saecula clericorum in Germania mos, vel magis malitia, fuit, omnes eos, quos sibi contrarios, et ideo impios

1659 Interim in vltimis finibus Ruſſiae CZEHRINIVM famoſiſſimam quondam Chmielnicii ſedem, poſt trium menſium obſidionem tandem Moſchi iuncti Coſacis expugnarunt; vbi ducenta tormenta, tria millia centenariorum pyrrii pulueris, ac aliquot milliones Polonae monetae in parata pecunia inuenere. Hinc terror totam occupauerat Ruſſiam, vt multi iam Leopoli relicto, conſulere ſibi praepropere cogebantur. Expugnato Czehrinio excitus POTOCIVS Mohilouiam ille quoque obſidet haud procul Czehrinio ſituatam vrbem, quam ad extremum intactam relinquere conatus eſt, amiſſo in illa expugnatione duorum millium Polonorum lecto exercitu.

Expugnatio Czherinii.

Mohilouiam Potocius obſidet, quam deinde intactam relinquere debuit.

Eadem quoque circa tempora redierat in Poloniam HIERONYMVS PINOCIVS mercator Italus ex Anglia, quo Reginae ac Galli Oratoris ſuaſu ante annum miſſus fuerat. Huius legationis ſumma fuit: Regis ac reipublicae Polonae teſtata erga Cromuelium amicitia. Excuſabat praeterea idem orator praeſtita CAROLO II. eius nominis magnae Britanniae Regi a Polono Rege pecuniaria auxilia a Scotis et Anglis contra parentem Cromuelii contracta, promittebatque, non amplius commiſſuram ſimilia Polonam Rempublicam contra praepotentem Cromuelii domum, aut Angliae ſtatum. Ad haec protector egit gratias longinquo Regi, quem timere Anglica arma, Suecis foederata, aduerterat, dilatoque in aliud commodius tempus reſponſo, Pinocium ſubſiſtere Londini iuſſerat.

Miſſio Pinocii in Angliam et Hollandiam vano conatu.

Interim mutatur Angliae ſcena. CROMVELLIVS paulo ante protector, ac ſummus Angliae moderator, momento deiicitur de ſumma rerum, mutaturque Angliae ſtatus ex tyrannico in legitimam monarchiam. Ita Pinocii euanuerat legatio, qui rebus Angliae turbatis, ſine reſponſo ad Poloni Regis redierat aulam; legatum ſe abhinc iactitans magni Regis ad magnam Anglicanam rempublicam, ac Hollandiae Ordines, quos in tranſitu inuiſerat, ſollicitata ab illis aliqua pecuniae ſumma, nomine Poloni Regis pro Putenſi propugnaculo.

putabant, per infernales genios imaginario modo e medio tollere, et Rudauſcii temporibus eiuſmodi nugae facilius Polonis, quam nunc, perſuaderi potuere, qui in veras ſcientias et naturalium rerum curſum iam profundius inſpexere. Plebi nunc tantum eiuſmodi hiſtoriolae in deliciis ſunt, cuius apud omnes gentes, cuiuſcunque ſint religionis, prima ſapientia eſt ſuperſtitio. Verum autem ſcientiarum in Polonia incrementi ſignum eſt, quod nunc quotannis lamiarum, praeſtigiatorum, miraculorumque numerus imminuatur.

LIBRI

LIBRI IX. CAPVT VII

SYNOPSIS

Poloni recuperant caput, munimentum. Regina tractat Oliuae pacem cum Suedicis commiſſariis. Propoſitiones legationis Polonicae ad tractatus pacis. Propoſitiones legationis Caeſareae. Propoſitiones legationis Electoralis. Propoſitiones legatorum Suecorum, cum Caeſareis legatis pertractandae. Propoſitiones legatorum Suedicorum cum Brandeburgicis legatis pertractandae. Declaratio legationis Suedicae legato de L'ombres. Reſponſum Suedicae legationis ad poſtulata Regis Poloni. Reſponſum ad propoſitiones legationis Caeſareae. Reſponſum ad propoſitiones legatorum Brandeburgicorum. Reſponſum legationis Polonae ad propoſitiones legatorum Suecorum. Reſponſum legationis Polonae ad tertium articulum propoſitionum legatorum Sueciae. Reſponſum legationis Caeſareae ad propoſitiones legatorum Suecorum in negotio tractatuum pacis. Reſponſio legationis Electoralis Brandeburgicae ad propoſitiones legationis Suedicae. Moritur Sueciae Rex Carolus Guſtauus Stockolmiae. Pacem faciunt Poloni cum Suedicis legatis. Inſtrumentum pacis Oliuenſis. Literae fidei Regis Poloni pro legatis ad pacem Oliuenſem. Literae fidei ordinum Regni, magnique ducatus Lithuaniae, pro legatis ad pacem Oliuenſem. Aliae literae fidei Regis Poloni pro legatis ad pacem Oliuenſem, mortuo Carolo Guſtauo, Sueciae Rege. Literae fidei Caroli Guſtaui, Sueciae Regis pro legatis ſuis ad pacem Oliuenſem. Aliae literae fidei, mortuo Carolo Guſtauo, pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem.

1660 Poloni recuperant caput, munimentum.

Regina tractat Oliuae pacem cum Suedicis commiſſariis.

Exeunte anno poſt continuatam trium menſium obſidionem, tandem a Suecis recipitur munimentum caput nominatum, quo amiſſo haud multo poſt ſerio cum Polonis pacem tractat Suecia, quod infra memorabimus. In Curlandia quoque a Polubinio ac Komorouio caeditur Duglaſſius, amiſſo fere peditatu, qui quinque millium erat. Ita vltimum felicitatis annum viſa tunc habere Suecia, quae certo periiſſet, niſi tractatus pacis maturaſſet Poloniae Rex, qui aſſiduis Reginae fatigatus precibus, inſtante, vt ſuperius innui, Gallico oratore, ſubſequentis anni initio, dum iam Pomerania per Caeſarem eiuſque felicia arma pelleretur Suecus, pacem compoſuit ſibi ac regno ſuo ſatis pudendam [108]. *Oliuae* illa tractari coeperat huius anni initio, quo totius Europae conuenerant legati ſuis quiſque inſtructus propoſitionibus.

Referam ſingulorum propoſitiones ac reſponſa.

PROPO-

108) *Pudendam* neutiquam Rudauſcius dicere debuiſſet, id quod inutilem et imprudentem eius pro patria aemulationem prodit, neque ad veritatem dictum. Pax enim illo tempore ſummopere Poloniae neceſſaria erat, quae nullo alio modo, niſi ceſſione iuris in Sueciae regnum obtineri potuit. Legati Poloni omnia, quae fieri poterant, prout ex propoſitionibus apparet, tentabant. Cum autem rebus ſic ſtantibus Polonia, ius in Sueciae regnum validum armis reddere, neque ſpem habuerat, melius certe fuit, poſtulato abſtinere, quod reipublicae Polonae nulla bona, multa autem mala in futurum parere potuiſſet. Pax ergo non fuit pudenda, ſed valde ſalutaris.

1660

Propositiones legationis Polonicae ad tractatus pacis.

PROPOSITIONES LEGATIONIS POLONICAE.

QVAE

AD SACRAM REGIAM MAIESTATEM ET SERENISSIMAM DOMVM EIVS SPECTANT.

I. Restitutio Suae Maiestatis in auitum regnum Sueciae, cum restitutione redituum regalium interceptorum.

II. Restitutio bonorum haereditariorum et patrimonialium Domus Sacrae Regiae Maiestatis in Suecia existentium cum refusione prouentuum et fructuum perceptorum Eidem Sacrae Regiae Maiestati.

III. Abrogatio omnium decretorum in derogationem Diui SIGISMVNDI Regis et Lineae eius, latorum in Suecia, vt et eorum, quae in praeiudicium religionis catholicae lata sunt.

IV. Restitutio in vniuersum integrae Liuoniae Esthoniaeque.

V. Euacuatio Mariaeburgi et Elbingae.

VI. Compensatio damnorum, bellis per Suecos et eorum confoederatos, Poloniae et magno Ducatui Lituaniae illatorum.

VII. Restitutio in libertatem Illustrissimi Ducis Curlandiae, vti Sacrae Regiae Maiestatis et reipublicae feudatarii, cum vniuersa eius domo, et compensatio damnorum Ducatui Curlandiae illatorum, ac denique restitutio, vel iusta compensatio omnium rerum mobilium vel scripturarum Duci Curlandiae, eiusque domesticis, et aliis in arce et vrbe Mittauiensi vel alibi ablatarum.

VIII. Restitutio omnium diplomatum, obligationum et actorum publicorum, quae a prouinciis, palatinatibus, et exercitibus, et aliis in Regno Poloniae et magno Ducatu Lituaniae, quocunque titulo Suecis data vel ab eis extorta sunt.

IX. Restitutio omnium archiuorum, actorum publicorum, Castrensium, iuridicorum, ecclesiasticorum, quae ex Regno et Magno Ducatu Lituaniae auecta sunt a Suecis.

X. Restitutio Artilleriae e Regno et Magno Ducatu Lituaniae exportatae.

XI. Commutatio aequa et militaris captiuorum.

XII. Cum

XII. Cum Sereniſſimus Rex Daniae et Noruegiae iiſdem pactis includi debeat, 1660
poſtulamus a Suecis literas paſſus, pro plenipotentiariis Daniae ad modernos tractatus.

XIII. Securitas communis et executio pacis decidatur ac debitis cautelis firmetur.

XIV. Ad Guarantiam pacis concluſae Principes et Reſpublicae ſuo tempore nominandi admittantur.

In quibus omnibus et ſingulis praecedentibus, vbi a parte aduerſa Sacrae Regiae Maieſtati ac reipublicae, vt etiam in ſubſequentibus confoederatis Principibus ſatis factum fiet, Sacra Regia Maieſtas ac Reſpublica, in perpetuam pacem cum parte aduerſa concludendam condeſcendet.

Quod ad Principes Confoederatos Sacrae Regiae Maieſtatis et Reipublicae attinet. Cum circa vincula foederum, Sacra Regia Maieſtas et Reſpublica coaluerint cum Sacra Caeſarea Maieſtate, atque Sereniſſimo Electore Brandeburgico, horum quoque Principum propoſitionibus ſatis fieri a parte aduerſa poſtulamus, quarum ab Excellentiſſimis eorundem legatis propoſitarum ſequens tenor eſt.

PROPOSITIONES EX PARTE LEGATIONIS CAESAREAE.

I. Cum praecipuus rei cardo in eo vertatur, vt pax inconcuſſis firmetur fundamentis, ac nullo deinceps praetextu ac quaeſita occaſione conuelli queat, ideo ante omnia de communi ſecuritate ac conuenientibus cautelis proſpiciatur.

II. Sereniſſimi et Potentiſſimi Regis, Regnique Poloniae, ac Magni Ducatus Lithuaniae, nec non Sereniſſimi Electoris Brandeburgici poſtulatis ſatis fiat.

III. Sereniſſimus Daniae Rex cum plena ſecuritate, et euictionis beneficio hiſce tractatibus comprehendatur.

IV. Sacra Caeſarea Maieſtas vno eodemque pacis Poloniae inſtrumento includatur, tanquam praecipuus foederatus, et auxiliaris belli ſocius, ac paciſcendorum omnium ſecuritate, tam pro ſe, quam pro haeredibus et ſucceſſoribus ſuis, regnis, ſtatibus ac dominiis fruatur, etiam ſub iiſdem cautelis, quas inclytum Poloniae Regnum pro ſe ipſo ſtipulabitur.

Hiſce conſtitutis Auguſtiſſimus Imperator, tam libens ceſſabit ab armis, quam inuitus illa ſuſcepit.

1660

PROPOSITIONES
LEGATIONIS ELECTORALIS.

I. Requirunt vt Sereniſſimus Daniae et Noruegiae Rex ad tractatus ſimul admittatur, Celſiſſimoque in Liuonia Curlandiae Semigalliaeque Duce, vna cum Sereniſſima coniuge, proleque Ducali (dum pactis neutralitatis fretus ſecurus viueret) capto, ante omnia libertas, ditiones, et ablata reſtituantur, contumeliaeque perpeſſae reparatio, ac iniuriarum illatarum, damnorumque datorum compenſatio fiat.

II. Ac inprimis modus, mediaque quibus concluſa pax tuta ſecuraque, quoad omnes foederatorum ditiones reddi queat, diſcutiantur, firmenturque.

III. Praecidendae autem omni litium diſſidiorumque impoſterum ſegeti, pactorum tam Regiomontanorum, quam Mariaeburgenſium, vt etiam Labiauienſium autographa, et quaecunque ab exorto, inter Regiam Maieſtatem Sueciae, et Suam Serenitatem Electoralem acta tranſacta, ſcriptiſque comprehenſa, foedere autem perpetuo, cum Sacra Regia Maieſtate Reque publica Polona Velauiae inito, abolita fuere, (in perpetuum obliteranda) reddantur. Inſuperque omnibus, quae ex praememoratis inſtrumentis quocunque colore formari poſſent praetenſionibus nomine Regis Regnique Sueciae ſolenniter renuncietur, etiam renunciatio communi pacis inſtrumento inſeratur.

IV. Et ſiquidem ex cauſa occaſioneque belli huiuſce Suedici Sua Serenitas Electoralis, ſumma et pene irreparabilia damna paſſa, eiuſdemque ſtatus et ditiones miſere deuaſtatae ſunt, ea vero detrimenta plene penſari nequeant, vt Suae Serenitati Electorali aequa tamen ſatiſfactio eo nomine detur, indemnitatique eiuſdem caueatur.

V. Sereniſſimi et Potentiſſimi Regis Regnique Poloniae ac Magni Ducatus Lithuaniae poſtulatis ſatiſfiat.

VI. Nec non conditionibus nomine Auguſtiſſimi et inuictiſſimi Imperatoris, vt inter eiuſdem foederatos praecipui, propoſitis.

VII. Reliquorum quoque belli ſociorum digna ratio habeatur.

VIII. Modus amicabilis in ipſis pactis definiatur, quo exortura in poſterum quaeuis diſſidia, citra ſtrepitum armorum componi queant.

IX. Executionis pacis et inprimis deducendi citra noxam ſubditorum, militis modus determinetur.

Reſeruant autem praememorati legati Electorales hiſce addendi facultatem, ſi forte pars aduerſa occaſionem huius rei dederit.

Dat. Dantiſci die 17. Ianuar. 1660.

PROPO-

PROPOSITIONES
DD. LEGATORVM AC COMMISSARIORVM PLENIPOTENTIARIORVM SVECICORVM IN NEGOTIO PACIS TRACTATVVM CVM DD. LEGATIS AC COMMISSARIIS PLENIPOTENTIARIIS CAESAREIS PERTRACTANDAE.

1660 Propoſitiones legatorum Suedicorum cum Caeſareis legatis pertractandae.

I. Sacra Caeſarea Maieſtas abſtineat in poſterum ab omni hoſtilitate et ictis foederibus aduerſus Sacram Regiam Maieſtatem Regnumque Sueciae, etiam vtraque perpetuam pacem ac firmam inuicem amicitiam colat.

II. Cum plurimum interſit Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae, aliorumque Regum, Principum, ac Rerumpublicarum, atque inprimis ordinibus imperii, dataeque fidei publicae plane conforme ſit, vt pax Germanica in ſuo vigore permaneat ac conſiſtat, dandum id fuerit non modo aequitati ſed et quieti ac tranquillitati publicae, vt imperator inſtrumentum pacis in omnibus articulis et clauſulis generaliter renouet ac confirmet, et quae de reſtitutione in iis promiſſa atque tranſacta et executione pacis adhuc reſtant, executioni indilate mandet.

III. Et cum nihil hactenus delatum ſit, vel fauori inſtrumenti pacis vel interceſſionibus Regis Sueciae, Electorum et Principum imperii, pro iis, qui in Regnis ac prouinciis haereditariis Auguſtanae confeſſioni ſunt addicti, factis, Chriſtianum eſt, vt eorum in negotio religionis et libertatis conſcientiarum ratio habeatur.

IV. Imperator loca non tantum in Pomerania, ſed etiam in Holſatia et Schleſuicenſi Ducatu occupata, ablata, et praeſidiis Caeſareis infeſſa, propriis dominis ac poſſeſſoribus indemnia reſtituat. Caueatque ne Sacra Regia Maieſtas Sueciae eiuſque prouinciae in imperio, vel extra illud ſitae, vi et hoſtilitate aliqua, ſiue e Germania, ſiue Regnis ac ditionibus Caeſareis in poſterum impetantur.

V. Sacra Caeſarea Maieſtas nihil impedimenti vel moleſtiae Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae adferat, aut adferri patiatur, nec eundem directe vel indirecte, per ſe, vel per alios, turbet in illis, quae regiae iſtius Maieſtati vi inſtrumenti pacis Germaniae competunt ac debentur, et rationi iurique conſentanea ſunt, ſed in iis omnibus eius Maieſtatem inuiolabiliter manuteneat, et conſeruet, conſeruariue faciat.

VI. Sacra Regia Maieſtas Sueciae gaudeat ac fruatur imperii conſtitutionibus, tam in delectu militum, quam innoxio tranſitu per prouincias Germanicas,

1660 et aliis eius generis iuribus et commoditatibus omnibus, quibus caeteri imperii constatus ac membra gaudent ac fruuntur.

VII. Sereniſſimus imperator id ſpeciatim plenae executioni mandet, quod Sereniſſimum Regem Sueciae concernit, et nondum executioni datum, ſed eius Regiae Maieſtati ſuper eo controuerſia, vel difficultas a Caeſarea Maieſtate mota eſt. Nec immiſceat ſe dehinc cauſae, quae Regiae Maieſtati cum prouinciali ſua ciuitate Brema intercedit, nec patrocinium capituli cum ſaeculari iure ceſſi ſuſcipiat, aut obſtinatos in id praetenſores contra Regiae Maieſtatis ſtatum iuuet.

VIII. Imperator in poſterum nullo modo impediat aut turbet Regem Sueciae in iure ſuo vectigalium ad littora portuſque Megapoleos inprimis Varnemundenſem.

IX. Idem ratum habeat receſſum limitaneum, et quae inde dependent, inter Regem Sueciae et Electorem Brandeburgicum, Stetini in Pomerania initum ac concluſum.

X. Et ſi Sacra Regia Maieſtas Sueciae, eiuſque haeredes ac Succeſſores Reges Sueciae tanquam Duces Bremae Verdae ac Pomeraniae, et Domini Viſmariae, feuda ſua Germanica, a Caeſarea Maieſtate et imperio recognoſcant, cum tamen per impedimenta et incommoda ſaepius continget, vt tam cito quam alii vaſalli imperii ad petendam inueſtituram mittere non poſſint, aequum eſt, vt tam anguſto tempori non adſtringantur. Ac proinde liberum ſit modernae Regiae Maieſtati, et futuris Regibus Sueciae, renouationes inueſtiturarum petere, et illis actu connexa praeſtare, quando commodum ipſis acciderit. Interea vero Imperator obſtacula illa, quae hactenus impediuerunt, quominus ad perfectionem negotium iſtud peruenerit, remouere velit.

XI. Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae, vt parti laeſae, de damnis et iniuriis, hoc bello illatis, a Caeſarea Maieſtate debite ſatisfiat.

Denique vt paci concludendae firmius inſiſti poſſit, et bona fide omnia poſtmodum ſeruentur, etſi Guarantiae legibus id quodammodo prouiſum ſit, in maiorem tamen ſecuritatem Caeſareae Maieſtatis ſufficienter caueat Regiae Maieſtati, de non amplius turbando

Saluo

Ad mandatum
Illuſtriſſimorum Excellentiſſimorum DDrum LLrum
ſubſcripſit

Godofrid von Schröer.
Legatorum Secretarius.

PRO-

PROPOSITIONES
DD. LEGATORVM ET COMMISSARIORVM PLENIPOTENTIARIORVM SVEDICORVM IN NEGOTIO TRACTATVS PACIS CVM DD. LEGATIS AC COMMISSARIIS ELECTORALIBVS BRANDEBVRGICIS PERTRACTANDAE.

1660 Propoſitiones legatorum Sueticorum cum Brandeburgicis legatis pertractandae.

I. Vt coaleſcat pax, et vera amicitia reſtabiliatur inter Sacram Regiam Maieſtatem Regnumque Sueciae ac ditiones ſubiectas, et Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam. Vtraque pars abſtineat ab omni hoſtilitate, et haec renuntiet foederibus, cum hoſtibus Regiae iſtius Maieſtatis, in Eiuſque et Regni, nec non ſubiectarum prouinciarum praeiudicium et detrimentum concluſis.

II. Sereniſſimus Dominus Elector nullum tranſitum per Suas ditiones concedet Regiae Maieſtatis hoſtibus, ſed potius inhibeat et auertat a prouinciis et ditionibus Regiae Maieſtatis, in imperio cumprimis ſitis, omnem vim et hoſtilitatem, idque etiamnum curet, vt ſanguinis Chriſtiani profuſio laxior, omnis ſciſſura pacis Germanicae ſiſtatur.

III. Liberum ſit Regiae Maieſtati Sueciae delectus militum in prouinciis Electoris inſtituere, prout conſtitutionibus imperii, et inſtrumento pacis Germanicae, non minus in hiſce, quam aliis rebus ac negotiis per imperium prouiſum eſt. Et nulli ſiue officiali, ſiue gregario militi, noxae aut damno ſit, quod ſub ſignis Suedicis hactenus militauerint.

IV. Sereniſſimus Elector euacuet, et veris propriiſque dominis ac poſſeſſoribus reſtituat loca, cum in Pomerania, tum Holſatia, et Sleſwicenſi Ducatu, ſiue propriis, ſiue coniunctis viribus et armis, occupata, ablata, atque praeſidiis Electoralibus inſeſſa.

V. Sua Serenitas Electoralis Brandeburgica Sacrae Regiae Maieſtati Sueciae, de damnis atque iniuriis illatis, debite ſatisfaciet, ad modum, de quo conueniri poterit.

VI. Eadem ſufficienter caueat Regiae Maieſtati Sueciae de non amplius offendendo.

Caetera, quae vel ad haſce conditiones amplificandas, vel ad pacem promouendam conducunt, poterunt in progreſſu tractatuum ventilari, et de iis tranſigi.

Ad Mandatum etc.

1660 Declaratio legationis Suecicae legato de L'ombres.

DECLARATIO
LEGATIONIS SVECICAE,
FACTA
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO LEGATO DE LOMBRES.

Cum ad ea, quae Sereniſſimus Rex et Reſpublica Polona, coniunctim deinde et DD. Caeſareani et Electorales Brandeburgici legati poſtulant, vel ſpondere conſtituunt, antequam hoc fiat, praefato Domino mediatori, pro amica informatione intimandum eſſe neceſſarium exiſtimant, ſe non poſſe recipere propoſitionem aliquam, in qua continetur quaeſtio de regno; Siquidem non agnoſcant vllum Sereniſſimo Regi Poloniae ius in Sueciam competere, vtpote, quae ad modernum Sereniſſimum Regem Carolum Guſtauum iure pertinet, et iuſte ab huius Sacra Regia Maieſtate poſſidetur. Neque enim, quae armis et ſcriptis per tot retro annos fruſtra diſceptata ſunt, in hiſce tractatibus, finem, Deo volente, cruento bello, in ſolatium orbis Chriſtiani, inprimis vero tranquillitatem inclytorum regnorum Sueciae et Poloniae, adferentibus, ſumma cum animorum exulceratione, ac temporis diſpendio reaſſumi volunt. Quin potius diuinum Numen venerantur, quo procul ſepoſitis omnibus, quae ſalutare hoc negotium remorari poterunt, obſtaculis, ſerio ad firmae ac ſincerae pacis media condeſcendatur, et coepti tractatus ad felicem exitum quamprimum deducantur. Sobothi die $\frac{31\ \text{Ianuar.}}{10\ \text{Februar.}}$ 1660.

Reſponſum Suedicae legationis ad poſtulata Regis Poloni.

RESPONSVM
LEGATIONIS SVECICAE
AD EA
QVAE EX PARTE SERENISSIMI REGIS REGNIQVE POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE
POSTVLANTVR.

I. Cum Eſthonia Liuoniaque et pactis et armis acquiſita iure a Rege regnoque Sueciae poſſideatur, legatio Suedica reſtitutionis poſtulatum aliquod admittere minime poteſt. Cum enim Liuonia ante ſaeculum, cum a Moſchis bello infeſtaretur, nec ab imperio Germanico defendi poſſet, membrum et prouincia imperii eſſet, eius protectio cum iuribus caeteris, regibus regnoque Sueciae ab Auguſtiſſimis Imperatoribus CAROLO quinto, FERDINANDO primo, et MAXIMILIANO II, pactis delata fuit. Partem vero diſcerptae Liuoniae, quam adhuc tenuerunt cruciferorum magiſter et Archiepiſcopus Rigenſis, Polonia Sueciae armis praeripuit, eaque tranſeuntibus in leges ſubiectionis a Polonia flagitata; iis eorumque ſubditis, et a Polonia in feudum Polonicum magiſtro collata Curlandia, factaque tandem cum Moſcho pace Polonia potita, et denique a Suecia armis vindicata et recuperata eſt.

II. Eua-

II. Euacuationis locorum in Pruſſia ea eſt conditio, vt a felici tractatuum progreſſu dependeat. 1660

III. Compenſationem damnorum belli praetendere Polonia nequit. Nam qui cauſam motus et iniurias aliquando vi repellendi dedit, ideoque ex praeuento iuſto bello emergentium auctor eſt, ſibi et aliis damnum fecit. Neque incepiſſe bellum dicendum eſt, qui primus arma ſumpſit, ſed qui ſumendis laceſſito anſam praebuit.

IV. Illuſtriſſimi Ducis Curlandiae, eiuſque domus liberatio, a continentia progredientium tractatuum dependet: vbi Sacrae Regiae Maieſtatis aequanimitas atque moderatio, erga eundem manifeſta reddetur: perpeſſa vero mala atque damna ſibi ipſi imputabit.

V. et VI. Quae circa reſtitutionem actorum publicorum in iſtis duobus articulis deſiderantur, ea vel in Sueciae poteſtate, vel in rerum natura amplius non exiſtunt, ſed partim in belli campo, partim in obſidionibus, partim igni, partim naufragio perierunt.

VII. Quae tormenta bello acquiſita, alioque translata ſunt, eorum reſtitutio amplius non eſt integra, de illis, quae adhuc in Pruſſia reſidua ſunt, in ſuccedentibus tractatibus conueniri poterit.

VIII. Concluſa et executioni data pace, captiuos hinc inde et ab vtraque parte omnes, ſine aliquo praetextu dimitti, et in omnimodam libertatem reſtitui, aequum, et inter omnes moratiores gentes receptum eſt.

IX. Ad hunc articulum de ſaluo conductu pro plenipotentiariis Danicis ad modernos tractatus admittendis in declaratione die $\frac{12}{9}$ Ianuar. data ac Domino mediatori tradita reſponſum eſt, vt hic idem repetere ſuperuacaneum fore iudicetur.

X. Sub finem tractatuum atque ita ſuo loco de mediis conuenietur, quibus ſecuritas in poſterum firmabitur.

XI. Eadem ratio eſt Garantiae pacis concluſae, de qua et tunc conueniri poterit, prout vtrique parti neceſſarium et vtile videbitur.

De caetero cum DD. Polonici legati plenipotentiarii requirant, vt ratio habeatur Poloniae Confoederatorum Principum, vtpote Sereniſſimi Imperatoris, et Electoris Brandeburgici, legatio Suedica ſuper iis ſeorſim ſe declararunt, non dubitantes, quin Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae confoederatorum Sereniſſimi Regis Sueciae, rationem etiam in hiſce tractatibus habitura ſit. Sobothi $\frac{10\ \text{Febr.}}{31\ \text{Ianu.}}$ 1660.

Ad Mandatum
Illuſtriſſimorum et Excellentiſſimorum DD. Legat.
ſubſcripſit
GODOFREDVS VON SCHROER,
Legatorum Sued. Secretarius.

1660 Responsum ad propositiones legationis Caesareae.

RESPONSVM
AD
PROPOSITIONES LEGATIONIS
CAESAREAE.

I. Praeposterum esse videtur, quod Domini D. Caesarei legati, ab ea parte securitatem petant, quam rupta pace nouissima infestis armis, nullaque iusta de causa, Imperator primum aggressus, et a qua nisi lacessita nulla ratione metuendum est.

II. Ad postulata confoederatorum, quae DD. Caesarei vrgent, quod attinet, cum tractatus cum iisdem iam inchoati sint, haec cura videtur superflua.

III. Quae desiderantur pro Rege Daniae, ad ea sufficienti declaratione data die $\frac{12}{3}$ Ianuar. responsum est.

IV. Pacis aequae, simulque cum omnibus concludendae, studium ex parte Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae nunquam deerit. Cum vero subiecta belli pacisque materia, eiusque complanatio non parum inter se discrepent, tantum hic praecauetur, quemadmodum in generali declaratione Suae Regiae Maiestatis, Cronenburgi die 20. Iunii, nuper elapsi anni, publice luci data expresse continetur, nec tractatum praesentem et genuinum cum heterogeneis confundendo, pax impediatur, aut in longiorem moram trahatur. Soboth. die eadem vt supra.

Responsum legationis Suedicae ad propositiones legatorum Brandeburgicorum.

RESPONSVM
LEGATIONIS SVEDICAE
AD PROPOSITIONES
DD. ELECTORALIVM BRANDEBVRGICORVM.

I. Quae pro Sereniſſimo Rege Daniae desiderantur, ad illa eadem quae in declaratione die $\frac{12}{3}$ Ianuar. Domino mediatori extradita sunt, hic respondentur. Quoad liberationem autem Ducis Curlandiae, et quod amplius pro eo desideratur a parte Electorali cum in progressu tractatuum pacis ad illum articulum deuentum fuerit, habebitur aeque huius postulati ratio. Quod vero attinet captum fuisse Ducem, dum pacto neutralitatis fretus securus viueret, nunquam constabit de singulari diplomate, hac de re Sacrae Regiae Maiestatis subscriptione corroborato, ipsi prouisum fuisse. Nam et siquidem cum ministris regiis ad tempus, et ad ratificationem Sacrae Regiae Maiestatis tractatum fuit, tamen aliquod ratihabitionis regiae Diploma obtinere non potuit.

II. Quod

II. Quod de securitatis conclusae pacis cautione monent DD. Electorales, si omnia, vt confidimus, bona fide pertractabuntur, et concludentur, superfluum est hic aliquid metuere. Ex parte vero Sacrae Regiae Maiestatis Sueciae, cui tot accumulantur et obtruduntur, iniuriae et damna, et cuius regno ac prouinciis in posterum pernitiosa foedera et machinationes imminere poterunt, securitas maiori iure postulatur. 1660

III. Quod inter partes proprio motu et consilio semel idque solenniter, conclusum et transactum est, earum rerum, vt acta, retradantur, contra morem exigitur, sed quoad desideratam praetensionum abolitionem D. Elector vt acquiescat iis, aequum est, quae inter Sacram Regiam Maiestatem Sueciae, et Eundem ea de re, ante hac conuenta et composita sunt, siquidem post nouissimam amicitiae rupturam nihil eiusmodi emersit.

IV. Non iustum est satisfactionem et indemnitatem Illum petere, qui non tantum huic bello volens se immiscuit, verum etiam perturbationi pacis Germanicae initium, atque inde ingentium malorum causam dedit, iustius quippe postulatur, vt ab Electore illata damna refundantur, quae vero perpessus est, ipse ferat, qui bellum paci praetulit.

V. et VI. Huic sollicitudini DD. Electoralium, de habenda ratione Regis regnique Poloniae, nec non Imperatoris, in hisce tractatibus satisfactum est, responso DD. Polonicis et Caesareis dato.

VII. Quum nihil hostium et belli sociorum innumeratorum supereſſe videatur, ni huc etiam inuiti trahantur; Sereniſſimus etiam Rex et respublica Poloniae, tanquam pars principalis pacisens, in sua propositione, praeter Imperatorem et Electorem plurium confoederatorum, nullam faciat mentionem, mirum vtique legationi Suedicae videtur, eo iam procedere velle, DD. Brandeburgicos, vt numerum in infinitum belli sociorum, socios adsciscendo extendant.

VIII. Exoptandum esset, verae amicitiae rationem, prius ita anxie et sincere habitam fuisse, a parte aduersa, vt redintegrandae eiusdem, cura nulla nunc esset opus, nec ad arma deuentum fuisset: Cum vero iam animi in pacis studia conuersi esse debeant, legatio Suedica, quantum in se est, nullum intermittit studium mediumque, quod ad reducendam pacem non tantum facere poterit, sed etiam ad stabiliendum amicabilem modum, quo exortura in posterum dissidia componantur.

IX. Vltimum postulatum de innoxia deductione militum post conclusam pacem, cum aequitate nitatur, eius cura merito erit suo loco et tempore habenda. Sobothi, die $\frac{21. \text{ Ianuar.}}{10. \text{ Febr.}}$ 1660.

Ad Mandatum etc.

Idem qui supra.

1660 Responsum legationis Polonae ad propositiones legatorum Suecorum.

RESPONDETVR PROPOSITIONIBVS DD. COMMISSARIORVM SVECIAE AD TRACTATVM PACIS EXHIBITIS, PER DOMINVM LEGATVM MEDIATOREM DIE V. FEBRVAR. A POLONICA LEGATIONE [109]).

Quoad articulum primum.

Recipitur primus hic articulus, seruatis tamen seruandis, mutatisque in eo mutandis, quae omnia tunc erunt ponenda, quando de subsequentibus conuentum conclusumque fuerit inter partes. In quo nihilominus ipso haec obiter adnotantur, ne omissio fiat confoederatorum Poloniae, qui iunctim et indiuisim, vti confoederatae partes Poloniae ad praesentem tractatum accessere, neque per hoc quidquam Nostris foederibus detrahatur.

Quoad secundum.

Amnistia dabitur omnibus et singulis, cuiuscunque status, conditionis, religionisque seu vocationis sint, prout etiam communitatibus, quae partes Suedicas hoc bello secutae sunt, Regia sese clementia remittet. Iura insuper caduca, quaecunque hactenus in executionem non venerunt, cassabuntur; omnesque actiones, et processus, contra tales, eo nomine instituti, sistentur, et abrogabuntur. Iura item priuilegia, libertates immunitatesque omnes, quibus ante hoc bellum potiti sunt, redintegrabuntur, saluo tamen foedere perpetuo, cum Sua Serenitate Electorali Brandeburgica Bidgostiae concluso, et in comitiis generalibus confirmato, saluis itidem decretis, si quae ea de causa in quocunque subsellio, praesertim vero comitiali, in quemcunque lata sunt et promulgata, quae cassari, aut annihilari nullatenus possunt, vtpote quae vim legum obtinent. Constare praeterea optime Sacrae Regiae Maiestati, vti vero legitimoque Domino, in proprios subditos imperii rationem, extranea nulla opus esse protectione. Rogatur proinde Dominus mediator, vt serio partem hortetur, ne talia hisce et similibus proiectis ingerat, quae ad redintegrandam amicitiam, nihil prorsus faciunt, imo maioris diffidentiae praebent argumenta.

Ad paragraphum quintum in hoc articulo respondetur.

Illum de toto tollendum, cum enim religio sit donum Dei, nullis inseri bellis debet. Iam vero, quae per leges regni circa eandem statuta antiqua sunt introductaque, ea conseruare curae eorundem erit, qui illa condidere. Iniqua profecto videntur, quae a parte aduersa petuntur, patetque luculenter, quantum, nouandis in hoc regno rebus, studeat pars eadem, quae talia pactis inseri cupit.

Ad

109) Ex hoc responso legationis Polonae ad propositiones legatorum Suecorum apparet, propositiones dictas legatorum Suecorum hic non esse insertas, vel incuria auctoris, vel quia iis caruit. Cum autem ad pacis Oliuensis negotiationem intelligendam parum faciant, quippe ex responso ad eas, caeterisque cum imperatoris Leopoldi atque Electoris Brandeburgici legatis, pertractandis propositionibus satis apparet, cuius fuerint tenoris, facile etiam iis supersedere possumus.

Ad paragraphum sextum eiusdem articuli.

1660

Qui Rakocianas et Cosacorum partes secuti fuerunt, iis nullam prorsus amnistiam esse necessariam in aperto est. Concluso si quidem et in executionem deductis cum vtrisque horum pactis (quibus omni cum Suecis foederi aperte renunciatum est) satis eidem quilibet pro se, suisque sequacibus cauit.

Quoad tertium articulum respondetur peculiari scripto.

Ad quartum articulum.

Quo firmior pax coalescat, ac inter vtrumque regnum perennet, omnis occasio bellorum, ansaque offensarum tollatur, quod fiet vbi Liuonia et Esthonia Polonico (liquidissimi iuris eius prouinciae) dominio fuerint restitutae.

Ad quintum articulum.

Cum ista conditio nimium Sacrae Regiae Maiestatis Regnique eius honori ac existimationi praeiudicet, omnino iniqua ac irrationabilis sit, vt illatum tam iniustum, tamque funestum Poloniae bellum, et tot tantaque damna per iniuriam accepta, adeo infami compensentur lytro, ad illam respondere fas aliter non est, quam intimo laesi penitus animi sensu expresso. Datur id tamen donaturque gratanter, auctoritati Excellentissimi Domini legati mediatoris, ne quid acerbius ad huiusmodi articulum, prout par foret, respondeatur. Cui Domino mediatori optime constat ex publico responso eidem Posnaniae dato, propositionem de recompensa pecuniaria fuisse de plano reiectam.

Haec dicta promissaque pro non dictis promissisque habebuntur, vbi tractatus optato fine caruerint, Maiestatique integrum ius, et re ipsa etiam circa hoc caput testetur.

Ad quintum.

Cum iniuriam non faciat, qui eam repellit, nec de damno quisquam teneatur, qui illud, vt et aliis daretur, et sibi accideret, effecit, nulla ratione obstrictus est Sereniissimus Elector, Suae Regiae Maiestati Sueciae, imo vero optimo maximo iure, iacturam Suam prouinciarumque Suarum, absque hoc bello a Sereniissimo Rege Sueciae moto, pacatarum florentiumque, damna, vt reparentur, dignis modis postulat.

Ad sextum.

Cautionem eiusmodi equidem a Sereniissimo Rege Sueciae merito exigit Sua Serenitas Electoralis, quam primo omnium ille aggressus est. Gedani die 28 Ianuar. / 7 Febr. 1660.

1660 Responsum legationis Polonae ad tertium articulum propositionum legatorum Sueciae.

RESPONSVM

AD ARTICVLVM TERTIVM PROPOSITIONIS DD. COMMISSARIORVM SVECIAE AD TRACTATVM PACIS EXHIBITAE

PER DOMINVM LEGATVM MEDIATOREM DIE V FEBR. A POLONICA LEGATIONE.

Quantumuis Sacra Regia Maiestas Poloniae solido iuri, causaeque aequitati nixa restitutionem Regni Sueciae, ac pertinentium eo prouinciarum, statuumque requirat, nec ab vllo rerum ac rationum probo aestimatore, ius Suae Maiestatis in dubium vnquam vocari possit, amori tamen populorum, quibus se regia tota domus tuto hactenus concredidit, tribuendum putat, ac in animo definit, vt omni diuino humanoque iuri, quoad debitum sibi auitum, paternumque regnum (quod nullis populi Suedici decretis, vtpote ab illegitima et inferiori potestate latis, adimi vnquam potuit) condescendat, pacemque bello praeferat, et largiorem sistere cupiat humani sanguinis profusionem, concessis vltro sponteque ac beneuole iuribus Maiestatis omnibus, illisque in personam Serenissimi CAROLI GVSTAVI, ac legitimorum eius successorum transfusis et collatis, omni meliori cura et ratione, sibi tamen soli, quoad in viuis agit, plenum integrumque Regis Sueciae reseruat titulum, quod in sigillis qua publicis, qua priuatis praeferat, et inscribat, insignibusque et stemmatibus regni eiusdem vti similiter, in iisdem sigillis, picturis, sculpturis Suae Maiestati liberum erit, prout ipsis hucusque vsa est Sacra Regia Maiestas. Reseruat pariter sibi ius, et plenam potestatem, vita quoque sua durante, liberamque dispositionem bonorum Sacrae Regiae Maiestatis patrimonialium, haereditariorum et feudalium, quae tamen omni iusto, et aequiualenti pretio, parataque pecunia redimere poterit Serenissimus Sueciae Rex, vel ii, quibus bona haec talia quomodocunque cesserunt, et in quorum possessione in praesentiarum existunt, quae renunciatio, seu resignatio Sacrae Regiae Maiestatis sub his conditionibus fiet.

I. Restituatur plena tutaque fidei catholicae Romanae ac religionis libertas, ecclesiae item, templa et monasteria vtriusque sexus, vt et sacella, oratoria, aliaque aedificia sacris vsibus destinata, cum eorum suppellectili sacra et profana, omnibusque bonis, seruitutibus, priuilegiis et praerogatiuis restituantur. Plenum praeterea permittatur, liberumque exercitium vniuersis et singulis tam incolis, quam extraneis, ciuibusque ac peregrinis, et vsus possessionis fidei catholicae cum suo cultu. Cuncta proinde statuta, leges et sanctiones, quomodolibet denominandae, decretaque contra eandem catholicam fidem lata tollantur, aboleanturque et abrogentur, nec vllus vnquam deinceps occasione et causa, saepius dictae fidei catholicae Romanae mulctetur, molestetur, aut turbetur, sed omnibus et singulis, prout praemissum est, plenus ac perpetuus omnium sacrorum, iuxta eandem catholicam Romanam fidem, tum vero rituum, deuotionum, et officiorum vsus, citra dilationem intra spatium a concluſa pace (super quo conuentum erit) concedatur.

II. Abro-

II. Abrogabuntur omnia decreta, quomodolibet lata, et promulgata fuerint, in derogationem iurium diui olim Sigismundi Regis, eiusque lineae. 1660

III. Omnes adhaec exules, qui Sereniſſimum olim diuae memoriae parentem Sacrae Regiae Maiestatis sunt secuti, ob eamque causam bonis ac fortunis exuti suis, sive illae in mobili sive in immobili substantia existant, in eorum pristinam possessionem restituantur.

Haec dicta promissaque pro non dictis promissisque habebuntur, vbi tractatus optato fine caruerint, Maiestatique Regiae integrum ius conseruari, in haec cuncta quibus eam studio pacis, et populorum suorum amore condescendere, complacuit; solenniter protestatur legatio Polonica, seruata sibi potestate, hisce praemissis, ea quae ad eandem rem seruire videbuntur, addendi, corrigendi, in aliam formam redigendi, etc. etc. etc.

RESPONSVM LEGATIONIS CAESAREAE

Responsum legationis Caesareae ad propositiones legatorum Suecorum.

AD PROPOSITIONES DD. LEGATORVM AC COMMISSARIORVM PLENIPOTENTIARIORVM SVECICORVM IN NEGOTIO TRACTATVVM PACIS.

Ad primam.

Redintegrata pace, nulla a Sacra Caesarea Maiestate metuenda erit hostilitas, reciproce autem Sereniſſimus Rex Sueciae, ab omni hostilitate abstinebit, nec Augustissimo Caesari ad quenquam laedendum intercedunt foedera, sed mere defensiua, quae nemini suspecta esse possunt aut noxia, nisi iis, qui animum habebunt offendendi. Ideoque eorum renunciatio nullo iure peti potest. Si vero Sereniſſimus Rex Sueciae aliqua in offensionem Sacrae Caesareae Maiestatis, eiusque Augustissimae domus pepigit, iisdem vt renunciet postulatur.

Ad secundam, 5, 6, 7, 8, 9 et decimam

Respondetur. Haec ad hosce tractatus non spectare, nec cum moderno bello connexionem habere, adeoque alienis dissitisque materiis praesens pacis negotium inuolui non posse nec deberi; vti nec integrum est, ea, quae publicum imperii statum concernunt, salua eiusdem imperii dignitate et iurisdictione huc euocari, et sane mirum accidit, ea ipsa, quae Sereniſſimus Rex Sueciae circa pacis instrumentum monere voluit, et ad ordines imperii dudum detulit, ab eiusdem legatis, hisce tractatibus nunc immisceri.

1660

Ad tertiam.

Prout in inſtrumento pacis Germano-Suedicae facultatem ſibi Suecia reſeruauit, pro maiore religionis libertate et exercitio in regnis, et prouinciis Sacrae Caeſareae Maieſtatis haereditariis amice interueniendi, ita Auguſtiſſimo Imperatori liberum ſemper remanſit illaeſa pace, quod e re ſua videretur ſtatuere, cum autem ex eodem pacis articulo conſtet Sacrae Caeſareae Maieſtati ius reformandi exercitium religionis in ſuis dominiis, non minus quam aliis regibus ac principibus competere, nemini durum videbitur, ſi prout Sacra Caeſarea Maieſtas aliorum principum regimini non ſe ingerit, ita grauiſſimis de cauſis, et ipſiuſmet Sueciae exemplo admonita, eius quoad hoc interuentionibus non poterit aſſentiri.

Ad quartam.

Cum Suecia prima huius belli motrix extiterit, et varia prior occupauerit ac detineat, arma vero Dominorum colligatorum, nonniſi ex iuſtae defenſionis neceſſitate Pomeraniam et Holſatiam intrarint, neceſſarium eſt, vt ex parte Sueciae prius declaretur, an? et quomodo occupata omnia, et detenta reſtituere et dimittere velit? Deinde cum in puncto ſecuritatis ſolide ſtabiliendo praecipua colligatorum ratio vertatur, ac loca, quorum reſtitutio petitur, ſint loco realis ſecuritatis, vt Suecia tam nunc, quam in poſterum arceatur ab inuaſione vicinorum, ante omnia neceſſarium eſt, vt haec materia ſecuritatis decidatur, ac ſtabiliatur, antequam de dimittendis realibus quae poſſidentur ſecuritatis pignoribus agatur.

Ad vndecimam.

Legatio Caeſarea non aſſequitur, quo fundamento Suecia ſatisfactionem damnorum ac iniuriarum hoc bello illatarum praetendere poſſit, a Sacra Caeſarea Maieſtate, quae nec bello cauſam dedit, nec originem, ſed vicino armorum ſtrepitu, proprio ac foederatorum periculo, a profundiſſima, cui tunc indulgebat, quiete, excitata, praeter intentionem hiſce diſſenſionibus inuoluta fuit, et auxiliares tantum partes, ad ſolam pacis redintegrationem ſuſtinuit, haec itaque praetenſio, quae ſeipſa cum neſcit, nonſolum reiicitur, ſed cum eadem aduerſus primos belli motores, partibus laeſis legitime competat, ideo Caeſarea legatio, ius ſibi reſeruat, eam ſuo loco proponendi.

Ad duodecimam.

Cum Sacra Caeſarea Maieſtas neminem turbauerit, nullo iure ad cautionem de non turbando poteſt obligari, ſed eam merito potius praetendere, quia tamen eius intentiones eo praecipue collimant, vt modus inſtituatur ſecurae et perpetuae pacis, quae nec facile nec impune conuelli poſſit: Ideo penes legationem Caeſaream nulla erit difficultas de iis, quae ad ſecuritatem reciproce ſtabiliendam, poſtquam intentio legationis Suedicae ipſis quoad hoc ſpecifice innotuerit, tractandi, et conueniendi.

RESPON-

RESPONSIO
LEGATIONIS ELECTORALIS
BRANDEBVRGICAE
DATA
AD PROPOSITIONES
A
LEGATIONE REGIA SVEDICA
EXTRADITAS.

1660

Ad primam.

Vti Sereniſſimus Elector nonniſi contra hoſtes ſuos foedera iniit, ita ab hiſce tractatibus, neutiquam deſiſtere poteſt, neque praeſcribi ſibi vult, cum quo, vel ferire foedera, vel a quorum amicitia abſtinere debeat. Caeterum, quemadmodum patefacta pace inter Sereniſſimum Regem Sueciae, et Sereniſſimum Electorem bellum et hoſtilitas omnis ceſſat, ita et Regiae Maieſtatis Sueciae foederum et amicitiarum, quibus contra Sereniſſimum Electorem, et Sereniſſimi Electoris foederum, quibus nunc contra Regem Sueciae vtitur, quoad hoſtilitatem, facta et durante pace, cum Sua Serenitate Electorali, eiuſque foederatis, ſuſpendetur effectus.

Ad ſecundam.

Cum ad auertendos et inhibendos tranſitus integri exercitus requirantur, et ad talia nemo obſtrictior ſit, nec Sua Serenitas Electoralis, ea a Sereniſſimo Rege Sueciae requirat, vtique nec a Sua Serenitate Electorali poſtulari poſſunt. Caeterum, quemadmodum a Suecia coeptum et illatum bellum Sacrae Regiae Maieſtati Poloniae etc. etc. etc. vti et Sua Serenitas Electoralis immerito et abſque iuſta cauſa primum inuaſa et ad defenſionem coacta, ita penes Sereniſſimum Regem et Sueciam nunc quoque ſtat, vt ab armis illatis deſiſtant, quae ſua ſunt et poſſident retineant, alienis abſtineant, extortaque reſtituant, et cum miſerias, calamitates, et innocentiſſimum hominum ſanguinem haud poſſint, damna tamen caetera reſarciant, et tandem pacem Chriſtiani cum Chriſtianis ineant, eamque Chriſtiana et ſincera fide colant, ſeruentque.

Ad tertiam.

Vt ius, quod Sereniſſimo Electori in prouinciis ſuis, tam in imperio quam extra illud, circa conſcriptionem militum ſibi competit, vel per pacta, vel alio modo quiſquam alius, quouis modo, vel colore, commune habeat, id neque admittere, neque in eo conſentire Suam Serenitatem poſſe, omnibus patet. Quemadmodum quoque ſaluam et illibatam ſibi contra ſubditos edicta et mandata tranſgredientes animaduertendo ſeruat poteſtatem.

1660

Ad quartam.

Vbi ad hoc caput peruentum, et Sereniſſimus Rex Sueciae paratus fuerit a Sua parte Sereniſſimo Electori reſtituere, quae iuſte deſiderat, ſimulque veris propriiſque dominis ac poſſeſſoribus reddere, et euacuare omnia et ſingula loca, quae tum in Pruſſia regali, tum in Dania, et alibi, praeſidiis ſuis inſeſſa tenet, Ducemque Curlandiae, cum conſorte, liberis, et tota celſiſſima familia, priſtinae libertati, quoad omnia reſtituerit, alte memorata Sua Serenitas, nihil intermittet, quo vniuerſalis pacis promouendae ſingulare ſtudium et ardorem publice conteſtetur.

Moritur Sueciae Rex. Pacem faciunt Poloni cum Suedicis legatis.

Interim dum Oliuae tractatur de pace, moritur CAROLVS GVSTAVVS Sueciae Rex, Stockolmiae: cuius caſus inſperatus perſuaſit Suecis, ſerio tandem de pace cogitare cum Polono, eiuſque foederatis principibus. Nec multo poſt conueniunt in pacis leges legati, publicantque pacis inſtrumentum Oliuae conceptum in haec genuina verba:

INSTRVMENTVM PACIS

PERPETVAE,

INTER

SACRAM REGIAM MAIESTATEM

ET REMPVBLICAM POLONIAE,

EIVSQVE

CONFOEDERATOS

SACRAM CAESAREAM MAIESTATEM,

ET

SERENISSIMVM ELECTOREM BRANDEBVRGICVM,

EX VNA:

ET INTER

SACRAM REGIAM MAIESTATEM,

REGNVMQVE SVECIAE,

EX ALTERA PARTE.

AD GEDANVM,

IN MONASTERIO OLIVENSI,

III MAII ANNO MDCLX

INITAE ET CONCLVSAE.

IN NOMINE SANCTISSIMAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

Notum ſit vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt. Poſtquam a multis annis, bella, diſſidiaque, inter Sereniſſimos Reges regnaque Poloniae et Sueciae orta, et interdum induciis, praecipue vero ſexennalibus, anno 1629. deinde viginti ſexennalibus, anno 1635. ſopita et compoſita fuerint, ac denique inter Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum IOANNEM CASIMIRVM, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. Et Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM GVSTAVVM Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. deuentum ſit ad bellum, quod nonſolum dictos Reges, Regnaque eorum, per plures annos exercuit, ſed et Poloniae foederatos, ac belli ſocios, videlicet Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum LEOPOLDVM electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regem, Archi Ducem Auſtriae etc. etc. etc. Sereniſſimo Regi et regno Poloniae ad eiuſdem requiſitionem, auxilia ferentem, nec non Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium et Principem Electorem, Magdeburgi, in Pruſſia etc. etc. etc. Ducem, inuoluit, vnde multa chriſtiani ſanguinis effuſio, cum plurimarum Prouinciarum deſolatione ſecuta eſt. Tandem diuina bonitate factum, vt vtrinque de pace vniuerſali, inter Regem remque publicam Polonam, et eius confoederatos ac belli Socios ab vna, et Regem, regnumque Sueciae ab altera parte, ſuſcepta ſit cogitatio, opera et ſtudio Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini LVDOVICI XIV. Galliarum et Nauarrae Regis Chriſtianiſſimi, qui huic paci conciliandae mediationem obtulit, et in ipſo negotio pacis, per Illuſtriſſimum et Excellentiſſimum Dominum ANTONIVM de LVMBRES, Dominum de Herbingen, Loos, et la Cloye, Comitem Conſiſtorianum, regiique ordinis equitem, legatum ſuum, eandem mediationem Sereniſſimis Regibus Poloniae et Sueciae, nec non Sereniſſimo Electore Brandeburgico acceptantibus, praeſtitit. In eum ergo finem ex mutua partium conuentione, conſtitutus eſt

dies quintus Ianuarii anni 1660. congreſſui plenipotentiariorum Oliuae inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore ac loco omnium paciſcentium legitime conſtituti legati plenipotentiarii, a parte quidem Sereniſſimi Regis, Reique publicae Poloniae, Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi Domini, ex ordine Senatorio quidem, Dominus IOANNES Comes a LESZNO, Palatinus Poſnanienſis, Reginalis Maieſtatis ſupremus aulae praefectus, ac Mareſchallus, Generalis maioris Poloniae, Mariaeburgenſis, Corſunenſis Gubernator: Dominus GEORGIVS LVBOMIRSKI, Comes in Wiſnicz, et Iaroslaw, ſupremus Regni et Campi-Mareſchallus, Generalis Cracouienſ. Scepuſienſ. Chmielnicenſ. Pereaslauienſis, Caſimirienſis, Olſtinenſis Gubernator: Dominus NICOLAVS in Prazmow PRAZMOWSKI, ſupremus Regni cancellarius, nominatus Epiſcopus Luceorienſis et Breſtenſis, Abbatiae Sieciechouienſis adminiſtrator perpetuus, praepoſitus Sancti Michaelis eccleſiae collegiatae in arce Cracouienſi: Dominus CHRISTOPHORVS PAC, ſupremus magni Ducatus Lithuaniae cancellarius, Vilkouiſcenſis, Oſtrinenſis, Koſienicenſis, Kleſzcelenſis et Nemoneſcenſis Gubernator: Ex ordine vero equeſtri, Dominus IOANNES ANDREAS de Raciborsko MORSTYN, Referendarius regni, Kowalenſis, et Zauichoſtenſis Gubernator: Dominus VLADISLAVS de Naglowice REI, Theſaurarius Curiae Regni, Reginalis Maieſtatis cancellarius, Neokouinenſis, Libuſſienſis, Kamionacenſis Gubernator: Dominus IOANNES in Gnin GNINSKI, Pomeraniae Succamerarius, Gneſnenſis Gubernator. Et a parte foederatorum Poloniae, videlicet Sereniſſimi Imperatoris Romanorum, illuſtriſſimi et excellentiſſimi Domini, Dominus FRANCISCVS CAROLVS LIBSTEINSKI, Sacri Romani Imperii Comes a COLOWRAT, Dominus in Reichenau, Sacrae Caeſareae Regiaeque Hungariae et Bohemiae Maieſtatis Conſiliarius, Camerarius, iudicii maioris prouincialis Aſſeſſor, Regius Locumtenens, et appellationum in arce Pragenſi praeſes: Dominus FRANCISCVS Liber Baro de LISOLA a Thiſe et Marienfeld, Conſiliarius cameralis aulicus: Et Sereniſſimi Electoris Brandeburgici: illuſtriſſimi et excellentiſſimi Domini, Dominus IOANNES HOVERBECKE, in Eichmedien, Baronouen, Geyerſwalde et Domkau Dominus et haeres, Suae Serenitatis Conſiliarius ſtatus intimus, Electoratusque Dapifer haereditarius, Hohenſteinenſis praefectus: Dominus LAVRENTIVS CHRISTOPHORVS A SOMNITZ, in Grumsdorff Drenau et Gerbero, Dominus et haeres, Suae Serenitatis conſiliarius ſtatus intimus, et orientalis Pomeraniae cancellarius, eiuſdemque Ducatus Camerarius haereditarius, Lauenburgenſis et Butouienſis Praefectus: Dominus ALBERTVS ab OSTAW, in Neruiken, et Kegels Dominus et haeres, Suae Serenitatis in ſupremo ducalis Pruſſiae appellationum iudicio Conſiliarius. A parte vero Sereniſſimi Regis Regnique Sueciae, illuſtriſſimi ac excellentiſſimi Domini, Dominus MAGNVS GABRIEL de la GARDIE, Comes in Leckoo et Arensburg, Liber Baro in Eckolmen, Dominus in Habſal, Magnushoff, et Hoyendorp. Regiae Suae Maieſtatis Regnique Sueciae Senator, et Theſaurarius, Generalis Gubernator Liuoniae, et Locumtenens per Eſthoniam, Liuoniam et Ingriam, militiae Generalis, iudex prouincialis Veſtergothiae et Daliae, nec non Academiae Vpſalienſis cancellarius: Dominus BENEDICTVS OXENSTIERNA, Comes in Korsholm et Waſa, Liber Baro in Moreby et Lindholmen, Dominus in Coporium et Roſersberg, Suae Regiae Maieſtatis Regnique Sueciae Senator, et Cancellariae conſiliarius: Dominus CHRISTOPHORVS CAROLVS SCHLIPPENBACH, Comes in Sahouede, liber Baro in Liuſala, Dominus in Salinge, Suae Regiae Maieſtatis Regnique Sueciae Senator et conſilii bellici praeſes: et Dominus ANDREAS GVLDENKLAV, Dominus et haeres in Schonela, Ekeby, Hylinge, et Hulterſtadt, Regiae Suae Maieſta-

Maieſtatis Conſiliarius ſtatus, et per Pomeraniam Regiam, regiminis et conſilii ſtatus vt et ſupremae curiae iuſtitiae praeſes. Poſt inuocatum Diuini Numinis auxilium, mutuaſque plenipotentiarum tabulas (quarum apographa ſub finem huius inſtrumenti de verbo ad verbum inſerta ſunt) rite commutatas, tractatus pacis auſpicato inchoatus eſt. Et licet in eius fere decurſu, praememoratus Sereniſſimus Rex Sueciae, diſponente ita diuina prouidentia, mortali hac vita deceſſerit; tractatus tamen hic, renouatis a Sereniſſimo et Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino CAROLO, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege et Principe haereditario, Magno Principe Finlandiae etc. etc. etc. plenipotentiarum tabulis (quae ad calcem huius tractatus quoque inſeruntur) feliciter continuatus eſt, ac tandem ad diuini Numinis gloriam, et chriſtianae Reipublicae ſalutem, partes omnes, in mutuas pacis et amicitiae leges conſenſerunt et conuenerunt, tenore ſequenti:

I.

Sit pax vniuerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum IOANNEM CASIMIRVM, Regem Poloniae, magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. Eiuſque Regiae Maieſtatis Succeſſores, ac poſteros, Reges Poloniae, magnos Duces Lithuaniae, Regnumque Poloniae, et Magnum Ducatum Lithuaniae, atque ſubiectas illis ditiones ac prouincias, vt et Eiuſdem Maieſtatis et Regni Poloniae Confoederatos, inprimis Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum LEOPOLDVM, electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Regem, Archi Ducem Auſtriae etc. etc. etc. Eiuſque Maieſtatis haeredes ac Succeſſores, prouincias ac ditiones, intra vel extra Imperium Romanum ſitas, et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Principem, Electorem et Archi Camerarium, Magdeburgi, Pruſſiae etc. etc. etc. Ducem, eiuſque Serenitatis haeredes et Succeſſores, prouincias ac ditiones, in vel extra imperium Romanum ſitas, ab vna: atque Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM Suecorum, Gothorum, et Vandalorum Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Eiuſque Maieſtatis Succeſſores ac Poſteros, Reges Suecorum, regnumque Sueciae, atque ſubiectas illis, intra vel extra imperium ditiones ac prouincias, ab altera parte: Ita vt altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiae, clam aut palam, directe vel indirecte inferat, vel per ſuos aut per alios inferri faciat, nec alterius hoſtibus, auxilia quocunque nomine praeſtet, nec cum alterius hoſtibus foedera huic paci contraria ineat, nec quidquam in alterius ſtatus et ſecuritatis diminutionem per ſe, vel per alios, moliatur, aut tentet, vel tentari faciat, ſed vtraque pars alterius vtilitatem, honorem, ac commodum promoueat, et fidam inuicem vicinitatem, pacem et amicitiam ſerio colat et ſeruet. Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis principibus ac ſtatibus vtrinque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas, et articulos, integra et in pleno robore ſuo permaneant: ita tamen vt per ea praeſens transactio pacis nullum praeiudicium patiatur.

II.

1. Sit vtrinque perpetua obliuio et amneſtia eorum omnium, quae quocunque loco, modoque, a quacunque paciſcentium parte hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſa vel praetextu vlla pars alteri poſthac, quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, ſpecie iuris, aut via facti, inferat, aut per ſuos alioſue inferri faciat.

2. Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrinque partes hoſtiles ſecutae ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem deuenerunt. Nec vllis hoc bellum praeiudicio, et noxae ſit, in ſuis iuribus, priuilegiis ac conſuetudinibus, generalibus et ſpecialibus, tam in eccleſiaſticis, quam in ciuilibus, profaniſque, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, ſed iis in totum fruantur, ſecundum leges Regni, nec vllis communitatibus aut priuatis, actio, ratione adhaeſionis hoſti, intentabitur, ita vt nemini liceat alicui negotium faceſſere, ratione illius adhaeſionis hoſtilis, aut eam exprobrare.

3. Ciuitatibus Pruſſiae Regalis, quae in poſſeſſione Suae Regiae Maieſtatis Regnique Sueciae hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia iura, libertates et priuilegia, quibus ſiue in eccleſiaſticis ſiue in profanis potitae ſunt, ante hoc bellum (ſaluo libero, vti ante hoc bellum viguit, in praedictis ciuitatibus catholicae et euangelicae religionis exercitio) earumque territoria, magiſtratus, communitates, ciues, incolas, et ſubditos, Sacra Regia Maieſtas Poloniae, eadem qua olim clementia, et gratia regia in poſterum proſequetur, fouebit et tuebitur. Dabitur iiſdem quoque facultas, aedificia publica et priuata per iniuriam belli deſtructa, reficere et reaedificare: Pro his vero, quae neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur. Quoad ea vero, quae militiae Suecicae tributi loco, ab vtriuſque inſulae ſubditis exſoluere neceſſe fuit, a nemine moleſtia inferetur, ſicut et propter decimas, alioſue cenſus, quibus ſubditi inſulani ſatisfacere tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur.

4. Cunctae actiones et inquiſitiones aduerſus illos, qui partibus hoſtilibus hoc bello adhaeſerunt, vel eaſdem ſecuti eſſe inſimulantur, quibuſcunque in locis Poloniae, magni Ducatus Lithuaniae, Pruſſiae regalis, Curlandiaeque habitent, cuiuſcunque ſtatus, et conditionis, aut religionis ſint, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi, aut ſeruitio Suae Maieſtatis Sueciae, in ſago vel toga adſtricti fuerint, inſtitutae nec dum finitae, et ad executionem deductae, abrogentur, omnique executione careant in perpetuum: et in poſterum contra eos nulla vnquam quaeſtio vel actio ex hac cauſa inſtituetur.

5. Quae durante hoc vltimo bello, iure fiſci, ex occaſione, ac praetextu adhaeſionis aut protectionis alterius partis, cuiquam, ſiue nobili ſiue plebeio, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, ac religionis adempta, vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue regia ac reipublicae, ſiue etiam priuatorum ſunt, mobilia quidem, ſi tradita ſunt, modernis poſſeſſoribus relinquantur. Si vero eiuſmodi iura caduca hactenus ad executionem deducta non ſunt; antiquis poſſeſſoribus relinquantur, neque vlla actio dehinc aduerſus communitates, aut priuatos, ratione eiuſmodi bonorum intentetur. Bona vero immobilia, haereditaria, aduitalitia, et iure hypothecae poſſeſſa, fiſco applicata, tum quorum donationes et

et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſunt, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de caetero omnibus actionibus, ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue ex priuatis bonis perceptorum.

III.

Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniae, pro ſe, ac Haeredibus Poſteriſque Suis, amore pacis, vigore huius inſtrumenti pacis, ſolenniter ex nunc et in poſterum renuntiat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae, et Magnum Principatum Finlandiae, et alias ipſis ſubiectas prouincias, regiones, ditiones, ciuitates, caſtra et munimenta, ſiue haec omnia nuper, ſiue ab antiquo acquiſita ſint, nec non in bona auita in Regno Sueciae, dictiſque prouinciis ſita; in Regnum Sueciae, dictaſque prouincias et bona, praeſentibus vel futuris temporibus, nihil quicquam praetenſurus. Quoad titulos et inſignia ita conuentum eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniae, prout hactenus, ita in poſterum ad dies vitae ſuae, vtetur integris titulis, et ſigillis, inſignibuſque Regni Sueciae in Polonia, et ad omnes principes, ſtatus et priuatos extra Sueciam, ſine vllo tamen plenariae ſupra dictae renunciationis praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtetur ad Sereniſſimos Reges regnumque Sueciae, in literis, aliiſue diplomatibus aut ſcriptis, ſed obſeruabitur ab vtrinque receptus hactenus modus abbreuiandorum titulorum cum Etcaeterationibus, ita vt poſt verba magnus Dux Lithuaniae, tres Etcaeterationes in titulo Sereniſſimi moderni Regis Poloniae, et viciſſim poſt verba, Magnus Princeps Finlandiae, tres Etcaeterationes in titulo Sereniſſimi Regis Sueciae adiiciantur. Inſignibus tamen Regni Sueciae in ſigillis Regis et reipublicae Polonae, dum in Sueciam ſcribetur, penitus omiſſis. Poſt obitum vero moderni Sereniſſimi Regis Poloniae, Succeſſores eius et Reſpublica Polona in titulos et inſignia Sueciae nihil vnquam praetendent, ſed vtrinque Reges et regna, ſuis quiſque titulis et inſignibus tantum plenarie gaudebunt et vtentur.

IV.

1. Sereniſſimus Rex et Status Ordineſque regni Poloniae, magnique ducatus Lithuaniae, a modo et in perpetuum cedunt vi huius pacificationis Sereniſſimo Regi Sueciae, eiuſque ſucceſſoribus Regibus regnoque Sueciae, omnem illam Liuoniam trans Dunauam, quam Suecia hactenus per tempus induciarum tenuit et poſſedit, vt et partes cis Dunauam omnes, et inſulam Runen in mari ſitam, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit et poſſedit; nec non quidquid iuris Regibus et reipublicae Poloniae in Eſthoniam et Oſeliam hactenus vllo modo competere poterat. Atque haec quidem omnia et ſingula, cum omnibus ſuis pertinentiis, terreſtribus et maritimis vrbibus, arcibus, propugnaculis, bonis, et prouentibus, nec non iuribus, iurisdictionibus, regalibus et ſuperioritatibus, tam in eccleſiaſticis, quam in politicis, nullis penitus exceptis, in plenum dominium et proprietatem Regum regnique Sueciae transferunt; Ordineſque et ſubditos in illa Liuonia eiuſque recenſitis partibus, omni erga Regem et rempublicam Polonam obedientiae vinculo et fidelitatis ſacramento exſoluunt, nihil vnquam in eos ac dictam Liuoniam eiuſque pertinentias, poſthac praetenſuri. Cis Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae non vlterius quam hactenus fines ſuae poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoueant, aut ſeruitutes a ſubditis illuſtriſſimi Curlandiae Ducis exigant; aut vllum ius

lignandi, aliudue quoduis in Curlandia aut Semigallia praetendant, Commiſſarii vero ad declarandos et determinandos ab vtraque parte fines, ab vtrinque deputabuntur, et commiſſio haec intra quatuor ſeptimanas a ſubſcripto tractatu inchoetur, et intra duas expediatur.

2. Quod religionem Catholicam eiuſque exercitium in Liuonia Suedicae poſſeſſionis attinet, omnes incolae Liuoniae ſubditique illi religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione, deuotioneque ſua, domi, ſine inquiſitione, vel animaduerſione, priuatim vtantur.

3. Tituli Prouinciales, tam ſpirituales quam ſaeculares Senatorii et Equeſtris Ordinis in Liuonia Suetica, penes poſſeſſores modernos maneant, durante ipſorum vita, ſine vllis prouentibus aliiſue praetenſionibus. Nec vllum exinde praeiudicium Iuris Sacrae Regiae Maieſtatis, Regnique Sueciae in Liuoniam Sueticam, neque praetenſio quaepiam Regno Poloniae, Magno Ducatui Lithuaniae interea temporis et in futurum inde enaſcetur.

4. Iudicia omnia decretaque ad cuiuſuis inſtantiam, modo non inuitos aut abſentes lata, nec non contractus et tranſactiones in locis, dum illa hoc bello Suecia tenuit, inſtitutae iudicialiter ſiue extra iudicialiter, ſi modo ſtatui publico, qui ante hoc bellum fuit, et pacificationi praeſenti non contrariantur, firma maneant, aeque ac ſi nulla regiminis et magiſtratuum mutatio interueniſſet, ſaluis appellationibus et reuiſionibus in iis, in quibus haec iuris remedia hactenus haud fuerunt adhibita, et quae in rem iudicatam non tranſierunt. Sententiae quoque et decreta ſi quae Rigae in incolas et ſubiectos magni Ducatus Lithuaniae, tum et Curlandiae Semigalliaeque inuitos, vel inauditos, et ex aduerſo ſi ſimilia per magiſtratus magni Ducatus Lithuaniae et Curlandiae in Liuoniae Suecicae ſubditos, circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem et robur obtinebunt in perpetuum.

V.

1. Pars Liuoniae, eaque auſtralis, quae ante haec et per haec bella, et temporibus induciarum ſub ditione fuit Regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, nempe *Duneburgum*, *Roſiten*, *Lutzen*, *Marienhauſen*, itemque omnia loca, quae per commiſſarios ad id vtrinque deputandos Polonicae poſſeſſionis per tempus induciarum fuiſſe inuenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, vrbibus, pagis, fructibus et prouentibus, teloneiſque iuribus, directoque et vtili dominio remanent in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum et regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae in iſtam partem Liuoniae, vt ab altera diuerſam, neque in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et diſtrictum Piltenſem, vel reſpectu Liuoniae Septemtrionalis, vel quouis alio praetextu, vllum vnquam ius praetendent, aut praetendere poterunt. Cum vero magnus Dux Moſcouiae non modo dictam Liuoniam Polonicam, ſed etiam partem Sueciae occupatas armis nunc teneat, ideo conuentum eſt, vt ſi Reſpublica Polona aliquid ex Liuonia Suedica, quocunque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Sueciae vltro et gratuito non imputatis belli expenſis reſtituere, eodem modo et viciſſim, ſi Regnum Sueciae aliquid ex Liuonia Polonica quocunque tempore a Moſchis, armis, tractatibus, aut aliter receperit, teneatur totum illud Poloniae et magno Ducatui Lithuaniae, vltro et gratuito, non imputatis belli expenſis, reſtituere.

2. Ti-

2. Titulis et inſignibus Liuoniae tum Sacra regia Maieſtas Poloniae, eiuſque Succeſſores Reges Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae ratione auſtralis Liuoniae, tum Sacra Regia Maieſtas Sueciae eiuſque Succeſſores Reges Sueciae, ratione Septemtrionalis Liuoniae, ſub titulo Ducatus promiſcue vtentur.

3. Si quas poſthac controuerſias de limitibus, aut de rebus aliis inter regnum Poloniae, magnum Ducatum Lithuaniae, Liuoniam Polonicam, Curlandiamque et Semigalliam ab vna; et regnum Sueciae, eique ſubiectas prouincias inprimiſque Liuoniam Suecicam ab altera parte incidere et ſuboriri contigerit, eae per deputatos vtrinque commiſſarios ad fines Liuoniae amicabili ratione complanentur. Si quae vero lites minores exortae fuerint inter ſubditos et incolas vtriuſque partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, quaelibet pars ad ſuum competens forum remittatur, et iuſtitia indilate adminiſtretur.

4. Subditi hoc vltimo bello et in futurum fugitiui magni Ducatus Lithuaniae, Samogitiae, Curlandiae, Liuoniae Polonicae, quicunque in Liuonia Suecica reperti fuerint, ſuis dominis ſine vllo proceſſu iuris reddentur, vna cum ſuis mobilibus, quae inueniri poterunt, quae profugus ſecum tulit, nec ſub nouo domino acquiſiuit. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Suedicae in magno Ducatu Lithuaniae, Curlandiae, et Liuonia Polonica reperti fuerint. Si qui etiam abducti ſunt et adhuc ſuperſunt, reddantur et illi ſine proceſſu iudiciario ſuis quique dominis.

5. Quo fauorem commerciis et nauigationi Sacra Regia Maieſtas Poloniae conteſtetur, ſigna nautica in *Domeſnes* et *Luſerort* extructa conſiſtere permittit. De ratione vero conſeruationis et manutentionis eorundem, conuenietur a Suecis cum fundi dominis, nullo inde iure aut praetenſione regni Sueciae in fundos dictos aut territorium Piltenſe enaſcituro.

VI.

Illuſtriſſimus in Liuonia Curlandiae et Semigalliae Dux cum Sereniſſima coniuge proleque ſua ducali, ac tota familia et aula, abſque vlla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium a die 5. Aprilis, ſtili noui, Rigam ſiſtetur. Inde vero intra dies quatuordecim, decenti ac ſuae dignitati accommodato conuenientique modo, vbi modernus tractatus ſubſcriptus fuerit, ad fines Semigalliae, deducetur; omniaque ſua, ſuorumque mobilia non diſtracta, vbicunque intercepta, vel Rigae depoſita, Literatoria ſimiliter, ſiue publica, ſiue priuatorum, documenta, bona fide extradentur et Mitauiam reportabuntur. Ante eliberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari Reuerſalium diplomate caueat, de non offendendo aut vindicando aliquid contra Sacram Regiam Maieſtatem regnumque Sueciae in futurum, ſalua fidelitate et obligatione, Regibus regnoque Poloniae et magno Ducatui Lituaniae debita.

VII.

1. Sereniſſimus Rex regnumque Sueciae reſtituit Sereniſſimo Regi reipublicaeque Poloniae, Mariaeburgum, Elbingamque cum ſuis fortalitiis, reliquaque in Pruſſia loca, quae Suedicis praeſidiis tenentur, ac Mariaeburgum quidem vna

cum arce ac fortalitiis ſuis, vt et Stuma intra octiduum a ſubſcriptione moderni tractatus, et depoſita in manus excellentiſſimi Domini mediatoris, Sereniſſimi Regis Poloniae prouiſionali horum pactorum ratificatione euacuabitur, et praeſidium Suedicum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis fortalitiis, vbi tractatus modernus, plenaria Sereniſſimi Regis Poloniae ratificatione confirmatus, et per reipublicae comitiali auctoritate delegatos pro futuro conuentu ratificatus fuerit, quatriduo poſt ipſam ratificationum commutationem ſine contradictione euacuabitur, et in manus Sereniſſimi Poloniae Regis, eiuſque commiſſariorum tradetur. Bauſcum etiam, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate loca in Curlandia, praeſidiis Suedicis euacuabuntur, intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Liuonia, vel in abſentia eius ad eius Locumtenentem peruenerit, de ſubſcripto tractatu, quae notitia per tubicines vtriuſque partis coniunctim Rigam deferetur.

2. Deductio militiae Suedicae, vna cum bellicis tormentis maioribus et minoribus iuxta factam hic conuentionem, nec non cum impedimentis, fiet Elbinga diuerſis vicibus, intra tamen definitum tempus permutationis ratificationum et euacuationis Elbingae, dato eidem libero et innoxio tranſitu per Habum ad portum Pilauienſem et inde ad naues proprias, quas milites conſcenſuri, et ad ditiones Suedicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem nauibus Elbinganis, et ſi illae non ſufficiant, tum nauibus adiacentium territoriorum aliorum ſine aliquo pretio. Communicabit etiam praefectus militiae Suedicae, et conueniet cum praefecto militiae electoralis, aut eius locumtenente, de modo tranſitus per dictum portum Pillauienſem; Et fiat de caetero eiuſmodi deductio, ſine damno et noxa ſubditorum in Pruſſia, tam Polonicorum, quam electoralium. Quodſi per periculum belli maritimo itineri militia ſeſe committere tuto nequeat, liber illi et innoxius tranſitus per terram, quam breuiſſimo itinere, in ditiones iuris Suedici proximas, ſine damno incolarum reipublicae Polonae, et Sereniſſimo Electori Brandeburgico ſubiectorum, deducentibus commiſſariis Sereniſſimorum Regis Poloniae et Electoris Brandeburgici, concedi debet: iuſtitia vero per praefectos indilate bona fide adminiſtretur damna et iniuriam paſſis.

3. Si cui, aut quibus, in ciuitatibus Pruſſiae euacuandis earumque territoriis non placuerit manere, ſed mutato domicilio, alio ſe conferre, iis liberum ſit in ſpatio trium abhinc annorum ſua diuendere, aliis elocare, aut pro ſuo lubitu diſtrahere, ſine vllo impedimento, aut onere, ſub quocunque praetextu imponendo, ſaluis antiquis ciuitatum iuribus et priuilegiis.

VIII.

Quicquid in Polonia et magno Ducatu Lithuaniae, prouinciiſque annexis, in iiſque Curlandia, per hoc bellum Sereniſſimo Regi regnoque Sueciae, eorumque ducibus ac legatis, vel a priuatis, vel a communitatibus, exercitibus et prouinciis, per neceſſitatem belli, vel aliter datum eſt, quocunque titulo diplomatum, obligationum et literarum, inſtrumentorum et actorum publicorum, ea omnia autographa, quae ſuperſunt, Sereniſſimo Regi et reipublicae Polonae, Ducique Curlandiae, circa ratificationum commutationem bona fide extradentur. Quodſi naufragio abſorpta ſint, vel alio modo perierint, omnia eiuſmodi ſcripta actaque priuata et publica, ex nunc caſſantur, annihilantur et eliminantur,

tur, nihilque exinde Reges Regnumque Sueciae in prouincias, exercitus, diſtrictus, vel priuatos in Polonia, magnoque Ducatu Lithuaniae, et prouinciis illis annexis, vel ſubiectis, inſpecie etiam Curlandia et diſtrictu Piltenſi iuris praetendere velle aut poſſe, omni meliori modo declaratur.

IX.

Reſtituentur quoque a parte Suecorum omnia archiua, acta publica, caſtrenſia, iuridica, eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca regia, quae ex regno Poloniae, et magno Ducatu Lithuaniae, auecta, et quorum copia haberi poteſt, idque intra tempus commutationis ratificationum, vel ad ſummum intra tres menſes a facta commutatione.

X.

Obligationes atque recognitiones, ſi quae ſunt ab illuſtriſſimo Curlandiae et Semigalliae Duce, aut incolis Curlandiae et Semigalliae, diſtrictuſque Piltenſis extortae per Suecos, aut vice verſa a Suecis per Polonos in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur.

XI.

Debita inter vtriuſque partis ſubditos et incolas, tum etiam a Ducibus et officiariis belli, vbicunque contracta, vtrinque bona fide ſoluentur. Si quae vero hoc bello vltimo obligationes et recognitiones extortae ab vtrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XII.

Depoſita aliaque bona mobilia, vbicunque reperiuntur, et fiſco nondum adiudicata, bona fide propriis dominis reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quae fiſco adiudicata et extradita ſunt praeſtandam.

XIII.

Tormenta bellica maiora minoraque in Polonia, magno Ducatu Lithuaniae, Pruſſia, Curlandia, caeteriſque annexis prouinciis a Suecis capta, ſiue ſint reipublicae, ſiue priuatorum, ſiue ciuitatum, quaecunque in locis euacuandis reperientur, exacte relinquentur. Quae vero ex Suecia inuecta ſunt in Poloniam, Lithuaniam, Pruſſiam, Curlandiam, liberum erit Sueciae, ſine vlla praetenſione ſecum auferre. Tranſactioni quoque deditionis Thoruniae, quod adhuc reſtat, hac in re ſatisfiet.

XIV.

1. Quicunque hoc bello ab vtrinque inter Polonos, Lithuanos, et Suecos, in quocunque loco capti ſunt, cuiuſcunque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine vllo ſoluto pretio, niſi aliter ante hunc tractatum ab ipſis conuentum fuerit, dimittentur, priſtinaeque libertati reſtituentur, ſolutis tamen impenſis officiariorum in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis. Caeterum captiuis quoque adnumerandi, et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui in-

uiti militiae alterius partis nomina dederunt. Omnes vero ſupradicti, qui quidem in Polonia, magno Ducatu Lithuaniae, Pruſſia regali, vtraque Liuonia, aut Curlandia, detinentur, intra tres ſeptimanas a ſubſcripto moderno tractatu, illi autem, qui extra Poloniam, Lithuaniam, Liuoniam et Curlandiam detinentur, intra tres menſes libertati reſtituantur. Quod autem de lytri conuenti ſolutione hic ſupradictum eſt, tantum locum habebit in maioribus officiariis, vtpote Generalibus, tribunis, tribunorum locum tenentibus et capitaneis.

2. Sacra Regia Maieſtas et regnum Poloniae, magnuſque Ducatus Lithuaniae, id paci huic perpetuae dandum cenſuerunt, vt auctoritatem et officia ſua interponant, apud Chanum, Hordaſque Tartarorum, quo ſine lytro captiui in Tartaria Suedici, intra ſex abhinc menſes inde dimittantur. Dimiſſi vero per regnum Poloniae, magnumque Ducatum Lithuaniae, annexaſque iis prouincias libere ac tuto tranſeant, et benigne habiti ad prouinçias et ditiones iuris Suedici promoueantur.

XV.

1. Commercia priſtina ſint libera et non impedita inter vtrumque regnum Poloniae magnumque Ducatum Lithuaniae, et Sueciae ſubiectaſque illis prouincias, ſubditos et incolas, tam terra, quam mari, et in veteri vſu atque exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conſeruentur. Inprimis ſit liberum commerciorum exercitium, liberaque defluitatio mercium per fluuium Dunam et Bulderauiam ſubditis et incolis regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, et Polonicae, Liuoniae, Curlandiaeque et Semigalliae, cum ſubditis, incoliſque Liuoniae Suedicae. Et vice verſa ſubditis incoliſque regni Sueciae, et Liuoniae Suedicae, ſit liber commerciorum vſus per eadem flumina, cum ſubditis incoliſque Poloniae, Lithuaniae, Liuoniae Polonicae et Curlandiae, Semigalliaeque. Teloneorum vero et vectigalium in flumine Duna et Buldera, vt et maritimorum ac terreſtrium in Liuonia, eadem ratio, et in iiſdem tantum locis, ab vtraque parte in poſterum ſit vti et vbi tempore induciarum, et ante hoc bellum vltimum fuit.

2. Maioris quoque Poloniae incolae, cuiuſcunque conditionis ſint, ſiue terra, ſiue aqua, commercia ſua exercentes, nullis nouis teloneis et gabellis Stetini onerabuntur.

3. Ciuitas quoque Gedanenſis, et aliae Pruſſiae ciuitates, in regno Sueciae et ſubiectis prouinciis aliis, gaudeant ea libertate commerciorum et vectigalium, qua gauiſae ſunt ante hoc nouiſſimum bellum.

XVI.

Dominus Comes Koenigsmarckius Campi Mareſchallus Sueciae, abſque vlla protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium, a die 5. Aprilis, ſtyli noui, Dantiſcum modo decenti ſiſtetur: inde vero intra dies quatuordecim, vbi modernus tractatus ſubſcriptus fuerit, eliberabitur. Ante reſtitutionem autem pſenariam peculiari reuerſalium diplomate caueat de non offendendo, et vindicando aliquid contra Sacram Regiam Maieſtatem regnumque Poloniae, et ſpecialiter, ciuitatem Gedanenſem, ſalua tamen debita Regibus Regnoque Sueciae obedientia et fide.

XVII.

XVII.

Sereniſſimus Rex et reſpublica Poloniae illuſtriſſimae Principis ANNAE MARIAE, defuncti illuſtriſſimi Ducis IANVSSII RADZIVILLII, Palatini Vilnenſis, Supremi exercituum magni Ducatus Lithuaniae Ducis, Filiae vnicae, in adeundis ſecundum legitimas conſuetudines regni et magni ducatus Lituaniae haereditatibus et bonis paternis ac maternis, vigore generalis amneſtiae, praeſenti conuentione omnibus cautae, vt ei ſatisfiat, condignam rationem habituri ſunt.

XVIII.

Demortuorum belli ducum atque officialium aliorum corpora ſiue in Polonia, ſiue in Pruſſia, adhuc inhumata, et nonnullis in locis aſſeruata ſunt, tradentur, et non denegabuntur iis, quibus cura mandabitur ea inde deducendi. Quorum autem cadauera tum in priori, tum hoc vltimo bello, humata ſunt in Elbingenſi, Mariaeburgenſi, et aliis in Pruſſia et Polonia templis, intacta iaceant, ac ſepulchra eorum ab omni violatione et inquietudine ſint immunia.

XIX.

De Domini Ducis Croiani deſiderio ratione debitorum apud rempublicam Polonam ita conuentum eſt, vt praedictus Dominus Dux ius ſuum originalium obligationum productione doceat in proxime futuris comitiis regni generalibus, ibidemque debita ratio eius habeatur, ſaluo quoque iure illuſtriſſimi Ducis Curlandiae, ſi quod eidem ad praefatas ſummas pecuniarias competierit.

XX.

Quoad Dominorum Comitum a Dohna poſtulatum et debitum apud rempublicam Poloniae, in quantum illud liquidari poterit, iuſta eorum ratio in futuris comitiis regni habebitur.

XXI.

Habebitur quoque aequa ratio a Suecia Domini Baronis Sigiſmundi a Guldenſtern, quoad bona in Regno Sueciae, vel illi ſubiectis prouinciis praetenſa.

XXII.

1. Eadem ſimiliter pax, amicitia, amneſtia, et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ſub iiſdem clauſulis et vinculis in hocce inſtrumento contentis vigeat, et in perpetuum ſtabilita ſit, inter Sereniſſimum et potentiſſimum principem ac Dominum, Dominum LEOPOLDVM, electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Regem, Archi Ducem Auſtriae etc. etc. etc. praecipuum Poloniae foederatum, bellique ſocium, nec non eius Haeredes ac Succeſſores, regna, et ſubiectas prouincias tam in, quam extra imperium Romanum, eorumque ſubditos et incolas, ac Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Eiuſque Haeredes ac Succeſſores,

Reges regnumque Sueciae, et ſubiectas prouincias tum in imperio Germanico, tum extra illud ſitas, eorumque ſubditos et incolas, ita vt quidquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſiue in Polonia, ſiue extra illam, ſeu ratione auxilii, Sereniſſimo Regi, ac reipublicae Poloniae praeſtiti, ſiue quauis alia de cauſa, mutuae offenſionis atque inimicitiarum, aut praetenſionum oriri potuit, perpetuae obliuioni tradatur, neutrique parti quocunque praetextu licitum ſit alterius regna, ſtatus, aut prouincias, clam, aut palam, directe vel indirecte armis impetere, vel vllum in ipſas hoſtilitatis genus exercere, ſed alter alterius commoda ſectetur, et omnia inter vtramque partem, earumque ſtatus ac ſubditos, ad priſtinum prorſus ſtatum, vnionem, et fidam correſpondentiam reſtituta et redintegrata ſint. Et nemini ex vtriuſque partis ſubditis aut imperii ſtatibus ac vaſallis noxae ſit, aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicunque ex ſola cauſa huius belli de fortunis aut ſtatu ſuo deciditſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi fiſco nondum adiudicata et extradita ſint, indilate et ſine contradictione reſtituatur, iiſque plenarie gaudeat, ac fruatur.

2. Vt autem firmioribus fundamentis haec pax et amicitia ſtabiliri queat, Sacra Caeſarea Maieſtas, loca omnia, quae in Pomerania, et Megapoli occupata praeſidiis ſuis inſidentur, Sereniſſimo Regi ac regno Sueciae, ea vero, quae in Holſatia, et Ducatu Sleſuicenſi, Duci Holſatiae Gottorpienſi (qui praeuia tamen cautione, de non vindicando iuxta formulam, de qua hic conuenit hac pace, conſenſu partium incluſus cenſebitur) reſtituet plenarie, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, caeteroque apparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcunque generis, item actis cancellariae, archiuis, ac literariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta ſunt, et adhuc non diſtracta extant. Quae euacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniae et Megapoleos exceptis Wollino, Dam, et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, a die permutationis ratihabitionum computandas, quo tempore Elbinga quoque Poloniae reſtituetur. Wollinum vero Dam, et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae, et Ducatus Sleſuicenſis, intra alias duas ſequentes hebdomadas, a die ſupra memoratae permutationis, euacuabuntur, deductis eodem tempore e dictis locis, praeſidiariis militibus, et e prouinciis ad Sacram Regiam Maieſtatem regnumque Sueciae, Duces Megapolitanos et Ducem Holſatiae, Sleſuicenſ. ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione et modo, de quo inter Generales vtriuſque partis, vel eorum locum tenentes intra tempus, ratihabitionibus computandis praefinitum, conuentum fuerit.

3. Caeterum quidquid circa res imperii controuerſiae interceſſerit, iuxta imperii et pacis Germanicae leges, abſque ſtrepitu armorum componetur, aut decidetur, et ſtabitur ab vtraque parte per omnia diſpoſitione pactorum Oſnabrugenſium et Conſtitutionibus imperii.

XXIII.

Similiter tam a parte Sereniſſimi Imperatoris, quam Sereniſſimi Regis Sueciae, captiui huius belli, cuiuſcunque ſint conditionis ac ſtatus libere et ſine ſoluto vllo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum tractatum ab ipſis conuentum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum, a die ratificationis dimittentur, et

et libertati priſtinae, ſolutis ab officiariis impenſis, in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis, reſtituentur, et captiuis quoque annumerandi et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti ad danda alterius partis militiae nomina ſua adacti fuerunt: Quod autem de lytri conuenti ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in maioribus officiariis, vtpote Generalibus, tribunis, tribunorum locumtenentibus et capitaneis.

XXIV.

1. Sit itidem pax perpetua, veraque ac ſincera amicitia inter Sereniſſimum ac potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM, Suecorum, Gothorum, et Vandalorum Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Eius haeredes, ſucceſſores ac poſteros Reges regnumque Sueciae, Eiuſdemque tam in Imperio, quam extra illud ſitas prouincias, ſtatus ac ditiones, et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium et Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiae Ducem etc. etc. etc. Poloniae foederatum, bellique ſocium, Eiuſdemque haeredes ac ſucceſſores, prouinciaſque, ſtatus, ac ditiones, in et extra imperium Romanum ſitas, ita vt alter alterius honorem, commodum, et vtilitatem ſincere ſerioque in perpetuum promoueat.

2. Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis principibus ac ſtatibus vtrinque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta clauſulas et articulos, integra, et in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, vt per ea praeſens tranſactio pacis nullum praeiudicium patiatur.

3. Sit etiam vtrinque amneſtia, et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ita vt quidquid hactenus quocunque loco et quauis de cauſa, ſiue in imperio Romano, ſiue extra illud, ab alterutra partium, vel ſub earum imperio poteſtateque exiſtentibus, abſque vllo perſonarum rerumque reſpectu, geſtum vel admiſſum fuerit, nullo praetextu, via iuris vel facti, directe vel per indirectum, a neutra parte vnquam vindicari poſſit; et nec horum, nec vllius alterius rei cauſa vel praetextu alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, vel etiam quoad miniſtros, officiarios, alioſque incolas et ſubditos, ſtatum, bona, vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam vel palam inferat, vel inferri faciat.

4. Nemini quoque ex vtriuſque partis ſubditis, aut vaſallis cuiuſcunque conditionis et dignitatis fuerit, noxae ſit, aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicunque ex ſola cauſa huius belli de ſuis poſſeſſionibus deciditſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad mobilia bona, ſi haec bona mobilia fiſco nondum adiudicata et extradita, aut alias diſtracta ſint, indilate et ſine vlla contradictione reſtituantur; eiſque plenarie gaudeat ac fruatur. Atque proinde et Campi Mareſchallo Comiti a Königsmarck, vt et Campi Mareſchalli Comitis Wittenbergii haeredibus, bona immobilia, quae in ditionibus ſuae Serenitatis electoralis vbicunque locorum ante hoc bellum poſſederunt, in eo ſtatu, quo nunc ſunt, reſtituantur, vigore huius pacificationis, atque eo iure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac poſſederunt.

XXV.

Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, Sacra Regia Maieſtas Sueciae, pro ſe, haeredibus ac ſucceſſoribus ſuis Regibus, regnoque Sueciae, virtute huius inſtrumenti pacis quam fieri poteſt validiſſime in perpetuum et irreuocabiliter renuntiat pactis, quae die $\frac{7}{17}$ Ianuarii anno 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti anni Mariaeburgi, tumque $\frac{10}{20}$ Nouembris eodem anno 1656. Labiauiae inter Sereniſſimum Sueciae Regem, glorioſae memoriae, nuper defunctum, et Suam Serenitatem electoralem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocunque modo, durante hoc vltimo bello Polonico, eiuſque reſpectu initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et articulis ſuis irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum hoc ipſo, et virtute huius pacti, penitus et in aeternum detrahit; ita vt contra Suam Serenitatem electoralem Brandeburgicam, eiuſque haeredes, agnatos, ſucceſſores, prouincias, vbicunque locorum ſitas, et inſpecie in Ducatum Pruſſiae, atque eiuſdem ordines et incolas, aut contra Sacram Regiam Maieſtatem, eiuſdem ſucceſſores, Reges, regnumque Poloniae, ex nominatis et indigitatis ſupra pactis et conuentionibus abolitis, nunc et in poſterum ſiue ſucceſſionis in Pruſſia, ſiue vnionis, aut quocunque alio praetextu vel cauſa, nomine Regis, Regum, haeredum ac ſucceſſorum et Regni Sueciae nihil vnquam allegari, praetendi, aut poſtulari poſſit aut debeat. Quare praememoratorum pactorum, et conuentionum originalia cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, ſciſſis, et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur.

Quemadmodum et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus in Pruſſia Dux, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter, vigore huius inſtrumenti pacis, pro ſe haeredibuſque ac ſucceſſoribus ſuis profitetur, nihil vel ſe, vel haeredes ac poſteros ſuos ex praedictis pactis et conuentionibus, contra Suam Regiam Maieſtatem Regnumque Sueciae praetenſuros, ſed ſua Serenitas Electoralis, pro ſe haeredibuſque, ac ſucceſſoribus ſuis hoc ipſo et virtute huius pacti, ſupramemoratis pactis omnibus iam abolitis renuntiat, et eadem omnia pro retraditis, ſciſſis, et in cineres redactis, nunc et in aeternum declarat, et irrita ac nulla pronuntiat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum penitus et in aeternum detrahit.

XXVI.

Sereniſſimus Elector Brandeburgicus etc. etc. etc. loca omnia, quae in Pomerania hocce bello occupata, praeſidiis ſuis inſidentur, Sacrae Regiae Maieſtati et Regno Sueciae, ea vero, quae in Holſatia, et Ducatu Sleſuicenſi Celſiſſimo Principi et Duci Holſatiae Gottorpienſi (qui praeuia tamen cautione de non vindicando iuxta formulam, de qua hic conuenit, hac pace conſenſu partium incluſus cenſebitur) reſtituet, plenarie cum tormentis bellicis, ipſorum propriis, re armamentaria, caeteroque apparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcunque generis, item actis cancellariae, archiuis, et literariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta et adhuc non diſtracta extant. Quae euacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniae, exceptis Wollino, Dam, et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas a die permutationis ratihabitionum computandas, quo tempore quoque Elbinga reſtituetur. Wollinum vero Dam et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae, et Ducatus Sleſuicenſis intra alias demum duas ſequentes hebdomadas, a die ſupramemoratae reſtitutionis euacuabuntur, deductis eodem tempore e dictis locis, praeſidiariis militibus et e prouinciis ad Sereniſſimum Regem Sueciae, et Ducem Holſatiae, et Sleſuici regentem ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione et modo de quo inter partis vtriuſque Generales, vel eorum locumtenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis praefinitum, conuentum fuerit. Ita tamen ne in praememoratis reſtituendis et euacuandis locis, vel communitatibus, quae praeſidia electoralia habuerunt, aut quouis modo hoc bello in Suae Serenitatis electoralis fide et poteſtate fuerunt, vel cuiquam priuato, quod partes Suae Serenitatis ſecutus fuerit, vlla ratione noxae fraudique ſit, vel alia in re, quoad priſtina iura, priuilegia, bona, feuda et libertates illi competentes, abſque exceptione vel reſeruatione praeiudicet.

XXVII.

Captiui huiuſce belli, cuiuſcunque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine ſoluto vllo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum tractatum ab ipſis conuentum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum a die ratificationis dimittentur, priſtinaeque libertati reſtituentur, ſolutis tamen ab officiariis impenſis in victum eorum factis et debitis in captiuitate ab eis contractis. Caeterum captiuis quoque annumerandi et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius partis nomina dederunt.

XXVIII.

Debita inter vtriuſque partis ſubditos et incolas, dum etiam a ducibus et officiariis belli vbicunque contracta, vtrinque bona fide ſoluentur, ſi quae vero hoc vltimo bello obligationes et recognitiones extortae ab vtrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XXIX.

Inter Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae et Suae Serenitatis electoralis Brandeburgicae, regni, prouinciarum, ſtatuum, ditionum, tam in imperio Romano, quam extra illud ſitarum ſubditos, et incolas priſtina reſtituantur commercia, atque in poſterum in pleno vigore conſeruentur.

XXX.

Si quae bona a Suae Serenitatis electoralis ſubditis, vel eiuſdem ditionum incolis, in Regiae Sacrae Maieſtatis Sueciae regno, prouinciis, ditionibus, aut locis occupatis, et hactenus poſſeſſis, ante vel ſub tempus huiuſce belli depoſita, vel alio quocunque modo eo delata ſunt, ea ſine vlla mora vel effugiis, dominis ſuis reſtituantur, niſi iam fiſco adiudicata atque extradita fuerint.

XXXI.

Cum vero ad ſtabilitatem huius pacis plurimum interſit, vt vniuerſaliter componatur et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur, ideo licet controuerſiae, quae Sereniſſimo Regi regnoque Sueciae, cum Sereniſſimo Rege Daniae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur; Nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſimus Daniae et Noruegiae Rex, eiuſque regna ac ditiones in hoc tractatu, concluſa in Dania pace comprehendantur: ita vt ea omnia, quae inter alte memoratos Sueciae et Daniae Reges concluſa et conſtituta fuerint, ad hanc pacem pariter, ac ſi in hoc inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur,

ſaluo per omnia ipſo tractatu in Dania inter vtroſque Reges et regna concluſo vel concludendo.

XXXII.

1. Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter partes paciſcentes omnes, tum principales, tum foederatas, earumque exercitus, a die concluſae et ſubſcriptae huius pacis, computando, in Pruſſia tam Regali quam Ducali, exactis quatuor, in Pomerania et Megapoli, duodecim, in Curlandia et Liuonia quatuordecim, et in Holſatia et Sleſuicenſi Ducatu, exactis viginti diebus. Eodem quoque die in ſingulis praememoratis locis negotiationes quaeuis priſtino vſui, reſtituantur, et literarum commercia libera ſint.

2. Generales praeſidii Elbingenſis in Pruſſia, ac tam caeſarei, quam electorales in Pomerania, poſt acceptam huius armorum ceſſationis intimationem, exactam curam adhibebunt, vt vſque ad finalem pacis executionem militis ſuſtentatio non amplius exigatur more hoſtili, nec vltra iuſtam et neceſſariam alimentationem, prouinciae, ipſorum armis inſeſſae, aggrauentur. In quem finem commiſſarii a partibus deputabuntur, qui curam ſedulam habeant, ne exorbitantiae contra hanc conuentionem fiant.

XXXIII.

Denique omnium belligerantium in imperio partium copiae et exercitus poſt reſtitutionem locorum ab omnibus partibus paciſcentibus dimittantur et exauctorentur, eo tantum numero, in ſuos cuiuſque proprios ſtatus, traducto, quem quaeque pars pro ſua ſecuritate iudicauerit neceſſarium.

XXXIV.

Pacta haec ratihabeantur a Sereniſſimo Rege Poloniae, nec non Republica Polona, eiuſque foederatis ab vna, et Sereniſſimo Rege Sueciae ab altera parte, qua de re ad modum ſequentem conuenit.

Primo, inſtrumentum huius pacis manibus ac ſigillis Dominorum commiſſariorum vtriuſque partis, tum et excellentiſſimi domini legati mediatoris ſubſcribatur et inuicem tradatur et commutetur.

Secundo, Sereniſſimus Rex Poloniae eadem pacta illico a ſubſcriptione et ſignatione Dominorum commiſſariorum Polonicorum diplomate ratificationis in forma conuenta confirmet, atque ex nunc aſſecurationem ſuam interponat, ſubſecuturam intra ſpatium, ad ſummum trium menſium, computandorum a ſubſcriptione huius inſtrumenti pacis, plenariam eiuſdem Regiae Maieſtatis ratificationem, cum integra inſertione inſtrumenti pacis concluſae, ad formulam, inter vtriuſque pacis commiſſarios conuentam.

Tertio, Sereniſſimus Rex Sueciae ſolenni inſtrumento haec pacta nomine ſuo et Regni Sueciae per ſubſcriptionem Sereniſſimae Reginae matris ſuae, et Dominorum Regni Sueciae adminiſtratorum in forma conuenta rata habeat.

Quarto, domini delegati a republica Polona lege comitiali anno 1659. deputati, nomine Reipublicae haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua approbent in futura conuocatione intra tres menſes celebranda.

Quinto,

Quinto, diplomata ratificationis, tam Sacrae Regiae Maieſtatis Poloniae, quam deputatorum comitiali lege delegatorum, in proximis comitiis, conſtitutionibus, et volumini legum Polonicarum inſerantur.

Sexto, inſtrumenta haec ſolennia ratificationis, tum vtriuſque Sereniſſimi Regis, tum dictorum reipublicae delegatorum, ab ambarum partium commiſſariis, intra ſpatium ad ſummum trium menſium, a ſubſcriptione huius inſtrumenti pacis computandorum ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrinque per excellentiſſimum Dominum mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem eo ipſo tempore inter partes computentur.

Septimo, vt Sacra Caeſarea Maieſtas et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus ratihabitiones ſuas itidem tempore et loco eodem tradi faciant.

Octauo, denique, vt dicta Sereniſſimorum Regum et Reipublicae Polonae ac eius ſoederatorum inſtrumenta ratificationum, ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conferantur et reciproce commutentur.

XXXV.

1. Quo firmior, ſtabilior et ſecurior pax haec coaleſcat, et ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupramemoratae partes paciſcentes omnes tam principales quam foederatae, ſe hanc tranſactionem et pacem, omneſque eius articulos, capita et clauſulas ſancte et inuiolabiliter, ſeruare velle et debere, et ne in poſterum violari queat, ſe inuicem ad generalem guarantiam et euictionem mutuam, ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt. Hiſce quam fieri poteſt firmiſſime ſpondentes, vt ſi contingat, vnam partem ab altera, vel plures a pluribus, terra vel mari, bello contra hanc pacificationem impeti, aggreſſor ipſo facto, pro infractore huius pacis ab omnibus habeatur, eiuſdemque beneficio excidat: Et tam altera reliquaeque paciſcentium partes, parti laeſae, ad ſummum intra duos menſes, a requiſitione partis laeſae, eidem communibus armis aſſiſtere, et bellum tamdiu contra aggreſſorem proſequi, donec pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, inuicem teneantur.

2. Si vero contingat, vnam partem ab altera, vel plures a pluribus graui aliqua iniuria, citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideo laeſo, ad arma ſubito recurrere, ſed ante amicabilis componendarum huiuſmodi controuerſiarum ratio ineunda erit, videlicet, vt laeſus accepta iniuria, ſi immediate cum laedente conuenire nequeat, alios paciſcentes moneat, et commiſſio generalis omnium paciſcentium nomine inſtituatur, ad laeſi confinia, intra ſpatium quatuor menſium, in quo inter deputatos vtrinque commiſſarios negotium diſcutiatur, et ſi poſſibile erit, intra quatuor ad ſummum alios menſes terminetur.

3. Si vero laedentem, refractarium ad aequa, quae proponentur, media, deprehenderint, tum laeſis licebit, facta tamen prius legitima belli denunciatione, ius ſuum armis proſequi, et bellum, vt ſupra ſtatutum eſt, laedenti inferre.

4. Quod ſi vero turbationes vi, contrariiſque artibus retundantur, ſolummodo tuendorum limitum cauſa, actus eiuſmodi pro violatione pacis non reputabuntur, ipſa autem ſuper limitibus controuerſia extra vim armorum terminetur.

XXXVI.

Cum autem pro maiori ſecuritate huius pacificationis tam Sereniſſimus et Potentiſſimus Rex et reſpublica Poloniae, quam Sereniſſimus et Potentiſſimus Rex Sueciae, et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus poſtularint, vt Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus LVDOVICVS XIV. Galliarum et Nauarrae Rex chriſtianiſſimus, cuius ope ac ſtudio inter praememoratos Sereniſſimos Reges, et Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, pax promota, et mediatione ad optatum finem perducta eſt, executionis et obſeruationis illius inter eoſdem fideiuſſor exiſteret: Sacra Maieſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo pacis huius perpetuitatem exoptans, quo eam procurauit, pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Galliae ſpondet, ac promittit, idque per illuſtriſſimum et excellentiſſimum Dominum, Antonium de Lumbres legatum Suum plenariis mandatis ad hanc guarantiam cauendam inſtructum, ſe executionem horum pactorum, eorumque obſeruationem, ac perpetuitatem intra eoſdem ſupra nomitatos Principes omni meliori, quo fieri poteſt modo, etiam armis, vbi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam. Et ſi quis eorum ſub hac fideiuſſione comprehenſorum illa violarit, arma vireſque ſuas, parti laeſae, ad eius requiſitionem, iuncturam. Quod vt firmius omnibus conſtet, promittit dictus dominus legatus Gallicus, ſe ratificationem Regis ſui ſuper hanc guarantiam, eodem tempore, quo ratihabitiones pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum quoque erit paciſcentibus omnibus, eandem chriſtianiſſimi Regis guarantiam, et fideiuſſionem ſuſcipere, et alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus inuitare et denominare Principes ac poteſtates.

XXXVII.

Si qui Regum, Principum, nec non rerumpublicarum ac ſtatuum amicorum, hiſce pactis a quacunque parte paciſcentium, includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint, et id conſenſu omnium partium fiat.

In quorum omnium et ſingulorum fidem, maiuſque robur, omniumque partium legati et commiſſarii, cum illuſtriſſimo et excellentiſſimo Domino mediatore praeſens pacis inſtrumentum, et hoc quidem exemplar Sereniſſimi Regis et reipublicae Poloniae atque Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, legati ac commiſſarii, manibus ſigilliſque propriis muniuerunt ac firmarunt. Datum Oliuae, die tertia Maii anno milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo.

ANTONIVS de LVMBRES (L. S.)
IOANNES comes de LESZNO, palatinus Poſnanienſis, maioris Poloniae generalis, Sereniſſ. Reg. Pol. regnique legatus plenipotentiarius. (L. S.)
NICOLAVS PRAZMOWSKI, nominatus epiſcopus Luceorienſis et Breſtenſis, Supr. Reg. Pol. cancellarius legat. plenip. (L. S.)
CHRISTOPHORVS PAC, ſupremus cancellarius et legatus plenipotentiarius M. D. Lith. (L. S.)
IOANNES ANDREAS MORSTIN, refendar. regni, legatus plenipotentiarius (L. S.)
IOANNES GNINSKI, Succamerarius Pomeraniae, Ser. Regis regnique legat. plenip. (L. S.)

Literae fidei Regis Poloni pro legatis ad pacem Oliuenſem.

Nos IOANNES CASIMIRVS Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. Notum teſtatumque facimus, vniuerſis et ſingulis quorum intereſt. Quod cum ad tractatum inſtituendum de praeſenti hoc bello, eoque

eoque diuturno et funeſto conuenienter ſopiendo, deque facienda perpetua pace inter Nos Regnumque Poloniae, et Magnum Ducatum Lithuaniae, Noſtroſque foederatos ab vna, et Sereniſſimum Principem Fratrem, conſanguineum et vicinum Noſtrum, Dominum CAROLVM GVSTAVVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. et Regnum Sueciae, eiuſque confoederatos ab altera parte, modus et via iniri coeperit, atque Serenitatis Suae nomine declaratum, et conteſtatum ſit, nihil, quod ad eiuſmodi tractatum inchoandum, inſtituendum, et plene perficiendum merito requiri poterit, a parte eiuſdem Suae Serenitatis, deſideratum iri. Ideo teſtaturi conſtans Noſtrum propoſitum, et animi propenſionem, ad promouendum dictae pacis negotium, non modo in praefatum tractatum conſenſimus, ſed illico etiam deputauimus et conſtituimus: ſicuti etiam vigore praeſentium deputamus et conſtituimus veros et legitimos Noſtros ad ſupradictum tractatum commiſſarios, illuſtriſſimos, illuſtres, magnificos et Generoſos, Nobis ſincere fideles, et dilectos DD. IOANNEM comitem a LESZNO, Palatinum Poſnanienſem, Sacrae Reginalis Maieſtatis Marſchalcum, Generalem maioris Poloniae, Mariaeburgenſem, Corſunenſ. GEORGIVM comitem in WISNICZ, Supremum Regni Campi Marſchalcum, Generalem minoris Poloniae, Cracouienſ. Scepuſienſ. Chmielnicenſ. Nizinenſ. Pereaslauienſ. Olſtinenſ. Caſimirienſ. NICOLAVM de PRAZMOW, ſupremum Regni Cancellarium, nominatum Epiſcopum Luceorienſ. Abbatae Siecichouienſ. perpetuum adminiſtratorem, praepoſitum Cracouienſem: CHRISTOPHORVM PAC, ſupremum Magni Ducatus Lithuaniae Cancellarium, Wilkouiſtenſ. Kozienicenſ. Cleſcelenſ. Oſtrinenſ. IOANNEM ANDREAM MORSZSTIN de Raciborsko, Referendarium Regni, Koualienſ. Zawichoyſtenſ. VLADISLAVM de Naglouice REY, Theſaurarium Curiae Regni, Sacrae Reginalis Maieſtatis Cancellarium, Neokorcinenſ. Libuſcienſ. IOANNEM in Gnin GNINSKI, Succamerarium Palatinatus Pomeraniae, Gneſnenſ. Gubernatores. Dictiſque Noſtris Commiſſariis plenam poteſtatem damus, vt congreſſi cum alte memoratae Serenitatis Suae, ad talem actum cum plena poteſtate deputatis et conſtitutis dominis Commiſſariis, nomine et auctoritate Noſtra Regia, non modo de praeliminaribus, et iis, quae ad viam tractatui principali inchoando complanandam facere deprehendentur, ſtatuant, et concludant, ſed etiam principale pacis ſtabiliendae negotium, omniaque et ſingula, quae quocunque modo ad ſubortas hinc inde controuerſias componendas, et finaliter terminandas, vt et ad mutua vtriuſque partis commoda prouehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, via et ratione, agant, tractent, ſtatuant et concludant, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta vero et tranſacta firment et perficiant, atque adeo pactorum conuentorum inſtrumenta inuicem commutent. Promittimus itaque verbo Noſtro Regio, ac vigore huius procuratorii, Nos ea, quae ſupra nominati Noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſiue omnes ſimul, ſiue in vnius vel alterius abſentia, reliqui eorum in ſaepe dicto pacis negotio, tam praeliminari, quam principali, Noſtro nomine egerint, tractauerint, ſanciuerint et concluſerint, omni meliori modo, firma, rata, grataque habituros. In quorum fidem maiorem praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas ſigillo quoque Noſtro maiori communiri iuſſimus. Datum Warſauiae, die XXIV. Menſis Maii Anno MDCLIX.

IOANNES CASIMIRVS, Rex

(L. S. appenſi)

Ioannes Ignatius Bąkowski, Succamer. Culmenſis.

Literae fidei ordinum regni Poloniae, magnique ducatus Lithuaniae, pro legatis ad pacem Oliuensem.

Nos Status et Ordines Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae. Notum teſtatumque facimus. Quod prout Sacra Regia Maieſtas Dominus Noſter clementiſſimus ad tractatum inſtituendum de praeſenti hoc bello Polono-Suedico diuturno et funeſto conuenienter ſopiendo, deque facienda pace perpetua inter ſe Regnumque Poloniae, et magnum Ducatum Lithuaniae, eiuſque Maieſtatis confoederatos ab vna: nec non Sereniſſimum Principem, Dominum, Dominum CAROLVM GVSTAVVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Regnumque Sueciae et eius confoederatos ab altera parte, commiſſarios ſuos plenipotentiarios deputauit et conſtituit: ita et Nos auctoritati Sac. Reg. Maieſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, accedentes, teſtatoque ad inuicem publicae tranquillitatis ſtudio inducti, faciendum duximus, vt eoſdem commiſſarios, illuſtriſſimos, illuſtres, magnificos et generoſos Dominos, IOANNEM Comitem a LESNO, Palatinum Poſnanienſem maioris Poloniae Generalem Mariaeburgenſem etc. GEORGIVM Comitem in WISNICZ ſupremum Regni campique Marſchallum Generalem min. Pol. Cracouienſem etc. NICOLAVM in PRAZMOW Regni etc. CHRISTOPHORVM PAC, Magni Ducatus Lithuaniae ſupremos cancellarios, Wilkouienſ. etc. Gubernatores. ANDREAM MORSZTIN Referendarium regni etc. VLADISLAVM REY, Theſaurarium Curiae Regni etc. IOANNEM GNINSKI, Succamerarium Pomeraniae etc. publico Noſtro conſenſu auctoritateque comitiali deputaremus, prout vigore praeſentium deputamus. Quibus plenam et abſolutam poteſtatem damus, omnia et ſingula negotia, quae ad mutuam vtriuſque Regiae Maieſtatis, et regnorum Poloniae ab vna et Sueciae ab altera partibus, commoditatem ſpectant, tractandi et perficiendi, controuerſias, quaſuis componendi et finaliter determinandi, praemiſſaque omni meliori modo, via et ratione, quibus ab vtrinque viſum fuerit, ſtatuendi et concludendi: nec non reſcripta ſuper his neceſſaria et diplomata dandi, et inuicem accipiendi et reipublicae nomine, quidquid tranſactum fuerit, firmandi et aſſecurandi. Promittimus autem plena et integra fide, ea quae acta, ſancita concluſaque fuerint, Nos ex parte Noſtra rata firmaque habituros, et ex nunc rata firmaque habere. In cuius rei fidem praeſentes manibus ſenatorum, nec non Marſchalci nuntiorum terreſtrium, ad comitia regni generalia, congregatorum, nomine equeſtris ordinis ſubſcriptas, et ſigillo illuſtriſſimi et reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Gneſnenſis, Regni Poloniae primatis, primique Principis munitas: Datum Warſauiae in comitiis Regni generalibus, Die XXIV. Menſis Maii Anno Domini MDCLIX.

WENCESLAVS de LESNO, Archiepiſcopus Gneſnenſis.
CASIMIRVS CZARTORYSKI, Epiſcopus Vladisl.
IOANNES DOROGALLO ZAWISZA, Epiſc. Vilnenſ.
ALBERTVS TOLIBOWSKI, Epiſcopus Poſnanienſ.
STANISLAVS POTOCKI, Pal. Cracou. Dux exercit.
CHRISTOPHORVS ZAWISZA, Marſch. ſup. M. D. L.
STEPHAN. CZARNIECKI, Palat. Terrar. Ruſſiae.
IOANNES ZAMOYSKI Wda. Sendomirienſis.
NICOLAVS STEPH. PAC, Palat. Trocenſis.
IOANNES STAN. WYZGA, Epiſcop. Luceorienſ.
STANISL. SARNOWSKI, Epiſcop. Praemislienſis.
THOMAS de LEZENICE Epiſcopus Chelmenſis.
THOM. VIEYSKI, Epiſcopus Kiiouienſis.
IOANNES TARLO, Palatinus Lublinenſis.
STANISLAVS LASKOWSKI, Palatinus Plocenſis.
CASIMIRVS LVDOVICVS IEIOTASSEWSKI, Palatinus Breſcienſis.
GEORGIVS CAROL. HLEBOWICZ, Generalis Ducatus Samogit. Gubernator.
HIERONYMVS WIERZBOWSKI, Palatinus Breſtenſis, Cuiauienſis, Oſzwiecimenſis, Berwaldenſis Capitaneus.
ADAMVS MATHIAS SAKOWIETZ, Palatinus Smoleſcenſis Adminiſtrator Theſauri M. D. Lituaniae.
STANISL. CASIMIR. BRENIEWSKI, Caſtellanus Wolhyniae Bohuslauienſ. Noſſouienſ. Capitaneus.
IOAN. in Gnin GNINSKI Succam. Pom. Praef.

(L. S. Archi Epiſcopi)

Nos

Aliae literae fidei Regis Poloni pro legatis ad pacem Oliuenſem mortuo Carolo Guſtauo, Sueciae Rege.

Nos IOANNES CASIMIRVS, DEI gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. Notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt. Quod cum ad tractatum inſtituendum de praeſenti hoc bello, eoque diuturno et funeſto, conuenienter ſopiendo, deque facienda pace perpetua inter Nos Regnumque Poloniae, et magnum Ducatum Lithuaniae, Noſtroſque foederatos ab vna, et Sereniſſimum Principem Nepotem, conſanguineum et vicinum Noſtrum, Dominum CAROLVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. et Regnum Sueciae, eiuſque confoederatos ab altera parte, modus et via iniri coeperit, atque Serenitatis Suae nomine declaratum et conteſtatum ſit, nihil, quod ad eiuſmodi tractatum, inchoandum, inſtituendum et plene perficiendum merito requiri poterit, a parte eiuſdem Suae Serenitatis deſideratum iri: ideo teſtaturi conſtans Noſtrum propoſitum, et animi propenſionem, ad promouendum dictae pacis negotium, non modo in praefatum tractatum conſenſimus, ſed illico etiam deputauimus et conſtituimus, ſicuti etiam vigore praeſentium deputamus et conſtituimus, veros et legitimos Noſtros, ad ſupradictum tractatum commiſſarios, illuſtriſſimos, illuſtres, magnificos et generoſos, Nobis ſincere fideles et dilectos DD. Ioannem Comitem a Leſno Palatinum Poſnanienſem: Sacrae Reginalis Maieſtatis Marſchalcum, Generalem maioris Poloniae, Mariaeburgenſem, Corſunenſem, Georgium Comitem in Wiſnicz, ſupremum Regni campique Marſchalcum, Generalem minoris Polon. Cracouienſem, Scepuſienſem, Chmielnicenſem, Nizinenſem, Pereaslauienſem, Olſtynenſem, Caſimirienſem: Nicolaum in Prazmow, ſupremum Regni Cancellarium, nominatum Epiſcopum Luceorienſem, Abbatiae Sieciechouienſis perpetuum adminiſtratorem, Praepoſitum Cracouienſem: Chriſtophorum Pac, ſupremum Magni Ducatus Lithuaniae Cancellarium, Wilkouiſtenſem, Kozienicenſem, Kleſczelenſem, Oſtrinenſem: Ioannem Andream Morſztyn de Raciborsko, Referendarium Regni, Koualienſem, Zauichoyſcenſem: Vladislaum de Naglouice Rey, Theſaurarium Curiae Regni, Sacrae Reginalis Maieſtatis Cancellarium, Neokorcynenſem, Libuſſienſem: Ioannem Gnin Gninsky, Succamerarium Palatinatus Pomeraniae, Gneſnenſ. Gubernatores, dictiſque Noſtris Commiſſariis, nomine et auctoritate Noſtra Regia non modo de praeliminaribus, et iis, quae ad viam tractatui principali inchoando, complanandam facere deprehendentur, ſtatuant, et concludant: ſed etiam principale pacis ſtabiliendae negotium, omniaque et ſingula, quae quocunque modo, ad ſubortas hinc inde controuerſias componendas, et finaliter terminandas, vt ad mutua vtriuſque partis commoda, prouehenda pertinere videbantur, omni meliori modo, via et ratione agant, tractent, et ſtatuant, concludantque, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta vero et tranſacta firment, et perficiant, atque adeo pactorum conuentorum inſtrumenta inuicem commutent. Nos ea, quae ſupranominati Noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii, ſiue omnes ſimul, ſiue in vnius, vel alterius abſentia, reliqui eorum, in ſaepe dicto pacis negotio, tam praeliminari, quam principali, Noſtro nomine egerint, tractauerint, et concluſerint, omni meliori modo, firma, rata, grataque habituri. In quorum fidem maiorem, praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas, ſigillo quoque Noſtro maiori communiri iuſſimus. Datum Gedani, die quarta menſis Aprilis, anno MDCLX.

IOANNES CASIMIRVS, Rex.

(L. S.)

Stephan. Hankiewicz,
Secretarius Reg. Maieſtatis.

Literae fidei Caroli Guſtaui Sueciae

Nos CAROLVS GVSTAVVS DEI Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, magnus Princeps Finlandiae etc. etc. etc. Notum teſtatumque

Regis, pro legatis suis ad pacem Oliuensem.

tumque facimus, vniuersis et singulis, quorum interest, quod cum ad tractatum instituendum, de praesenti hoc bello, eoque diuturno, et funesto conuenienter sopiendo, deque facienda perpetua pace, inter Nos Regnumque Nostrum Sueciae et Nostros Foederatos ab vna, et Sereniſſimum Principem fratrem, consanguineum et vicinum Nostrum, Dominum IOANNEM CASIMIRVM, Regem Poloniae, magnumque Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. nec non Regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae, eiusque foederatos, inprimis Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem, fratrem, et consanguineum Nostrum, Dominum Leopoldum, electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Regem, Archi Ducem Austriae, Ducem Burgundiae, Styriae, Carynthiae, Carniolae, et Würtembergae, Comitem Tyrolis; nec non Sereniſſimum et Celsiſſimum Principem consanguineum et vicinum Nostrum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgensem, Sacri Romani imperii Archi-Camerarium et Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorumque; nec non in Silesia Crosnae et Carnouiae Ducem, Burggrauium Norimbergensem, Principem Halberstadii et Mindae etc. ab altera parte, modus et via iniri coeperit, atque suae Serenitatis, vt et alte memoratorum eiusdem confoederatorum nomine declaratum et conteſtatum sit, nihil, quod ad eiusmodi tractatum inchoandum, instituendum, et plene perficiendum merito requiri poterit, a parte eiusdem Suae Serenitatis, et reipublicae Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, vt et superius altememoratorum confoederatorum desideratum iri, ideo testaturi constans Nostrum propositum et animi propensionem ad promouendum dictae pacis negotium, non modo in praefatum tractatum consensimus, sed illico etiam deputauimus, et constituimus, sicut etiam vigore praesentium deputamus et constituimus, veros et legitimos Nostros, ad supradictum tractatum commissarios, illustres et magnificos, et generosos, Nobis sincere fideles et dilectos, Dominum MAGNVM GABRIELEM DE LA GARDIE, Comitem in Leckoo et Arensburg, Liberum Baronem in Eckholmen, Dominum in Habsal, Magnushoff, Hoyendorp, Nostrum Regnique Nostri Thesaurarium, Generalem Gubernatorem Liuoniae et Locumtenentem Nostrum per Esthoniam, Liuoniam et Ingriam, militiae Generalem, iudicem prouincialem, Westrogothiae et Daliae, nec non Academiae Vpsalensis Cancellarium, et Dominum BENEDICTVM OXENSTIERNA, Comitem in Korsholm et Wasa, Liberum Baronem in Moreby et Lindholmen, Dominum in Coporium et Roserſberg, Cancellariae Consiliarium; Et Dominum CHRISTOPHORVM CAROLVM SCHLIPPENBACH, Comitem in Schoueda, Liberum Baronem in Liusala, Dominum in Salinge, Consilii bellici Praesidem; omnes vero Nostros Regnique Nostri Senatores. Nec non Dominum ANDREAM GVLDENCLAV, Nostri per Pomeraniam Regiminis ac consilii status, vt et supremae curiae iustitiae Praesidem, Haereditarium in Skonela, Ekeby, Hylinge, et Hulderstadt, dictisque Nostris Commissariis plenam potestatem damus, vt congressi cum alte memoratae suae Serenitatis et Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae, vt et saepius alte memoratorum Confoederatorum ad talem actum cum plena potestate deputatis et constitutis Dominis Commissariis, nomine et auctoritate Nostra Regia, non modo de praeliminaribus, et iis, quae ad viam tractatui principali inchoando complanandam facere deprehenduntur, statuant et concludant, sed etiam principale pacis stabiliendae negotium, omniaque et singula, quae quocunque modo ad subortas hinc inde controuersias componendas et finaliter terminandas, vt et ad mutua vtriusque partis commoda prouehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, via et ratione agant, tractent, statuant, et concludant,

cludant, concluſa instrumento inserant, inserta vero et transacta firment et perficiant, atque adeo pactorum conuentorum instrumenta inuicem commutent. Promittimus itaque verbo Nostro Regio, ac vigore huius Procuratorii, Nos ea, quae supranominati Nostri plenipotentiarii Commissarii, siue omnes simul, siue in vnius, vel alterius absentia bini eorum in supradicto pacis negotio, tam praeliminari, quam principali, cum supradictis suae Serenitatis et Reipublicae Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae, vt et saepius memoratorum eorum confoederatorum Dominis, Dominis Commissariis egerint, tractauerint, sanciuerint, et concluserint, omni meliori modo, firma, rata, grataque habituros. In quorum fidem maiorem praesentes manu Nostra subscriptas, sigillo quoque Nostro maiori communiri iussimus. Dabantur Nicopiae in insula Falster, die 17. Octobris, anno supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo nono.

CAROLVS GVSTAVVS.

(L. S. appensi.)

Aliae literae fidei mortuo Carolo Gustauo, pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem.

Nos CAROLVS, DEI GRATIA, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex et Princeps Haereditarius, magnus Princeps Finlandiae etc. etc. etc. Notum testatumque facimus vniuersis et singulis, quorum interest. Quod cum ad tractatum instituendum de praesenti hoc bello eoque diuturno et funesto conuenienter sopiendo, atque facienda perpetua pace, inter Nos Regnum Nostrum Sueciae, et Nostros Foederatos ab vna, et Sereniſſimum Principem fratrem, consanguineum et vicinum Nostrum, Dominum IOANNEM CASIMIRVM, Regem Poloniae, magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. nec non regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae, eiusque foederatos, inprimis Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem, fratrem et consanguineum Nostrum, Dominum LEOPOLDVM, electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regem, Archi-Ducem Austriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, et Carniolae, Marchionem Morauiae, Ducem Luxemburgiae, ac superioris et inferioris Sileſiae, Würtembergae et Tekae, Principem Sueuiae, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, et Gorithiae, Landgrauium Alsatiae, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgouiae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominum Marchiae Slauonicae, Portus Naonis et Salinarum. Nec non Sereniſſimum et celsiſſimum Principem, consanguineum et vicinum Nostrum, Dominum FRIDERICVM WILHELMVM, Marchionem Brandeburgensem, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium, et Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum, nec non in Sileſia, Crosnae et Carnouiae Ducem, Burggrauium Norimbergensem, Principem Halberstadii et Mindae etc. ab altera parte, modus et via iniri ceperit, atque Suae Serenitatis, vt et alte memoratorum eiusdem confoederatorum nomine declaratum et constitutum sit, nihil, quod ad eiusmodi tractatum inchoandum, instituendum et plene perficiendum merito requiri poterit, a parte eiusdem Suae Serenitatis, et Reipublicae Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, vt et superius alte memoratorum confoederatorum desideratum iri. Ideo testaturi constans Nostrum propositum, et animi propensionem ad promouendum dictae pacis negotium, non modo in praefatum tractatum consensimus, sed illico etiam deputauimus et constituimus, sicut etiam vigore praesentium deputamus et constituimus, veros et legitimos Nostros ad supradictum tractatum Commissarios, illustres, magnificos et generosos Nobis sincere fideles ac dilectos,

Dominum Magnum Gabriel de la Gardie, Comitem in Leckoo et Arensburg, liberum Baronem in Eckolm, Dominum in Habſal, Magnushoff, et Hoyendorp, Noſtrum Regnique Noſtri Theſaurarium, Generalem Gubernatorem Liuoniae, et locumtenentem Noſtrum per Eſthoniam, Liuoniam et Ingriam, militiae Generalem, iudicem prouincialem Veſtergothiae et Daliae, nec non Academiae Vpſalienſis Cancellarium; et Dominum Benedictum Oxenſtierna, Comitem in Korsholm et Waſa, liberum Baronem in Moreby et Lindholmen, Dominum in Koporium et Roſersberg, Cancellariae Conſiliarium, et Dominum Chriſtophorum Carolum Schlippenbach, Comitem in Schoueda, liberum Baronem in Liuſala, Dominum in Salinge, Conſilii bellici praeſidem, omnes vero Noſtros regnique Noſtri Senatores, nec non Dominum Andream Guldenclau, Noſtri per Pomeraniam, regiminis ac conſilii ſtatus, vt et ſupremae Curiae iuſtitiae praeſidem, haereditarium in Skonela, Eckeby, Hylingue et Hulderſtadt: dictiſque Noſtris Commiſſariis, plenam poteſtatem damus, vt congreſſi cum alte memoratae Suae Serenitatis et Regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, vt et ſaepius alte memoratorum confoederatorum ad talem actum cum plena poteſtate deputatis et conſtitutis Dominis Commiſſariis, nomine et auctoritate Noſtra Regia, non modo de praeliminaribus, et iis, quae ad viam tractatui Principali inchoando complanandam facere deprehenduntur, ſtatuant et concludant, ſed etiam principale pacis ſtabiliendae negotium, omniaque et ſingula, quae quocunque modo ad ſubortas hinc inde controuerſias componendas et finaliter terminandas, vt et ad mutua vtriuſque partis commoda prouehenda pertinere videbuntur, omni meliori modo, via et ratione, agant, tractent, ſtatuant, et concludant, concluſa inſtrumento inſerant, inſerta vero et tranſacta firment et perficiant, atque adeo pactorum conuentorum inſtrumenta inuicem commutent. Promittimus itaque verbo Noſtro Regio, ac vigore huius procuratorii, Nos ea, quae ſupra nominati Noſtri plenipotentiarii Commiſſarii, ſiue omnes ſimul, ſiue in vnius vel alterius abſentia, bini eorum in ſupradicto pacis negotio, tam praeliminari, quam principali cum ſupradictis, ſuae Serenitatis et Reipublicae Poloniae, magnique Ducatus Lituaniae, vt et memoratorum eorum confoederatorum, Dominis Commiſſariis, egerint, tractauerint, ſanciuerint, et concluſerint, omni meliori modo firma, rata, grataque habituros. In quorum fidem ac certitudinem maiorem praeſentes manu honoratiſſimae et chariſſimae matris Noſtrae, nec non Noſtrorum regnique Noſtri Senatorum ſubſcriptas regni Noſtri ſigillo firmari iuſſimus. Dedimus Gothoburgi, die quarta Martii, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

HEDEWIG ELEONORA.

PETRVS BRACHE, comes in Wiſingsberg.
GVSTAVVS BONDE.
WILHELM TAVBE.
CHRISTIER HORN.
CANVTVS KVRCK.
SWEDT BAAT.
GABRIEL OXENSTIERN, comes in Korsholm et Waſa.
PER LENERSON RIBBING.
GVSTAVVS POSSE.
AXEL LILLIE.
CAROLVS MAVRITIVS LEWENHAVPT, comes de Rasburg et Falckenſtein.
ERICH FLEMMING.
GEORGIVS FLEMMING.
EDVARDVS EHRENSTEIN.

(L.S.)

Godofredus von Schröer,
Reg. legationis Suedicae Secret.

FINIS.

ADDI-

ADDITAMENTA
LAVRENTII MIZLERI
ANNALES HISTORIASQVE IOANNIS CASIMIRI,
REGIS POLONIARVM,
VSQVE AD ABDICATIONEM EIVS ANNO MDCLXVIII
CONTINENTIA.

Cum hiſtorias Regis IOANNIS CASIMIRI finem hic ſcribendi fecerit Rudauſcius, meum eſſe duxi, eaſdem ad annum vſque milleſimum ſexcenteſimum octauum, quo regno ſe abdicarit, continuare, paucis ad compendium verbis, vt vno in libro lector omni ex parte hiſtorias Regis huius Poloniae habeat, cuius fata fuere maxima ex parte et infelicia et plane ſingularia. Antequam autem filum hiſtoriarum porro ducere incipiam, variae prius, quas Rudauſcius omiſit, tabulae publicae adiiciendae videntur, quo pertinent ſequentes:

CONFIRMATIO
SERENISSIMI REGIS POLONIAE ARTICVLI
SEPARATI RATIONE TRADITIONIS ELBINGAE.

Nos IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, Czerniechouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex, ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, quod cum illuſtriſſimi, illuſtres, magnifici et generoſi Noſtri et reipublicae commiſſarii ad tractatus pacis perpetuae inter Nos regnumque Noſtrum Poloniae et magnum ducatum Lithuaniae Noſtroſque foederatos et belli ſocios ab vna, et Sereniſſimum Regem regnumque Sueciae, parte ab altera, Oliuae inſtitutos, illuſtriſſimis, illuſtribus, magnificis, et generoſis, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici commiſſariis, articulum ſeparatum declaratorium articuli ſecundi, qui de amneſtia et redintegratione iurium in inſtrumento pacis habetur, vt ſequitur, ediderint, iſque a partibus acceptatus ſit,

Nos infra ſcripti S. R. Maieſtatis reipublicaeque Polonae ad tractatus Polono Suedicos legati plenepotentiarii, notum facimus, quorum intereſt, vel vlla ratione intereſſe poterit, vniuerſis et ſingulis, quandoquidem inſtrumento pacis principali hodie ſubſcripto articulis amneſtiae, in quo tam communitatum, quam ſingulorum iura redintegrantur, forma generali conceptum eſt, et nulla ſpecialis acquiſitorum, tam in Pruſſia ducali, quam extra eandem Sereniſſimo Electori Brandeburgico per pacta cum S. R. Maieſtate Reque publica primum Velauiae, demum Bydgoſtiae, inita, ac conſtitutione generali comitiali approbata Suae Serenitatis electoralis iurium, vtpote independentiae ducatus Pruſſiae, condeſcenſioniſque in feudum Bythouienſis et Leoburgenſis diſtrictuum, in palatinatu Pomeraniae exiſtentium, tum et iuris competentis in ciuitatem Elbingenſem, nec

non praefecturam Drahinenſem in eodem facta eſt mentio, ne id in praeiudicium memoratorum Suae Serenitatis Electoralis iurium trahi poſſet, plures modi ratione incluſionis praedictorum in praefato articulo amneſtiae propoſiti fuere. Cum autem partibus nequaquam ſatiffacere potuiſſent, tandem prudenti illuſtriſſimi et excellentiſſimi domini, chriſtianiſſimi Regis legati mediatione, ac indefeſſo ſtudio maturandae pacis gratia conuenit, vt peculiari articulo, qui tamen pro inſerto pacis inſtrumento haberi, eiuſdemque valoris eſſe debeat, ea ipſa iura Sereniſſimo Electori cauerentur, quod et factum eſt a legatione Suedica per ſequentem articulum tenoris eiuſmodi:

Legatio Suedica declarat Sereniſſimi Regis regnique Sueciae nomine, ea quae in inſtrumento pacis, articulo ſecundo de redintegratione iurium diſponuntur, non debere concernere ditiones, ſtatus, ciuitates, terras et loca, quae a Sua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eo trahenda, neque obſtare eundem articulum, quo minus Suae Serenitati Electorali Elbinga, iure quod Eidem Suae Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſaluis de caetero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in eccleſiaſticis quam politicis, ſaluo itidem iure retractus conuentionalis Sereniſſimo Regi et reipublicae Poloniae quoad Elbingam. Qui quidem articulus tanquam ſi in ipſo inſtrumento pacis eſſet inſertus, ibidemque cum aliis appoſitus, eiuſdem cum eo valoris, vt ſupra dictum eſt, eſſe haberique debeat.

Proinde et Nos infra ſcripti legati commiſſarii cum plena poteſtate S. R. Maieſtatis et ſtatuum reipublicae eorundem nomine mentem Noſtram praeſenti itidem articulo, quem pro inſerto et eiuſdem cum inſtrumento pacis valoris haberi volumus, declaramus, palamque facimus, articulum amneſtiae generalis in inſtrumento pacis contentum, nullatenus poſſe vel debere iuribus Suae Serenitatis electoralis, tam antiquis, quam nouiter acquiſitis, et in ſpecie traditioni Elbingenſis ciuitatis iuxta pacta cum Sua Serenitate Electorali inita derogare et praeiudicare, imo eadem pacta in omnibus eorundem articulorum punctis et clauſulis, ſalua et integra conſeruare et manutenere, in cuius rei fidem, praeſentem declarationem manibus Noſtris ſubſcripſimus ſigilliſque Noſtris gentilitiis roborauimus, die tertia Maii anno Domini 1660 in monaſterio Oliuenſi.

GEORGIVS LVBOMIRSKI, ſupremus Mareſchalcus, Generaliſque exercituum regni.

IOANNES comes de LESZNO, palatinus Poſnaniae, maioris Poloniae Generalis, Marieburgenſis, Korſunenſis capitaneus.

NICOLAVS PRAŻMOWSKI, Epiſcopus Luceorienſis et Breſtenſis, regni cancellarius ſupremus.

CHRISTOPHORVS PAC, ſupremus magni duc. Lith. cancellarius.

IOANNES ANDREAS MORSZTIN, referendarius regni.

VLADISLAVS REY, theſaurarius curiae regni.

IOANNES GNINSKI, Succamerarius Pomeraniae, capitaneus Gneſnenſis.

Nos itaque IOANNES CASIMIRVS, eadem gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. promittimus et recipimus regio Noſtro ſucceſſorum et poſterorum Noſtrorum et reipublicae Poloniae nomine, Nos praemiſſum articulum, omniaque et ſingula in eo comprehenſa capita approbare et

et rata habere, ſicuti vigore quoque praeſentium approbamus et ratihabemus, ita vt eiuſdem auctoritatis cum inſtrumento principali eſſe debeat, et haberi, nec paſſuros, vt ab vllo reipublicae ſtatu, vaſallo, officiali, aut ſubdito, quouis modo violetur: cauemuſque diplomata ratificationis huius pacis, tam hoc Noſtrum, quam Senatorum et equeſtris ordinis, a Nobis et republica Poloniae, lege comitiali delegatorum in proximis comitiis regni generalibus, conſtitutionibus et volumini legum reipublicae inſertum iri. In cuius rei fidem et certitudinem haſce manu Noſtra ſubſcripſimus et ſigillo regni communiri iuſſimus. Dabantur Varſauiae in conuocatione ſolenni die 26. menſis Iunii anno 1660. Regnorum Noſtrorum Poloniae Sueciae XIII.

IOANNES CASIMIRVS, Rex.

(L. S. Regii appenſi.)

Stephanus Hankiewicz
Secretar. Reg. Maieſt.

CONFIRMATIO

REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITHVANIAE LEGE COMITIALI DELEGATORVM COMMISSARIORVM ARTICVLI DECLARATORII TRADITIONIS CIVITATIS ELBINGENSIS.

Nos Senatores et equeſtris ordinis a Sereniſſimo Rege et republica Poloniae lege comitiali delegati commiſſarii conſtare volumus, quorum intereſt vniuerſis et ſingulis. Quod cum illuſtriſſimi atque excellentiſſimi Domini S. R. Maieſtatis, Domini noſtri clementiſſimi et reipublicae commiſſarii ad tractatus pacis perpetuae inter S. R. Maieſtatem, Dominum noſtrum clementiſſimum, regnumque Poloniae et magnum ducatum Lithuaniae, eorundemque foederatos et belli ſocios ab vna, et Sereniſſimam Regiam Maieſtatem regnumque Sueciae parte ab altera, Oliuae inſtitutos, virtute poteſtatis a S. R. Maieſtate, tum et a republica illis factae, illuſtriſſimis et excellentiſſimis dominis, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici commiſſariis, articulum ſeparatum declaratorium articuli ſecundi, qui de amneſtia et de redintegratione iurium in inſtrumento pacis habetur, vt ſequitur, ediderint, iſque a partibus acceptus ſit.

Nos infra ſcripti S. R. Maieſtatis reipublicaeque Polonae ad tractatus Polono-Suedicos legati plenipotentiarii, notum facimus, quorum intereſt, vel vlla ratione intereſſe poterit vniuerſis et ſingulis:

Quandoquidem inſtrumento pacis principali, hodie ſubſcripto, articulus amneſtiae, in quo tam communitatum, quam ſingulorum iura redintegrantur, forma generali conceptum eſt, et nulla ſpecialis acquiſitorum, tam in Pruſſia ducali, quam extra eandem, Sereniſſimo Electori Brandeburgico per pacta cum S. R. M. reque publica, primum Velauiae, demum Bydgoſtiae, inita, ac conſtitutione comitiali approbata, Suae Serenitatis Electoralis iurium, vtpote independentiae ducatus Pruſſiae, condeſcenſioniſque in feudum Bytouienſis et Leo-

burgenſis diſtrictuum, in palatinatu Pomeraniae exiſtentium, tum et iuris competentis in ciuitatem Elbingenſem, nec non praefecturam Drahimenſem in eodem facta eſt mentio, ne id in praeiudicium memoratorum Suae Serenitatis Electoralis iurium trahi poſſet, plures modi ratione incluſionis praedictorum in praefato articulo amneſtiae propoſiti fuere. Cum autem partibus nequaquam ſatisfacere potuiſſent, tandem prudenti illuſtriſſimi et excellentiſſimi domini, chriſtianiſſimi Regis, legati mediatione, ac indefeſſo ſtudio, maturandae pacis gratia, conuenit, vt peculiari articulo, qui tamen pro inſerto pacis inſtrumento haberi, eiuſdemque valoris eſſe debet, ea ipſa iura Sereniſſimo Electori cauerentur, quod et factum eſt, a legatione Suedica per ſequentem articulum tenoris eiuſmodi:

Legatio Suedica declarat Sereniſſimi Regis regnique Sueciae nomine, ea quae in inſtrumento pacis articulo ſecundo de redintegratione iurium diſponuntur, non debere concernere ditiones Status, ciuitates, terras et loca, quae a Sua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eo trahenda, neque obſtare eundem articulum, quo minus Suae Serenitati Electorali Elbinga iure, quod eidem Suae Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſaluis de caetero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in eccleſiaſticis, quam politicis, ſaluo itidem iure retractus conuentionalis Sereniſſimo Regi et reipublicae Polonae, quoad Elbingam. Qui quidem articulus, tanquam ſi in ipſo inſtrumento pacis eſſet inſertus ibidemque cum aliis appoſitus, eiuſdem cum eo valoris, vt ſupra dictum eſt, eſſe haberique debeat, proinde et nos infra ſcripti legati commiſſarii cum plena poteſtate S. R. Maieſtatis et ſtatuum reipublicae, eorundem nomine, mentem noſtram praeſenti itidem articulo, quem pro inſerto et eiuſdem cum inſtrumento pacis valoris haberi volumus, declaramus, palamque facimus, articulum amneſtiae generalis, in inſtrumento pacis contentum nullatenus poſſe vel debere iuribus Suae Serenitatis Electoralis tam antiquis, quam nouiter acquiſitis, et in ſpecie traditioni Elbingenſis ciuitatis, iuxta pacta cum Sua Serenitate Electorali inita, derogare et praeiudicare: imo eadem pacta, in omnibus eorum articulis, punctis et clauſulis ſalua et integra conſeruari et manuteneri. In cuius rei fidem praeſentem declarationem manibus noſtris ſubſcripſimus, ſigilliſque noſtris gentilitiis roborauimus. Die 3. menſis Maii anno domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo in monaſterio Oliuenſi.

GEORGIVS LVBOMIRSKI, Supremus Mareſchalcus, Generaliſque exercituum regni.

IOANNES comes de LESZNO, palatinus Poſnanienſis, maioris Poloniae Generalis, Marieburgenſis, Korſunenſis gubernator.

NICOLAVS PRAZMOWSKI, epiſcopus Luceorienſis Breſtenſis, regni cancellarius Supremus.

CHRISTOPHORVS PAC, ſupremus M. D. Lith. cancellarius.

IOANNES ANDREAS MORSTIN, Referendarius regni.

VLADISLAVS REY, Theſaurarius curiae regni.

IOANNES GNINSKI, Succamerarius Pomeraniae, capitaneus Gneſnenſis.

Nos Senatores et equeſtris ordinis a Sereniſſimo Rege et republica Poloniae lege comitiali delegati commiſſarii promittimus et recipimus vi poteſtatis nobis a republica conceſſae, nomine eiuſdem nos praemiſſum articulum omniaque et

ſingula in eo comprehenſa capita iuxta conſtitutionem regni anno 1659 approbare et ratihabere, ſicut vigore quoque praeſentium approbamus et ratihabemus, ita vt eiuſdem auctoritatis cum inſtrumento principali eſſe debeat, et haberi, nec paſſuros, vt ab vllo reipublicae ſtatu, vaſallo, officiali aut ſubdito quouis modo violentur, cauemuſque et promittimus, diplomata ratificationis huius pacis, tam S. R. Maieſtatis, quam hoc noſtrum in proximis comitiis, regni generalibus conſtitutionibus et volumini legum noſtrarum inſertum iri. In quorum omnium fidem praeſens haec approbatio manuum noſtrarum ſubſcriptione ſigilliſque nomine Senatus, celſiſſimi primatis regni, nomine vero deputatorum ex ordine equeſtri, illuſtriſſimi domini ſuccamerarii Pomeraniae, tanquam proxime praeteritorum comitiorum Mareſchalci firmata et roborata, eaque eandem vim et robur, ac ſi omnium et ſingulorum deputatorum appenſa eſſent ſigilla, habitura eſt. Datum Varſauiae in conuocatione ſolenni, die 26 menſis Iunii anno Domini 1660.

VENCESLAVS comes de LESZNO, archiepiſcopus Gneſnenſis.

CASIMIRVS Dux CZARTORYSKI, epiſcopus Vladislauienſis.

IOANNES STEPHANVS WYDZGA, epiſcopus Varmienſis.

THOMAS de LEZENICE, epiſcopus Chelmenſis.

THOMAS VIEYSKI, epiſcopus Kiouienſis.

GEORGIVS BIALOZOR, epiſcopus Smolenſcenſ. Seueriae et Czerniechouiae.

IOAN. CAROLVS KOPEC, palatinus Plocenſis.

CASIMIRVS IWLASZEWSKI, palatinus Breſtenſis.

ANDREAS TRZEBICKI, epiſcopus Cracouienſis, dux Seueriae.

IOANNES ZAWISZA, epiſcopus Vilnenſis.

IOANNES GEMBICKI, epiſcopus Plocenſis.

NICOLAVS STEPHANVS PAC, palatinus Trocenſis.

VLADISLAVS comes de LESZNO, palatinus Lencicenſis.

ADAMVS MATTHIAS SAKOWICZ, palatinus Smolenſcenſis, adminiſtrator theſauri M. D. Lith.

IOANNES TARLO, palatinus Lublinenſis.

ALEXANDER a Bodzislaw WYSOCKI, venator palatinat. Breſtenſis, deputatus palatinatus Inouladislauienſis.

IOANNES IGNATIVS BAKOWSKI, Succamerarius Culmenſis, conſiliarius terrarum Pruſſiae deputatus.

NICOLAVS a Radzanow LABICKI, Succamerarius Goſtinenſis, et deputatus palatinatus Rauenſis.

IOANNES ALBERTVS in Mazenin OPACKI, Succamerar. terrae Viſnenſis deputatus.

IOANNES PETRVS TVCHOLKA, Notarius terreſtris, palatinatus Pomeraniae deputatus.

(L. S. appenſi) (L. S. appenſi)

Deſumta ex volumine conſtitutionum regni a. 1661.

Cum

Cum Rudauſcius tabulas publicas foederis perpetui inter Sereniſſimum Poloniae Regem IOANNEM CASIMIRVM et Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum FRIDERICVM WILHELMVM omiſerit, et generatim tantum pactorum Bydgoſtiae, ſeu Brombergae comprobatorum p. 358. mentionem fecerit, placet in vſum lectorum omnia, quae huc pertineant, adiicere, prout ex ſic dicta regni metrica, ſeu tabulario publico, deprompta ſunt.

Tabulae foederis perpetui

inter Sereniſſimum Poloniae Regem, IOANNEM CASIMIRVM et Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum, FRIDERICVM WILHELMVM, anno 1657, die decima nona menſis Septembris, Velauiae, quae vrbs eſt in prouincia Pruſſiae Nadrauia, initi, in quo Electori, Brandenburgico Marchioni, ſupremum et abſolutum ducalis Pruſſiae dominium, atque praefectura Bytouienſis et Leunenburgenſis, in Barthonia Pruſſiae regalis prouincia in feudum maſculinum, ordinum regni Poloniae conſenſu, certis conditionibus, addicitur.

Nos IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia, Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex, ſignificamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis, contineri in actis metrices cancellariae Noſtrae minoris regni, literas infra ſcriptae tranſactionis, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, et eſt talis:

Actum Poſnaniae feria ſexta, poſt feſtum ſancti Martini pontificis et confeſſoris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia, Rex Poloniae etc. Significamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis, oblatam eſſe ad acta metrices cancellariae Noſtrae regni, infra ſcriptam ratihabitionem Noſtram tranſactionis, ſeu pactorum perpetuae pacis, cum Sereniſſimo Principe Domino FRIDERICO WILHELMO, Marchione Brandenburgenſi, S. R. I. Archicamerario et Principe Electore etc. initorum, requiſitumque a Nobis eſſe, vt eandem, ſilicet ratihabitionem, ad dicta acta ſuſcipi, et ex iiſdem authentice extradi mandaremus, cuius tenor de verbo ad verbum ſequitur et eſt talis:

IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia, Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae, Seueriae, Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex, vniuerſis et ſingulis, praeſentibus et futuris praecipue iis, quorum intereſt, ſignificamus, quod ad tractatum cum Sereniſſimo Principe Domino FRIDERICO WILHELMO Marchione Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario et praecipue Electore, Magdeburgenſi, Pruſſiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia, Croſnae et Carnouiae Duce, Burggrauio Noribergenſi, Principe Halberſtadii et Mindae, comite Marcae et Rauensburgi, Domino in Rauenſtein, certos conſtituerimus plenipotentiarios, illique cum Suae Serenitatis Electoralis plenipotentiariis congreſſi in articulos, qui ſequuntur, conuenerint.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vnici verique Dei, Amen.

Notum ſit omnibus, quod cum ſuperioribus annis, eoque ipſo tempore, quo Sereniſſimus et Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus IOANNES

NES CASIMIRVS, Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque haereditarius Rex, inclytumque Poloniae regnum, et magnus Lithuaniae ducatus Moſcouitico bello, Coſaciſque implicarentur turbis, Suecique infeſtis pariter armis, eandem peterent Poloniam, tandemque in Pruſſiam regiam ac ducalem irrumperent, ita vt ipſe Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICVS WILHELMVS, Marchio Brandeburgenſis, Sacri Romani imperii Archicamerarius et Princeps Elector, Magdeburgi, Pruſſiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae et Carnouiae dux, Burggrauius Norinbergenſis, Princeps Halberſtadii et Mindae, comes Marcae et Rauensburgi, Dominus in Rauenſtein, eiuſque ditiones et ſubditi infeſtis Suecorum armis ac hoſtilitatibus, conuocatis vndequaque contra ipſum Suedicis copiis ita peteretur, ac vrgeretur, vt cum ipſis ad pacta quaedam premente neceſſitate fuerit adactus, vndeque hoſtilia quaedam inter Sereniſſimum Poloniae Regem et Sereniſſimum Brandeburgicum inſecuta patrataque fuerint, tandem per ſingularem Dei gratiam clementiamque, interueniente et mutuam concordiam Sereniſſimo ac potentiſſimo Principe ac Domino, Domino LEOPOLDO, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniaeque Rege, Archiduce Auſtriae, Duce Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolaeque, per ipſius conſiliarium camerae aulicae, et ad hoſce tractatus ablegatum, illuſtriſſimum et excellentiſſimum Dominum, FRANCISCVM de LISOLA, Dominum in Tyſſen et Marienfeld, conciliante, tam Sacrae Regiae Maieſtatis, quam Suae Serenitatis Electoralis plenipotentiarii, ex parte quidem Suae Regiae Maieſtatis Poloniae, Reuerendiſſimus, illuſtriſſimi et excellentiſſimi, Dominus, VENCESLAVS, comes in Leſzno, LESCZYNSKI, epiſcopus Varmienſis, et Dominus VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, ſupremus theſaurarius et campi ductor magn. D. Lithuaniae, Vieliſenſis, Panenſis, Marcouienſis gubernator, oeconomiarum Oliuenſis et Graudentenſis adminiſtrator, ex parte vero Serenitatis Electoralis, illuſtriſſimi et excellentiſſimi domini, dominus OTHO liber baro a SVERIN, dominus in Landsberg, Oldewichshagen et Drevitz, haereditarius electoratus Brandeburgenſis camerarius, Sereniſſimi Electoris Brandeburgenſis conſiliarius ſtatus intimus, et negotiorum feudalium director, nec non Sereniſſimae Electricis ſupremus aulae praefectus, capitaneus in Oranienburg, et dominus CHRISTOPHORVS a SOMNITZ, haereditarius camerarius in ducatu Pomeraniae, eiuſdem Serenitatis Electoralis conſiliarius ſtatus intimus, cancellarius in Pomerania ducali et capitaneus Neoſtetinenſis, neceſſariis ad hoc inſtructi mandatis, perpetuam pacem concordiam atque amicitiam inter praedictum Sereniſſimum ac Potentiſſimum Regem, magnumque Lithuaniae ducem, eiuſque ſucceſſores et regnum Poloniae, magnumque ducatum Lithuaniae, tum Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, Pruſſiae ducem, eiuſque ſucceſſores, his, quae ſequuntur, conditionibus pacti ſint, inſtaurarint atque concluſerint.

Articulus I.

Praedicta pax, quemadmodum in perpetuum fida et ſincera erit, ita hoc ipſo momento omnis inter vtramque partem, vtriuſque partis copias, milites ſubditoſque hoſtilitas ceſſabit, neutra pars in alterius damnum quidquam tentabit, aut tentari patietur, ſed alterius gloriam vtilitatem et ſecuritatem modis omnibus promouere ſtudebit. Quicquid vero durantibus hiſce bellis vni vel alteri parti, tam in regno Poloniae, quam in Pruſſia ducali aut ſingulis eorum incolis,

ab vna vel altera parte, damnorum, iniuriarum, moleſtiarumue, ſiue per vim atque expeditiones militares, ſiue per exactiones, ablationes, aut alios modos, illatum fuerit, illud omne, vtpote perpetua obliuione ſepultum, nunquam exſuſcitabitur, nec eo nomine tam Sacra Regia Maieſtas, regnumque Poloniae, aut prouincia aliqua eidem vnita, aut ſubditorum quiſquam, cuiuſcunque gradus aut conditionis fuerit, quam Serenitas Sua Electoralis eiuſque ſubditi, milites et miniſtri poterunt ſe inuicem, aut ſingulorum haeredes, vel terras, ditiones, belli duces, milites, ſubditos conuenire, compellare, aut quidquam ab iis petere aut poſtulare, multominus vi extorquere, ſed iſta omnia vtrinque abolita erunt, ac deinceps alter alterius commodum promouebit, damna autem mutuo auertet, ſaluis nominibus et debitis ciuilibus inter regni, magni ducatus Lithuaniae et huius ducatus incolas, ante vel durante hoc bello, contractis, quibus ſoluendis vnuſquiſque teneatur, neque iis, qui praeſidia Electoralia per hoc bellum habuerunt, aut quouis modo cum Sereniſſimo Electore, aut eius officiariis in regno Poloniae contraxerunt, hoc omne reſpectu amicitiae et interceſſionis Suae Serenitatis Electoralis, a Sua Regia Maieſtate ipſis indulgebitur, et nulla in re ipſis contra priſtina iura reliquaſque libertates omnes, qualeſcunque ſint, abſque vlla exceptione aut reſeruatione, quibus antea fruebantur, praeiudicium erit.

Articulus II.

Qui huius belli cauſa a Polonis et Electoralibus capti fuerunt, ſine lytro et relicta ipſis ſuppellectile, quae exſtabit, priſtinae libertati reddantur, ſi qui vero alterius partis ſigna ſecuti fuerint, atque militiae ſe addixerint, iſti relinquantur parti, nec repoſcantur, bona immobilia et literaria documenta, quae ab vtraque parte ratione huius diſſenſionis arreſtata, vel fiſco addicta fuerunt, legitimis eorum dominis reſtituantur, non obſtantibus quibuſuis donationibus a quocunque vel quouis titulo factis.

Articulus III.

Vtraque pars in modernis hiſce bellorum tempeſtatibus ſedulo communi ſaluti et defenſioni intenta erit, contra quoſcunque illius perturbatores, pacique et mutuae ſecuritati ſtabiliendae, pellendiſque e regno Poloniae, magno ducatu Lithuaniae, et ducatu Pruſſiae hoſtibus, vnitis conſiliis, viribus et conatibus incumbet, non obſtante quouis alio nexu ac conuentione, quae huic aequiſſimae intentioni et reciprocae obligationi obſtare poſſe viderentur, vigore autem huius pacti pro reſciſſis habentur.

Articulus IV.

Sereniſſimus Elector omnia, quae per vniuerſum Poloniae regnum, magnumque ducatum Lithuaniae et epiſcopatum Varmienſem per hoc bellum, aut per tractatus Suecicos quocunque titulo occupauit, ac ipſo facto poſſidet, ſtatim atque haec conuentio a Sua Regia Maieſtate et Senatoribus ac praecipuis regni aulaeque officialibus Eidem aſſiſtentibus ratihabita fuerit, reſtituet plenarie et abſque vlla reſeruatione. Euacuatio locorum fiat per commiſſarios vtriuſque partis communi conſilio iuxta ſolitam belli rationem, abſque iniuria et moleſtia vlla incolarum, et ſine demolitione fortalitiorum nouorum et antiquorum, niſi id ex communi partium conſenſu, quibuſdam in locis, expedire videatur, et ſine ablatione rei tormentariae, ad epiſcopatum ſpectantis, quorum intuitu et aliorum praeſertim, infra ſpecificatorum, et aliis iuſtis de cauſis, ducatum Pruſſiae iis finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim iure feudali, ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps et deſcendentes eiuſdem maſculi,

maſculi, ex toro eius legitime prouenientes, indeque deſcendentes omnes, donec quiſquam ſupererit ex deſcendentibus maſculis Suae Serenitatis Electoralis, iure ſupremi dominii cum ſumma atque abſoluta poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque abſque omnibus antehac praeſtitis oneribus.

Articulus V.

Quanquam vero Sereniſſimus Elector, eiuſque deſcendentes omnes maſculi omni prorſus vaſſalagii nexu, quo hactenus Regi et reipublicae Poloniae obſtricti fuerunt, iiſque omnibus, quae inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde ſequitur, ſed deficientibus maſculis ex praememorata linea legitima Electorali deſcendentibus, Sereniſſimis Regibus et reipublicae Poloniae ius ſuum integrum in praefatum ducatum reſeruatur, et tali pacto praefatus ducatus a republica Poloniae non auelletur, quae tamen reſeruatio, interim, ante caſum exiſtentem, iuri ſupremi dominii Serenitatis Suae Electoralis, eiuſque deſcendentium nullo modo praeiudicabit.

Articulus VI.

Promittit etiam Sua Regia Maieſtas, tam pro ſe, quam ſucceſſoribus ſuis, ſe, in caſu non exiſtentium deſcendentium, ſpecialem habituros rationem agnatorum Serenitatis Suae Electoralis, nimirum domus Culmbacenſis et Onolsbacenſis et officia collaturos apud regni comitia, vt, caſu caducitatis exiſtente, etiam illi aliis praeferantur, et ad ſucceſſionem praefati ducatus admittantur, ſub iiſdem feudi conditionibus et obligationibus, quibus hic Sereniſſimus Elector, eiuſque anteceſſores illum vigore inueſtiturae poſſederunt.

Articulus VII.

Sua Regia Maieſtas atque reſpublica Poloniae hoc ipſo exſoluunt ſtatus, officiales, omneſque Pruſſiae ducalis ſubditos priori iuramento, quo hactenus obſtricti fuerunt: cuius loco Sereniſſimus Elector iuramento ſe ac ſubditos omnes Pruſſiae obſtringet ad obſeruantiam horum pactorum et foederis perpetui in termino extradendae ratificationis, et praeter ea vniuerſi Pruſſiae ordines, magiſtratus, officiales, arcium, portuum, fortalitiorum, ciuitatum praefecti iurabunt, ſe, caſu caducitatis exiſtente, Sereniſſimum Regem ac rempublicam Poloniae pro ſolis et immediatis dominis agnituros, idque in ſingulis ducum Pruſſiae homagiis coram deputatis Sereniſſimi Regis ac reipublicae Poloniae repetent, iuxta formulam iuramenti ſpecialem, quae hic ſequitur, de die vero ad praefatum iuramentum decernenda cum Sua Regia Maieſtate, vel eiuſdem legatis conueniet. Ego N. N. iuro, quod, caſu caducitatis exiſtente, quo poſſeſſio plenumque dominium ducatus Pruſſiae, ad Suam Regiam Maieſtatem Poloniae et rempublicam pertinebit, iuxta tenorem tractatus inter Suam Regiam Maieſtatem et Serenitatem Suam Electoralem, die decima nona menſis Septembris anno 1657 initi, Sereniſſimum Regem Poloniae eiuſque Succeſſores et rempublicam pro ſolis et legitimis ac immediatis dominis meis agnoſcam, eiſque debitam fidem et obedientiam praeſtabo. Sic me Deus adiuuet, per Ieſum Chriſtum Amen.

Articulus VIII.

Deficientibus maſculis deſcendentibus ex linea Electorali praeſenti, ſuperſtitibus foeminei ſexus Marchioniſſis deſcendentibus, aut his non extantibus, propinquo gradu agnationis Suam Serenitatem Electoralem eiuſque poſteros attingentibus, quiſquis in Pruſſiae ducatu tum temporis ſuccedet, ſummam perſoluet, de qua inter Sacram Regiam Maieſtatem et Serenitatem Suam Electoralem

conueniet, in ipsa ratificatione, quae ibidem exprimetur, donec autem exsoluta fuerit, occupare aut possidere dictis Marchioniſſis, aut supra dictis proximis haeredibus licebit praefecturam Insterburgensem cum omnibus eo spectantibus praediis et praefecturis camerae, quas vocant vulgo, Kammer - Aemter dictis, iisque omnibus omni meliori modo vti, frui debebunt, hac tamen lege, vt quidquid ex fructibus dictae praefecturae percipient, illud in defalcationem et extenuationem praefatae summae capitalis imputetur, qua persoluta, tenebuntur illam praefecturam cedere vltimis Prussiae possessoribus, nec vltra illam quid praetendent. Sereniſſimus Elector, eiusque descendentes masculi, Barones, nobiles, ciuitates et magistratus, ac subditos omnes Prussiae, cuiuscunque gradus et conditionis sint, in auitis receptisque statutis iuribus et libertatibus huic conuentioni non derogantibus conseruabunt, nec quidquam in contrarium attentabunt, aut innouabunt, aut a quouis attentari aut innouari patientur, ipsis quoque iustitiam iuxta ius Prussiae vsitatum et receptum caeteraque statuta et consuetudines administrari curabunt, si quis in inferioribus instantiis grauatum se praetenderit, ad supremum tribunal appellationum, a Serenitate Sua Electorali in Prussia ducali erigendum, prouocare poterit, ibidemque decenti modo ius suum persequi, vlterior prouocatio, siue ordinaria siue extraordinaria aut quocunque nomine veniat, nullum inueniat locum. Praeses autem et assessores istius apellationis iudicii, a Serenitate Sua Electorali, eiusdemque descendentibus masculis, constituentur ex Prussiae ducalis indigenis et terrigenis, iisque illi iuramentum praestabunt, nec subditi querelas suas ad Regem, regnum Poloniae, vllo modo deferre poterunt, aut ab eis admitti. Similiter Sua Regia Maiestas ac respublica Poloniae promittunt, casu deuolutionis existente, se praememoratas statuum Prussiae libertates, priuilegia, statuta, consuetudines iuraque recepta, integra atque salua dictis statibus deinceps semper conseruaturas, illosque in quieta et tranquilla possessione eorum omnium manutenturas, nihilque in iis omnibus innouaturas. Loco vassalagii pristini Sereniſſimus Elector eiusque descendentes perpetuo ac inuiolabili foedere Sereniſſimo Regi ac regno Poloniae coniungentur, per quod vtriusque partis stabiliatur in perpetuum securitas, in eum, qui sequitur, modum. Sereniſſimus Elector eiusque descendentes fidam cum Sereniſſimis Regibus, regnoque Poloniae et magno ducatu Lithuaniae colent amicitiam et vnionem: nunquam cum Sereniſſimorum Regum vel regni hostibus aliquod foedus directe vel indirecte inibunt in praeiudicium Regis et reipublicae, transitum hostibus per ditiones Suas, portus et propugnacula, annonam quoque et commeatum ac qualecunque subsidii genus ipsis denegabunt, nec portus suos ac munitiones ipsis quocunque modo vel titulo in possessionem tradent, subsidia quae in hoc praesenti bello Serenitas Sua Electoralis Sereniſſimo Regi ac reipublicae Poloniae conferre tenebitur, illa in particulari tractatu, hac de re inito, specifice designata sunt ac limitata, quae conuentio vigore praesentis pacti per omnia seruanda erit. Quoties autem finito hoc bello, nouum aliud bellum contra Sereniſſimum Regem ac rempublicam Poloniae orietur, Sua Electoralis Serenitas, eiusque descendentes, tenebuntur 1500 pedites et 1500 equites Sereniſſimo Regi ac regno Poloniae subministrare, quibus, postquam ex ducatu Prussiae ducalis educti fuerint, Rex regnumque Poloniae sustentationem subministrabunt. Viciſſim vero Sereniſſimus Rex eiusque successores et regnum Poloniae ac magnus ducatus Lithuaniae reciprocam cum Serenitate Sua Electorali eiusque Successoribus seruabunt amicitiam, nullum hostibus ipsius aditum in Suae Serenitatis Electoralis terras concedere, sed potius defensioni, conseruationi ac securitati ducatus Prussiae omnibus modis consulere debebunt, praesertim si huius conuentionis

tionis vel subsidii missi causa, de quo supra, Sereniſſimo Electori eiusque successoribus quisquam, vel quicunque fuerit, siue in praesenti siue deinceps, bellum indicere, aut ducatui Prussiae inferre voluerit, Sereniſſimus Rex et regnum Poloniae adaequato ipsi subsidio subuenire tenebuntur: copiis regiis, per Prussiam ducalem, quando opus fuerit, iter patebit, sine maleficio tamen noxa aut damno vllo incolarum. Ordinabit quoque Sereniſſimus Elector eiusque descendentes, itinerum rationes, et quidquid inde pendet, idque vt eo rectius fieri possit, mature aduentum exercitus Polonici aut turmarum, Sereniſſimo Electori aut posteris eius, vel in absentia eorum, iis, quibus gubernatio ducatus commissa fuerit, a Sua Regia Maiestate vel regni generalibus, vulgo Feldherrn indicandus erit, ordinationi autem praedictae exercitus Polonicus eiusque duces parere necesse habebunt. Pariter liberum erit Serenitati Suae Electorali, eiusque posteris Prussiae ducibus, eadem ratione et cautelis supra memoratas per Poloniam et Prussiam regalem, copias militares ducere nauibus vtriusque partis propriis, si liber cum omnimoda securitate praestanda aditus atque transitus per portus, qui sunt in alterutrius partis dominio, absque praeiudicio commerciorum atque fortalitiorum et cum omnimoda eorundem securitate, de qua inter partes deinceps conueniet. Libera quoque erit vtrique parti in alterius ditionibus, annonae, commeatus ac omnis subsidii bellici coemptio, vtraque pars in alterius partis terris militem conducere poterit, illam tamen nomine amici prius compellabit, atque desuper inter vtramque partem de modo conueniet, prout foederis atque amicitiae ac temporum ratio expostulabit, et hoc semper obseruabitur, ne vllum in partibus incommodum, aut subditis damnum afferatur. Exercitium religionis catholico Romanae, prout ante hoc bellum Suedicum, iuxta antiqua et recentia pacta, in Prussia ducali viguit, aut vigere debuit, conseruabitur, aut restituetur. Liberum erit eam profiteri volentibus, nec vllus vnquam ex ducalibus subditis, iam eam profitentibus, aut in posterum professuris, eam ob rem interpellabitur. Sacella itidem et oratoria ac bona omnia ecclesiastica ipsis appertinentia vbiuis, tam in confinibus, quam alibi, integra tuta et concessa illis erunt, iidemque liberum ex doctrina institutisque catholicae Romanae religionis exercitium habebunt: eo nomine turbabitur perdeturue nemo, neque religionis catholicae causa vllam vim, iniuriam, contumeliam molestiamue perferet, et quicunque eos aliqua iniuria affecerit, seuere punietur: ad munera et honores, iis, qui ex catholicis idonei fuerint, liber erit aditus: quicunque etiam in ducatu catholici Barones, nobiles, ciuitates, iura patronatus legitimis acquisiuerint modis, in locis, vbi iura illa ipsis competunt, iisdem vti ac frui, absque impedimento ac contradictione poterunt. Si vero alii compatroni non Romanae religioni addicti fuerint, interque eos lis super eius exercitio oriatur, a commissariis a Serenitate Sua Electorali ex vtraque religione pari numero constituendis componetur, vel decidetur, iuxta praescriptum iuris canonici: templum quoque Regiomontanum cum suo coemeterio et locis ad id pertinentibus ac fundatione aliisque iuribus praeceptis, in eo statu, quo ante hoc bellum fuerunt, aut esse debuerunt, conseruabitur. Personae ecclesiasticae iis immunitatibus et foro in posterum gaudebunt, quibus hactenus gauisae sunt, aut gaudere debuerunt, iuxta pacta priora. Iurisdictio spiritualis Reuerendiſſimi et Excellentiſſimi domini episcopi Varmiensis, iuxta pacta, intacta et integra conseruabitur, in parochum et omnes alias ecclesiasticas personas catholicae religioni addictas, omnibus denique iuribus, praerogatiuis ac libertatibus fruentur, quae tam in antiquis quam recentibus pactis et fundationibus contenta sunt, quae hic in hac solum materia denuo confirmantur, ac pro specifice expressis et declaratis habentur.

tur. Calendarium nouum hactenus vsitatum et receptum pariter retinebitur. Similiter Sereniſſimus Rex Poloniae et reſpublica pro ſe et ſucceſſoribus ſuis promittunt, quod in caſu deuolutionis, nihil in praeiudicium tam Auguſtano Lutheranae, quam Auguſtano reformatae religionis innouabunt, aut attentabunt. Commercia inter regni Poloniae, M. D. Lithuaniae et ducatus Pruſſiae incolas, libera erunt ac ſecura. Circa controuerſias vero quaſcunque ratione commercii et omnium inde dependentium, vel eo ſpectantium, aut quae ad illud, quocunque modo, referri poſſunt, commiſſio inſtituetur ad inſtantiam partis poſcentis, et omnia per commiſſarios ex vtraque parte, ad inſtantiam Sereniſſimi Regis, ſiue Suae Sereniſſimae Electoralis Celſitudinis, pari numero intra ſpatium duorum menſium nominandos, amicabiliter componentur. In dominiis vero vtriuſque partis, nulla noua teloniorum onera tam terreſtria, quam maritima, quae ante hoc bellum non fuerunt, in grauamen cuiuslibet imponantur. Quodſi aliqua e re communi, de nouo imponenda aut augenda videbuntur, id partium conſenſu fiat. Si ſuper limitibus inter vtramque partem aut ſubditos vtriuſque partis, ratione videlicet limitum, aut etiam inter Suam Regiam Maieſtatem ac ſucceſſores Reges, regnum Poloniae ac M. D. Lithuaniae, et Serenitatem Suam Electoralem eiuſque ſucceſſores circa obſeruationem ac executionem foederis ac praeſentis conuentionis, aliaue quauis de cauſa, aliqua dubitatio aut controuerſia exoriatur, per commiſſarios ad inſtantiam tam Suae Regiae Maieſtatis, quam Suae Serenitatis Electoralis intra bimeſtre ſpatium, ab vtraque parte aequali numero nominandos, (quique, ſi opus ſit in rem praeſentem veniant, amice componantur, ac definiatur de pretio, valore ac aeſtimatione monetae, liberoque eiuſdem curſu per vtriuſque ditiones,) quoties opus fuerit, amicabiliter conueniendum erit. Ad interceſſionem Sereniſſimi et potentiſſimi Hungariae et Bohemiae Regis, per praememoratum dominum ablegatum S. M. interpoſitam, nec non Sereniſſimo Electore Brandeburgico pro plenaria reſtitutione et omnimoda ſecuritate cognati principis, maiorem in modum inſtante, Sereniſſimi Regis Poloniae plenipotentiarii, perſpectam ac exploratam habentes Suae Regiae Maieſtatis, cum erga caeteros omnes ad obſequium redeuntes, tum ſpecialiter erga illuſtriſſimum Principem dominum Boguslaum Radziuil, Ducem Bierzarum, Dobinkorum, Sluciae et Copiliae, S. R. Imperii principem, non vno documento literario teſtatam benignitatem annuerunt et conſenſerunt, vt praefatus princeps, tanquam is, qui de facto cum debita ſubmiſſione ad priſtinam obedientiam, vna cum ſuis omnibus iam redierit, et omni cum hoſtibus commercio renunciarit, atque in poſterum Sereniſſimo Regi ac reipublicae obſequium ſuum fidele vouerit, non modo generalis amniſtiae beneficio frui ac gaudere poſſit, ſed etiam ſpeciali praeſentis tranſactionis vigore in ducatuum ſuorum patrimonia, et omnia bona ac iure ipſi legitime competentia, in forma pleniſſima vna cum ſuis reſtitutus, ac reſtituendus intelligatur, neque ratione iniuriarum, damnorum ac hoſtilitatum, quae in hoc bello, vel per ipſum, vel per eius miniſtros, aut milites acciderunt, per viam iuris aut facti, quiſquam negotium aut moleſtiam ipſi, aut partes ipſius ſequentibus faceſſere poſſit: ſed omnia fideli amneſtia et praeteritorum obliuione, huius quoque pacificationis vigore ſepulta cenſeantur, ſaluis nominibus et debitis ciuilibus, quae nihilominus perſoluenda erunt. Foedus hoc et omnia in hoc inſtrumento contenta ſancte ſeruatum iri, vtraque pars iuramento promittet, et in praeſenti quidem Sereniſſimus Rex Poloniae, ac Senatores eidem aſſidentes, hanc conuentionem ſolenniter ratihabebunt, ac iuramento firmabunt, promittentque in proximis comitiis, aut proximo conuentu, comitiorum poteſtatem habente, omnia quae his concluſa ſunt, ratihabitum iri, ſimiliter Sere-

Serenitas Sua Electoralis illum pari modo ratificabit, ac iuramento firmabit, atque hoc foedus perpetuum, quotieſcunque nouus Rex Poloniae electus fuerit, aut Dux Pruſſiae in ducatum ſucceſſerit, ab vtraque parte renouabitur confirmabiturque, iuramento deſuper praeſtito, per deputatos in animam principalium iurantes, et ſi pars alterutra huic conuentioni et foederi contrauenerit, et decenter admonita ſatisfacere neglexerit, pars laeſa monere tenebitur mediatores, ac Sereniſſimos Reges et ſtatus in articulo ſequente nominatos, et eorum curam adhibere procurandae ſatisfactioni, et huic ſtabiliendae concordiae rationi, vtraque pars ſedulo inſiſtet, vt omnia amicabili aequis modis componantur, pro ſecuritate et horum pactorum firmitudine.

Articulus IX.

Fidem quoque Suam, vt interponant Sereniſſimi et Potentiſſimi Reges Hungariae et Bohemiae, item Daniae, Noruegiaeque, denique praepotentes foederati Belgii ordines rogabuntur, vt iniuria aut vi, contra hanc conuentionem facta, laeſae parti omni meliori modo conſulatur, atque debita ab ipſis ſatisfactio procuretur. Confecta autem ſunt a ſupra nominatis dominis plenipotentiariis huius pacificationis et foederis, duo eiuſdem tenoris exemplaria, a Sua Regia Maieſtate Poloniae et ſenatoribus eidem aſſidentibus, atque a Sua Sereniſſima Electorali Celſitudine Brandenburgenſi, intra ſex ſeptimanas ab infra ſcripto die, ratificanda et iureiurando firmanda, atque vtrinque permutanda, quorum vnum Suae Regiae Maieſtatis dominis plenipotentiariis exhibitum, alterum vero Suae Serenitatis Electoralis dominis plenipotentiariis traditum, vtrumque autem in maiorem fidem maiuſque robur a ſaepe dictis dominis plenipotentiariis vtrius partis propriarum manuum ſubſcriptione, ſigillorumque appoſitione munitum et roboratum eſt. Acta haec ſunt Welauiae Pruſſorum die decima nona menſis Septembris, anno ſalutis humanae 1657.

VENCESLAVS de LESZNO, Epiſcopus Varmienſis, Sac. Reg. Maieſt. Poloniae et Sueciae plenipotentiarius. m. pp. (L. S.)

VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, ſupremus theſaurarius et campiductor M. D. Lithuaniae. S. R. Maieſt. Poloniae et Sueciae plenipotentiarius. m. pp. (L. S.)

FRANCISCVS de LISOLA, Sereniſſimi Hungariae et Bohemiae Regis Conſiliarius et ad hoſce tractatus pro mediatione ablegatus. m. pp. (L. S.)

OTHO, liber Baro, a SVERIN, plenipotentiarius Electoralis m. pp. (L. S.)

LAVRENTIVS CHRISTOPHORVS SOMNITZ, plenipotentiarius Electoralis. m. pp. (L. S.)

Specialis conuentio

inter Poloniae Regem et Brandeburgi Marchionem, de coniungendis armis, ad expurgandam quibuſuis hoſtibus Poloniam, Pruſſiaſque, Regiam et Ducalem, per eoſdem plenipotentiarios, iiſdem loco, anno et die tractata et concluſa.

Quandoquidem Deo clementer annuente, Sereniſſimus Elector Brandeburgenſis ad ſinceram pacem et amicitiam cum Sereniſſimo Rege ac regno Poloniae et magno ducatu Lithuaniae, a quibus violento bellorum ingruentium ac neceſſitatis ineuitabilis impulſu, inuitus auulſus erat, feliciter redierit, ac perpetuo

foedere ita ſe Sereniſſimo Regi ac regno Poloniae et M. D. Lithuaniae coniunxerit, vt mutuam vtilitatem, commodum ac ſecuritatem, ſincere procurare ac promouere teneantur. Ad quem ſcopum attingendum nil expeditius viſum fuit, quam vt communi ope, viribus ac conſilio arma et ſtudia coniungerentur, ad expurgandam quibuſuis hoſtibus Poloniam, et totam Pruſſiam Regiam et Ducalem periculo liberandam, ac remouendum omnia obſtacula, quae communem vtriuſque partis tranquillitatem impediunt, et optatam pacem eo citius et efficacius conſequendum: circa quod ſpecialis conuentio inter partes, per eoſdem Reuerendiſſimum, illuſtriſſimos et excellentiſſimos Dominos, vtriuſque partis plenipotentiarios, in pacis inſtrumento nominatos, ſtabilita fuit, in eum, qui ſequitur, modum: Sereniſſimus Rex, regnumque Poloniae et M. D. Lithuaniae, durante hoc bello, requiſito armorum ac militum praeſidio, Sereniſſimo Electori Brandeburgenſi, eiuſque ſtatibus ac prouinciis, tam in imperio, quam hic in Pruſſia contra praememoratos hoſtes, vel quoſcunque eorum confoederatos et adhaerentes, quoties exiget, ſuccurrent, quibus Sereniſſimus Elector, quoties pro ſua defenſione in propriis ipſius prouinciis militabunt, victum et ſubſiſtentiam, prout proprio ſuo militi ſuppeditabit. Similiter Sereniſſimus Elector Brandeburgenſis pro communi partium vtilitate toto hoc bello durante, inſtructum cum omnibus pertinentiis et re tormentaria habebit exercitum, ſex millium militum partim equitum partim peditum, quibuſcum, vel ipſe contra ſupra deſcriptum hoſtem aget, aut cum Polonis coniunget, iuxta rerum exigentiam, habito deſuper communi conſilio, quibus etiamſi plures fuerint, ſimiliter Sereniſſimus Rex ac reſpublica Poloniae victum et ſubſiſtentiam, quam diu pro ipſis, et in ipſorum territoriis ſunt militaturi, ſubminiſtrare debebunt: nec Serenitas Sua Electoralis pendente hoc bello quidquam vltra praedictum militum numerum ſubminiſtrare tenebitur, niſi ſponte volet, ſi Sueci aut eorum aſſeclae coniunctionis odio, vel alio quouis colore, intra decennium poſt hoc bellum finitum, Sereniſſimum Electorem non ſolum in ducatu Pruſſiae, ſed et in imperio, armis ſuis infeſtare tentauerint, Sereniſſimus Rex Poloniae et reſpublica tenebuntur ipſis ſubuenire: et viciſſim eodem caſu Serenitas Sua Electoralis per totum illud decennium poſt confectam pacem tenebitur ſubſidium Sereniſſimo Regi et reipublicae ad ipſorum defenſionem, iiſdem vt ſupra conditionibus, ſuppeditare. De quibus auxiliis ſibi mutuo ferendis, ſpecialis fuit declaratio inter Suam Regiam Maieſtatem et Serenitatem Suam Electoralem, in ipſa ratihabitione. Liberum quoque erit Sereniſſimo Electori amplecti foedus inter Sereniſſimam domum Auſtriacam et Sereniſſimum Regem ac rempublicam Poloniae initum, ac ſecuritatibus omnibus, in illo comprehenſis, frui. Quando vtriuſque partis coniunctae fuerint copiae, expeditiones militares omnes communi conſilio et vtriuſque partis Generalium conſenſu ſuſcipientur; ſi in terris ad Serenitatem Suam Electoralem ſpectantibus, aut aliis in locis Suae Serenitatis Electoralis cauſa tantum bellum geratur, belli directio ad Serenitatem Suam Electoralem ſpectabit. Serenitate Sua Electorali vero abſente, omnia fient communi conſilio, et ſi opus fuerit, de directione inter principales conueniat, habito reſpectu ad diſcrimina generalium. Similiter etiam, quando copiae Electorales pro Sereniſſimo Rege, aut republica Poloniae certabunt, idem iuris ſtatuetur, de caetero ſalua erit vtriuſque partis Generalis in milites ſuos iuriſdictio et aequalis et ſemper in milites vtriuſque partis laborum, ſecundum numerum eorundem proportionata diſtributio, in quocunque autem territorio copiae, tam Regiae, quam Electorales fuerint, ii, quibus annonae commeatuſque cura commiſſa fuerit, ex aequo vtriuſque partis militibus, ſecundum eorum numerum de ſuſtentatione proſpicient.

Neutra

Neutra pars poterit ſine alterius ſcitu, conſenſu, ac praeſentia deputatorum pacem, induciaſue cum hoſtibus paciſci, ſeu arma deponere, antequam vtrique parti de ſecuritate omnimoda proſpiciatur, ad plenariam ſatiſfactionem Sereniſſimi Electoris Brandeburgenſis, in pace cum Sereniſſimo Magno Moſchouiae Czare, cum omnimoda ſua ſecuritate et obſeruatione foederis perpetui, et conuentionis cum Sereniſſimo Rege ac regno Poloniae ac magno ducatu Lithuaniae initae. Caeterum, quum intuitu damnorum periculorumque, quae pendente bello Serenitati Suae Electorali ſubeunda erunt, aliiſque de cauſis, aequum viſum fuerit, Suae Regiae Maieſtati et reipublicae, vt propenſionem ſuam et regni erga Serenitatem Suam Electoralem, eiuſque inclytam domum re ipſa demonſtrarent, et illorum omnium dignam haberent rationem, aliquam ſibi congruam ſatiſfactionem concedere, et praeter ea Sua Serenitas Electoralis certam pecuniae ſummam, vel contributiones ad belli ſumtus et neceſſarios militum delectus praetenderit, reuerendiſſimus, illuſtriſſimi et excellentiſſimi domini plenipotentiarii Suae Serenitatis Electoralis deſiderio plene ſatiſfacere ſumme optauerint, atque nonnulla, quae circa hoc punctum in mandatis habuerunt, declararint, tamen cum ad complanandum hoc negotium penitus atque ſufficienter inſtructi non fuerint, res iſta ad vlteriorem Suae Regiae Maieſtatis declarationem aut conuentionem in ipſa ratihabitione faciendam remiſſa eſt, ita, vt nihilo minus pax interea concludatur. Interea vero Serenitas Sua Electoralis declarat ac proteſtatur, ſe ante praedictam declarationem ſeu ratihabitionem nullo modo velle obligari ad executionem eorum, quae in articulo quarto conuentionis principalis de euacuatione locorum conuenta ſunt. Quae omnia ſancte et inuiolate obſeruatum iri pars vtraque ſub fide ſua et iuramento promittit, prout ex nunc reuerendiſſimus, illuſtriſſimi et excellentiſſimi domini plenipotentiarii nomine Sereniſſimorum Suorum principalium de facto promittunt, ſeque intra ſex hebdomadas Sereniſſimi Regis ac Senatorum Eidem aſſidentium, vti et Serenitatis Suae Electoralis ratihabitionem, nec non etiam in proximis regni comitiis eorum omnium, quae hic acta et concluſa ſunt, plenam confirmationem procuraturos. In quorum fidem haec a ſaepe dictis plenipotentiariis propriarum manuum ſubſcriptione ſigillorumque appoſitione munita roborataque ſunt. Welauiae Pruſſorum, die decima nona menſis Septembris, anno ſalutis humanae 1657.

VENCESLAVS de LESZNO, epiſcopus Varmienſis, S. R. Maieſtatis Poloniae et Sueciae plenipotentiarius. m. pp.
(L. S.)

VINCENTIVS CORVINVS GONSIEWSKI, ſupremus theſaurarius et campi ductor M. D. Lithuaniae, Suae Maieſt. Polon. et Sueciae plenipotentiarius. m. pp.
(L. S.)

FRANCISCVS de LISOLA, Sereniſſimi Reg. Hungar. et Bohemiae conſiliarius et admediationum horum tractatuum ablegatus. m. pp.
(L. S.)

OTHO liber Baro a SVERIN, plenipotentiarius Electoralis. m. pp.
(L. S.)

Ratificatio Polonica

foederis perpetui et ſpecialis conuentionis, qua a Poloniae Rege eiuſque regni ordinibus non ſolum ea, quae per plenipotentiarios Suos Welauiae Pruſſorum cum Brandeburgicis legatis concluſa fuere, hic repetita ſummario confirmantur, rerum et Pruſſiae duci Elbingam cum toto eiuſdem diſtrictu et territorio, pleno dominii iure a ſe tradendam, promittitur, et quae in foedere atque conuentione ad ipſum Regem eiuſque ordines remiſſa fuerant, vlterius declarantur, data Bidgoſtiae in Poloniae maioris ſatrapia Vladislauienſi, anno 1657. die ſexta menſis Nouembris.

Nos itaque IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolenſciae Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex hereditarius, teſtamur praeſentibus pro Nobis Succeſſoribuſque Noſtris Regibus et regno Poloniae ac magno ducatu Lithuaniae, Nos vniuerſa et ſingula capita pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona fide ex ſenatuſconſulto approbaſſe, confirmaſſe, et ratihabuiſſe, prout ea hiſce nunc ex ſenatuſconſulto approbamus, confirmamus et ratihabemus, promittentes verbo Regio et ſub fide praeſtiti, tam a Nobis, quam conſiliariis Noſtris, officialibuſque lateri Noſtro aſſidentibus, iuramenti, Nos praedictis pactis poſt haec conſtanter inhaeſuros, curaturoſque vt omnia et ſingula pactorum capita, quae a Noſtra parte, ac reipublicae Poloniae nomine promiſſa ſunt, ſancte et religioſe obſeruentur, imo impedituros, ne a quopiam violentur. Et quoniam nonnulla ad Nos in negotio coniunctionis armorum et aliis remiſſa ſunt, atque ſuper iis ſequenti ratione inter Nos et Sereniſſimum Principem Electorem ſupramemoratum conuentum eſt, modo infra ſcripto, ea ſecundum conuentionem initam addimus, illaque eandem vim atque vigorem cum ſuperioribus articulis ex ſenatuſconſulto habere volumus, atque hiſce tribuimus, pollicemurque eadem fide iurata, in proximis comitiis, omnia, quae ſuperioribus articulis continentur, et quae hic ſequuntur, omnium ordinum conſenſu confirmatum et ratihabitum iri. Igitur probe perpendentes, tum pericula, quae Suae Serenitati Electorali, terriſque ipſius, per ipſam ſeparationem a partibus Suecicis imminent, tum quanti interſit Noſtra atque reipublicae, vicinum Nobis principem iuſtis deuincire modis, tum in primis quanta quamque vtilia Nobis regnoque Poloniae, per effectiuam et actualem armorum Nobiſcum coniunctionem, praeſtare Sua Serenitas Electoralis deinceps poſſit officia, tam belli quam pacis tempore: ad demonſtrandam praeter ea ſingularem propenſionem Noſtram, regnique Noſtri, erga Suam Serenitatem Electoralem, eiuſque domum inclytam, Suae Serenitati Electorali, eiuſdemque poſteris maſculis ex legitimo thoro deſcendentibus, pariter ex ſenatuſconſulto et conſenſu dominorum conſiliariorum, tam ſpiritualium, quam ſaecularium regni Noſtri: duas praefecturas, Lauenburgenſem et Bitouienſem, cum omnibus et ſingulis eorum vaſallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, prouentibus, iuribus et pertinentiis vniuerſis tenendas, habendas, fruendas, vtendas ac poſſidendas in perpetuum, iure feudi, pro Nobis et ſucceſſoribus Noſtris Regibus Poloniae dedimus, conceſſimus, ac illum de eis ipſis arcibus et oppidis Bytau et Lauenburg inueſtiuimus, et tenore praeſentium damus et concedimus et inueſtimus, officiarios Noſtros et incolas quoſcunque ibidem, iuramentis et ſubiectionibus, quibus hactenus Nobis et reipublicae obſtricti fuerant, hoc ipſo exſoluentes. Praeter

ter ea de ampliori gratia et beneuolentia Noſtra Serenitatem eius ac illius haeredes ab omni iuramento, nec non tributis et exactionibus quibuſcunque Nobis et poſteris Noſtris, ratione dictarum arcium et oppidorum praeſtandis, dimittimus et liberos facimus, prout olim a ducibus Pomeraniae eaedem praefecturae Bytau et Lauenburg tenebantur. Pollicemur praeterea pro Nobis et ſucceſſoribus Noſtris, dictum Sereniſſimum Principem, ac eius haeredes in praedictis arcibus et earum pertinentiis, quantum in Nobis eſt, defendere ac tueri. Tenebitur autem et obligatus eſſe debebit, praefatus Sereniſſimus Elector eiuſque ſucceſſores ad ſingulas ſucceſſorum Noſtrorum Regum Poloniae coronationes, conſiliarios aut officiales ſuos mittere, qui hoc ipſum ius feudale de praefatis arcibus et oppidis, ad regnum pertinens, recognoſcent, et literas eius recognitionis et renouationis feudi, quae gratis illis debent dari, a nouis Regibus accipient. Quodſi aliqua legitima cauſa impedit, vt hoc officium et debitum in coronationibus ſucceſſorum Noſtrorum non fecerint, nihil ea negligentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio breui tempore poſt coronationem id praeſtare curauerint. Vbi vero ipſe Sereniſſimus Princeps, Dominus FRIDERICVS WILHELMVS, Marchio et Elector Brandeburgicus, in Pruſſia dux, etc. ſine legitimis maſculis feudi haeredibus, vel eorum legitimi maſculi feudi haeredes, non relicta prole virili decederent, ſtirpſque et progenies eorum maſcula et legitima deficeret, ex tunc praedictae arces et oppida, Bytau et Lauenburg, cum omnibus ſuis bonis, ſubditis, vaſallis, fructibus, libertatibus, iuribus, eminentiis et pertinentiis vniuerſis, ac cum pleno iure et poſſeſſione, citra omnem difficultatem, ad Nos et poſteros Noſtros Reges Poloniae redibunt. Et ſi quidem ad praeſens praefecturae iſtae a donatariis Noſtris poſſidentur, ideo vſumfructum ante hanc ceſſionem ipſis debitum, atque quidquid iuris in illis habuerunt vnquam, alia ratione, digniſque modis compenſabimus, ita vt vacua omnino poſſeſſio et plena fructuum perceptio Suam Serenitatem Electoralem ex hoc ipſo tempore manere, neque quiſquam Ipſi ratione ſatiſfactionis ſuae negotium faceſſere debeat. Religionis catholicae exercitium in praefatis praefecturis Lauenburg et Bytau, prout ad hanc vſque diem fuit, liberum erit. Iuriſdictio epiſcopi Vladislauienſis in templa catholica ſacerdoteſque, integra maneat, prouentus videlicet, decimae, cenſus, et ſi qui ſint alii, parochis et eccleſiis ſuis extradentur, et renuentes ad extradendum a praefectis eiuſdem Serenitatis cogentur. Cauſae tam nobilium quam et plebeiorum matrimoniales ad forum eccleſiaſticum pertinebunt, nobilitas, iuribus, priuilegiis, boniſque ſuis eodem modo, ac ſub immediato dominio Noſtro vtebatur, vtetur frueturque ſub Sua Serenitate Electorali. Decreta rerum iudicatarum, prout ſub immediato dominio Noſtro lata ſunt, inuiolata maneant, gubernationis et appellationum ratio eadem erit, quae fuit ſub ducibus Pomeraniae, ſaluis priuilegiis. Iura patronatus Regia reſeruantur eius Serenitati Electorali, et nobilibus, ſi quae habeant, iuxta priuilegia et vſum eorundem, ita tamen, quod iuxta declarationem, circa hanc conuentionem ab Eius Serenitate factam, ad eccleſias catholicas parochiales praeſentabit Eius Serenitas Electoralis, ſacerdotes catholicos, ad commendationem epiſcoporum Vladislauienſium, ab iiſdem epiſcopis Vladislauienſibus inſtituendos, ita, ne eccleſia duorum menſium ſpatio vacare poſſit. Propter eandem armorum coniunctionem, et ſupra memoratas alias rationes, Suae Serenitati Electorali, ciuitatem Elbingenſem, cum toto eiuſdem diſtrictu et territorio, pleno dominii iure ſibi habendam, poſſidendamque vna cum reditibus, qui inde ad Reges regnumque Poloniae olim deferebantur, concedimus, promittimuſque, quod quam primum ex poteſtate Suecorum erepta, aut recuperata fuerit, nemini, quam Suae Sere-

 nitati

nitati Electorali vacua eius possessio tradi debeat, citra vllas praetensiones, vel dilationes, praesidio Suae Serenitatis muniendam, sine vllo sumtu Regis et regni. Quam quidem ciuitatem Elbingensem eodem modo possidebit, tenebitque et ea fruetur, Sua Serenitas eiusque posteri, atque a Nobis et regno Poloniae, ad hoc vltimum bellum Suedicum a. 1655. tenebatur et possidebatur, etiam quoad commercia et iura aliarum ciuitatum Nostrarum Pruthenicarum, nulla praeterea noua telonea instituendo. Commissio, quoties opus erit, instituetur, ab vtraque parte pari numero commissariorum, vt omnium interesse habentium, ac in primis ciuitatum Nostrarum Pruthenicarum habeatur ratio, ne illae in suis commerciis omnibusque inde dependentibus praeiudicium patiantur, vtque grauamina ac praetensiones, quas inter se habere praetendunt, per commissionem aboliantur, vocatis ad diem commissionis ciuitatum earumdem Pruthenicarum deputatis. Religionis catholicae et Augustanae exercitium Elbingae liberum sit, statusque eiusdem religionis catholicae idem erit, prout ante hoc bellum fuit: iurisdictio episcopi, in sacerdotes catholicos, prout ante, integra maneat. Ius patronatus eiusdem ecclesiae Elbingensis catholicae ad Nos spectabit. Templum catholicis ademptum restituetur, prouentusque et fundi omnes ecclesiae catholicae, quibus ante hoc vltimum bellum Suedicum vtebatur, fruebaturque, reddentur. Catholicis praeter ea ad magistratum accessus patebit. De summa iuxta articulum octauum foederis perpetui exsoluenda conuentum est, quod haeredibus in dicto articulo designatis et descriptis, in casu ibidem expresso, summa centum quinquaginta millium Talerorum imperialium solui debeat. Quae omnia cum bene expressa ex senatusconsulto peracta atque concluſa sint, in eorum fidem et maius robur, hoc instrumentum manu Nostra subscriptum, sigillo insuper regni Nostri muniri iussimus. Actum Bidgostiae die sexta mensis Nouembris, anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Regnorum Nostrorum Poloniae nono, Sueciae vero decimo anno.

Concessio

summae centum viginti millium Talerorum, et obligatio capitaneatus Drahimensis Sereniſſimo Electori Brandeburgensi.

IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, etc. significamus praesentibus literis Nostris, vniuersis et singulis, praesentibus et futuris, praecipue iis, quorum interest. Quod ad tractandum cum sereniſſimo Principe, domino FRIDERICO WILHELMO, Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario, et Principe Electore, etc. certos deputauimus plenipotentiarios, illique cum Suae Serenitatis Electoralis plenipotentiariis congressi, post constituta pacificationis et perpetui foederis, inter Nos, regnique Poloniae, ac eius Serenitatem Electoralem pacta, praeter ea in alios de coniunctione armorum articulos, quos pactis perpetui foederis adiunctos, hic pro insertis haberi volumus, conuenerunt, ac denique nonnullos ex iisdem ad Nostrum mutuum congressum et colloquium distulerunt: inter alia, quae ad Nos supra dicti plenipotentiarii vtrinque deputati reiecerunt et remiserunt, illud quoque articulo tertio, de coniunctione armorum reiectum et remissum est, vt mutuo consensu determinaremus, cum eius Serenitate Electorali quantitatem et qualitatem copiarum, quibus intra decennium post hoc bellum finitum, alter alteri subuenire teneatur. Itaque in hunc modum inter Nos conuenimus, videlicet: quod Nos seu successores Nostri Reges et regnum Poloniae, octo millia militum,

militum, hoc est, quinque millia equitum, tria vero millia peditum, Eius Serenitati Electorali, seu Serenitatis Eius successoribus auxilii nomine submittere debebimus. Sereniſſimus vero Elector, Nobis ac successoribus Nostris et regno Poloniae medietatem harum copiarum, hoc est: duo millia equitum, et duo millia peditum submittere debebit. Quod vero attinet summam pecuniae, quam a Nobis et regno, Eius Serenitatis Electoralis ad belli sumtus et necessarios militum delectus poposcit, quoniam id quoque ad Nos, articulo sexto, tractatu de coniunctione armorum, reiectum et dilatum est, concessimus et concedimus eius Serenitati Electorali, ad sumtus belli et delectus militum, quos toto hoc bello, siue citius siue tardius finiendo, faciet, summam centum viginti millium Talerorum, semel pro semper, intra tres annos a data praesentium, exsoluendam, ita, vt quolibet anno per hoc triennium, quadraginta millia Talerorum imperialium, Nos et respublica soluere teneatur. Maioris autem securitatis causa, et in euentum non solutionis summae praefatae, centum viginti Talerorum, cum consilio dominorum consiliariorum Nostrorum, tam spiritualium, quam saecularium, et ex senatusconsulto inscribimus et obligamus arcem et oppidum Drahim, vigoreque praesentium in eundem capitaneatum Drahimensem intromittimus eius Serenitatem Electoralem, cum omnibus eiusdem praefecturae Drahimensis vasallis, subditis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, prouentibus et pertinentiis vniuersis ac singulis, nihil excipiendo, vel Nobis, aut regno, aut successoribus Nostris reseruando, pleno dominii iure, cum omnibus vtilitatibus inde venientibus, tenenda, habenda, et possidenda, eousque, quoad praedicta centum viginti millium Talerorum imperialium summa, Suae Serenitati Electorali, vel eiusdem posteris, realiter pleneque exsoluta fuerit. Et quidem tali ratione, vt post exitum triennii, a data praesentium, in casum non subsecutae solutionis, supra memorata Sua Serenitas Electoralis, vel eiusdem posteri, praedictam praefecturam Drahimensem, cum omnibus eiusdem pertinentiis supra expressis, propria auctoritate, facta tamen prius solutionis requisitione et denuntiatione, sine additione alicuius officii, in possessionem accipere, indeque omnes fructus percipere, vsque ad plenariam inscriptae summae solutionem, ius potestatemque habeat. In quem casum Nos successoresque Nostri tenebimur et tenebuntur, possessorem vel tenutarium siue donatarium praedictae praefecturae, alia condigna ratione compensare, Suam Serenitatem et eiusdem haeredes, circa hanc inscriptionem tueri et contra quemcunque euincere. Et hanc quidem conuentionem, hisce literis comprehensam, superioribus pactis et articulis, generali ratificatione descriptis, addimus, eandemque vim et vigorem cum illis ex senatusconsulto habere volumus. Quodsi ob non persolutam praefatam summam intra decursum triennii, eius Serenitas Electoralis supradictam praefecturam Drahimensem in possessionem suam acceperit, tunc religionem catholicam Romanam in eo statu, quo nunc est, in eadem praefectura Drahimensi conseruabit. Ius patronatus autem ad beneficia ecclesiastica, in eadem Drahimensi praefectura sita, Nobis successoribusque Nostris Regibus Poloniae reseruamus. In cuius rei fidem praesentes manu Nostra subscriptas sigillo regni communiri iussimus. Datum Bidgostiae, die sexta mensis Nouembris, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

Cautio iuris in ducalem Prussiam

Illustrissimo Principi Domino CHRISTIANO WILHELMO, Marchioni Brandeburgensi.

IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniae, etc. etc. vniuersis et singulis, praesentibus et futuris, hasce literas visuris, praecipue quorum interest, significamus. Quod posteaquam ducalem Prussiam concessimus iure supremi dominii cum summa atque absoluta potestate Serenissimo FRIDERICO WILHELMO, Marchioni Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario et Principi Electori, etc. etc. Domino in Rauenstein, eiusque descendentibus masculis, ex thoro eius legitime procreatis, nihil per haec perpetui foederis pacta a die decima nona Septembris Velauiae inita, et die sexta Nouembris eodem anno MDCLVII, a Nobis confirmata, derogare voluimus, nec derogatum quicquam esse hisce literis Nostris declaramus iuri feudali, quod in eandem ducalem Prussiam illustrissimus Princeps Dominus CHRISTIANVS GVILIELMVS, Marchio Brandenburgensis pro se legitimisque suis haeredibus masculis, pactis, anno millesimo sexcentesimo vndecimo, cum Serenissimo glorioſissimae recordationis, Domino SIGISMVNDO III, Rege Poloniae, Sueciae, parente Nostro colendissimo et regno Poloniae initis, legitime acquisitum habet. Quod quidem ius ipsius inuiolatum illi seruatum iri, pro Nobis et Serenissimis successoribus Nostris pollicemur. In quorum fidem praesentes manu Nostra subscriptas, sigillo regni communiri iussimus. Datum Bidgostiae, die sexta mensis Nouembris anno Domini MDCLVII.

Exemptio incolarum ducalis Prussiae

a priori iuramento.

IOANNES CASIMIRVS, Rex Poloniae, etc. etc. significamus, quorum interest, vniuersis et singulis. Quod omnes et singulos ducalis Prussiae incolas, cuiuscunque status, dignitatis, praeeminentiae conditionisque fuerint, pro Nobis et Serenissimis successoribus Nostris, Regibus Poloniae et inclyto regno Poloniae, a praestitis, siue Nobis, siue antecessoribus Nostris regnoque Poloniae, super pace perpetua anni 1525. tum et transactione anni 1611. iuramentis, homagiis, sponsionibus, cautionibusque quibuscunque sponte, libere et de certa scientia absoluimus, dimisimus, relaxauimus, praesentiumque vigore absoluimus, dimittimus, relaxamusque, ita tamen, vt ad obseruationem pactorum foederisque perpetui, cum Serenissimo Principe Domino FRIDERICO GVILIELMO, Marchione Brandeburgico, S. R. Imperii Archicamerario et Principe Electore, Magdeburgi, Prussiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini etc. etc. Domino in Rauenstein, per commissarios, plenipotentiarios vtriusque Nostrum die decima nona Septembris, anni praesentis Velauiae initi et concluſi, ac a Nobis cum consensu dominorum consiliariorum Nostrorum, tam spiritualium, quam saecularium et ex senatusconsulto die sexta Nouembris, anno praesenti Bidgostiae additis certis articulis ratihabiti, Nostroque et senatorum ac officialium lateri Nostro assidentium, iuramentis confirmati pro se, posteris, successoribusque suis sese obstringant et iurent, coram commissariis Nostris, ea forma iuramenti, quae in praefatis pactis foederis perpetui praescripta est, iuxta quae eadem pacta Suae Serenitati Electorali, ac eiusdem posteris masculini sexus, eiusdem feudi haeredibus, quorum vllus eorum extiterit, omnem fidem obedientiamque praestent, et

si illorum nulli amplius extiterint, tunc demum illustrissimo Domino CHRISTIANO WILHELMO, Marchioni Brandeburgico (si tunc superuixerit) vltimo ex tribus olim fratribus simultanee 1611 cum Serenissimo Principe Domino IOANNE SIGISMVNDO, Marchione Brandenburgensi etc. etc. Duce in Prussia, inuestitis, fidem obedientiamque iuxta priora pacta praestabunt. In quorum fidem etc. etc. Datum Bidgostiae die sexta Nouembris 1657.

Assecuratio Elbingae,

regno Poloniae restituendae post exsolutionem summae.

FRIDERICVS GVILIELMVS, Dei gratia Marchio Brandeburgensis, S. R. Imperii Archicamerarius et Princeps Elector, Magdeburgi, Prussiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorumque, nec non in Silesia Crosnae, Carnouiaeque Dux, Burggrauius Norimbergensis etc. Princeps Halberstadii et Mindae, Comes Marcae et Rauensbergi, Dominus in Rauenstein, notum testatum facimus hisce reuersalibus Nostris, quod quanquam Sua Regia Maiestas Poloniae et Sueciae, in ratificatione et declaratione pactorum, inter Suam Regiam Maiestatem et rempublicam Poloniae, ac Nos, Welauiae die decima nona Septembris anni praesentis initorum, et postea Bidgostiae confirmatorum et iuratorum, in satisfactionem pleno iure dominii, vrbem Elbingensem concesserit: Nos tamen intuitu, et ratione factae Nobis remissionis quingentorum equitum de subsidio duorum millium, vigore supradictorum pactorum foederis perpetui reipublicae Poloniae alias praestandorum, tum respectu declarationis, nomine Suae Regiae Maiestatis et reipublicae factae, quod muri atque fortificationes omnes dictae vrbis Elbingensis ante retraditionem per Nostros praesidiarios destrui debeant, promisisse, et Nos haeredesque Nostros obstrinxisse, quemadmodum hisce promittimus et obstringimus, quod dictam vrbem cum territorio, solutis Nobis a Sua Regia Maiestate et regno Poloniae, ex propria pecunia publica quadringentis millibus Talerorum imperialium, a Sua Maiestate oblatis, iterum Suae Regiae Maiestati, Eiusdemque successoribus et regno in proprium vsum, pro se tantum eam redimentibus cedere et retradere tenebimur et posteri Nostri tenebuntur. In cuius rei fidem haec manu Nostra subscripsimus, et sigillo Nostro Electorali firmari iussimus. Datae Bidgostii die sexta mensis Nouembris anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

* * *

Adiectis quibusdam documentis, quae ad explicanda meliusque intelligenda eorum, quae RVDAVSCIVS de negotiis pacis, Poloni Regis cum Sueciae Rege et Electore Brandenburgico, dixit, facere possunt, placet nunc IOANNIS CASIMIRI historiam, breuiter ab anno MDCLX, vsque ad annum MDCLXVIII, quo se regno abdicauit, delineare, vt vno in volumine gesta et memorabilia huius Regis integra habeantur.

Facta cum Suecis pace Oliuae, Polonia viribus suis vti melius contra Moschos et Cosacos, qui iis adhaerebant, potuit, et non iniquo marte, ducibus SAPIEHA, supremo Lituaniae belli ministro, et CZARNECIO, Russiae palatino, contra Moschos, eorumque belli ducem CHOWANSCIVM, a Polonis dimicatum fuit, qui, profligato d. XXVII Iunii Chowanscio, quadraginta tormentorum, centum et quadraginta vexillorum praeda potiti fuere, quam ob causam obsidio propugnaculi LACHOWICZE a Moschis soluta. In Vkraina armis etiam bono euentu decertabant POTOCIVS et LVBOMIERSCIVS, belli duces Poloniae, contra Moschorum belli ducem SZEREMETVM ad Slobodyszcz, bellumque 1660

sequenti anno sine dubio fuisset continuatum, nisi Rex Casimirus longe alia in animo volutasset, miles praeter ea ob non accepta stipendia tumultuari coepisset.

1661 Regina Poloniae LVDOVICA MARIA CASIMIRO Regi marito liberis orbo, valde persuadebat, vt, eo adhuc viuo, regni successor eligeretur. In animo enim habebat principi de CONDE, Regio Galliae sanguine nato, ducta Sororis suae in matrimonium filia, Regium Poloniae solium procurare. Hunc in finem Rex, qui multa ex Reginae arbitrio consilia iniuit, Czenstochouiae mense Ianuario, habito Senatus consilio, procerum hac de re sensum indagabat, qui hunc Regis conatum nominum subscriptionibus probarunt. Quo facto haec res in comitiis prouincialibus, comitia generalia praecedentibus, valde commendata a Rege fuit. Varii Regis sententiae de nouo eligendo successore applaudebant, inter quos Varmiae episcopus WYDZGA Princeps erat, varii contrarii erant, qui hac nouitate liberam Regis electionem, omnium reliquarum nobilitatis immunitatum fundamentum concuti sibi persuadebant. Cum haec res in comitiis generalibus agitaretur, ANDREAS MAXIMILIANVS FREDRO, castellanus Leopolienſis, publice Regi auctor fuit, vt ab hoc desisteret proposito, futuro omnium dissensionum fonte. Duo etiam ex nuntiis potissimum erant, qui contradicebant futuri successoris electioni, STEPHANVS LEDICHOWSKI, succamerarius Cremenecensis et LEWALT POWALSKI, nuntius Podolienſis. Nil amplius ergo hoc de negotio in comitiis actum fuit. Exercitus autem, ob non soluta stipendia, mutuum foedus, quod confoederationem in Polonia dicunt, iniere, exercitus Poloni IOANNE SAMVELE SWIDERSKI, Lituani vero CASIMIRO CHWALIBOG ZYROMSKI, mareschalcis ducibus. Rex ad auertendos exercituum tumultus, et inde nascentia pericula, vtrumque exercitum contra Moschos in campum educere in animo habuit, quem in finem in Lituaniam ipse profectus est. Sed Polonus exercitus dicto non fuit audiens, Lituanus vero contra hostes dimicauit, eorum sex millia ad Dolhinum profligauit, et CHOWANSCIVM, viginti militum millibus stipatum, praelio ad Glemboko vicerunt. Rex hac victoria vti, hostemque prosequi in animo habuit, sed miles fuit refragarius.

1662 Tempore comitiorum generalium Varsauiae die XX Februarii coeptorum, Regis ordinumque maxima erat cura, vt exercitui debita stipendia exsoluerentur, quam ob causam, nouum tributum impositum, concessa praeteritorum obliuione exercitui Polono Lituanoque foederato, ac procuratione soluendorum stipendiorum die XVI Iulii Leopoli indicta. Futuri quoque regni successoris electionis negotium in totum lege abolitum, simul RADZIEIEVIVS in integrum et regiam gratiam restitutus.

Leopoli dicto tempore, Rege ac Regina praesentibus, calculus cum redituum tum soluendorum militibus stipendiorum fuit examinatus, quo facto inuenere, viginti sex millia decies centena, hoc est, 26000000 florenorum Polonorum exercitui Polono, excepto Lituano, deberi. Cumque aerarium soluendae huic summae impar erat, negotium hoc Volboriae tractandum, vbi foederati exercitus praetorium erat, concluſum est. Hoc in loco praesens erat, cum aliis episcopus Cuiauiensis, CASIMIRVS CZARTORYSCIVS, et tandem d. XXIV Decembris loco supra dictae summae, nouem millia decies centena, seu 9000000 florenorum Polonorum exercitui concessa. Vilnae etiam cum exercitu Lituano ob soluenda stipendia tractatum. Orta autem inter foederatos dissensione, causa illius ZYROMSCIO, militum foederatorum mareschalco, et GONSIEVIO, secundo Lituaniae belli duci, imputata, qui cum aula facientes hac arte studio foederati exercitus animos a vinculo abalienare credebantur, ambo supplicio affecti fuere, Zyromscio, cum Vilna ad exercitum traheretur, in via trucidato, Gonsieuio autem, habito bellico consilio, ictibus sclopi transfixo. Sic exercitus Lituanus duces suos, quibus morigerus esse deberet, nefarie trucidauit. Rex autem ob supra dictam militibus concessam pecuniae summam non fuit contentus, ideoque negotium hoc nondum absolutum erat. Hoc anno vitam cum morte commutarunt, STANISLAVS a Boguslawice SIERAKOWSKI, ord. S. Benedicti, monasterii ad sanctam crucem abbas, et LVCAS de Bnin OPALINSKI, curiae regni mareschalcus, in cuius locum successit IOAN. CLEMENS a Ruszca BRANICKI, praefectus Sandecensis.

1663 Sequenti anno foedus ictum contra foederatum exercitum, auctoribus CZARNECIO, Russiae palatino, et PRAZMOVIO, supremo regni cancellario, vi cuius milites rebelles ad officium reducerentur. Cum autem inde funestum bellum intestinum oriri potuisset,

tuisset, mitiora fuere adhibita media, et suadente episcopo Cuiauiensi, exercitus foederatus 1663
ad Zauichost prope Vistulam subsistebat, de nouo consilia cum Regis consiliariis conferens, et tandem ita compositio facta, *vt exercitus foederati primores Leopolim venirent, ac Regem regnique senatum deprecarentur, eiurato foedere in fide et obsequio manerent, accepta stipulata solutione ad legitima exercitus ducum imperia redirent, iniuriis priuatorum ciuilibus amnestia sublatis, criminalibus autem in competenti foro vindicandis. Tria millia decies centena et quinquaginta millia, hoc est: 3500000 numeratae pecuniae accipient milites intra duas hebdomadas, 1500000 autem intra sex hebdomadas. Sextus sic dictus millio cum mercibus solutus, duobus millionibus in rententis per fiscum vindicandis.*

Hoc modo exercitus Poloni foedus dissolutum et ad obsequium redactum, cuius ad exemplum et exercitus Lituanus sub imperium rediit.

Aerarium reipublicae illis temporibus valde erat exhaustum, ad quod subleuandum TITVS LIVIVS BORATINI, anno 1658 iure indigenatus donatus, et TYMPFE, quibus ius cudendi monetam elocatum fuerat, strenue laborabant. Ille 5250000 florenorum Polonorum cudebat solidos ex cupro, quorum pauci nostris temporibus adhuc superstites, hic florenos Polonos, qui ab auctore nomen sortiti *tynfones* appellantur, et hoc anno cudi coeperunt, vbi videmus literas I. C. R. intortas, IOANNEM CASIMIRVM *Regem* significantes, quasque quidam sinistre interpretabantur, *initium calamitatis regni.*

Huius anni mense Augusto Rex cum exercitu, qui nunc imperio eius parebat, Leopoli in Vkrainam ibat, vt Moschos fugaret, Cosacosque qui cum iis facerent, in ordinem cogeret, bellum in Moschouia gereret. Cosacorum dux hoc tempore erat PAVLVS TETERA, Bogdani Chmielnicii filiam in matrimonio habens, in Georgii Chmielnicii locum electus, qui religioso sodalitio nomen professus hoc imperio se abdicauit. Quadraginta millia Cosacorum numerabantur, Moschis addicta, quibuscum triginta millia Russorum coniuncta erant, duce RADAMANORSCIO. Tempestas pluuiosa, fluminumque inundatio exercitus Poloni iter impediebant, et Rex demum die XIII Nouembris cum exercitu Borysthenem ad Ryszczowo traiecit. Oppida quaedam et arces a Polonis occupabantur, acie autem nulla decertatum, sicque hic annus finitus, ante cuius finem Tartari auxiliares cum praeda rediere domum, initio sequentis anni cum viginti millibus redeuntes.

Hoc anno mortuus palatinus Culmensis, IOANNES KOS, cui successit PETRVS DZIALINSKI, nec non castellanus Culmensis, CHRISTOPHORVS PRZYIEMSKI, in cuius locum suffectus DAMIAN KRETKOWSKI.

Mense Ianuario Dziewica, ad fines Moschouiae situm oppidum, Cosacorum praesidiis insessum, vi accipiebatur, quo facto IOANNES CASIMIRVS Moschouiae ditiones die XVII Ianuarii cum exercitu ingressus est. Lituaniae belli ducem campestrem PACIVM, qui cum exercitu suo huc properabat, vt Regi se coniungeret, Moschouiae belli dux BORATYNSCIVS ad Branko in Seueria cum 15000 militum Moschorum aggressus, Paciumque munitionem ex connexis carris arcendo hosti instituere coegit, qui deinde acceptis a Rege suppetiis, Boratynscium, deletis Moschorum peditibus captisque tormentis, profligauit. Alius etiam Moschorum belli dux, qui ipsi Regi periculum creare tentabat, cito cum damno retro cedere coactus. Poloni contra infectis rebus Gluchow, ter fruſtra tentato assultu, et Siewsko relinquebant. Exercitus enim frigore, fame, continuis defatigationibus fractus erat. Apertae etiam appropinquante vere paludes, fluminaque, nouus in Vkraina Cosacorum motus, et in primis procerum preces, qui ob Regis absentiam erant solliciti, IOANNI CASIMIRO reditum in Poloniam suadebant. Interim Moschorum legatus in Regis castra ad Siewsko venit, pacem offerens, cui induciae trium mensium concessae fuere. Ante Regis in Lituaniam reditum DANIEL VICHOWSKI, Russiae palatinus, qui in suspicionem apud Regem veniebat, eum nouum Cosacorum tumultum excitasse, Corsuni coram consilio bellico accusatus, damnatus, ac more militari, licet regni fuerit senator, globis fuit traiectus. 1664

Rex cum parum temporis Mohilouiae, Minsci et Vilnae moratus fuisset, Varsauiam die XV Iulii venit, vbi noui interni motus oriebantur ratione Principis GEORGII

1664 LVBOMIERSCII, regni Mareſchalci ſupremi, et ducis belli ſecundi, quem Regina perdere in animo habebat, quia caput eorum fuit, qui electionem Regis ſucceſſoris, viuente Rege, impediebant. Perſuadebat ſibi enim, eo perdito, caeteros facilius ſe voluntati ſuae Regiſque ſubmiſſuros, qua in re, vt in multis aliis, multum opinionem fefellit. Princeps Lubomierſcius vir magnae dignitatis, auctoritatis et fidei erat, multis in rempublicam meritis clarus, ideoque maxima nobilium pars pro eius ſalute ſtabant. Sed his non obſtantibus ad comitia die XXVI Nov. Varſauiae coepta, quibuſque durantibus Mareſchalcus Pomeraniae ſuccamerarius GNINSKI erat, citatus grauiſſimorumque flagitiorum inſimulatus fuit. Statim ab initio comitiorum nuntiorum ſententiae ratione Lubomierſcii Principis diuiſae erant, et paulo poſt nuntius ZABOKLICKI Varſauia diſceſſit, ſicque comitiis facultatem agendi ademit. Nihilominus Lubomierſcius, licet multi et magni viri in Polonia, varii etiam exteri Principes, atque adeo ipſe ſummus pontifex Clemens IX, pro eo, tanquam innocente interceſſiſſent, capitis tanquam publicus hoſtis cum honoris et bonorum diſpendio damnatus fuit abſens, die XXIX Decembris, poſtquam accuſator HIERONYMVS DVNIN cum ſex teſtibus in eum iurauit, quo facto Vratislauiam Lubomierſcius Princeps ſeceſſit, vbi opportunius tempus ad Regis et Reginae maxime placandam iram opperiretur.

1665 Sed haec ſpes, vt in integrum et Regis gratiam breui reſtituatur, mox euanuit, cum ſub initium anni ſequentis Lubomierſcii munera aliis deferrentur. Nam regni vexillifer IOANNES SOBIESKI, regni mareſchalcus, CZARNECIVS, Ruſſiae palatinus, regni belli dux ſecundus, et regni gladifer MICHAEL ZEBRZYDOWSKI, gubernator Cracouienſis a Rege declarati fuere, quo tempore et Gonſieuii interfectores CHRISTOPHORVS NIEWIAROWSKI, exercitus Lituani militum tribunus, et CONSTANTINVS KOTOWSKI, Regiae loricatorum cohortis optio, aliique complices a carnifice capite fuere plexi.

Comitia extra ordinem pro duabus hebdomadis Rex die XII Martii indixit, quorum nullus bonus euentus ſperandus erat. Maxima enim nuntiorum pars pro Lubomierſcio intercedebant, neque vllum prius negotium ſuſcipere volebant, niſi ante omnia Rex Lubomierſcio ignoſceret, in primis palatinatus Cracouienſis pro reſtituendo Lubomierſcio laborauit, hiſque ad Regem verbis finiuit: *aut nos de libro libertatis dele, aut ignoſce.* Rex ſuper hac re ſe conſulturum promiſit, ſimulque pertinaciam, ſuperbiam, motus inteſtinos, quos Lubomierſcius meditaretur, obiiciebat. Tandem comitia infectis rebus, diſcedente VLADISLAO LOS, diſtrictus Dobrynenſis nuntio, die XXVIII Martii, hora duodecima noctu finiebantur, non ſine magna animorum irritatione. Quod multi antea ſuſpicabantur tandem accidit. Lubomierſcius Princeps nempe armata manu in Poloniam rediit, ſeque cum parte militum exercitus Poloni, qui iterum foedus, ob non ſoluta ſtipendia, feriebant, coniunxit, quinque militum millia ſub imperio ſuo habens et verſus Poloniam maiorem mouens. Suadentibus amicis hoc conſilium iniuit, ſperans fore, vt nobilitas quoque cum eo faceret, cuius maxima pars, Lubomierſcium, vt ſtatus victimam reſpiciebat, quique non aliam ob cauſam a Rege contra regni conſtitutiones damnatus fuiſſet, quam quia ab aula in patriae perniciem ſtare noluiſſet. Rex collegit exercitum duodecim millium prope a Raua, et die XII Iulii Varſauia profectus palatinatum Siradienſem cum militibus intrauit, caſtris prope Wartam poſitis. Hinc contra Lubomierſcium miſit partem exercitus Lituani duce HILARIO POLVBINSKI, notario campeſtri, qui ad Czenſtochouiam die IV Septembris abſente Lubomierſcio, foederatorum Mareſchalcum ADAMVM OSTRYCKI aggreſſus, praelio cum eo dimicauit, ſed ita pro Regiis calamitoſo, vt, caeſis 1300 militibus, Polubinski, exercituſque primores cum mille militibus caperentur, quos omnes humaniter Lubomierſcius accepit, et nullo pretio redemtos dimiſit. Lubomierſcium deinde Rex in Polonia maiori ſequebatur, et cum Regii milites nobilium bona valde deuaſtarent, nobilitas duce caſtellano Poſnanienſi GRZYMALTOWSKI arma, ad defendenda bona, arripuit, quae deinde a Lubomierſcii partibus ſtabat, id quod magnum bellum inteſtinum praeſagiebat. Sed intercеſſione ANDREAE TRZEBICKI, Cracouienſis, et THOMAE LESCZYNSKI Chelmenſis epiſcoporum, qui valde apud Regem inſtabant vrgebantque, vt belli inteſtini flammam in tempore extingueret, cum vterque exercitus iam in campo ad Palczyn acie inſtructus eſſet, arma depoſita fuere, menſe Nouembri, his ſtipulatis conditionibus: *Lubomierſcius per comitia extra ordinem tenenda in integrum reſtituatur: foederatis amneſtia et ſtipendia concedantur: damna per milites facta reſarciantur: finem comitiorum Lubomierſcius extra regnum expectaret: foederati milites interim hybernarent in Polonia maiori.* Quo facto Lubomierſcius deprecationis cauſa ad Regem venit, Vratislauiam deinde rediens, Rege Torunium profecto, vbi praeſens die XI Nouembris erat. Antea Rex iam per ſacerdotem LIPSKI, ciuitati Torunenſi ſub Regiae indignationis poena imperabat, vt mille milites pro praeſidio reciperet, cumque ciuitas id deprecaretur, neque hoc ſine ordinum conſenſu fieri poſſe regereret, Rex ipſe cum mille militibus venit, quos, die XIV Nouembris diſcedens Varſauiam, reliquit. Vnde magis in ſuſpicionem apud omnes fere incidebat, ſe velle Pruſſiae prouinciam in ſuam tantum poteſtatem redigere, vt eo facilius ad regni ſucceſſorem Principem Gallum promouere poſſit. Accedebat et Regis declaratio coram legato Auſtriaco, ſe nunc toto animo Galliae eſſe addictum. Inſuper milites vndique a Rege conſcribebantur.

1665 Hoc anno clari in republica viri diem obiere ſupremum. Nempe STEPHANVS CZARNECKI, magnus heros Polonus, Regi et reipublicae fideliſſimus, a patre Stanislao in Czarnca haeres progenitus ex RZESZOVIA vna cum vndecim fratribus vnicaque ſorore. Noſter Czarnecius a maſcula prole orbus duas reliquit filias, ex KOBIERZYCIA coniuge procreatas, BRANICIO, curiae mareſchalco, et LESCZYNIO, Podlachiae palatino elocatas viuo patre. Palatinatum Kiiouienſem accepit MICHAEL STANISLAWSKI, praefecturas generi. Deinde IOANNES ZAMOYSKI, palatinus Sendomirienſis, vir magnus, diues et elegans. Auus ei erat magnus ille IOANNES ZAMOYSCIVS, regni cancellarius et ſupremus belli dux, pater THOMAS, ſupremus itidem regni cancellarius, mater dux in OSTROG. Duas tantum reliquit filias, quarum natu maior IEREMIAE duci WISNIOWIECIO nupſit, ex qua Poloniae Rex MICHAEL natus, natu minor coniux ALEXANDRI KONIECPOLSCII, regni vexilliferi fuit. Defuncto Ioanne Zamoyſcio in bona feudi Zamoſciani, ſeu ſic dictae *ordinationis*, ſucceſſit MARTINVS ZAMOYSKI ex linea a latere conſtituta, tunc ſubdapifer Leopolienſis, poſtea per varios dignitatis gradus factus ſupremus aerarii praefectus. HIERONYMVS WIERZBOWSKI, palatinus Siradienſis, Ludouicae Mariae Reginae addictus, catarrho ſuffocatiuo interemtus fuit, in cuius locum palatinus ſucceſſit CAROLVS PRZEREMBSKI, ſuccamerarius tunc Siradienſis. Procurationem magnam arcis Cracouienſis accepit STANISLAVS SKARSZEWSKI, caſtellanus Malogoſtenſis, praefecturam Oſwiecimenſem IOANNES PIENIONZEK. Neque omittenda videtur NICOLAI ZORAWSKI, mathematici Cracouienſis mors, in Polonia, ob ephemerides, in quibus futura ex aſtris praedicebat, ſaepiſſimeque fallebat, celebris.

Nemo non deſiderio angebatur, quem euentum comitia die XVII Martii Varſa- 1666
uiae indicta, quorumque ope tranquillitas reipublicae reſtitui debuerat, ſint habitura. Nuntiorum mareſchalcus Regem ſalutando pacem domeſticam maxime commendabat, nulla tamen Lubomierſcii facta mentione, id quod ii, qui Lubomierſcii reſtitutionem, vt pacificationis fundamentum reſpiciebant, male accipiebant, cumque defuncto Czarnecio IOANNES SOBIESKI dux campeſtris nominaretur, quod munus Lubomierſcio reſeruari debuiſſet, ſi eum Rex reſtituere in animo habuiſſet, nulla fuit pacificationis ſpes, comitiaque die IV Maii diſſoluta fuere. Bellum inteſtinum inde magis inſtruebatur. Regis exercitus ex viginti ſex millibus conſiſtebat, Lubomierſcii autem ex octodecim millibus, acceſſis ſex millibus nobilium e Cracouienſi ac Sendomirienſi palatinatibus. Die XIII Iulii iterum praelium ad Montwy prope ab Inovraclaua initum, quo confecto Lubomierſcius victoriam haud contemnendam, quatuor occiſis Regiorum millibus, reportabat, Rege accepta clade in palatinatum Rauenſem ad amnem Pilcza retrocedente, Lubomierſcio autem Breſciam in Cuiauia progrediente, quo facto de pace in pago Lengonik, vbi Rex caſtra locauerat, actum fuit, ſequentibus ſtatutis conditionibus: *Lubomierſcius vna cum foederatis militibus nobilibuſque ad facti deprecationem ignoſcendi veniam peterent a Rege, qui eos in gratiam reciperet: Lubomierſcius dimiſſis copiis ſuis, loco a Rege deſignando, interim tranquille viueret, donec omnia ſopita fuiſſent: foederati milites vinculo diſſoluto ſtipendia pro tribus menſibus acciperent die XV Septembris: haec omnia futuris comitiis ratihabeantur etc.* Praeter ea Rex literis publicis promiſit: *Se ſtante vita et regimine ſuo, neminem ad regnum Poloniae quoquo modo promouere velle, niſi quem liberis ſuffragiis gentis, legitime elegerint.* Ad comitia celebranda, quibus omnia confirmari debuere, Rex conſtituit diem IX Nouembris. Cum autem multa de regni ſucceſſore, Lubomierſcii reſtitutione, aliiſque de rebus inutiliter diſputarentur, nuntius palatinatus Vitepſcenſis LVKOMSKI comitia infectis rebus die XXIII Decembris diſſoluit, licet porta Ottomanica bellum Poloniae intentaret, Tartarique huc vſque cum Polonis contra Moſcouitas dimicantes, hoſtes ſe declararent, magnaque Coſa-

1666 corum pars duce PETRO DOROSZ in Turcarum imperatoris clientelam se daret. In cumulum calamitatum accedebat SEBASTIANI MACHOVII, belli ducis, seu sic dicti regimentarii, cum sex millibus militum deletio, qui incautus circa finem hùius anni in Vkraina quadraginta millibus Tartarorum et viginti millibus Cosacorum obuiam iens, suis perditis, captus fuit. Hoc annò mortem obiit VENCESLAVS LESCZYNSKI, per septennium archiepiscopus Gnesnensis et regni primas, die I Aprilis, Lyscouiciis. Natus fuerat anno 1605, die XV Augusti, patre ANDREA LESCZYNSKI, palatino Brestensi, dissidentium a religione sui temporis antesignano, matre OPALINIA. Dignitatem regni primatis adeptus est supremus regni cancellarius PRAZMOWSKI, pro quo aula maxime laborabat, vt simul sigillum regni maius custodiret, quod tamen, contradicentibus nobilibus, die XVIII Decembris in Regis manus dare debuit, qui id procancellario IOANNI LESCZYNIO tradidit, et in huius locum episcopum Culmensem OLCZOWSKI, procancellarium constituit. Deinde SIGISMVNDVS GÜLDENSTERN, castellanus Gedanensis, in cuius successit munus succamerarius Marieburgensis HEIDENSTEIN, succamerario nominato TVCHOLKA. Porro IACOBVS OCTAVIVS KONOPACKI, castellanus Elbingensis, cui suffectus sequentibus comitiis fuit MAXIMILIANVS GÜLDENSTERN.

1667 Initio huius anni nuntium accepit Rex, de subita Lubomierscii Vratislauiae morte, quo defuncto, fortissimo futuri Regis electioni aduersario aula fuit liberata. Lubomierscii autem corpus exanime in Poloniam delatum, Wisnicii in sepulcro Lubomiersciano tumulatum. Funus multi proceres atque innumeri sequebantur nobiles. Patrem habuit STANISLAVM, palatinum Cracouiensem, matrem ducem ab Ostrog. Interim cum Polonia bellum a Turcis intensum metueret, induciae cum magno Moschouiae duce die XXX Ianuarii, celebrato conuentu in pago Andruhow, ad fluuium Harodna, vsque ad anni 1680 mensem Iunium prolongantur, vi cuius magno Moschouiae duci, Smolensco cum districtu Seueriae Czernichouiaeque vna cum parte Vkrainae, terrae trans Borysthenem sitae, vna cum Cosacis eas inhabitantibus, in perpetuum, Kiiouia vrbs autem ad duos tantum annos concessa fuere. E contrario palatinatum Polocensem ac Vitepscensem, nec non Liuoniam Polonam retro accepere Poloni, promisso sibi mutuo contra Turcas Tartarosque auxilio. Comitia die VII Martii initium sumsere, felicemque exitum die XIX Maii, vltra decem hebdomadas prolongata, habuere. Pacta enim Lengonicensia comprobata, omnia contra Regem facta, obliuione fuere tecta, libera Regis electione noua lege confirmata, curaque simul in soluendis militum stipendiis, multisque aliis negotiis publicis, posita. Turbata comitia erant a principio, quia Rex futuri Regis electionis negotium de nouo ordinibus proponere in animo habuit, cuius conatibus supremus regni cancellarius LESCZYNIVS valde obstabat. Nuntii comitiorum etiam non minus commoti erant, cum certo certiores, de Regis, Principem de Condé ad Regiam Poloniae dignitatem promouendi, consiliis facti, publice Regi hoc obiicerent, regnique senatores nominarent, qui in patriae perniciem cum Rege hac in re facerent. Tandem omnis conatus, quem aula ad procurandum Poloniae regni successorem Principem Gallum habebat, morte Reginae LVDOVICAE MARIAE fractus, quae die X Maii, durantibus adhuc comitiis vitam cum morte commutauit. Vnice id agebat, omnibus intensis neruis, vt viuente Rege regni successor Princeps Gallus eligeretur, cuius propositi ita fuit tenax, vt in eo ad extremum halitum manserit. Die enim VIII Maii, lege publica de nouo iam contra hanc electionem facta, adhuc PACIVM, Lituaniae cancellarium, suum facere tentabat, cumque ille Reginae propositiones renueret, altera die animo tristis deprehensa fuit, circa vesperam animi causa in horto obambulans deliquium passa, quod sanguinis eructatio sequebatur, et vena bis secta, dicta die hora quinta matutina apoplexia correpta decessit, Rege absente, quinquagesimo quinto aetatis anno. Animo firmo, stabili ac magno fuit, aliisque virtutibus ornata. Hoc vnicum autem ei a Polonis in vitio positum, quod reipublicae negotiis omnibus se immiscuit, dominatione in Regem vsa, suaeque voluntatis valde pertinax fuit. Inde causa omnium malorum atque adeo belli intestini in Polonia putabatur, quam ob rem mortem eius Polonia non dolebat. At Rex amantissimam coniugem perdidit, cuius funeris exequias Cracouiae die XXII Septembris est prosequutus. Multis hominibus, suis pauperibusque bene, Poloniae ob nimium erga Galliam amorem male fecit Regina. Virgines religiosas ab annuntiatione, et presbyteros a missione dictos Varsauiae fundauit.

Ad Turcarum imperatorem, declinandi belli causa, missus legatus fuit HIERONYMVS RADZIEIEWSKI, qui etiam pacem sub duris his conditionibus obtinuit, vt Poloni cum

cum Moscouitis pacem irritam facerent, ac iure in Cosacos, qui in Turcarum clientelam 1667
se contulissent, cederent, qua in legatione Radzieieuius vita functus fuit. Tartaris autem Podoliam, Russiam, Volhyniam deuastantibus, quorum numerus octoginta millia, exceptis viginti quatuor Cosacorum millibus, duce DOROSZ, obuiam ibat SOBIESCIVS, supremus regni exercitus dux, cum duodecim militum millibus, qui paucitate suorum non obstante ad Podhayce praelio cum iis secundo decertauit, fugatis Tartaris in castra se recipiens, in quibus per duas hebdomadas obsessus, partim Tartarorum impetus fortiter arcebat, partim eruptiones faciebat, Cosacis interim, qui a Dorosii partibus non stabant, peninsulam Tartariae longe lateque depopulantibus, quo facto Tartari pacem cum Polonis die XVI Octobris confecerunt, stipendio ordinario sibi, Dorosio autem Regia gratia, pactis. Nihilominus Tartari ex Polonia abeuntes trecentos pagos in Pocutia igne deleuerunt.

Hoc anno praeter Sereniſſimam Reginam et Lubomirscium Principem, extremum vitae diem confecit STANISLAVS in Podhayce POTOCKI, palatinus Cracouiensis, supremus regni exercitus dux, vir fortis, sincerus et humanus, vltra octogesimum annum viuens. Prouinciam eius cepit IOANNES SOBIESKI, dux campestris, qui, mortuo Rege Michaele, Poloniae Rex electus fuit. Decessit etiam in arce sua Pieskowa Skala MICHAEL ZEBRZYDOWSKI, nuper minoris Poloniae generalis, et defuncto Potocio palatinus Cracouiensis, animo forti, corpore autem valetudinario, neque minus tamen sedecim filiarum ex STADNICIA coniuge parens, quarum duae tantum superstites, natu maior CAROLO duci in Klewan CZARTORYSKI minor IOANNI OPALINIO, regni dapifero, nupsit.

Vltimum, IOANNIS CASIMIRI, regiminis annum attingimus, qui imperii per- 1668
taesus continuis ob negotia publica calamitosa defatigationibus Polonorumque obiectionibus exagitatus, regni senatores Varsauiam mense Iunio conuocabat, significans eis, se breui a regno abdicaturum, vt reliquum vitae tranquille agere possit, id quod valetudo aduersa, recta conscientia, et continuata obiectio, ac si libera Regis electio in eo periclitaretur, suaderent. Se maiorem erga patriam amorem monstrare non posse, quam si abdicato regno, libera regis electione vti ordinibus concederet. Habito a senatoribus consilio lacrymantes ii ad genua Regis prouoluti ab eo petebant, ne regno se abdicaret, Rex autem consilium semel initum nullo modo voluit mutare. Accedebat, quod Sereniſſimus Galliarum Rex imperii nauseam IOANNI CASIMIRO excitaret, promittens 150000 libras ex reditibus sani S. Germani annuatim ei soluendas, si mense Augusto se abdicaret. Adiiciebat tandem Rex magnum pondus abdicationi suae afferre, quod regni senatores laesam Suam Maiestatem partim frigide, partim plane non vindicassent. Exteris legatis Ioan. Casimirus ipse futuram suam abdicationem significabat, quam, donando variis varia bona, mobilia, pretiosa, confirmabat. Comitia igitur, die XXVII Augusti indicta fuere, in quibus nulla alia de re, quam de Regis abdicatione agebatur, a qua, neque precibus, neque lacrymis ordinum, abstrahi poterat. Concesso ergo Regi, quousque viueret, annuo 150000 florenorum Polonorum censu, abdicatio regni die XVI Septembris, praesentibus ordinibus, ad effectum venit. Actus huius plane singularis atque extra ordinem initium faciebat concio sacra in templo, S. Ioanni dicato, habita, qua absoluta Rex senatorum atrium ingressus solio Regio insidebat, caeteris locis suis occupatis. Tunc regni procancellarius causam praesentium comitiorum proponebat, regni autem referendarius MALACHOWSKI abdicationis documentum legebat, ope cuius Rex omnes subditos fidelitatis iuramento absoluebat, altera ex parte nuntiorum mareschalcus, STEPHANVS SARNOWSKI, succamerarius Lencicensis, ordinum confirmationem annui census Regi concessi, simul et documentum recitabat, quo Rex a pactis cum regno liber pronunciabatur, quo facto Ioan. Casimirus electionis et coronationis documenta, rubro serico obuoluta, exhibuit. Tandem scriptam orationem Rex ordinibus valedicentem legere incipiebat, ob magnam autem lacrymarum profusionem finire non potuit, tradita ea ad legendum procancellario, qui inter singultus eam profusis lacrymis haesitabundus perlegebat. Ordines ad orationem non sine lacrymis etiam respondebant, quo facto, cum regni Senatores genibus nixi Regis manum oscularentur, regni procancellarius nomine Regis iterum dixit vale, nobilitate ad Regis manus osculum admissa. Sic IOANNES CASIMIRVS sua sponte regno se abdicauit, quod ante viginti annos tanto studio ambiebat. Sexagesimum aetatis annum agebat, valetudine imbecilli, quam varii belli labores, multi casus aduersi, ordinum diffidentia aliaeque calamitates parabant. De stirpe Iagellonia natus per matrem fuit ex liberis Sigismundi, Poloniarum Regis, vltimus.

1668 mus. Vix vllis temporibus in Europa vixit Rex, cui tam singularia fuerint quam Ioanni Casimiro fata. Ab ineunte aetate Princeps arte regnandi omnibusque bonis artibus instituebatur, qui mox Curlandiam, mox Lauenburg et Bütau feudi iure possidere, mox alio modo rebus suis consulere, tandem Portugalliae gubernator et admiralis ab Hispaniae aula nominari debuit, id quod occasionem ad captiuitatem eius in Gallia offerebat, libertate deinde donatus, cum consilia sua haud ex sententia succedere videret, instituta S. Ignatii professus, Sacerdos e Societ. Iesu factus, postea purpuratus Romani pontificis creatus, iterum deinde pontificis consensu ex sacerdote secularis factus regnum ambiens, corona Polona insignitus fratris germani viduam in vxorem duxit, breui hostium potentia regno exire coactus. Tandem per viginti annos continuis calamitatibus vexatus, imperii taedium eum cepit, suaque sponte diadema Polonum cum priuati hominis statu permutauit, patriam relinquens ante electionis comitia, in Galliam sequenti anno profectus, sub imperio alius Regis, paruis reditibus, Galliarum Regis beneficio, fani S. Germani prope a Parasiis ei addictis, viuebat abbas per quatuor annos. Ad extremum Niuerui anno MDCLXXII die XVI Decembr. mortuus, cuius cadauer in Poloniam aduectum Cracouiae in sepulcro, quod ipse sibi extruxerat, tumulatum, corde in fano S. Germani relicto, quod viuus iam Galliae dicauerat.

Quod eius virtutes animi attinet, belli ac rei militaris bene peritus, in acie animo forti fuit, linguas Polonicam, Germanicam, Gallicam, Italicam, Latinam, prompte loquebatur, huiusque elegantiam amabat. Regni constitutiones optime callens saepius eas non obseruabat, vel obseruare non potuit. Religioni valde fuit addictus, neminem tamen religionis causa voluntario instinctu, nisi aliorum, persequutus est, licet forte incusari possit, nimium fuisse religiosum. Princeps autem in tenendis promissis, seruandis foederibus, administranda iustitia, compensandis meritis, nullo habito religionum respectu, nunquam potest esse nimium religiosus. Si autem religionis suae, quam iuuenis didicit, nimium sit tenax, ita vt a religionis aemulatione in rebus politicis flecti possit, semper multa mala inde in rempublicam redundant, id quod historia omnium regnorum, cuiuscunque demum sint religionis, testatur. Cum Radzieieuio quoque nimium durus ab initio, vindicta exagitatus, egit, qui non in rebellem, nisi a Rege persecutus euasit. Idem, suadente Regina, cum Lubomirscio Principe fecit. Maxime ei obiiciebatur, quod ipse non in Reginam, sed Regina in eum imperium habuerit: quod eos prae caeteris honoribus ac diuitiis auxerit, qui ei in omnibus assensi sunt: quod exterorum consilia sibi imponentia tam facile audierit, suorum autem sequi noluerit. Caeterum optimus ac prudens fuit Princeps, artem regnandi belle intelligens, sed infelix, quia fauorem atque amorem Polonorum sibi conciliare neglexit, ac reipublicae suamque salutem seruare integram, nimium credens Reginae persuasionibus, imminentia quoque Poloniae pericula in tempore auertere nesciuit. Omnia enim a Suecis, Polonis illata mala, faciendo cum eis Lubecae pacem perpetuam, resignando omni iure in Sueciae regnum, auertere potuisset, nisi vana spe, tempore Sueciae regno adipisci, animum alere voluisset.

Notanda ad extremum duorum clarorum in republica virorum mors, quam primus obiit PETRVS DZIALINSKI, palatinus Culmensis, in cuius locum successit IOANNES GNINSKI, succamerarius Pomeraniae et curiae thesaurarius, cui suffectus Pomeraniae Succamerarius, VLADISLAVS DENHOF, militum tribunus Regiae praetoriae cohortis. Deinde IOANNES WIELOPOLSKI, palatinus Cracouiensis, dignitate hac Senatoria ad ALEXANDRVM LVBOMIRSKI, regni stabuli praefectum, delata *).

*) Fontes ex quibus hausimus, sunt celeberrimi GOTTFRIED LENGNICH, D. Geschichte der Preussischen Lande, Königlich Polnischen Antheils vnter der Regierung Ioan. Casimiri, et VESPASIANI KOCHOWSKI annales Poloniae.

FINIS.

EPI-

EPIGRAMMATA

IACOBI PAVLI RADLINSKI S. T. D. Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Sepulchri Praepositi Generalis Infulati

In Libros Historiae Polonae

NOBILISSIMI SCRIPTORIS ET HISTORICI POLONI

LAVRENTII IOANNIS RVDAWSKI

Cuius libri manuscripti ad publicam Bibliothecam ZALVSCIANAM Varsauiensem acquisiti, et in eadem conseruati, tandem ab Illustrissimo et Reuerendissimo Domino IOSEPHO ANDREA Comite in Zaluskie ZALVSKI, Supremo Regni Poloniae Referendario, scientiarum zelotissimo propagatore, literatorum aestimatore et principe, ex amore boni publici extraditi sunt, ad typis imprimendum, illustri et excellenti Domino LAVRENTIO de Kolloff MIZLERO Philosophiae et Medicinae Doctori, Sereniss. Regis Poloniae Consiliario Aulico, et Medico etc.

Vt autem praedicta Epigrammata clarius intelligantur, sciendum est, quod Stemma Illustrissimae Domus ZALVSCIANAE sit AGNVS: iam autem meritissimi MIZLERI Stemma, sunt duae Columbae in Campo albo, quae aristam in ore gestant; et duo triangula aequalia, in Campo caeruleo, quorum vnumquodque itegestant; et duo triangula aequalia, in Campo caeruleo, quorum vnumquodque iterum in quatuor triangula aequalia diuisum, ex quibus medium argenteum, tria alia rubra sunt. Super vnam galeam est ramus pini, super alteram par cornuum bouis.

I.

Bibliotheca Soli Zalusciа gemma Poloni,
Innumeris cum sit plena, referta libris.
Haec fundatorem IVNOSSAM consulit AGNVM,
Optima cui melius Scripta locanda forent?
Quae bene Sarmatici Regni RVDAVSCIVS Auctor,
De gestis gentis scripserat, atque throni.
Exposuit sensum ZALVSCIVS agnus, et inquit:
Scripta haec: MIZLERI bina columba ferat:
Agnus enim possum bene concordare columbis,
Iam vero nequeo, me sociare lupis.
Nec decet hunc tantum thesaurum gentis, et orbis,
In praedam coruis, vel referare feris.
His ergo Scriptis MIZLERI praesto columbae,
Ornatae fiant, et potiantur eis:
Istaque Scripta typis demandent, publica reddant,
His et MIZLERI, floreat ampla Domus!

II.

Sicut oues nunquam propter se, vellera portant,
Sic nil propter se, Nobilis Agnus habet.
Hinc quem thesaurum librorum solus habebat,
Hunc Orbi toti porrigit, atque locat;
Orbis vt hunc totus noscat, legat, atque reuoluat:
Ac omnes gentes, haec sua scripta sciant
Pensetis quantus zelus sit Principis AGNI!
IOSEPHI Comitis gratia, quantus amor!
Qui sua pro Regno pulcherrima vellera sacrant,
Thesauros animi, qui referare sciunt.

III.

MIZLERI ſtudio quando RVDAVSCIA penna,
Euolat in vaſti, publica regna poli:
Non fallax omen, quod ibi verſutia nulla,
Nullus adeſt error, nullaque praua nota:
Nam qua ſimplicitate vigent, pollentque columbae,
Quas MIZLERORVM ſeruat amica domus
Simplicitatem iſtam RVDAVSKI ſenſibus altis,
Inſpirant prompte, perficiuntque typis.

IV.

Vna columba redux, veterem dum venit ad arcam,
Mox oleae ramum, protulit ore ſuo:
Scriptis RVDAVSKI, geminae nunc quando columbae,
Adſunt: plura ſibi munera credo ferent;
Augebunt oleas pacis, dicentque triumphos,
Atque coronabunt optima ſcripta ſua:
MIZLERVMque pari ſemper diademate cingent,
Lucem Scriptoris, quod ferat Ille libris.

V.

Iſta columbarum MIZLERI gloria: ariſtas
Quod proprio portent, ſemper in ore ſuo:
Sed poſtquam prelo RVDAVSCIA ſcripta dedere,
Iam iuſte poterunt, ore referre Libros:
His Libris iunctae, geminae conſtanter ariſtae,
Immenſas meſſes, horrea plena ferent!

VI.

Omne genus volitans, natiuo felle redundat,
Sola Columbarum viſcera, felle carent.
Omnia quando fouent RVDAVSCIA ſcripta columbae,
Ex his impreſſi, ſunt ſine felle libri.

VII.

In petris quoties reſerata foramina proſtant,
Quaeque columba in eis nidificare ſolet:
MIZLERI vero purae, nitidaeque columbae,
RVDAVII in foliis, nidificantque libris.
Ex iſtis nidis prodibunt germina tot, quot
Magni Doctores, erudientur eis.

VIII.

Vt melius recubent vrgenti frigore pulli,
Euellit plumas blanda columba ſuas:
Ac illas nido ſupponit, ſicque calorem
Progenitae Soboli, conciliare ſolet.
Vt melius niteant, RVDAVSCIA ſcripta per orbem,
MIZLERVS tanquam vera columba cauet:
Euellit proprias gazas, aeraria ſoluit,
Haec pro RVDAVIIS dat, numeratque libris.
Sic quae ſub modio clariſſima Scripta latebant,
Haec modo terrarum machina tota videt.
Quoſque libros, tantum ZALVSCIA Pallas habebat,
Hi manuale ſacrum, Palladis omnis erunt.

INDEX

(o)

INDEX

OMNIVM NOMINVM ET RERVM MEMORABILIVM.

LITERA N NOTAS SIGNIFICAT.

Abdicatio a regno Ioannis Caſimiri, Regis Poloniae, a qua neque precibus neque lacrimis abſtrahi poterat, ad effectum venit. Pag. 515
Acatholici Cracouienſes, ab Academicis perſequuti furere. 62
Acies Polonorum, inſtructa ad Bereſtecko. 77 Coſacorum ibid.
Actus ſingularis, quo ſua ſponte regno ſe abdicauit Ioannes Caſimirus, deſcribitur. 515
Adhortatio Chriſtianorum principum contra Turcam. 5
Adolphus Ioannes, princeps palatinus Rheni, eius ad regem Sueciae literae, 235 Suppetias fert cum Duglaſſio fruſtra Vitembergio, 245 Pruſſiae cura ei a Sueciae rege commendatur. 337
Adriani (Ioannes, pat. S. I. Italus) legatus Polonus Viennam. 67
Aerarium, eius in Polonia cura, 54 Valachiae diripiunt Hungari, 130 reipublicae valde eſt exhauſtum. 511
Agrippa (Menenius) ſeditioſam plebem Romanam fabula de artubus et ventre placat. 17, n. 16
Alexander VII, antea Fabius Ghiſius, Innocentio X. ſuccedit, 147 Regi Poloniae pecunias mittit. 207
Alexandrouicius (Baſilius) legatus Moſchus ad tractatus pacis cum rege Polono. 283
Alexewicz (Georgius) Moſchorum legatus. 100
Allagrettis (Allagrettus de) Caeſaris Ferdinandi III conſiliarius, ad tractatus pacis, regis Poloniae cum magno Moſchouiae duce legatus. 282
Allobard (Ioannes Theodorus) Caeſaris Ferdinandi III conſiliarius, ad tractatus pacis, regis Poloniae cum magno Moſchouiae duce legatus. 282
Amurathes, Turcarum Caeſar. 11
Andruhow, pagus, ibi celebratur conuentus. 514
Angliae Regis legatio Varſauiam, 67 Angliae protector Suecorum foederatus, 177 Sueciae Regi ſcribit. 237
Anhaltinus princeps, dedita Choynicia, regis Poloniae menſae aſſidet. 271
Anna Catharina, dux Neoburgica, regis Poloniae germana ſoror, moritur. 92
Apelbom (Haraldus) Sueciae regis miniſter reſidens apud Belgii foederatos. 438
Apologia Radzicieuii. 117
Apparatus bellicus Polonorum contra Coſacos, 68 ſeq. Moſchorum in Poloniam, 140 Electoris Brandenburgici. 184
Aquae flauae, prope eas caeſus Polonorum exercitus. 8
Arcana, apud Polonos nulla. 55
Archidux Auſtriae, languens Viennae, poſt conualeſcit. 329
Arciſzewski (Chriſtophorus) 20 tormentorum praefectus. 45
Arcis Cracouienſis deſcriptio. 194
Areſchori ducis literae ad Gedanenſes. 268
Armiſtitium petunt Poloni a Suecis, nec impetrant. 161
Armorum coniunctio, Pruſſiae regalis cum ducali. Pag. 184 ſeq.
Aſſecuratio Elbingae regno Poloniae exſoluta ſumma, reſtituendae. 509
Aſtrologi, quid de iſtorum vaticiniis tenendum. 32. 75, n. 44. 101, n. 48. 122, n. 55. 142, n. 63. 207, n. 76.
Auſtriaci, aduerſariorum contra eos refelluntur ſophiſmata et argumenta, 190 laceſſuntur a Polonis criminationibus, 350 miniſtri Auſtriaci conqueruntur de Polonis. 389
Auerſperg (Princeps ab) primus Ferdinandi III caeſaris miniſter, 206 Poloniae cancellarii literae ad eum. 256

Baat (Swedt) literas fidei pro legatis Suecicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488
Badenſis marchio, profligatur ad Czerſcum a Czarnecio, 235 moritur in Germania. 443
Bakowski (Ioannes Ignatius) ſuccamerarius Culmenſis, Pruſſiae terrarum deputatus, articulum ſeparatum ratione traditionis Elbingenſis ſubſcribit. 493
Balus (N. de) regis commiſſarius in deditione Petricouiae. 248
Banner (Guſtauus) Sueciae regis conſiliarius bellico aulicus, articulos foederis cum Hollandis ſubſcribit. 260
Bartlinski, mittitur legatus ad magnum Moſchouiae ducem, 58 redux ex Moſchouia. 62
Bartolini (duo fratres germani principes Moſchi) cadunt in praelio ad Konotop. 442
Baſſae Siliſtrenſis ad cancellarium Poloniae literae. 130
Battow. Kalinouius prope Battow Polona caſtra opponit Chmielnicii filio, 102 tumultus in caſtris Polonorum, 103 clades Polonorum. 104
Bellum. Belli occaſio Coſacorum cum Poloniis, 6 Moſchorum cum Polonis, 58. 130 Moſchorum cum Sueciae rege, 284 Electoris Brandenburgici cum Polonis, 252 Tranſyluani cum Polonis, 324 Valachici cum Coſacis et Hungaris, 102 125 bellum acclamatum a Polonis contra Coſacos, 68 denunciatur Polonis a Moſchis, 130 140. a Suecis, 158 nouum inter Daniae et Sueciae reges, 337 quis Electorum Imperii de bello Polono ſenſus, 329 Belli inteſtini flamma extinguitur, 512 magis inſtruitur, 513 Bellum Poloniae intentat Ottomanica Porta. 513
Bereſtecko. Caſtra Polonorum ad Bereſtecko, 75 pugna cum Coſacis, 78 victoria de hoſtibus. ibid.
Berlinum diſcedit Elector Brandeburgicus, 359 Poſnania excurrit ad eundem regina Poloniae. 414
Berblem (Ianuſſius) relinquitur a Rakocio Cracouiae, 332 negat Polono regi vrbis Cracouiae deditionem. 348
Beuning, foederatorum Belgii legatus. 438
Bialocerkuiae commiſſarii Poloni tractant de pace cum Coſacis vano conatu. 85

Bialozor, (Caſimirus) Archidiaconus et adminiſtrator epiſcopatus Vilnenſis, ſubſcribit pacta deditionis Lituaniae. Pag. 211
Bialozor (Georgius) Epiſcopus Smolenſcenſis etc. articulum ratione traditionis Elbingenſis ciuitatis ſeparatum ſubſcribit. 493
Bibliotheca Zaluſciana, ſuppeditauit codicem manu ſcriptum Rudauſcii 2 n. 3
Bieganowski (Nicolaus) vexillifer terrae Leopolienſis, capitaneus Moſtouienſis. 198
Bielke (Steno) Sueciae regis admiralis articulos foederis cum Hollandis ſubſcribit, 260 documentum compoſitionis Sueciae regis cum Electore Brandeburgico ſubſcribit. 266
Bieniewski (Stanislaus Caſimirus) caſtellanus Wolinenſis, pacta Polonorum cum Coſacis ſubſcribit. 419
Biörenklau (Matthias) Sueciae regis conſiliarius aulicus, pacta in arce Labauienſi ſubſcribit. 275
Bilau (Bartholdus Hartwig) Sueciae regis generalis maior, cui Torunium tuendum traditum. 420
Birze, traditur Sueciae regi a duce Radiuilo, 208 a Gonſieuio obſidetur et capitur. 284
Biskupski (Adamus) capitaneus Vielunenſis, obſes datur a rege Polono Sueciae regi. 423
Bliznus, Boiar, ſucceſſor Aſtrachanenſis, legatus Moſchus ad pacis tractatus cum rege Polono. 283
Blzowski (Andreas) praepoſitus Poſnanienſis, reginae quaerelas contra Auſtriacos ſubſcribit. 405
Bohunus, Coſacorum tribunus, profligat Polonos cum Tartaris obſidentes Humanium. 146
Bok (G. Leonardus) Sueciae regis militum protribunus, obſes regi Poloniae datur. 423
Bolchowski (Stanislaus) proteſtatur contra clerum. 137
Bonde (Guſtauus) literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488
Bonkowski (Ioan. Ignatius) Succamer. Culmenſis literas fidei, pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 483
Boratini (Titus Liuius) anno 1658 iure indigenatus donatus, cudit florenos ex cupro, de quibus pauci adhuc in Polonia ſunt ſuperſtites. 511
Boratynſcius, Moſchouiae belli dux, a Pacio profligatur. 511
Bornſtet (Wolfgang Eraſmus de) ſubſcribit nomine ſtatuum Marchiae pacta cum maioribus Polonis. 286
Boruſſia ducalis arma colligit, 252 deſcribitur, 189 loca in ea per Suecos occupata, 183 comitia Marieburgi inſtituta, et eorum articuli, 184 ſeq. nobilitas Boruſſiae in Pomeraniam irrumpit, ſed a rege Polono reuocatur. 287
Borysſthenes fluuius, eius deſcriptio, 4. hunc Rex cum exercitu traiicit. 511
Boturlinus, Moſchorum exercitus dux, obſidionem Leopolienſem ſoluit. 201
Bozencin, epiſcopatus Cracouienſis oppidum, datur a Sueciae rege Koniecpolſcio. 211
Brahe (Petrus comes) literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, 488
Branecius, ſuffraganeus Poſnanienſis globis traiicitur. 165
Branicki (Ioannes comes de Ruſcza) gubernator Chencinenſis, mittitur a rege contra rebellem Napierski, qui palo Cracouiae affigitur, 75 Suecamerarius palatinatus Cracouienſis, conuentus Proſzouienſis mareſchaleus, proteſtatur contra clerum. Pag. 136
Branicki (Ioannes Clemens a Ruſcza) in locum Opalinski ſuccedit. 510
Branicius, Curiae mareſchallus in matrimonio habet Czarnecii filiam. 513
Brandenburgici, occiſorum eorum numerus in ſyluis ad Caliſſium. 276
Brandenburgicus Elector: vid. Fridericus Wilhelmus.
Breniewski (Stanisl. Caſimir.) caſtellanus Volhyniae, literas fidei pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 484
Breſſius, Baro, orator Gallus. 39
Breſtiae, comitia ordinum Poloniae, 123 occupatur a Tranſyluano et Sueco, 335 eidem Sapieha ſuccurrere fruſtra parat. 336
Bretlar, Electoris Brandeburg. equitum praefectus, ſub legione de Zaſtroum, cadit in ſyluis ad Caliſſium. 276
Brigittae S. prophetia de regno Sueciae. 350
Brochowski (Adamus) caſtellanus Sochaceuienſis, Poloniae regis legatus, oratio eius ad Sueciae regem. 198 ſeq.
Bronicki (Andreas) 198
Bychouium, poſt trium annorum obſidionem Coſaci Moſchique capiunt. 181
Byzantini imperatoris ad chanum Crimenſem legatio, 21 eiuſdem vitae exitus tragicus. ibid.
Bzowski (Cyprianus Paulus) referendarius M. D. Lituaniae, legatus ad pacis tractatus cum magno Moſchouiae duce. 282

Cueſar, vid. Ferdinandus III. et Leopoldus.
Cadicum, ſcilicet ius, quid ſit in Polonia 213, in. 77
Caliſſii profligantur Poloni a Czarnecio, 166 expugnatur a Polonis. 271
Camenecum, obſidetur a Chmielnicio, 106 eiuium fides tentatur, ibid. rex Poloniae Camenecum progreditur, 128 ibidem conſultant Poloni de vlteriori regis profectione, ibid.
Canazilius, legatus quondam regis Poloniae in Sueciam. 149. 150
Cancellarii Poloniae videatur Oſſolinski. Radzicieuius. Koricynski. Leſczynski. Trzebicki. Prazmowski.
Cantarinus (Ioannes) S. Marci procurator, Venetae reipublicae legatus 44
Canterſtein (Laurentius) Chriſtinae reginae Sueciae legatus, 13 oratio eius ad Senatum, 29 legatus Lubecae ad tractatus cum Polonis, 71 reſcribit palatino Lencicienſi, 174 Dedita Varſauia ibi manet. 248
Capitaneatus, vel Staroſtiae, quid ſint in Polonia. 59
Caput propugnaculum occupat Sueciae rex, 266 recuperatur a Polonis. 445
Carolus Ferdinandus, Vratislauienſis et Plocenſis epiſcopus, 25 deinde Opolienſis et Ratiborienſis dux, comitatur regem fratrem in expeditione contra Coſacos ad quatuor milliaria cum regina, 44 immaturum eius fatum. Varſauiae tumulatur. 153
Carolus Guſtauus, Sueciae rex, ſcribit ad regem Poloniae, Ioannem Caſimirum, 144 per Roſenheimium et Bannerum Polonis bellum declarat, 158 tota maior Polonia ſe ei dedit, 165 Poſnaniam ingreditur, 166 enumeratio cauſarum, ob quas regem Poloniae bello adoritur, ibid. ſcribit caeſari Ferdinando III de bello contra Polonos, 170 quid regis Poloni legato Przyiemſcio reſpondeat, 176 Literae eius ad Poloniae regem, ibid. Louicium ingreditur victor, deinde Varſauiam, 177 Varſauia diſcedit et Vitembergio ſe coniungit, 178 regis Poloniae veſtigia premit, ibid. omnia circa Cracouiam occupat, ibid. Siradienſis palatinatus ſe ei dedit, 181 Literae eius ad maiores Polonos, 191 edictum eius ad nobiles terrae Ciechanouienſis, 192 declarationem ſuam palatinatuum deputatis tranſmittit, 196 Literae eius ad regem Poloniae, 200 Sendomiriam pergit, dat praetoriarum cohortium militibus centum viginti millia, Koniecpolſcio Bozencin et Ilzam oppida, 211 Literae eius ad Electorem Brandeburgicum, 214 Czarnecium profligat ad Golomb, 231 Zamoſcio retrocedere coactus, Iaroslauiam verſus caſtra mouet, 231 a Polonis obſidetur 334, ſeq. nobilium nomina patibulo Sendomirienſi affigi iuſſit, 236 Varſauiam incolumis euaſit: eludit Sapiehae conatus, ibid. Varſauia Torunium, Elbingam et Marieburgum ſecedit, 237 edictum eius in Polonos nobiles, ibid. alterum eius edictum, 239 ab oppugnatione Gedanenſi reuocatur et Varſauiam accurrit, 245 turbatur ob captum Wittembergium. Verba eius de Czarnecio, 250 articuli foederis inter eum ac ſtatus generales Hollandos, 257 Literae eius ad auguſtum Caeſarem, 260 Secreta compoſitio et documentum publicum compoſitionis cum Electore Brandeburgico, 264 Stenbocii caſtra ingreditur. Munimento, capite dicto, Gedanenſi potitur. Mindam aggreditur, ſcribitque Gedanenſibus, 266 ad Varſauiam pugnat et Poloniae regem fugat, 269 Varſauia potitur, ibid. Tractatus offert Polono regi ſine mediatoribus, 270 cum Electore Brandeburgico in Boruſſiam redit, ibid. in villa Proſtki ſex ipſius legiones delentur a Gonſieuio, 271 colloquitur Hollandi cum Electore Brandeburgico, ibid. Tertio cum Electore paciſcitur, 272 caſtra ad Gedanum occupat Polonorum, eoſque abeuntes perſequitur, 278 praeſens colloquitur cum Rakocio in Polonia, 333 Rakocii conſilium ei ſuggeſtum, 335 Breſtiam Lituaniae occupat. Cum Rakocio Varſauiam intrat. Literas accipit ex Holſatia de Daniae regis hoſtili in ſe animo, 336 reſponſum eius, quod dat turbato Rakocio, 337 in Pomeraniam abit relicto Rakocio ad Poloniae cuſtodiam, ibid. Literae Electoris Brandeburgici ad eum, 359 reſpondet ad literas Electoris Brandeburgici, 363 pacem init cum Daniae rege, 427, ſeq. Literae eius ad chriſtianiſſimum regem, 437 ad foederatos Belgii, 439 moritur Stockholmiae, dum Oliuae de pace tractatur. 462
Carolus Ludouicus, Poloniae princeps naſcitur et breui poſt extinguitur. 97
Caruat, S. I. theologus, orationem Sacram habet pridie comitiorum. 156
Caſtra Coſacorum ordinata ad Pilauice, 23 Polonorum ad Gliniany, 22 ad Zbarazium, 41 ad Bereſtecko, 75 ad album fanum 81 ad Battow, 102 ad Volboriam, 166 ad Gedanum occupata a Sueciae rege, 278 ad Lengonik locat Rex Poloniae, ibique de pace tractat accepta clade cum Lubomierſcio. 513
Cauna, deditionem facit Moſchis. 180
Cautio iuris in ducalem Pruſſiam Chriſtiano Wilhelmo a rege Ioanne Caſimiro data. 508
Chanus Crimenſis, vid. *Gerei*.
Chanut (Petrus) legatus regis Galliae ad tractatus Lubecae Suecos et Polonos inter. 71
Chedrouius eligitur Coſacorum dux in locum mortui Timothei Chmielnicii Soczauiae. 129
Chmielnicki (Bogdanus) irritatur a Koniecpolſcio, origo litis et malorum, 6 citatur a Koniecpolſcio et traditur vinculis, ibid. pugnat cum Czaplinio, 7 abit in Tartariam, ibid. primus rebellis. Filius ipſius fuſtibus caeditur et occiditur. Edictum eius, ibid. profligat Polonos ad aquas flauas, 8 iterum caeditur ab eo Polonorum exercitus d. 26 Maii, a. 1648. 9 caſtra metatur ad album Ianum, ibid. Literae eius ad Kiſielium, 10 Legati eius Varſauiam perueniunt, ibid. Leopolim obſidet, et ab eodem recedit lytro accepto. Zamoiſcium obſidet, 25 electi regis literae ad eum, ibid. a Zamoſcio recedit, 26 ducit vxorem Czaplinii, 41 vindicta eius in Polonos, ibid. obſidet Polonos, 42. 46 caput eius venale a rege publicatur, cum praemio decem millium aureorum, percuſſori debitorum, ibid. Submiſſe ſcribit regi Polono, 48 mittit ad regem legatos petendae veniae cauſa, 50 aduentus eius ad regia caſtra, eiuſdem ad regem verba, 51 celebrat comitia Pereaslauiae Coſacorum, 57 Valachiae principem aggreditur ac paulo poſt profligat, 64 puncta compoſitionis inter Valachos et Coſacos, 65 ſollicitudo eius circa arma expedienda contra Polonos, 69. 70 quid ei reſpondit Moſchus et Tranſyluanus, 70 adhortatio eius contra Polonos, 73 eius animus, ibid. profligatur a rege ad Bereſtecko, 78 fugit cum chano Crimenſi, ibid. ſui conſtans Coſacos iterum coadunat, 80 Ruthenam Philipiſſam in vxorem ducit, Czaplinska in crucem acta, ib. morte Wiſniowiecii erigitur, ibid. literae eius ad Coſacos, ibid. literae eius ad Potocium, 81 Ruſſis et Coſacis pacem perſuadet, ibid. ſeq. aliae literae ad Potocium, 82 turbatur vicinitate Poloni exercitus, 86 legatos ſuos ad Potocium mittit, eorum poſtulata, 87 decipit Polonos, 88 ſcribit ad Potocium, 89 certamen adhuc tentat cum Polonis, ibid. mittit legatos ad Polonorum caſtra, 90 Polonorum caſtra ingreditur, colloquitur cum Potocio et pacta ſubſcribit, 91 Sermones eius inter epulas cum Radiuilo, ibid. mittit equum Potocii filio, 92 acceptat Polonorum commiſſionem, queritur de violata a Polonis pace, 100 matrimonium tractat pro filio Timotheo cum Valachiae principis filia, 101 dubio palatini non contentus reſponſo in Valachiam mittit filium armatum, 102 ſcribit Kalinouio, ibid. filius eius ad internecionem delet Polonum exercitum, 104 mittit legatos ad regem, factum filii excuſantes, 105 ad Ruſſos et Coſacos literae excuſantes ac relatio deleti Poloni exercitus, ib. filium cum exercitu reuocat, ibid. mittit Wychouium ad filium, vt eius moderetur conſilia, 107 declaratur hoſtis Poloniae in comitiis Viasdouiae, 108 reſponſum eius ad Poloni regis literas et Zawilichouii legationem, 122 ſcribit regi Polono, 128 magno Moſchouiae duci coram lega-

legatis iuramentum fidelitatis praeſtat, 142 legati eius ad nouum Tartarorum chanum amputatis naribus redeunt, 146 occurrit Tartaris Poloniſque et cum illis pugnat, 147 dolus eius erga Polonos, ibid. obſidet Leopolim, 201 colloquium eius cum Grodecio. Obſidionem ſoluit, ibid. in Tartaros incidit ac cum illis pacíſcitur, ibid. contemnit Poloniae regis poſtulata, 202 Eius conſilium Sueciae regi datum. Animus eius mutatus, ac cum Polono rege faciens, 203 poſtulata eius a Polono rege. Quid legato Polono reſpondet, 243 moritur relicto filio Georgio. Pag. 391

Chmielnicki (Timotheus) Bogdani filius, Kalinouium adoritur in caſtris ad Battow, 103 dat aureum nummum pro capite Kalinouii, occiſi a Tartaro, 104 Valachiam verſus ſigna mouet, reuocatur cum exercitu paternis mandatis, in Ruſſiam redire iuſſus, 105 captiui Poloni ab eo trucidantur omnes, ibid. Camenecum obſidet, 106 fidem Camenecenſium literis labefactare ſatagit, ibid. excandeſcit ob reſponſum Camenecenſium, 107 Valachia applaudit Chmielnicio victori, in Valachiam cogitat. Tartari ei offenſi ob non expugnatum Camenecum, ibid. vxorem ducit Valachiae principis filiam, 120 nuptiarum ſolennia, 121 armatus Valachiam ingreditur, et paulo poſt obſidetur in arce Soczaua ab Hungaris Moldauiſque, 126 ex accepto vulnere moritur. 129

Chmielnicki (Georgius) Bogdani filius, imperio ſe abdicat. 511

Chodkiewiczowa (Anna) Alexandri ducis in Oſtrog filia, vidua XXXIII annorum, Societat. Ieſu haeredem inſtituit. 145

Choinicia, Polonis deditur. 271

Chowanſcius, Moſchorum belli dux a Polonis profligatur, 509 et ad Glembocko vincitur. 510

Chriſtina, Sueciae regina. Literae eius ad Senatum Polonum, 13 Vladislai IV fratres ſenatui commendat, ibid.

Chroſnowski (Albertus) 198

Chrzaſtowski (Stanislaus a Brzezie) ſubiudex generalis Cracouienſis. 20. 198

Cenſus regi, regno abdicanti, 150000 florenorum annuus conceditur 515

Cichowski (Hieronymus de Vodislawice) proteſtatur contra clerum. 137

Cieklinski (Boleslaus) Czechouienſis caſtellanus, mittitur legatus ad Moſchum. 42

Cinerski (Ioannes) canonicus Cracouienſis proteſtatur contra ſaeculares. 137

Clades Polonorum ad aquas flauas, 8 ad Corſunum, ibid. ad Pilauice, 23 ad Zborow, 46 ad Batow, 104 ad Slonigrodek, 201 Tranſyluanorum ad fines Hungariae, 347 Moſchorum ad Konotop, 442 Polonorum ad Montwy. 513

Claſſis Suedica ad portum Gedanenſem appellit, 182 prohibetur a palatino Marieburgenſi. ibid.

Claua denegata a rege, ſuſpicionem mouet apud ſenatum. 141

Clemens IX, ſummus pontifex, pro Lubomierſcio intercedit. 512

Clerus minoris Poloniae proteſtatur contra nobilitatem, 137 maioris Poloniae querelas deponit Francofurti contra milites Caeſaris. 388

Colloquium inter Polonum et Tartarum ad Zbrow, 48 Chmielnicii cum Potocio, 91 cancellarii Poloniae cum Tartaro legato, 132 Chmielnicii cum Grodecio, 201 Czarnecii cum Mikieſio, Rakocii cancellario. Pag. 343

Comerae, quid ſint et ſignificent. 122, n. 55

Comitia, eorum deſcriptio, 52 conuocantur Varſauiae, 52 ſeq. quid decretum in iis fuit, 56 Coſacorum comitia Pereaslauiae a Chmielnicio celebrantur, 57 comitia iterum ordinibus indicantur, 67 eorum articuli ac deinde finis, 68 Viazdouiae in ſuburbano Varſauiae palatio celebrantur, 107, ſumma horum comitiorum, 108 celebrantur Breſtiae a. 1653, 123 ordinum comitia Varſauiae anno 1654 irrita, 140 Varſauiae die 19 Maii anni 1655, 156 finita eadem, 157 Boruſſiae Marieburgi, 184 eorum articuli, ibid. ſeq. comitia anni 1659 duodecima hebdomada ſoluuntur, 442 comitia anni 1662 Varſauiae, 510 comitia extra ordinem indicantur, et infectis rebus finiuntur, 512 felicem exitum habent, 514 anno 1668 indicantur, in quibus de regis abdicatione agitur. 515

Comitiola palatinatuum Poloniae, eorum poſtulata. 93

Commiſſio Polonorum cum Coſacis nullo ſucceſſu Kiiouiae, 22 Bialocerkuiae cum periculo commiſſariorum Polonorum, 85, ſeq. rei nummariae. 61

Compoſitio Valachorum cum Coſacis, 65 Polonorum cum Moſchis, 282 Polonorum cum ſtatibus Marchiae, 285 Electoris Brandenburgici cum Sueciae rege, 219. 264. 271 Rakocii cum Coſacis, 325 Rakocii cum Polonis, 345 Leopoldi Hungariae regis cum rege Polono, 330 regis Poloni cum Electore Brandenburgico, 358 regis Poloniae cum Daniae rege, 371 Coſacorum cum Polonis. 418 ſedanda ad belli inteſtini initia facta 511

Conceſſio ſummae centum viginti millium talerorum Electori Brandenburgenſi. 506

Conde (de) Principi a regina Regium Poloniae ſolium procuratur, 510 quod propoſitum Reginae mors plane fregit. 514

Conditiones vrbis Varſauienſis, regi Polono traditae, 245 quibus rex arma contra Lubomierſcium deponit. 512

Confirmatio regis Poloniae articuli ſeparati ratione traditionis Elbingae, 489 regni Poloniae Magnique ducatus Lithuaniae eiuſdem articuli. 491

Confoederatio rebellium Coſacorum prima circa Boryſthenem, 8 militum Lublini, 57. 441 exercitus et incolarum regni Tyſſouiciis facta, 221 exercitus, et ordinum Landshuti, 227 nobilitatis prope Cracouiam. 229

Confoederati Suecorum, qui. 177

Conradus (Ioannes) tribunus equitum, mittitur a rege cum ſex millium lecta manu in Valachiam contra Chmielnicium, 126. 129 moritur veneno ſuffectus. 136

Conſilia Polonorum de opprimendo hoſte facta Lublini, 74 ad Zborow, 47 ad Socalium, 75 Landshuti, 228 ſuper literis Chmielnicii Varſauiae facta, 100 de regis profectione Camenecum, 128 conſilia Radiuili et Radzieieuii Sueciae regi data, 250 a Chmielnicio Sueciae regi ſuggeſtum. 203

Conſtantinum ad, pugna Polonorum cum Coſacis, 18

Conuentio ſpecialis Poloniae regem inter et Brandenburgi Marchionem de armis ad expurgandam hoſtibus Poloniam coniungendis. Pag. 501

Conuentus celebratur in pago Andruhow 514

Conuocatio ordinum Poloniae Varſauiae, 141. 148

Corffius, palatinus Derpatenſis. 142

Coronatio Ioannis Caſimiri, 35 coronationis regum Poloniae ſolennia, 34. ſeq. iuramentum, ibid. inaugurationis ſolennia, 36 confirmatio iurium Poloniae, ibid. regis coronati denunciatio. 38

Corſunum, Poloni ibi a Coſacis profligantur, 8 ibi Daniel Vichowski globis traiicitur. 511

Coſaci, eorum prima initia et origo militiae, 5 legati ad rempublicam eorumque queſtus, 16 conditiones pacis a Senatu Polono iis oblatae, 17 pugnant ad Conſtantinow, 18 Leopolim et Zamoſcium obſident, 25 cudacum propugnaculum euertunt, 32 pacis conditiones regi tranſmittunt, 40 trucidant regis legatum Raphaelem Sniarouium, 44 Pereaslauiae comitia celebrant, 57 eorum fuga poſt praelium ad Bereſtecko, 78 Polonos ad pacem ſtimulant, 79 a Polonis Lituaniſque caeduntur, 89 denuo irruptionem tentant, ibid. exprobrant Polonos, 90 indignantur Chmielnicii colloquium cum Polonis, ibid. cum Tartaris diſcordes aggrediuntur Polonos ad Battow et ad internecionem delent, 104 mittunt legatos Varſauiam ad regem, 119 Moſchorum protectionem ſuſcipiunt, 142 a Tartaris factus legatis eorum deſpectus, 146 cum Tranſyluanis paciſcuntur, 325 de ſtatu eorum poſt mortem Chmielnicii, 416 eorum pacta cum Polonis, 418 in comitiis approbantur, 442 illudunt paci cum Polonis et primarii factionis Vichouianae trucidantur a factione Moſchouitica, 443 Peninſulam Tartariae depopulant. 515

Cracouia, cuſtodia eius traditur a rege Polono Czarnecio, 178 obſidetur a Sueciae rege, deſcriptio eius, 193 puncta deditionis eius, 194 liberatur ab obſidione Polona, 269. 279 eandem ingreditur Rakocius, cui Cracouienſes iurant, 332 iterum occupatur ab Hatzfeldio, 347 eadem recepta inter Polonos et Auſtriacos contentio, 350 eadem excedit miles caeſareus, 442 ibi in ſepulcro, quod ipſe ſibi rex exſtruxerat tumulatur corpus Ioannis Caſimiri. 516

Cracus, conditor Cracouiae. 193

Crafft (Ioannes comes) Caroli II, Angliae regis legatus, ad rempublicam Polonam. 67

Croiae dux. vid. Erneſtus Boguslaus.

Cromuel (Oliuarius) Angliae protector, Sueciae regi de felici armorum in Polonia progreſſu per literas gratulatur. 237

Crux, pars crucis dominicae Lublino in Moſchoniam auehitur. 202

Cudacum, propugnaculum, euertitur per Coſacos. 32. ſeq.

Curlandiae dux, cum tota ducali proſapia capitur a Sueciae rege. 426

Czaplinus, ambigit praedium Chmielnicii, 6 inſidiatur Chmielnicii vitae, 7 ferociae ſuae immolat Chmielnicii filium, ibid.

Czarnecius (Stephanus) caſtellanus Kiiouienſis, militat contra Chmielnicium, 8 Caliſſii Polonos cum Sueciae rege facientes profligat, 166 rex Polonus Cracouiam ei defendendam tradit, contra Sueciae regem, 178 victoria eius de Suecis reportata, 232 Marchionem Badenſem ſuppetias regi Sueciae ferentem ad Czerſcum profligat 235 redit ex maiori Polonia cum militibus in auxilium regis prope Varſauiam, 244 quae verba de eo Sueciae rex dixit, 250 aliquot Suecorum millia ad Lipie pagum profligat, 270 reginam animat, cum literae paſſus ei a Stenbocio, Sueco generali, offerentur, 278 conſilium eius reginae ſuggeſtum, eiuſdem exprobratio belli ducibus et ſtratagema, ibid. Reginam Czenſtochouiam deducit, eius celeritas. Regem Polonum Gedano liberat, 279 Fit mortuo Stanislao Lanckoronio Ruſſiae palatinus, 329 Rakocium perſequitur. Reſponſum eius Rakocii legato datum. Mikieſii ad eum oratio. Reſponſum eius, 343 contra Rakocium mouet ſolus, quod Lubomierſcius male rem, ibid. proteſtatur contra Lubomierſcium, 344 ſtratagema eius contra Rakocium, ibid. ſenſus eius de Rakocio, 347 expeditio eius in Holſatiam, 371 incenſis aliquot Pomeraniae oppidis in Poloniam redit, 373 Danis in auxilium mittitur cum Caeſareo et Brandenburgico exercitu contra Suecos, 439 Daniae regis ad eum literae, ibid. ſeq. Literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, 484 contra Moſchos dimicat, 509 vi rebelles ad officium reducit milites, 510 regni ſecundus belli dux declaratur, 512 diem obit ſupremum. 513

Czarnkowski dimicat cum Vmienicki in aula regia Sigiſmundi III. 111

Czarnkowski (Franciſcus comes a Czarnkow) caſtellanus Poſnanienſis, moritur. 226

Czartoryski (Caſimirus, dux in Kleuan) canonicus Cracouienſis. Eius elogium, fit epiſcopus Poſnanienſis, 58 opprimit ſeditionem in maiori Polonia, 75 fit epiſcopus Cuiauienſis, 145 Literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, epiſcopus Vladislauienſis, 484 articulum ratione traditionis Elbingenſis ciuitatis ſubſcribit, 493 Volbyriae praeſens eſt, vbi non exigua florenorum ſumma militibus conceditur. 510

Czebrinium famoſa quondam Chmielnicii ſedes, expugnatur a Moſchis. 444

Czenſtochouia obſidetur a Suecis, ſed vano conatu, 225 proceres Poloniae ibi congregantur, et ibidem cum rege conſultant, 279. patribus Czenſtochouienſibus ſcribit generalis Suecus Millerus, 225 ibi rex de eligendo ſucceſſore habet Senatus conſultum. 510

Czerni (Sigiſmundus) vicegubernator Bialocerkuienſis, mittitur legatus a rege ad Chmielnicium. 119

Czerski (Albertus) caſtellanus Culmenſis, mittitur a rege ad regni tribunal. 112

Czertwetinski (Georgius dux) commiſſarius ex equeſtri ordine ad Coſacos republica conſtituitur. 68

Czerſtynum arx occupata a rebelli Napierski Koſtka. 75

Daniae rex, vid. Fridericus III.

Danielowicz (Nicolaus de Zurow) ſupremus regni theſaurarius, moritur. 56

D'Arpaion, vicecomes, Ludouici XIV, Galliae regis ad rempublicam legatus extra ordinem. Eius ad ſenatum oratio. 12. 13. 28

Declaratio Sueciae regis palatinatuum deputatis data, 196 periculi ordinibus Germaniae per Trzebicium viecancellarium Poloniae. Pag. 134
Decretum mareſchalcale contra Radzieieuium, 95 Poloni regis in captiuos Suecos Varſauiae. 248
Deditio arcis Soczauienſis, 129 exercitus maioris Poloniae Vitembergio, 164 Cracouiae Sueciae regi, 194 Poloniae regi, 350 praetoriarum cohortium Sueciae regi, 201 Lituaniae Sueciae regi, 207 Varſauiae Polono regi, 245 Petricouiae Polonis, 248 Torunii Sueciae regi, 212 Polono regi, 420 Poſnaniae Sueciae regi, 165 Caunae et Grodnae magno Moſchouiae duci, 180 Siradienſis palatinatus Sueciae regi, 181 Elbingae Sueciae regi, 212 Lublini Polonis, 236 Marieburgi Suecis, 240 Varſauiae iterum Sueciae regi, 269 Poſnaniae Polonis ab Electore Brandenburgico. 357
Delga, Moſchorum legatus. 100
Dembicki (Martinus a Dembica) vexillifer generalis palatinatus Sendomirienſis. 198
Dembinius, cancellarius regni, quid Piaſecius de eo ſcribit. 113
Dembinius, gubernator Neoſtadienſis, a Suecis capitur. 269
Denhof (Sigiſmundus) capitaneus Socalienſis, palatini Siradienſis filius, mittit milites contra Coſacos, 19 belli commiſſarius, 20 comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 datus obſes chano Crimenſi, 49 moritur. 153
Denhof (Stanislaus) Vielunenſis capitaneus, 20 moritur. 139
Denhof (Gerhardus comes a) palatinus Pomeraniae, moritur. 33
Denhof (Henricus) mittitur cum 1500 militibus Germanis in Valachiam, 126. 129 commiſſarius ob deditionem Cracouiae componit cum Wirtzio. 349
Denhof (Vladislaus) Ioanni Gninski ſufficitur. 516
Dersniak (Andreas a Rokitnicza) capitaneus Radoſycienſis. 198
Deſcriptio Leopolis, 125 Halicii, 126 Louicii, 121 Poſnaniae, 165 Pruſſiae, 189 Lublini, 202 Praemisliae, 232 Marieburgi, 240 Varſauiae, 177. 244 Poloniae. 412, ſeq. Varmiae, 416 Zamoſcii. 25
Deſpectus Coſacorum legatis a Tartaris factus. 146
Dignitatum diſtributio, 97. 121. 141. 145. 156. 415. 512
Diploma Poloni regis Coſacis datum. 442
Diſpenſatio Pontificis pro Ioanne Caſimiro cum Ludouica Maria. 39
Dobrzenski (Ioannes Vldericus de Dobrzenicz) documentum compoſitionis Sueciae regis cum Electore Brandenburgico ſubſcribit. 266
Documenta electionis coronationiſque a rege exhibentur. 515
Dohna (Fabianus baro de) minae eius in Polonos, 219 debiti comitum de Dohna apud rempublicam Polonam ratio in comitiis futuris haberi debent vi pacis Oliuenſis. 475
Dominicus dux in Oſtrog. vid. Vladislaus Dominicus.
Dörfling Electoris Brandeburg. belli dux. 276
Doroſzenka, Coſacus a republica nobilitatur. 68
Doroſz (Petrus) Coſacorum dux, a Polonis in fugam agitur, et pace confecta in regis venit gratiam. 515
Dorp (Fridericus a) conſiliarius ordinarius in curia Hollandiae, articulos foederis cum Sueciae rege ſubſcribit. Pag. 260
Draco (Ericus) Sueciae regis militum tribunus, puncta deditionis Torunii ſubſcribit. 426
Dubracki (Franciſcus) ſuccamerarius Praemisliensis, eligitur commiſſarius a ſenatu ad Coſacos. 17
Duglaſſius, exercitus duces Poloni deſerunt caſtra eius, 220 minae eius erga Zamoſcium, 231 Praemisliam oppugnat, eandemque paulo poſt intactam relinquit, 232 in maiorem Poloniam a Sueciae rege dimittitur. 237
Dumna Roſanda, principis Valachiae et Moldauiae filia, nubet Timotheo Chmielnicio, 120 nuptiarum ſolennia. 121
Dunin (Hieronymus) iurat in Lubomierſcium. 512
Dux magnus Moſchouiae, vid. *Michalowicz*.
Dziadziaty, Coſacorum tribunus. 84
Dzialinski (Petrus) fit palatinus Culmenſis, 511 morti ſuccumbit. 516
Dziewica, ſita ad Moſchouiae fines vrbs, vi accipitur a Polonis. 511

Edictum Sueciae regis in Polonos nobiles, alterum eius edictum, 239 Electoris Brandenb. 220 Poloniae regis contra inuaſores Pomeraniae, 287 Chmielnicii. 7
Ehrenſtein (Eduardus) Sueciae regis ſecretarius intimus, 437. 439 literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488
Elbinga, puncta deditionis et pacis inter regem Sueciae et ciuitatem Elbingenſem, 212 Elbingenſium reſponſum ad propoſitiones Rudauii, 213 Elbingae tractatus Suecorum cum Hollandis concluſi, 260 vi pacis Oliuenſis regi Polono cedi-tur. 471
Electio noui regis Ioannis Caſimiri, 24. 26 Alexandri VII Pontificis, 147 Leopoldi Hungariae Bohemiaeque regis in Romanorum imperatorem electio turbata, a Polono legato, 412 iudicia de futuri regis Poloni electione. 323
Elector Brandeburgicus, vid. *Fridericus Wilhelmus*.
Electores imperii, quid de bello Polono ſentiant, 329. ſeq. Literae illorum de inеunda pace ad regem Polonum, 410 ad Sueciae regem. 411
Electrix Brandenburg. perſuadet reginae Poloniae quaedam ſecreto, annuente Polono rege propoſitionibus Electoris. 358
Eliminatio cauſarum ſuſcepti, a Carolo Guſtauo Sueciae rege, contra Ioannem Caſimirum Poloniae Sueciaeque regem, belli. 289
Epiſtola vid. *literae*.
Erneſtus Boguslaus, Croiae et Areſchotti dux, Caminenſis in Pomerania epiſcopus, Gedanenſibus perſuadet, vt a rege Polono deficiant, 268 ius ſuum ratione debitorum apud rempublicam Polonam originalium obligationum productione in comitiis docere debet, vi pacis Oliuenſis. 475
Erskeen (Alexander) Suecus generalis vigiliarum praefectus, ſubſcribit deditionis Varſauiae conditiones, 247 captiuus Zamoſcium deducitur. 248
Euryſtheus, Mycenarum rex. 289, n. 84
Exemtio incolarum Ducalis Pruſſiae a iuramento regibus Poloniae praeſtito. 508

Exercitus Polonus caeſus ad aquas flauas, 8 caeſus iterum Polonorum exercitus, 9 nouus conſcribitur contra rebelles Coſacos, 22. 40 Moſchorum contra Poloniam, 140 exercitus Poloni confoederatio contra Sueciae regem, 221 exercitus Poloni et ordinum confoederatio, 227 exercitus Poloni cum Koniecpolſcio et Wiſniowiecio a Suecis redeuntis manifeſtatio, 232 pugnam appetit cum Tranſyluanis, 345 vid. *milites*.
Exprobratio reginae Poloniae, in Polonos Auſtriacis fauentes. 347

Fabius Ghiſius vid. *Alexander VII.*
Fabricius (Vincentius) Syndicus Gedanenſis, Poloniae regem nomine ciuitatis ſalutat. 277
Femina virili habitu ſexum mentita militans inter nuda cadauera inuenitur. 46
Ferdinandus III, Romanorum imperator. Literae eius ad ſenatum Polonum, 12 reſpondet regis Poloni legato, P. Adriani, S. I. 67 reſpondet Polono legato Trebicio, 136 reſpondet Moſchorum legatis, 143 Sueciae rex ei ſcribit de bello contra Polonos, 170 Literae eius ad Sueciae regem, 203 regi Polono Opolium ſcribit, 205 reſpondet legato Polono Leſcinio, palatino Lencienſi, 206 Legatio Polonorum ad eum, 282 moritur anno 1657, d. 2 Aprilis. 329
Firlei (Petrus) caſtellanus Camenecenſis, capitaneus Trembouolienſis mittit milites contra Coſacos, 19 moritur. 64
Firlei (Andreas de Dombrowicza) caſtellanus Belzenſis, 19. 40 fit palatinus Sendomirienſis, 43 moritur. 52
Firlei (Stanislaus de Dombrowicza) ſuccamerarius Lublinenſis. 20. 44
Firlei (Zbigneus comes de Dombrowicza) capitaneus Lublinenſis, 20 moritur. 33
Firlei (Henricus) fit Poſnanienſis epiſcopus. 58
Fiſcher (Petrus) Rakocii legatus ad Ianuſſium Bethlem, vt Cracouiam reddat Polono regi. 347
Flemming (Erich et Georgius) Sueciae regni ſenatores, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribunt. 488
Floreni Poloni ex cupro cuſi. 511
Foedus defenſiuum et offenſiuum inter domum Auſtriacam et Electorem Brandeburgicum. 393
Forgel, dedita Varſauia captiuus Cracouiam ad vxorem dimittitur, 248 tertio capitur. 270
Fredro (Andreas Maximilianus) caſtellanus Leopolienſis, regi eſt auctor, vt a propoſito eligendi deſiſtat ſucceſſorem. 510
Freiſtadius legatus et conſiliarius Electoris Brandenburgici. 214
Fridericus III, Daniae rex, contra Sueciae regem bellum incipit. Bremeruerdam accipit, 337 paciſcitur cum rege Poloniae, 371 Querelae eius contra Polonos, 373 paciſcitur cum Sueciae rege, 427 Czarnecio ſcribit. 439
Fridericus Wilhelmus, Elector Brandenburgicus mittit legatum ad rempublicam Polonam, 14 a Gedanenſibus ſolenniter excipitur Regiomontum veniens, 183 protectionem ſuam Boruſſiae regali offert, armorumque coniunctionem, 184 paciſcitur cum ſtatibus Boruſſiae regalis, ibid. ſeq. ſalutatur a Sueciae rege per literas, 214 vires eius, 218 cum Sueciae rege colluſio, 219 Tractat cum Sueciae cancellario, ibid. reſpondet caeſaris legato, ibid. edictum eius, 220 Chani Crimenſis literas ad ſe ſcriptas pro ſuſpectis habet, 243 belli occaſio cum Polonis, 252 Literae eius ad Poloniae regem, 253 cum Sueciae rege compoſitio ſecreta, 264 documentum compoſitionis publicum inter Sueciae regem et eum, ibid. ſeq. in caſtra Suedica ingreditur, 269 in Pruſſiam reuertitur cum Sueciae rege, 270 colloquitur cum Sueciae rege Hollandi, 264 componit cum eodem in arce Labauienſi tertio 271-275 ſceptrum Polonum ambit, 322 Regi Polono Poſnaniam tradit, 357 colloquitur cum rege Polono et regina Bydgoſtiae et fit amicus. Pacta inter eum et regem Poloniae, 358 commiſſa regiminis ſumma Boguslao Radiuilo Pruſſiae ducalis Berolinum diſcedit, 359 Sueciae regi ſcribit, ibid. alias ſimul literas ad eum adiicit, 361 iterum ei ſcribit, 362 Polonis ſolis, niſi interueniente Hungariae rege, fidem non habet, 392 foedus defenſiuum inter eum et Leopoldum, Hungariae regem, 393 offenſiuum foedus inter eoſdem, 396 Regina Poloniae ad eum Berolinum venit. Quid cum eo tractauerit. Electoris reſponſum, 414 pacta eius ratione traditionis Elbingae cum rege Polono a rege confirmantur, 489 a commiſſariis firmantur, 491 ei ſupremum ducalis Pruſſiae dominium addicitur, 494 conuentionem de coniungendis armis cum Polonis init, 501 ratificatur foedus cum eo a Polonis, 504 aſſecurationem facit de Elbinga regno Poloniae reſtituenda exſolutione ſummae conceſſae accepta. 509
Fruchtlandt (Caſpar) auditor Poſnanienſis, cadit in ſyluis ad Caliſſium. 276
Fuga Polonorum ad Pilauice, 23 Coſacorum ad Bereſtecko, 78 Tartarorum ad Batow. 104
Funus Vladislai IV, Poloniae regis, 33 Caroli Ferdinandi Poloniae principis, 153 Wiſniowiecii ducis. 80

Gallia, ibi cor Ioannis Caſimiri in S. Germani fano relictum eſt. 516
Galliae regis, legati oratio in Senatu Varſauiae, 12 Gallicum oratorem euocat Poſnaniam rex Polonus, 388 Gallicam mediationem ſecreto primum admittit rex Polonus adnitente coniuge, deinde ordinibus regni publicat, 398 cur Gallica mediatio reiici non poſſit, 399 clerus mediationem Gallicam fruſtra reiicere conatur, ibid. Gallicae mediationis trutina, 400 mediator pacis Oliuenſis, 445 Ludouicus XIV, pro ſe et ſucceſſoribus ſuis regibus ſecuritatem pacis Oliuenſis praeſtat, 482 Galliae rex, Poloniae regi abdicationem a regno perſuadet. 515
Gallinius (Petrus) Marſchalcus Orſanenſis, mittitur legatus ad Moſchorum Caeſarem. 228. 284
Gardie (Magnus de la) Liuoniae gubernator, Sueciae regni theſaurarius, colloquitur cum legatis Polonis, 159 Sueci regis nomine protectionem M. D. Lituaniae acceptat, 180 ſollicitudo eius circa Lituaniam, 207 conditiones deditionis Lituaniae, 208 defendit Rigam a Moſchis obſeſſam, 284 ſexcentos pedites Birzae a Gonſieuio obſeſſae in auxilium mittit, ibid. legatus Sueciae regis ad pacem cum Polonis Oliuae condendam. 466

Garner, militum tribunus, deduxit Suecos vſque ad Croſſen dedita Cracouia, 349 mittitur a rege Pragam ad Hungariae Bohemiaeque regem. Pag. 371
Gauerlo (Puskin) et
Gauerlowicz, magni Moſchouiae ducis legati ad regem Poloniae, 57 eorum poſtulata. 58
Gdeſzynius (Marcus) centurio. 45
Gedanenſes reſpondent Suecíae miniſtris, 182 Elector Brandenburgicus ſolenniter ab iis excipitur, 184 Polonus rex eis ſcribit, 231 a Sueco premuntur. Quae Sueciae rex eis exprobrat, 266 eorum reſponſum, 267 Poloni regis, Gedani praeſentis, factae Gedanenſibus propoſitiones et eorum reſponſum. 277
Gembicki (Petrus) epiſcopus Cracouienſis, 33 mittit milites ad rebellem Napierski opprimendum Czorſtynum, 75 proteſtatur contra ſaeculares, 137 moritur Ratiboriae in Sileſia. Vitae eius compendium. 391
Gembicki (Ioannes) maior regni Secretarius, fit epiſcopus Culmenſis, 121 fit epiſcopus Plocenſis, 156 articulum ratione traditionis Elbingenſis ciuitatis ſubſcribit. 493
Gembicki (Paulus) caſtellanus Poſnanienſis, puncta deditionis palatinatus Poſnanienſis ſubſcribit. 165
Generales Poloni capti a Coſacis ad Corſunum, 9 Sueciae regi valedicunt, 232 Tranſyluani capti a Tartaris, 347 Kalinouii vili pretio redemtum caput a Chmielnicio 104
Gerei (Islan) Chanus Crimenſis, patrocinatur Chmielnicio, 7 reſpondet Turcarum imperatoris legato, 21 regis Poloni literae ad eum, 47 ſcribit regi Poloniarum, 48 pacem facit cum rege Poloniarum, 49 mittit legatum ad regem Varſauiam, 57 mittit iterum legatum, 62 conſilium eius contra Moſchos ſuggeſtum, ibid. nouus eius legatus Szefer Aga et poſtulata, 65 legati eius in Sueciam ſoluunt e portu Gedanenſi, ibid. mittit legatum ad caſtra regia, 132 expoſtulat rupta a Polonis Zborouiana pacta, ibid. pepigit foedus cum Polona republica excluſo Chmielnicio, 133 moritur. 146
Gerei (Machmet) ſuccedit fratri Islan Gerei, Tartarorum Chano, 146 remittit Chmielnicii legatos amputatis naribus, ibid. literae eius leguntur in comitiis, 157 paciſcitur cum Chmielnicio, 201 ſcribit Poloniae regi, 242 internuntium ad Electorem Brandeburg. mittit, ibid. dimicat pro rege Polono, 202 funditus deletur Rakocius ad Hungariae fines a Tartaris. 347
Ghiſius (Fabius) ſuccedit Innocentio X ſummo Pontifici ſub nomine Alexandri VII, 147. vid. *Alexander VII.*
Gieccius, commiſſarius Hatzfeldii componit cum Wirtzio ob deditionem Cracouiae. 349
Giſius (Conſtantinus) acriter ad Conſtantinow pugnat, 18 adiungitur Czarnecio ad defendendam Cracouiam, 178 Praemysliam a Rakocio oppugnatam defendit. 328
Glemboko ad, vincitur Chowanſcius. 510
Gliniany prope caſtra Polonorum, 22 ad Gliniany rex Polonus caſtra mouet contra Chmielnicium. 125
Glogouiam in Sileſia ſecedit rex Polonus. 206
Glowacki ductor Coſacorum palo affixus a Lituanis. 32
Gluchow a Polonis infectis rebus relinquitur. 511
Gniewoſz (Nicolaus Albertus de Olexow) Vladislauienſis et Pomeraniae epiſcopus, 33 moritur epiſcopus Cuiauienſis. Pag. 145
Gninski (Ioan. in Gnin) Succamerar. Pomeraniae etc. legatus regis Poloni ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 declarationem ratione articuli traditionis Elbingae ſubſcribit. 490
Godepski, dimicat cum Pyzdiowski in aula regia Sigismundi III. 111
Golinski ſit captiuus Moſchorum. 201
Gonſieuius (Vincentius Coruinus) dapum inciſor M. D. Lituaniae, 20 ſit minor exercitus Lituani dux, theſaurarius M. D. Lit. 141 capitur a Radiuilo et caueae includitur, 180 ſubſcribit pacta deditionis Lituaniae. Dat literas reuerſales Sueciae regis exercitus duci de la Gardie, et caſtra eius ſequitur, 211 Czarnecium in Pruſſiam ducalem ſequitur, 271 in villa Proſtki Boruſſiae ducalis Suecos et Electorales profligat, ibid. paciſcitur inducias trium menſium cum Electore Brandeburgico priuata auctoritate, 271 cum exercitu ſuo in Lituaniam redit, ibid. Birzam obſidet et capit. Sexcentos pedites Suecos ad internecionem delet, 284 Tractat foedera Poloni regis legatus cum Electore Brandenburgico, 357 expeditio eius in Liuoniam, 391 pro mediatione Gallica diſſerit, 399 capitur a Moſchis, 426 foedus Regem Poloniarum inter et Electorem Brandeburgicum ſubſcribit, 501 ſubſcribit etiam conuentionem coniungendis de eorum armis, 503 illi diſſenſio foederatorum imputatur, hacque de cauſa, ſclopi ictibus transfigitur. 510
Gorayski (Albertus) regens cancellariae regni, moritur. 226
Gorayski (Zbigneus) caſtellanus Chelmenſis, mittitur commiſſarius Lublinum ad militum ſeditionem ſopiendam, 57 deinde Lubecam ad tractatus cum Suecis. 70
Goski (Albertus) Coſacus a republica nobilitatur, 68
Graudentium a Lubomierſcio vi capitur. 443
Gregorius XV ſummus pontifex. 11
Gremboſzewski, Vrzendouienſis gubernator moritur. 153
Grodno, dedit ſe Moſchis, 180 a Moſchis per tractatus recipitur a Sapieha. 443
Grodzicki, cudacenſe propugnaculum defendit, 32 Leopolim defendens colloquitur cum Chmielnicio. 201
Gros (Fridericus) equitum praefectus in legione ducis Saxoniae, cadit in ſyluis ad Caliſſium. 276
Grudzinski (Ioannes) palatinus Caliſſienſis moritur. 121
Grudzinski (Andreas Carolus de Grudno) Rozinenſis capitaneus, 20 caſtellanus Nakielcenſis, fit mortuo patre palatinus Caliſſienſis, 121 puncta deditionis palatinatus Caliſſienſis ſubſcribit, 165 Suecos ad Caliſſium profligat. 276
Grzybowski (Ioannes) capitaneus Varſauienſis. 20
Grzymaltowski, caſtellanus Poſnanienſis, quo duce nobilitas arma capit. 512
Grzymutowski (Chriſtophorus de Grzymutowice) caſtellanus Poſnanienſis, ſubſcribit pacta cum ſtatibus Marchiae. 286
Guldenklau (Andreas) Sueciae regis Conſiliarius ſtatus et legatus ad pacem cum Polonis Oliuae condendam. 466
Guldenſtern (Sigismundus liber baro de) ſupremus ciuitatis Marieburgenſis praefectus, 186 Marieburgum Suecis tradit, 240 praetenſio eius quod ad bona in regno Sueciae, vi pacis Oliuenſis commendatur. Pag. 475
Guldenſtern (Maximilianus) Konopacki ſuffícitur. 514
Guldenſtern (Sigiſmundus) caſtellanus Gedanenſis, mortem cum vita permutat. 514

Habdaeus, comitis Schlippenbach, Sueciae legati, emiſſarius ad Hungariae regem. Eiuſdem propoſitiones et Sueciae arcana. colloquium cum Schwarzembergio. 390
Halicia deſcribitur. 126
Hankiewicz (Stephanus) Secretarius regiae maieſtatis, literas fidei regis Poloni pro legatis ad pacem Oliuenſem expedit, 485 confirmationem Regis Poloniae articuli ſeparati ratione traditionis Elbingae expedit. 491
Harodna, fluuius. 514
Harzen (Benedictus ab) Sueciae regis tribunus militum, obſes datur Poloniae regi, 423 puncta deditionis Torunii ſubſcribit 426
Hatzfeldt (Melchior comes ab) regis Hungariae campi Mareſchalcus generalis, cum octodecim millibus lecti exercitus ad Cracouiam venit, 340 Cracouiam occupat, 347 ad Wirtzii literas reſpondet. 348
Hedwig Eleonora, mater Caroli, Sueciae regis, nomine eius, alteras fidei literas mortuo Carolo Guſtauo, pro legatis Suecicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488
Heidenſtein, Succamerarius Marieburgenſis in Guldenſternii munus ſuccedit. 514
Heider, Sueciae regis ſummus excubiarum praefectus, cadit in ſyluis ad Caliſſium. 276
Hiſtoria, illius partes. 1
Hilka, Coſacorum dux, cadit in praelio ad Konotop. 442
Hlebowicz (Georgius Carolus) generalis ducatus Samogitiae gubernator, literas fidei ordinum regni Poloniae, pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 484
Hollandi, articuli foederis inter Sueciae regem et ſtatus generales Hollandos. 257
Hollandt, hoc loco in Pruſſia, Elector Brandenburg. cum Sueciae rege componit. 264
Horn (Chriſtier) Sueciae regni ſenator, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488
Hornitus, Sueeus, generalis vigiliarum praefectus captiuus Zamoiſcium deducitur. 248
Hoſtis captiui perfidia. 74
Houerbecke (Ioannes) Electoris Brandenburg. conſiliarius ſtatus intimus et legatus ad pacem cum Suecis Oliuae condendam. 466
Humanitas et in bello ſaeuitiae praeferenda. 22, n. 19
Humanium propugnaculum, Poloni et Tartari fruſtra oppugnant. 146
Hungariae rex, vid. Leopoldus I.
Hungari, eorum ſtratagema ad Soczauam, 126 aerarium Valachiae diripiunt. 130
Huſce, prope oppidum maioris Polomae caſtra Polonorum. 163
Huttinus (Philippus) ſupremus in aula Polona decretorum notarius etc. vitricus Rudauſcii, horum annalium auctoris. 139
Huyberd (Petrus de) conſiliarius vrbis Medioburgi Zelandorum, articulos foederis cum Sueciae rege ſubſcribit. 260

Ianski, vice inſtigator regni, regis Poloni legatus in comitiis Boruſſiae Marieburgi. Pag. 184
Iaroslauiam prope Czarnecius Sueciae regem adoritur et profligat, 232 Schoemberg, militum tribunus, Rakocium ibidem profligat. 328
Iaſinski, fidus Radzieieuii famulus, mittitur a domino ſuo ad Chmielnicium, 116 aperit ſecretum Zawilichouio, et ſiſtitur reus Potocio, ibid. vinctus ducitur Varſauiam, 117 facta inquiſitione abſoluitur. ibid.
Iaskolski (Marianus) anteſignanus confoederatae praetorianae cohortis, ob non ſoluta ſtipendia. 441
Iehna (Fridericus de) Electoris Brandenburg. conſiliarius ſtatus intimus, pacta in arce Labauienſi ſubſcribit. 275
Ieiotaſewski (Caſimirus Ludouicus) palatinus Breſcienſis, literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 484
Ieziernam prope Chmielnicius cum Tartaris paciſcitur. 201
Ilza, epiſcopatus Cracouienſis oppidum, datur a Sueciae rege Koniecpolſcio. 211
Imperator, vid. Ferdinandus III. et Leopoldus.
Inauguratíonis regum Poloniae ſolennia. 35 ſeq.
Incendium Varſauiae in regio palatio. 71
Indignatio Lubomierſcii contra Czarnecium ad Magierow. 343
Indigenatus. Querimoniae Curlandorum ratione illius. 15
Induciae cum magno Moſchouiae Duce prolongantur. 514
Infans Poloniae naſcitur, Maria Anna Thereſia, 63 moritur. 79
Innocentius X, pontifex, quid regi Polono reſpondet, cum auxilia peteret, 67 mittit regi galerum et gladium, 72. reginae roſam, ibid. moritur. 147
Inſcriptio literarum affectato carens titulo occaſio belli Moſchouitici, 58 eadem offendit Coſacos. 84
Inſtrumentum pacis, vid. *pax* et *pacta*.
Ioannes Caſimirus, Opolienſis et Ratiborienſis dux, Sueciae rex, 25 eligitur rex Poloniae, 26 fata eius male praedicunt aſtrologi, 32 primum Czenſtochouiam deinde Cracouiam diſcedit ad coronationis ſolennia peragenda, 33 denunciatio regis Ioan. Caſimiri coronati, 38 Varſauiam reuertitur et Ludouicam Mariam, Vladislai IV fratris viduam in matrimonium ducit, 39 conditiones pacis cum Coſacis regi tranſmittuntur, 40. mittit legatos ad Moſchum et Tranſyluanum, 42 monitorias literas ad Chmielnicium ſcribit, 44 mittit legatum ad Coſacos, quem hi trucidant, ib. Mouet Varſauia contra Coſacos, ibid. Lublino mouet Socalium, inde Zborouium, 45 obſidetur a Chmielnicio ad Zborouium, 46 praemium 10000 aureorum in caput Chmielnicii ponit, ib. ſcribit Chano Crimenſi, 47 pacem facit cum Tartaris, 49 et Coſacis, 51 voti reus clarum montem inuiſit, 52 Varſauiae comitia celebrat, 56 reſponder ad Moſchorum legatorum poſtulata, 58. Chani Crimenſis reſpondet legato, 66 pontifici ſcribit, 67 Ioannem Adriani S. I. legatum Viennam mittit, ibid. comitia ordinibus indicit, 67 Angliae regis Caroli II legatio ad regem Poloniae, ibid. quid ei reſpondetur, 68 legatos in Moſchouiam dimittit, 70 plenipotentiarios Lubecam ad tractatus cum Suecis conſtituit, ibid. Varſauia Lublinum mouet contra Coſacos, 72 vlterior in Ruſſiam profectio et militum

numerus, 73 consilium captiui Tartari ei suggeſtum, 74 caſtra ad oppidum Bereſtecko promouet, 75 pugnam generalem decernit, 77 et aciem inſtruit, ibid. Tartaros cum Coſacis profligat, 78 Varſauiam redit, 79 Boruſſiae ciuitates cum regina inuiſit et Varſauiam redit, 92 iubet Radzieieuium vt perduellem condemnare, 97 minae a Radzieieuianis aſſeclis contra regem in vulgus ſparſae, 98 nobilitati literas Kiſielii communicat, 99 culpatur a ſenatu, 100 quid reſpondet ad obiecta, ibid. conſulit ſenatum ſuper literis Chmielnicii, 100 in Boruſſiam abit, 101 reſpondet Valachiae principi, 102 moeſtus ob cladem Battouienſem, 104 literae eius ad nobilitatem et edictum, 105 Lecto affixus decumbit, 107 Coſacorum legatos ad Chmielnicium dimittit, 119 mittit ſuos legatos, ibid. ſcribit Chmielnicio, 120 Varſauia Louicium ſecedit ob peſtiferam luem graſſantem, 121 Louicio Grodnam transfert regiam, 122 conuocat Breſtiam Lituaniae ordines, ibid. reſpondet literis Rakocii, 124 minus regni ſigillum Andreae Trzebicki confert, ibid. reſpondet legato Rakocii, 125 Leopolim reuertitur, ibid. Leopoli Haliciam verſus mouet, 126 legatos Moſchos audit et dimittit, ibid. mittit in Valachiam copias auxiliares in auxilium Rakocii contra Chmielnicium, ibid. Vſiatinum et inde Camenecum progreditur, 128 mittit Machowski ad obſeſſos Soczauiae in Valachia Coſacos, 128 turbatur Tartarorum in Ruſſiam aduentu, 129 expugnata Soczauia in Ruſſiam ſociorum conuertit arma, 130 reſpondet legatis Tranſyluaniae per cancellarium, 132 pacem facit cum Tartarorum Chano excluſo Chmielnicio, 133 Varſauiam redit, ibid. mittit legatum Trebicium Ratisbonam, ibid. quid caeſar legato ſuo reſpondet, 136 ſuſpicio ſenatus de eo, 141 in Lituaniam proficiſcitur, 143 conciliat ad tempus Radiuilum et Gonſieuium, ibid. ſollicitus de bello Suedico, 162 Varſauia Louicium mouet, 165 Przyiemſcium ad regem Sueciae expedit, 174 Suleiouiam caſtra mouet, quem ſequitur Witembergius, 177 Przedboria Cracouiam verſus pedetentim recedit ab omnibus deſertus, 178 in Sileſiam ſecedit, ibid. Poloni promittunt Sueciae regi, ſe regem Ioannem Caſimirum abdicaturos, 197 regis regno excedentis verba, 203 conuocat Senatores Oppolium in Sileſia, 206 reuocatur a Poloniae proceribus in Poloniam, 207 accipit a pontifice Alexandro VII ſubſidium, centum millia florenorum, ibid. per Carpatium montium iuga dat ſe viae, ibid. expedit Oppolio Danielem Zytkiewicz ad Chmielnicium, 213 redit in Poloniam, 227 ſcribit magno Moſchorum duci, 229 Leopoli reſidet, ibid. Literae eius ad Torunenſes, 230 ad Gedanenſes, 231 votum eius ſolenne, 241 Chani Crimenſis literae ad eum, 242 mittit legatum vna cum Tartarorum internuntio Regiomontum, ibid. ad Chmielnicium legatio, 243 Varſauiam expugnat, 247 verba eius ad Wittembergium, ibid. Decretum in captiuos Suecos, 248 ad Varſauiam ſubſiſtit. Nuntium accipit de hoſtili in ſe animo Brandenburgici Electoris, 251 Electoris Brandeb. literae ad eum, 253 reſponſum ad has literas, 254 ſcribit Caeſari, 255 Electoribus imperii 256 ad Varſauiam pugnat et a Sueciae rege fugatur, 269 Quid ad pacem a Sueciae rege ſine mediatoribus oblatam reſpondet, 270 Lublino in maiorem mouet Poloniam, ibid. Caliſſium diuertit, 271 menſae eius princeps Anhaltinus aſſidet, ibid. Gedani eius praeſentia et ſolennitas, 277 Gedanenſibus propoſitiones facit, eorum reſponſum, ibid. curam expugnandi munimenti, capitis denominati, Potocio committit, 277 edictum eius contra inuaſores Pomeraniae, 287 mittit Morſtinium Francofurtum, 288 Czenſtochouiam proceres ad conſilium generale vocat, 329 legatos mittit Viennam ad Caeſarem, ibid. cum Leopoldo, Hungariae rege pactionem facit, 330 reſpondet legatis Bethlemi ob deditionem Craçouiae, 348 audit magni Moſchouiae ducis legatum, qui de pactis violatis queritur, 357 reſponſum eius legato datum, 358 diſcedit cum regina Brombergam, vbi cum Electore Brandenburgico colloquitur et paciſcitur, ibid. Poſnaniam diſcedit, 371 expedit tribunum militum Garner Pragam ad Hungariae Bohemiaeque regem, ibid. paciſcitur cum Daniae rege, 371 expedit Czarnecium in Holſatiam vna cum Opalinio, 373 Gallicum oratorem euocat Poſnaniam, 388 mediationem Gallicam ſecreto primum admittit adnitente coniuge, deinde ordinibus regni publicat, 398 cur mediationem Gallicam reiicere non poſſit, 399 Poſnania Varſauiam redit, 415 finitis comitiis Torunium mouet, 416 indignatio eius in Auſtriacos, 441 diploma ſingulare Coſacis ob pacem perpetuam dat, 442 Varſauia in Pruſſiam mouet, ibid. pacem perpetuam init cum Suecis Oliuae, 465 ſeq. omnibus praetenſionibus in Sueciae regnum renuntiat, 469 cum ordinibus regni Sueciae regi Sueciae Liuoniam trans et cis Dunauam, inſulam Runen, et ius in Eſthoniam et Oeſeliam cedit, 469 confirmat articulum ſeparatum ratione traditionis Elbingenſis, 489 Friderico Wilhelmo abſolutum Ducalis Pruſſiae dominium atque Praefecturam Bytouienſem et Leunenburgenſem certis conditionibus addicit, 494 conuenit cum Brandeburgi Marchione de coniungendis armis, 501 incolas Ducalis Pruſſiae a iuramento abſoluit, 508 illi perſuadet de eligendo ſucceſſore Regina, 510 electionem ſucceſſoris in comitiis prouincialibus commendat, ibid. in Lithuaniam proficiſcitur, ib. Radzieieuium in gratiam recipit, ibid. cum exercitu in Vkrainam it, 511 Moſchouiae ditiones, Dziewica vi occupata, ingreditur, ibid. Moſchorum duci, pacem offerenti, inducias trium menſium concedit, ibid. Varſauiam venit, ibid. Munera Lubomierſcii diſtribuit, 512 Comitia indicit, ibid. Exercitum contra Lubomierſcium colligit et caſtra locat, ibid. mittit huius aliquam partem contra eum, quae infauſto dimicat praelio, ibid. arma deponit certis ſub conditionibus, ibid. Torunium proficiſcitur, 513 iterum contra Lubomierſcium eius dimicat exercitus, ſed clade accepta de pace agit, ibid. Nuntium accipit de Lubomierſcii morte, 514 Inſtitutum illius de Principe de Conde ad Regiam Poloniae dignitatem promouendo, Reginae amouebitur morte, ibid. Coniugis amantiſſimae funeris exequias proſequitur, ibid. legatum Turcarum ad Imperatorem mittit declinando de bello, ibid. Senatores Varſauiam conuocat, illiſque ſe breui a regno abdicaturum ſignificat, 515 exteris legatis idem patefacit, ibid. Comitia hac de re indicit, ſuaque ſponte regno abdicat, ibid. fata illius ſingularia recenſentur, 516 Abdicatione 1668 peracta, in Galliam proficiſcitur, ibique Niuerni 1672 e viuis decedit, ibid. Eius animi virtutes additamentorum finis enarrat. Pag. 516

Iſaykowski (Franciſcus Dolmat) M. D. Lit. referendarius, fit epiſcopus Smolenſcenſis. 44

Iſbrands (Ioannes) deputatus Hollandus, articulos foederis cum Sueciae rege ſubſcribit. 260

Iuanouicius (Nikula dux) legatus Moſchus ad tractatus pacis cum rege Polono. 283

Iuanouicius (Kiuazius Iuanius) legatus Moſchus ad tractatus pacis cum rege Polono. 283

Iudicia, circa futuram regis Poloni electionem. 322

Iudicki, Melitenſis eques captiuatur a Radiuilo. 180

Iuramentum belli ducum, 19. Poloniae regum ante coronationem, 35 belli ducis, 223 commiſſariorum, 224 exercitus et nobilitatis. ibid.

Iurium Poloniae confirmatio. 36

Iwlaſzewski (Caſimirus) Palatinus Breſtenſis, articulum ratione traditionis ciuitatis Elbingenſis ſubſcribit. 493

Kalinowski (Martinus) palatinus Czernichouienſis, dux campeſtris, contra Chmielnicium ad Corſunum pugnat, 8 fit captiuus Tartarorum, 9 caedit rebellem Nieczai cum quindecim millibus Coſacorum, 72 Camenecenſe ingreditur propugnaculum, ibid. praeſens in expeditione contra Coſacos anno 1651. 74. 77 ſupremus bellorum miniſter, 99 caſtra opponit ad Battow Chmielnicii filio aduentanti, 102 milites Poloni temeritatem ei exprobrant, 103 verba eius ad milites, 104 ſedare vult tumultum, ſed fruſtra, ibid. iubet Germanos milites armis in Polonos amicos et ſocios vti, ibid. occiditur a Tartaro poſt praelium Battouienſe. ibid.

Kalinowski (Samuel) Dominus in Vſiatyn, capitaneus Braclauienſis et Lytinenſis. 64

Kalinowski, filius ſummi exercituum ducis, captiuus poſt cladem Battouienſem Chmielnicii filii iuſſu a carnifice capite plectitur. 104

Kapadzilar cibaie, Kappidi Baſſa, legatus ad chanum Crimienſem. 21

Karchowski (Alexander de Karchow) 20

Kazanowski (Adamus in Czaſnicki) curiae regni Mareſchalcus, 33 moritur Varſauiae 56

Kazanowski (Ioannes) caſtellanus Halicenſis, cadit in pugna ad Bereſtecko. 76

Keiſerſtein (Ioannes liber baro de) militum tribunus, commiſſarius Hatzfeldii, componit cum Wirtzio ob deditionem Cracouiae, 349 legatos Moſchos clam Cracouia educit, 441 ab imperatore Leopoldo Cracouia vna cum militibus excedere iubetur. 442

Kemini (Ianuſſius) Tranſyluaniae principis generalis, 129 Literae eius ad Stanislawski, 338 Czarnecium petit per Druskieuicium, vt pugnam differat, 343 fit captiuus Tartarorum, caeſis Tranſyluanis. 347

Kerkenius, magni Moſchouiae ducis generalis, cadit, ad Sklow. 143

Keſſowski (Alexander) abbas Oliuenſis, Electorem Brandenburgicum ſalutat. 183

Ketlerus (Wilhelmus) Curlandiae dux, fit neutralis, 143 oratio legati eius coram ſenatu Polono, 15

Kiiouia, tractatus pacis ibi cum Coſacis, vano conatu, 17 eandem intrant Lituani, 80 eandem oppugnat Vichouius vano conatu, 417 ad duos annos Moſchouiae Duci conceditur. Pag. 514

Kiſiel (Adamus de Bruſilow) palatinus Braclauienſis, eligitur a ſenatu commiſſarius ad Coſacos, 17 mittit milites contra eos, 18. 19 iterum a rege ad Coſacos mittitur, 33 fit palatinus Kiiouienſis, 43 comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 praeſidet comitiis Coſacorum Pereaslauiae a Chmielnicio celebratis, 57 literae eius ad regem, 60 commiſſarius ad Coſacos a republica conſtituitur, 68 frater eius Germanus gubernator Cirkaſſienſis mergitur, 72 praeſens in expeditione contra Coſacos anno 1651, 74 eius de finiendo bello ſententia, 81. 84 tractat Bialocerkuiae cum Coſacis de pace, 85 de vita ibi periclitatur, ibid. relatio eius de tractatu pacis et inſolentia Coſacorum, 86 inuectiua eius in Chmielnicium et Coſacos, 87 Bohuſaniam in vlteriorem Ruſſiam ſecedit, aulae et militiae valedicens. Eius encomium, 93 literae eius ad regem, de nouis Chmielnicii tumultibus, 99 mittitur commiſſarius ad Chmielnicium, 100 moritur. Laus eius poſthuma. 139

Klodzinski (Vladislaus) ſubſcribit pacta cum ſtatibus Marchiae. 286

Kobierſzycki (Stanislaus) palatinus Pomeraniae, ſcripſit vitam Vladislai IV, 35, n. 27 cum adhuc eſſet caſtellanus Gedanenſis mittitur Lubecam a rege ad tractatus cum Suecis. 70. 97

Kobierzycia, coniux Czarnecii. 513

Koch (Ioannes) Sueciae regis legatus ad Poloniae regem. 144

Kochowski (Veſpaſianus) Autori additamentorum dedit fontes. 516, n.

Königsmarck (N. comes de) geſta eius in Germania, 275 capitur a Gedanenſibus, 276 in priſtinam libertatem reſtituitur, 474 bona immobilia in ditionibus Electoris Brandenburg. ei reſtitui debent, vi pacis Oliuenſis. 477

Kokenhauſen, diripitur a Moſchis. 284

Komorowski (Adamus) gubernator Vilnenſis, ſubſcribit pacta deditionis Lituaniae. 211

Koniecpolski (Alexander) regni vexillifer, Chmielnicium ſuum ad tribunal citat, 7 de eius famulo Czaplinio queritur Chmielnicius, 10 deſtinatur belli dux a republica, 18 mittit milites contra Coſacos, ibid. 40. 42 Sueciae rex dat ei oppida Bozencin et Ilzam, 211 cum duodecim millibus militum in Boruſſiam venit, 218 Sueciae regi valedicit, 232 moritur palatinus Sendomirienſis. 443

Koniecpolski (Ioannes a Koniecpole) palatinus et generalis Siradienſis, Petricouiam recipit. 248

Konopacki (Iacobus Octauius) caſtellanus Elbingenſis morti ſuccumbit. 514

Konotop, Moſchorum ibi clades. 442

Kopec (Ioan. Carolus) Palatinus Plocenſis, articulum ratione traditionis Elbingenſis ſubſcribit. 493

Koreccki (Samuel Carolus dux) mittit milites contra Coſacos, 19 comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 moritur vltimus ducum Koreciorum. 72

Korycki (Samuel) Vladislai Dominici, ducis in Oſtrog, cohortium praefectus generalis. 46

Korycinski, canonicus Cracouienſis fit praepoſitus Miechouiae. 156

Korycinski (Stephanus de Pilca) Oſwiecimenſis praefectus, fit regni procancellarius Radzieieuii loco,

loco, 97 legatis Cosacorum regis nomine respondet, 119 fit supremus regni cancellarius, 126 Bassa Silistrensis ei scribit, 130 colloquium inter eum et Tartarum legatum, 132 respondet Tartaro nomine regis sui, 133 subscribit paci cum Tartaris factae, ibid. literae eius ad Witembergium, 244 ad principem ab Auersperg, 256 regem Poloniae praecedit cum Gedanum ingrederetur, respondet Syndico Gedanensi regis nomine, 277 moritur. Pag. 415

Kos (Ioannes) Palatinus Culmensis morti succumbit. 511

Kotowski (Constantinus) Regiae laricatorum cohortis optio, capite plectitur. 512

Kozlowski (Stanislaus) pincerna Sandecensis. 198

Krasinski legatus terrestris, Lasocium contradicentem percutit, praesente rege, pleno senatu. 157

Krasinski palatinus et generalis Masouiae. 184

Krasinski (Ioannes Casimirus in Krasne) palatinus Plocensis, legatus ad pacis tractatus cum magno Moschouiae duce, 282 fit regni thesaurarius. 415

Kretkowski (Damian) fit castellanus Culmensis. 511

Krosnowski (Nicolaus) archiepiscopus Leopolienſis, moritur. 136

Krzywonos, dux rebellium nequam, deuastat Podoliam, 9 pugnat et profligat Polonos ad Constantinow, 18 oppidum Potomae funditus perdit, 22 plumbo traiicitur ad Barum. 41

Kufstein (comes a) Ferdinandi III caesaris ad Poloniae regem legatus. 206

Kurck (Canutus) Sueciae regni Senator, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem subscribit. 488

Kutnarski, Valachiae principis intimus Secretarius, indigenatu Poloniae a republica donatur, 68. 101 legatus ad regem Polonum. 125

Labauienſia pacta inter Sueciae regem et electorem Brandenburg. 271 per pacem Oliuensem in aeternum annihilantur. 478

Labicki (Nicolaus a Radzanow) Succamerarius Gostinensis articulum ratione traditionis Elbingensis ciuitatis subscribit. 493

Lachowicze propugnaculi obsidio a Moschis soluitur. 509

Lanckoroncki (Pacoslaus a Brzezie) ductor districtus Proszouiensis. 198

Lanckoroncki, palatini Russiae filius, datur obses Tartarorum Chano. 133

Lanckoroncki (Stanislaus a Brzezie) castellanus Camenecensis, 40 fit palatinus Braclauiensis, 43 mittitur commissarius Lublinum ad militum seditionem sopiendam, 57 praesens in expeditione contra Cosacos anno 1651, 74 fit terrarum Russiae palatinus et minor Poloni exercitus dux, 141 occasione Chmielnicii Sueciae regi valedicit, 203 castra Duglassii deserit, 220. 223 mittitur Czehrinium a rege ad Chmielnicium, 243 cum exercitu in Poloniam abit 279 moritur, cui minor belli dux succedit, regni Marescalcus Lubomierscius. 329

Lanckoroncki (Venceslaus a Brzezie) tribunus. 223

Landsbüzi confoederatio ordinum et exercitus Poloni. 227

Langenar, supremus comitis Wrzezowicz vicarius, cadit in syluis ad Calissium. 276

Lapithae, populi Thessaliae. 289, n. 85

Lasce (Petrus) excubiarum contra Tartaros praefectus, moritur, 43 veste ex decretis infamiae supra se obtentis consuta vtebatur. Pag. 111

Laskowski (Stanislaus) palatinus Plocensis, literas fidei ordinum regni Poloni pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit. 484

Lasocki percutitur a Krasinio, pleno senatu, praesente rege. 157

Lebowicz (Georgius) palatinus Smolenscensis, commissarius ad tractanda foedera Bialocerkuiae cum Cosacis, 85 contradicit Radiuilo. 180

Ledichowski (Stephanus) Succamerarius Cremenecensis, successoris electioni contradicit. 510

Legatio Byzantini Caesaris ad Chanum Crimensem, 21 Ferdinandi III, Caesaris, ad senatum Polonum, 12 comitis a Poettingen ad Sueciae regem, 204 in Moschouiam, 284 ad Rakocium, 328 Caroli II, Angliae regis ad Polonos, 67 Electoris Brandenburgici ad Polonos, 14 Chani Crimensis ad Polonos, 16. 57. 62. 65. 242 in Sueciam, 65 ad Electorem Brandenburgicum, 242 Christinae Sueciae reginae ad Polonos, 13. 29 Curlandiae ducis ad Polonos, 15 Chmielnicii seu Cosacorum ad Polonos, 10. 16. 50. 105. 119 ad Potocium, 87 ad Chanum Crimensem ab eodem despectui habita, 146 Galliae regis ad Polonos, 12. 28. 256 Pontificis Innocentii X ad regem Polonum, 72 Magni Moschouiae ducis ad Polonos, 57. 126 357. 513 ad caesarem Ferdinandum III, 143 ad caesarem Leopoldum Viennam, 440 Regis Poloni et Polonorum ad caesarem Ferdinandum III, 67 Trebicii Ratisbonam, 133 palatini Lencicien. Viennam, 206 Lescinii et Wielopolscii Viennam, 282 Miaskouii Viennam, 329. 402 Lescinii regni thesaurarii Viennam, 329 ad caesarem Leopoldum Olseuii Viennam, 441 eiusdem Francofurtum ad imperii Electores, 228. 404. 412 Massinii Pragam, 388 Reg. Poloni ad Cosacos, 33. 44. 119. 213 243 in Angliam et Hollandiam Pinocii, 444 ad Moscouitas, 42. 58. 70 ad Rakocium, 42 ad Sueciae regem, 70. 97. 156. 174. 198 ad Electorem Brandeburgicum, 242 Rakocii ad Polonos, 125 130. 343. Sueciae regis ad Polonos, 144 Venetorum ad Polonos, 44 Suecorum oratorum in Tartariam, 65 Radzicieuii ad Chmielnicium ex Suecia. 116

Legati, ad tractatus pacis cum Sueciae rege Stockholmiam, 157 armistitium petunt, nec impetrant, 161 eorum manifestatio, 162 Sueciae regi valedicunt, munera accipiunt et in Poloniam reuertuntur, ibid. propositiones legatorum Polonorum in negotio pacis Oliuensis pertractandae, 446 legatorum caesareorum, 447 legatorum electoralium Brandenburg. 448 propositiones legatorum Suecicorum in negotio pacis cum legatis caesareis pertractandae, 449 eorundem cum legatis elector. Brandenburg. pertractandae, 451 eorundem declaratio legato Gallo de Lumbres facta, 452 eorundem responsum ad ea, quae a Polonis postulantur, 452 eorundem responsum ad propositiones legationis caesareae, 454 eorundem responsum ad propositiones legatorum Brandenburgicorum, ibid. seq. Legatorum Polonorum responsum ad propositiones legatorum Suecicorum ad pacis tractatus exhibitas, 456 responsum legationis caesareae ad propositiones legatorum Suecorum, 459 responsio legationis Elector. Brandenb. data ad propositiones a legatione Suedica extraditas, 461 legatum mittunt Poloni ad Turcarum caesarem declinandi belli causa. Pag. 515

Lempicki, tribunus Polonus, mittitur a Chmielnicio ad Potocium. 90

Lengnich (D. Gottfried) Polonorum nomen a Lazis deriuat, 335, n. 98 ex illo additamentorum fontes editor hausisse dicit. 516, n.

Lengonik, pagus, ibi de pace agitur. 513

Leopoldus, Hungariae ac Bohemiae rex, respondit ad Poloni legati propositiones, 329 componit cum legato Polono, puncta compositionis, 330 respondet ad Massinii, legati regis Poloni propositiones, 390 foedus defensiuum inter eum et Electorem Brandeburg. 393 offensiuum inter eosdem, 396 eligitur Romanorum imperator die VIII Iulii anno 1658, 440 responsum Moschorum legatis ab eo datum, 441 respondet legato Polono Olszeuio, ibid. iubet milites suos Cracouia excedere. 442

Leopoldus Wilhelmus, archidux Austriae, sceptrum Polonum ambit. 322

Leopolis obsidio, 25. 201 descriptio, 125 tentatur a Rakocio, Leopolienſium responsum. 328

Lepanow, Moschorum generalis, cadit in praelio ad Konotop. 442

Lescynius (Ioannes) Procancellarius, illi maius a rege regni traditur sigillum. 514

Lesczynski (Andreas de Lescno) episcopus Culmensis et Pomesaniae, procancellarius regni, 33. 44 declaratur regni supremus cancellarius, 67 praesens in expeditione contra Cosacos anno 1651, 74 Chmielnicio scribit regis nomine, 100 fit archiepiscopus Gnesnensis, 121 sententia eius de mediatione Gallica, 399 verba eius ad regem, ibid. moritur. 415

Lesczynski (Ioannes de Lescno) abbatiae Paradisiensis administrator, germanus archiepiscopi Gnesnensis, fit episcopus Kiouiensis, 136 deinde episcopus Culmensis, 156 mittitur legatus ad imperatorem, qui auxiliares sollicitaret copias, 163 moritur. 226

Lesczynski (Boguslaus comes in Lescno) generalis maioris Poloniae praefectus, comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 fit regni thesaurarius, 57 mittitur commissarius Lublinum ad militum seditionem sopiendam, ibid. praesens in expeditione contra Cosacos a. 1651, 74 fit gubernator Ostrensis, 97 mittitur legatus Viennam, 329 compositis rebus reuertitur ad regem, 331 pro mediatione Gallica differit, 399 fit regni procancellarius, 415 moritur. 443

Lesczynski (Venceslaus comes a Lescno) episcopus Varmiensis et Sambiensis, praesens in comitiis Borussiae Marieburgi, 184. 252 tractat foedera cum Electore Brandenburgico, 357 fit archiepiscopus Gnesnensis, 415 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 diem obit supremum. 514

Lesczynski (Thomas) Chelmensis episcopus vrget regem, vt intestini belli flammam extinguat, armaque deponat. 512

Lesczynski (Ioannes) castellanus Gnesnensis, mittitur Lubecam a rege ad tractatus cum Suecis, 70 mittitur palatinus Lencicien. legatus Stockholmiam, 156 respondet ad belli declarationem per Rosenheimium Sueciae regis nomine factam 158 reginam Sueciae inuisit, 159 respondet Sueciae cancellario ad puncta, ob quae Sueciae rex Poloniae bellum inferre decreuit, 160 verba eius ad cancellarium Sueciae, 161 monet Canterstеinium elapsi temporis ad reassumendos tractatus, 174 mittitur legatus a rege Viennam, quid ibi egerit, 206 palatinus Posnanien. mittitur legatus Viennam, 282 legatus regis et reipublicae Poloniae ad pacem Oliuensem condendam. Pag. 466

Leszno (Ioannes comes de) Palatinus Posnaniae subscribit declarationem articuli separati Elbingae traditionis ratione, 490 articulum declaratorium ratione ciuitatis Elbingensis subscribit. 492

Leszno (Vladislaus de) Palatinus Lencicien. eundem subscribit. 493

Leszno (Venceslaus de) Episcopus Varmien. S. R. M. Pol. et Suec. Plenipotentiarius subscribit foedus inter Poloniae Regem et Electorem Brandeburgicum. 501

Leszno, oppidum, familiae Lescinianae sedes, incenditur per Opalinium. 250

Lewenhaupt (Carolus Mauritius) comes de Rasburg et Falckenstein, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem subscribit. 488

Lezaiscum prope a Polonis obsessus Sueciae rex. 234

Lezenice (Thomas de) episcopus Chelmensis, literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 articulum ratione traditionis ciuitatis Elbingensis nomine reipublicae Poloniae subscribit. 493

Lezynski (Thomas) abbas Wonchocensis, supremus thesauri notarius, comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 fit episcopus Chelmensis. 391

Libsteinski (Franciscus Carolus comes a Colowrat) legatus caesaris ad pacem cum Suecis Oliuae condendam. 466

Lillie (Axel) Sueciae regni senator, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem subscribit. 488

Linde de, campi mareschalcus Suecus, Elbingam ingreditur. 213

Lipie pagus, ad quem Czarnecius aliquot millia Suecorum profligauit. 270

Lipski, sacerdos, ad ciuitatem Torunensem a rege mittitur, qui illi regis nomine, vt praesidium reciperet, imperat. 514

Lis inter Radzicieuium et coniugem. 94

Lisola (Franciscus de) Ferdinandi III caesaris minister residens in Polonia, 12 regis Hungariae arma minitatur Electori Brandenburgico, 357 labores eius Berolini, 392 foedus offensiuum et defensiuum inter Austriacam domum et Electorem Brandenburgicum subscribit, 393 legatus caesaris ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 foedus Ioannem Casimirum inter et Fridericum Wilhelmum subscribit. 501

Literae restium, quid sint in Polonia. 138, n. 61

Literae Ferdinandi III caesaris, ad senatum Polonum, 12 Christinae Sueciae reginae ad senatum, 13 Tartarorum chani, 16 Senatus Polonī Constantinopolim, 21 Innocentii X, pontificis ad rempublicam, 28 Poloniae senatorum ad Sueciae reginam, 30 eorundem ad eandem aliae, 31 Poloni regis ad chanum Crimensem, 47 chani Crimensis ad regem Poloniarum, 48 Chmielnicii ad regem, 48 regis Poloni ad Innocentium X pontificem, 67 Potocii ad regem, 65 Kisielii ad regem, 66 Chmielnicii interceptae ad Rakocium, 73 Radzicieuii ad nobilitatem

tatem in comitiis praesentem, 95 palatini Posnanienſis ad regem, 98 Kieſielii ad regem, 99 palatini Valachiae ad regem Poloniae, 102 regis Poloni ad Valachiae principem, ibid. Chmielnicii ad Camenecenſes, 106 regis Poloniae ad Chmielnicium, 120 Georgii Rakocii ad Polonum regem, 123 regis Poloni ad Rakocium, 124 Rakocii ad ſupremum cancellarium, 126 Baſſae Siliſtrenſis ad cancellarium Poloniae, 130 Sueciae regis ad regem Poloniae, 144 Sueciae ſenatorum ad ſenatores Polonos, 148 Poloniae ſenatorum ad ſenatores Suecos, 151 Witembergii ad palatinatus maioris Poloniae, 163 palatinatuum Poſnanienſis et Caliſſienſis ad Witembergium, ibid. Sueciae regis ad caeſarem Ferdinandum III, 170 Canterſteinii ad palatinum Lencicienſem, 174 Sueciae regis ad regem Poloniae, 176 Stembocii ad Torunenſes, 183 Sueciae regis ad maiores Polonos, 191 eiuſdem ad nobiles terrae Ciechanouienſis, 192 literae ſic dictae reuerſales a palatinatuum deputatis Sueciae regi dantur, 197 Sueciae regis ad Electorem Brandenb. 214 Poloni regis ad magnum ducem Moſchouiae, 229 ſenatus Poloni ad Moſchouiae ſenatores, ibid. protectoris Angliae ad Sueciae regem, 237 Chani Crimenſis ad Poloniae regem, 242 ad Electorem Brandenb. 243 cancellarii regni ad Witembergium, 244 Witembergii ad cancellarium, 245 Electoris Brandenb. ad regem Polonum, 253 regis Poloni ad Electorem Brandenburgicum, 254 ſenatus Poloniae ad Electorem Brandenburgicum, 255 Poloni regis ad caeſarem, ibid. ad electores imperii, 256 Poloniae cancellarii ad principem ab Auerſperg, 256 ſeq. Sueciae regis ad auguſtum caeſarem, 260 ducis Areſchotti ad Gedanenſes, 268 Rakocii, Tranſyluaniae principis, ad comitem Zebrzydouium et Lubomierſcium, 326 Lubomierſcii Mareſchalci ad Rakocium, 327 Rakocii ad Sueciae regem, 331 eiuſdem ad electorem Brandenb. 332 eiuſdem ad Zamoiſcium, 333 Stanislauii ad Poloniae reginam, 337 Ioan. Kemini ad Stanislauium, 338 Mikieſii Tranſyluaniae cancellarii ad Vitouium, caſtellanum Sendomirienſem, ibid. Przyiemſcii ad fratrem Chriſtophorum contra Auſtriacos, 350 Electoris Brandenburg. ad Sueciae regem, 359 a collegio Electorum ad regem Poloniae, 410 a collegio Electorum ad Sueciae regem, 411 Sueciae regis ad regem Galliae, 435 ad confoederatos Belgii, 437 Daniae regis ad Czarnecium. 439

Lituani, nobilis eorum victoria de Coſacis, 32 Kiouiam intrant, 80 puncta eorum Suecis oblata, 180 contradicunt Radiuilianae propoſitioni, ibid. deditionis inſtrumentum Lituaniae, 207 Moſchos contra dimicant, hoſtium ſex millia profligant, viginti millia vincunt. 510

Lituania, eam vaſtat Semiluna, 22 ingreditur magnus Moſchouiae dux, 142 Moſchorum ibi victoria. ibid. ſeq.

Lituinenko, Chmielnicii legatus ad Potocium. 86

Liuoniae, loca per Gonſieuium occupata, 391 Liuonia auſtralis Polonis, ſeptentrionalis vero Suecis vi pacis Oliuenſis aſſignatur. 470

Loben (Ioan. Fridericus L. B. de) nomine ſtatuum Marchiae ſubſcribit pacta cum maioribus Polonis. 286

Los (Vladislaus) diſtrictus Dobrynenſis nuntius, diſceſſu ſuo comitia infectis rebus ſoluit. Pag. 512

Louicium deſcribitur, quomodo peruenit in ditionem archiepiſcopi Gneſnenſis, 121 ingreditur Sueciae rex. 177

Lubecae tractatus Polonorum cum Suecis. 70

Lubikowski (Nicolaus) poſſidet bona domus Batoreanae. 132

Lubinski (Matthias) archiepiſcopus Gneſnenſis, mortem Vladislai IV, Poloni regis, nobilitati publicat, 11 coronat Ioannem Caſimirum, 35 moritur. Encomium eius. 121

Lublinum, deſcribitur, a Moſchis oppugnatur et diripitur, 201 Poloni eo potiuntur. 236

Lubomirski, (Stanislaus, comes in Wiſnicz) palatinus Cracouienſis, moritur. 43

Lubomirski (Conſtantinus comes in Wiſnicz) Sandecenſis et Bialocerkieuienſis capitaneus. 20

Lubomirski (Alexander) ſtabuli regni praefectus, 20 vxor eius fuit Helena Tecla, Oſſolinii cancellarii filia, 64 rex eum mittit contra rebellem Napierski. 75

Lubomirski (Georgius, comes in Wiſnicz, S. R. I. princeps) Stanislai palatini Cracouienſis filius, generalis Cracouienſis, mittit milites contra Coſacos, 19 comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 fit maior regni Mareſchalcus, 56 praeſens in expeditione contra Coſacos anno 1651, 74 fit gubernator Viſtenſis, 97. 117 regem in Poloniam reducem deducit, 227. 232 obſidionem Cracouienſem ſoluit. Variorum de eo ſermones, 279 Rakocius ei ſcribit, 326 reſpondet ad Rakocii literas, 327 obuiam it Rakocio, 328 a rege Czenſtochouiam ad conſilium generale vocatur. Fit dux campeſtris mortuo Stanislao Lanckoronio, 329 Tranſyluaniam cum Polonis intrat, 340 indignatio eius contra Czarnecium, 343. Pro mediatione Gallica diſſerit, 399 (400) in Pruſſiam mouet, 442 Graudentium vi capit, 443 legatus reg. Poloni ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 in Vkraina armis bono euentu decertat contra Moſchos, 509 impedit electionem ſucceſſoris viuente adhuc Rege, 512 regina eum perdere ſibi proponit, ibid. eius laus ibid. de eo nuntiorum in comitiis ſententiae ſunt diuiſae, ibid. capitis damnatur ibid. ſecedit Vratislauiam ibid. eius munera aliis deferuntur ibid. armata manu in Poloniam redit, ſeque cum exercitus Poloni parte coniungit, ib. regis exercitum ad Czenſtochouiam vincit, 1300 caedit, eius primores et mille milites capit, captos ſine pretio dimittit, ibid. eum rex ſequitur, ibid. ſed certis ſub conditionibus, acie iam inſtructa, arma deponuntur, ibid. deprecandi cauſa ad regem venit, deinde Vratislauiam redit, 513 comitia de eo reſtituendo inſtituuntur, diſſoluuntur, ibid. bellum magis inſtruitur, ibid. eius militum numerus, ibid. praelium cum regiis init et victoriam reportat, ibid. cum rege de pace agit, ibid. ſubito Vratislauiae vitam cum morte mutat, et Wiſnicii inanime eius delatum in Poloniam corpus tumulatur. 514

Lubouiecius, per eum rex Chmielnicii animum tentat. 243

Ludouica Maria, Vladislai IV primum, deinde Ioannis Caſimiri, Poloniae regum coniunx. Febri correpta decumbit Varſauiae, 34 nubet Ioan. Caſimiro, 39 animus eius et in caſtris praeſentia, 72 Lublino Varſauiam redit, 73 accipit praefecturam Lomzenſem condemnato Radzieieuio, 97 principem Poloniae parit, ibid. abducitur per ſenatores vna cum regio theſauro Cracouiam, 165 ex Sileſia mouet in Poloniam, 251 inſidiae ei Gedanum proficiſcenti a generali Sueco Stembocio ſtruuntur, 278 quid ad oblatas literas paſſus a Stembocio reſpondit, ibid. Vrangelio a Stembocio miſſo mille aureos donat, ibid. militem Polonum ſiſtere conatur. Czarnecii conſilium ei ſuggeſtum, 278 dat literas ad Potocium in cauſa Rakocii, cui multum faebat, 346 Rakocii filius deſtinatur ab ea in regem Poloniae, ibid. iraſcitur domui Auſtriacae, 347 Polonos exprobrat, ibid. Electrix Brandenburgica perſuadet reginae Poloniae aliqua ſecreto, annuente rege Electoris propoſitionibus, 358 Querelae eius contra Auſtriacos, 388 in perniciem Auſtriacorum a Gallis animatur, 399 ducatus Opolienſis et Ratiborienſis ei traduntur, 403 querelae eius contra Auſtriacos nomine cleri maioris Poloniae, 404 Poſnania Berlinum excurrit ad Electorem. Quid cum Electore tractauerit, 414 tractat Oliuae pacem cum Suedicis legatis, 445 perſuadet Ioanni Caſimiro, marito, vt rege adhuc viuo, eligeretur ſucceſſor, 510 procurat regium Poloniae ſolium Principi de Conde, ibid. Lubomierſcium, qui caput huic electioni contradicentium fuit, perdere quaerit, 512 bellum inteſtinum hoc propoſito regno infert, ibid. tandem omnia videns fore vana, Pacium, Lituaniae cancellarium, ſuum tentat facere, 514 eius propoſitiones Pacius renuit, ibid. die altera apoplexia anno aetatis quinquageſimo quinto decedit correpta, ibid. Eius funeris exequias rex Cracouiae proſequitur. ibid.

Lumbres (Antonius de) Galliae legatus, 256 Suggeſta eius conſilia Stembocio generali Sueco, 278 regina Poloniae inſtigatur ab eo in Auſtriacos, 350 legatus mediator ad pacem Oliuenſem. 465

Machmet Gerei, vid. Gerei.

Machouius (Sebaſtianus) Polonorum belli dux, capitur in Vkraina. 514

Machowski (Ioannes) tribunus Polonus militum, 83 literas a Potocio defert Chmielnicio, 84 perſuadet Chmielnicio arcana quaedam, ibid. redit ad Potocium, 84 mittitur commiſſarius ad regem, 100 mittitur a rege ad obſeſſos Soczauiae in Valachia Coſacos, 128 adiungitur Czarnecio ad defendendam Cracouiam, 178 fit captiuus Moſchorum. 201

Magierouiam iuxta pugnat cum Polonis Rakocius, mox componit cum iisdem. 343

Malachowski, regni referendarius abdicationis documentum legit. 515

Mambertus (Ioannes S. I.) mittitur Romam a rege Ioanne Caſimiro. 39

Manifeſtatio Radzieieuii contra regem regnumque Poloniae, 108 Polonorum legatorum pro continuandis tractatibus, 161 Sueciae regis Poſnaniam ingredientis, 166 exercitus Poloni cum Koniecpolſcio et Wiſniowiecio a Suecis redeuntis, 232 Rakocii contra Polonos, 326 Polonorum contra Tranſyluanum. 340

Marchia Brandenburgenſis inuaditur a Polonis, 285 componunt cum eadem. ibid.

Marchio Badenſis, vid. Badenſis Marchio.

Maria Anna Thereſia, infans Poloniae moritur. 79

Mariaeburgum, comitia ordinum Pruſſiae, 184 Sueciae reginae ibi praeſentia, 237 deſcriptio eius, 240 Suecis deditur, ibid. vi pacis Oliuenſis regi Polono traditur. 471

Markiewicz (Demetrius) Coſacus a republica nobilitatur. 68

Maſouia deditionem facit Sueciae regi, 177 ſeq. eadem Sueciae regis edicto ſedatur. 192

Maſſini (Chriſtophorus) patria Mutinenſis, regi Polono a literis Italicis, mittitur legatus Pragam ad Hungariae regem, 388 propoſitiones eius Auſtriacis factae. 389

Mechmed Soltanus, octo annorum puer, pronunciatur Turcarum Imperator. 21

Mediationem Gallicam Poſnaniae ſecreto admittit Polonus rex, poſtea eandem ordinibus regni Varſauiae publicat, fruſtra obnitente clero, 398 mediationis Gallicae trutina. 400. ſeq.

Medziritium in maiori Polonia recuperatur a Polonis. 285

Melſtinski, praeſente rege in oppido Korczyn ſenatorum domos ſpoliauit. 111

Memorialia Sueciae regis ad ordines imperii Francofurti porrecta, 374 Olſzeuii legati Poloni ad Electores imperii. 406. ſeq.

Meteoron Varſauiae. 64

Miaskowski (Andreas) dapifer Halicenſis, mittitur legatus Viennam, 329 per eum reginae neptis amores offerebantur Leopoldo primo, 346 commiſſarius componit cum Wirtzio ob deditionem Cracouiae, 349 propoſitiones eius caeſari Ferdinando III Viennae factae. 402

Miaſtowski (Albertus) ſuccamerarius Leopolienſis, mittitur legatus a rege ad Coſacos. 33

Michael, rex, ex Zamoyſcii filia natus fuit. 513

Michalowicz (Alexius) magnus Moſchouiae dux, Ruſſiam cum Chmielnicio protegit, 142 Lituaniam ingreditur, ibid. Viennam mittit legatos ad caeſarem, neceſſitatem belli Lituanici excuſantes, 143 regis Poloni literae ad eum, 229 pacem facit cum rege Polono, 283 bellum cum Sueciae rege incipit, 284 ſceptrum Polonum ambit, 322 mittit legatum ad regem Polonum ob violata pacta, 357 legatos mittit ad Leopoldum caeſarem Viennam. 440

Mieſzkowski (Maximilianus) caſtellanus Caliſſienſis, puncta deditionis palatinatus Caliſſienſis ſubſcribit. 165

Mikies (Michael) Tranſyluaniae cancellarius, 326 conſultat cum Rakocio, 337 ſcribit Witouio, caſtellano Sendomirienſi, 338 mittitur legatus ad Czarnecium, 343 reſponſum eius Polonis militibus datum, pugnam cum Tranſyluanis appetentibus. 345

Milites, Poloni militis deſcriptio, 23 confoederatio Lublini, 57. 441 Tyskouiciis contra Sueciae regem, 221 queruntur de infelicitate regni et promiſſa ſtipendia poſtulant, 99 quid ad haec rex iuſſit, ibid. eorum tumultus in caſtris ad Battow, 103 Sacramentum Sueciae regi dicunt, 201 manifeſtatio redeuntium a Sueciae rege, 232 tumultus inter eos dedita Varſauia propter Witembergium, 247 milites ex maiori Polonia primi

primi caſtra regis deſerunt, capta Varſauia, 251 Varſauia diripitur a milite Brandenburgico, 270 miſſionem a rege Poloni milites petunt et impetrant, 277 a Sueciae rege eorum caſtra ad Gedanum occupata. Eoſdem inſequitur Sueciae rex. Diſceſſum militum Poloniae regina fruſtra ſiſtere conatur, 278 in Tranſyluaniam irruptio, 340 ardor pugnandi cum Tranſyluano ad Magierow, 345 non acceptata tumultuantur ob ſtipendia, 510 ad obſequium redeunt. 511

Miller (Burchardus) Sueciae regis generalis locum tenens, Czenſtochouiam obſidet, 225 literae eius ad patres Czenſtochouienſes, ibid. Electoris Brandenburgici generali Dorflingio Poſnania cedit. 276

Minae a Radzieienianis aſſeclis contra regem in vulgus ſparſae, 98 comitis Waldeck in catholicos, 219 Chmielnicii in Valachiae principem 91

Minda penes Gedanum periclitatur, 225 eam Sueciae rex aggreditur. 266

Miniſtri regni et magni ducatus Lituaniae hodierni. 111, n. 51

Minſcum in fauillas redactum a Moſchis. 157

Mniſzek (Andreas a magna Konczyce) culinae regni praefectus, comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 obtinet a rege capitaneatum Lublinenſem. 59

Mniſzek (Georgius) quondam Sendomirienſis palatinus. 63

Mobilouia obſidetur a Radiuilo vano conatu, 147 prope eandem caeſus Potocius a Coſacis. 444

Montecuculi (Raymundus, liber baro in Hoheneg) regis Hungariae legatus. Labores eius Berolini. 392. 393

Montecuculi, commiſſarius Hatzfeldii componit cum Wirtzio ob deditionem Cracouiae. 349

Moritz equitum praefectus in legione ducis Saxoniae, cadit in ſyluis ad Caliſſium. 276

Mors variorum principum et clarorum virorum, vid. ſub eorum nominibus.

Morſtyn (Tobias) regis Poloniae camerae praefectus mittitur ad Daniae regem. 371

Morſtyn (Ioan. Andreas de Raciborsko) dapifer Sendomirienſis, mittitur a rege in Sueciam, 143 periclitatur in mari, redit abſque audientia in Poloniam, 145 mittitur a rege Francofurtum, 288 commiſſarius componit cum Wirtzio ob deditionem Cracouiae, 349 regni referendarius ſubſcribit puncta deditionis Torunii, 426 legatus regis Poloni ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 ſubſcribit declarationem articuli ſeparati ratione traditionis Elbingae. 490

Moſchi, eorum ſtratagema in eligendo Vladislao IV, magno Moſchouiae duce, 11, n. 14 mittunt legatos Varſauiam, 57 eorum noſtris temporibus facies, 57, n. 38 Moſchorum poſtulata et Polonorum reſponſa, 62 noua eorum poſtulata a rege Polono. bellum minantur Polonis, 130 bellum Poloniae inferunt, 140 Smolenſcum oppugnant, ac paulo poſt capiunt, 142 victoria eorum, 143 mittuntur legati ab eis Viennam, ib. caeduntur aliquot millia Moſchorum a Polonis, 147 cum Coſacis Bychouiam poſt trium annorum obſidionem capiunt, 181 profligant Potocium ad Slonigrodek, 201 Rigam obſident. Kokenhauſen diripiunt, 284 eorum clades ad Rigam, ibid. ſoluunt obſidionem Rigenſem, 284 clades eorum ad Konotop, 442 a Polonis profligantur, hancque ob cauſam Lachowicze obſidionem ſoluunt, 509 Moſchorum et confoederatorum Coſacorum in Vkraina militum numerus, 511 ad Branko eorum dux profligatur, ib. legatum in regis caſtra mittunt, pacem offerunt, ibid. induciae cum illorum magno duce anno 1667 vſque ad annum 1680 prolongantur, 514 terrae et vrbes, quae hac occaſione illis in perpetuum traditae ſunt, ibid. Palatinatum Polocenſem et Vitepſenſem, Liuoniamque Polonam retro dant Polonis, ibid. auxilium illis contra Turcas Tartaroſque promittunt. ibid.

Moſchouiae ditiones rex Ioannes Caſimirus cum exercitu 1664 ingreditur. 511

Motus generalis nobilium (poſpolite ruſzenie) quid ſit. 186, n. 68

Myſzkowski (Vladislaus, Marchio in Mirow) capitaneus Grodnicenſis, fit palatinus Sendomirienſis, 52 praeſens in expeditione contra Coſacos, 74 moritur palatinus Cracouienſis. 415

Napierski (Alexander Leo) rebellis in minori, Polonia, 75 vitae eius finis tragicus. ibid.

Narſzewski tempore comitiorum aulam referendarii regni Przerembski armis inuaſit. 111

Naruſzewicz (Alexander) mittitur ex equeſtri ordine Lubecam ad tractatus cum Suecis, 70 referendarius Lituaniae, Lidenſis gubernator mittitur legatus Stockholmiam, 156 regem Sueciae ſalutat. 159

Narzemius caſtellanus Wyſogrodienſis. 184

Naſſouius (Fridericus comes) Sueciae regis cognatus, occumbit, bina glande traiectus. 101

Nechay (Adamus) generalis vigiliarum praefectus, ſubſcribit deditionis Varſauiae conditiones. 247

Negotium rei nummariae in Polonia. 61

Niebaba, ductor Coſacorum palo affixus a Lituanis. 32

Nieborouius defuncti principis Caroli Ferdinandi cancellarius, fit abbas Paradiſienſis. 156

Nieczai ductor Coſacorum a Kalinouio caeſus ad Craſnum. 72

Niemierzycz, Polonus, Coſacorum legatus, 442 a rege, Ruſſiae deſignatus redit cancellarius, poſtea a Coſacis trucidatur. 443

Niemierzycz (Georgius) commiſſarius ad Coſacos ex equeſtri ordine a republica conſtituitur. 68

Niemierzycz (Stephanus a Czernichow) pincerna Kiiouienſis. 198

Nieuerui Ioannes Caſimirus Rex Poloniae morti 1672 ſuccumbit 516

Niewiarowski (Chriſtophorus) exercitus Lituani militum tribunus, capite plectitur. 512

Niezabitowski (Alexander) 198

Nobilitas commouetur contra regem occaſione Radzieieuii, 98 contra Witembergium dedita Varſauia, 247 nobilitatis minoris Poloniae confoederatio, 279 Pruſſiae nobilitas in Pomeraniam irrumpit, ſed breui reuocatur a rege Polono, 287 arma capit ad bona defendenda. 512

Numerus et ordo commiſſariorum belli contra Coſacos Senatorii ordinis, 19 equeſtris ordinis, 20 caeſorum Polonorum et Coſacorum ex vtraque parte ad Bereſtecko, 76 caeſorum et captiuorum Sueciorum et Electoralium a Polonis, 271. 276 caeſorum et captiuorum Tranſyluanorum a Tartaris, 347 numerus nuntiorum in comitiis generalibus, 54, n. 36

Numiſmata Lubecae a Polonis ſparguntur. 70

Oborski (Nicolaus) canonicus Cracouienſis, proteſtatur contra ſaeculares. 137

Obſidio Chmielnicii a Polonis et Hungaris Soczaniae, 126 Chmielnicii a Polonis et Tartaris ad tres leucas ab Humano, 147 Cracouiae a Suecis, 193 a Polonis, 269. 279 ab Hatzfeldio, 347 Czenſtochouiae a Suecis, 225 Kiiouiae a Vichouio, 417 Leopolis a Coſacis, 25. 201 Mohilouiae a Radiuilo, 147 Polonorum ad Zbaraz a Coſacis, 42 Praemisliae a Duglaſſio, 232 regis Poloni ad Zborow a Coſacis, 46 Rigae a Moſchis, 284 Sueciae regis ad Lezaiſcum a Polonis, 234 Torunii a Polonis, 420 Varſauiae a Polonis, 244 Zamoſcii a Coſacis, 25 Lachowicze a Moſchis ſoluitur. 509

Obuchowicz (Theodorus) Succamerarius Mozerenſis, eligitur commiſſarius ad Coſacos, 17 mittitur legatus a rege in Moſchouiam. 70

Obuchowicz (Philippus) palatinus Smolenſcenſis, Moſchis Smolenſcum dedidit, 142 incuſatur in comitiis ob deditum Smolenſum. 156

Octaſio belli cum Polonis Coſacorum, 6 Electoris Brandenburgici, 252 Moſchouitici, 58 belli Suedici, 159 Moſchouitici cum Suecis, 284 Regis Poloni cum Lubomierſcio. 512

Odium, quid de illo inter Germanos et Polonos tenendum. 412, n. 101

Odoiewſcius legatus Moſchus ad pacis tractatus cum rege Polono. 283

Oginski (Bogdanus) vexillifer M. D. Lituaniae. 20

Oleſnicius, Vislicenſis caſtellani filius, datur obſes Tartarorum Chano. 133

Olſinowitz (Nazarei Michalowicz) Moſchouiae legatus ad regem Polonum. Querimoniae eius ob pacta violata, 357 accipit a rege reſponſum 358

Oliuae tractatus pacis Polonos inter et Suecos concluſi. 465, ſeq.

Oliuarius Cromuel, vid. Cromuel.

Olſzewski (Andreas) canonicus Cracouienſis, regius Francofurtum ablegatus, 404 eiuſdem memorialia duo ad Electores imperii directa, 406 ſeq. Viennam mittitur legatus cum grauiſſimis poſtulatis. 441

Opacki (Ioannes Albertus in Mazenin) Succamerarius, terrae Viſnenſis deputatus, articulum ratione traditionis Elbingenſis ciuitatis ſubſcribit. 493

Opalinski (Lucas de Bnin) regni Mareſchalcus, 26 33 abdicat ſe Mareſchalci munere et transfert in Lucam de Bnin Opalinski, ſuccamerarium Poſnanienſem, 56 moritur. 139

Opalinski (Lucas de Bnin) Succamerarius Poſnanienſis, fit minor regni Mareſchalcus, 56 citat Radzieieuium ad ſuum tribunal, 94 vita fungitur. 510

Opalinski (Petrus de Bnin) Podlachiae palatinus, 244 276 recuperat propugnacula Medziritium et Zbonſinium, 285 expeditur cum Czarnecio in Holſatiam. 371

Opalinski (Chriſtophorus de Bnin) palatinus Poſnanienſis. Literae eius ad regem, 98 quid rex ei reſpondet, 99 facit cum Radzieieuio, 163 puncta deditionis palatinatuum Poſnanienſis ſubſcribit, 165 moritur. 226

Oppolium conuocatur ſenatores a rege Polono, 206 Oppolium et Ratiboria transferuntur a rege Polono in perſonam reginae. 403

Oyario, Ioan. de Torres, nuntii apoſtolici ad ſenatum Polonum, 26 Galliae legati ad ſenatum Polonum, 12 et 28 legati Electoris Brandenb. ad ſenatum, 14 legati Curlandiae ducis, 15 Sueciae legati, 29 Potocii ad legatos Chmielnicii, 86 Przyiemſcii ad regem Sueciae, 174 Brochouii ad eundem, 198 ſcriptam orationem ordinibus valedicentem Rex legere incipit, eam procancellarius perlegit. 515

Oſſinski (Samuel) regiae cuſtodiae praefectus, 18 fortiter pugnat, 24 moritur, elogium eius. 43

Oſſolinski (Georgius comes de Tenczin, S. R. I. princeps) regni cancellarius, 23 reginae fugam diſſuadet, 24 denunciat regem coronatum, 39 comitatur regem contra Coſacos, 44 exercitus locum tenens generalis a rege conſtituitur, 45 colloquitur cum Chani Crimenſis Veſirio, 49 de pacis legibus cum eo conuenit, ibid. odia inter eum et Viſniowiecium, 55 moritur. Compendium vitae eius. 63

Oſſolinski (Georgius) cancellarii nepos, Maximiliani Oſſolinii, thesaurarii curiae regni filius, capitaneus Lublinenſis, 64 perit in pugna ad Bereſtecko. 76

Oſſolinski (Balduinus) comes in Tenczyn, capitaneus Stobnicenſis, comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 perit ad Zborouium, 46

Oſſowski (Andreas de Oſſow) 20

Oſtau (Albertus ab) legatus Electoris Brandenb. ad pacem cum Suecis Oliuae condendam. 466

Oſtrorog (Nicolaus comes) pocillator regni, palatini quondam Poſnanienſis filius, deſtinatur belli dux a republica, 18 mittit milites contra Coſacos. 19 40 moritur, elogium eius. 72

Oſtrorog (Nicolaus comes) gubernator Drohouicenſis, moritur. 226. 248

Oſtrorog (Nicolaus comes) capitaneus Garuolicenſis, obſes datur a rege Polono Sueciae regi. 423

Oſtrycki (Adamus) foederatorum Mareſchalcus, a regiis aggreditur, quos vincit, eorumque primores capit. 512

Ouerbeck (Ioannes ab) legatus Electoris Brandenb. ad rempublicam Polonam. Oratio eius, 14 foedus defenſiuum et offenſiuum inter domum Auſtriacam ac Electorem Brandenburg. concludit. 303 ſeq.

Oxenſtierna (Gabriel) comes in Korsholm et Waſa, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 488

Oxenſtierna (Benedictus) Sueciae ſenator etc. relinquitur Varſauiae a Sueciae rege ad vrbis regimen, 177. 178 ſubſcribit conditiones Varſauiae deditionis, 247 infirmus ibi manet, 248 legatus Sueciae regis ad pacem cum Polonis Oliuae condendam. 466

Oxenſtierna (Ericus Axelius) Sueciae regis cancellarius. Conſilium eius regi ſuo ſuggeſtum, Boruſſiam attinens, 189 Elbingam ingreditur, 213 colloquitur cum Sueciae rege, 237 articulos foederis Sueciae regis cum Hollandis ſubſcribit, 260 documentum compoſitionis Sueciae regis cum Electore Brandenburgico ſubſcribit. 266

Ozarowski (Stanislaus de Ozarow) 198

Pac (Chriſtophorus) vexillifer M. D. Lituaniae, 20 Lituaniae ſupremus cancellarius, regis Poloni

legatus ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 subscribit declarationem articuli separati ratione Elbingae traditionis. 490
Pac (Nicolaus Stephanus) palatinus Trocensis, literas fidei ordinum regni Poloniae et Lituaniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 separatum articulum ratione ciuitatis Elbingensis subscribit. 493
Pactus, Lituaniae belli dux Moschos profligat. 511
Pacta Zborouiana in comitiis a. 1649 in totum approbantur, 56 de Stumdorfianis cum Suecis mentio, 71 inter Sueciae regem et electorem Brandenburgicum, 219 inter Rakocium et Cosacos, 325 inter Leopoldum regem Hungariae et Casimirum regem Polonum, 330 inter Polonum regem et electorem Brandenburg. 358 Poloniae inter et Daniae reges, 371 Cosacorum cum Polonis, 418 pacta cum Cosacis adnitente Vichouio in comitiis approbantur, 442 pacta Regiomonti, Marieburgi et Libauiae a. 1656 inter Sueciae regem et electorem Brandenburg. inita, vi pacis Oliuensis in aeternum annihilantur, 478 inter Cosacos et Rakocium. 325
Palatinus Cracouiensis pro restituendo Lubomierscio laborat, eius ad Regem verba. 512
Palatinatus Polocensem ac Vitepscensem retro Poloni accipiunt a magno Moschouiae duce. 514
Palatinatuum Poloniae puncta et postulata a rege in comitiis Varsauiensibus. 93
Parczewski, episcopus Smolensensis sit episcopus Samogitiae, 44 subscribit pacta deditionis Lituaniae. 211
Passeres niuales, vnde veniunt. 122, n. 54
Pauli (Andreas) supremus vigiliarum praefectus legionis Phulianae Electoris Brandenb. cadit in syluis ad Calissium. 276
Pax, fit inter regem Polonum et Tartarum ad Zborow, 49 inter Polonos etiam et Cosacos, 51 denuo promulgatur inter Polonos et Cosacos, 92 pacis conditiones Polonorum, Chmielnicio per legatos propositae, 119 inter Tartarorum Chanum et Chmielnicium, 201 inter maiores Polonos et status Marchiae, 285 inter regem Poloniae et magnum ducem Moschouiae, 282 inter Polonos et Cosacos, 418. 442 inter Polonum regem et electorem Brandenburgicum, 358 inter Sueciae et Daniae reges, 427 Oliuae inter reges Poloniae et Sueciae, 445 Polonis offertur a Moschis, 511 Turcarum Caesarem inter et Polonos. 514
Pereaslauia. Chmielnicius Cosacorum ibi celebrat comitia, 57 Pereaslauiam prope Wdowiczenko occurrit Vichouio Tartaris iuncto, pugnat, ibidemque in praelio cadit. 417
Pertinacia Kalinouii exercitus ducis ad Battow. 104
Pestis Cracouiae maxima, 101 totam Poloniam peruagatur. 121
Petzer, summus Sueciae regis excubiarum praefectus, perit in syluis ad Calissium. 276
Petricouia, Polonis deditur, traditae ciuitatis conditiones. 248
Piasecki (Paulus) episcopus Praemisliensis, 1. 33 scripsit chronica gestorum in Europa singularium, 34, n. 27 moritur, elogium eius. 43
Pieglowski (Martinus) pincerna Cracouiensis protestatur contra clerum. 136
Pienionzek (Ioannes) Praefecturam Osviecimensem accipit. 513
Pikarski (Adrianus) Soc. Iesu. 347
Pilauice, Poloni ibi fugantur a Cosacis. 23
Pinocci (Hieronymus) mercator Italus, legationis Polonae Secretarius Viennae, 206 missio eius in Angliam et Hollandiam vano conatu. 444
Pinscum in fauillas redactum a Lituanis. 32
Piron (Ioan. Baptista de) Petricouiam dedit Polonis. 248
Platen (Nicolaus Ernestus de) documentum compositionis Sueciae regis cum electore Brandenburgico subscribit. 266
Plaza (Alexander de Mscicow) capitaneus Rabstinensis, protestatur contra clerum. 136
Podlodowski, Radomiensis gubernator, regis legatus Regiomontum. 242
Poettingen (Franciscus Eusebius comes a) Ferdinandi III caesaris legatus ad Sueciae regem in Polonia, 204 dimittitur a Sueciae rege cum literis ad caesarem. 260
Polomne, Russiae oppidi exitus. 22
Poloniae rex, vid. *Ioannes Casimirus*.
Poloniae regina, vid. *Ludouica Maria*.
Polonia. Descriptio Poloniae, 2 vnde quis rectam Poloniae diuitiarum cognitionem capere possit, 2, n. 2 gesta antiquae gentis Polonae, 2 misera illius facies a. 1648, 23 quid maxime eius libertatem defendat, 55, n. 37 vnde nomen habeat 335, n. 98 Poloniae morum descriptio inconueniens et refutatio, 413, n. 102 facta cum Suecis pace secundo Marte Moschos contra dimicat. 509
Poloni, caeduntur ad aquas flauas, 8 iterum ad Corsunum, 9 tertio armati ingrediuntur Russiam, 41 ad Zbarazium castra locant, ibid. obsidentur a Chmielnicio, 42 eorum clades ad Zborouium, 46 varia eorum consilia, cum rex arcte ad Zborouium obsidione cingeretur, 47 eorum de bello Valachico sensus, 65 confugiunt ad Ferdinandum III imperatorem, auxiliares impetraturi copias, 67 bellum contra Cosacos acclamant, 68 vindictam sumunt de Cosacis, 72 bellicum consilium tenent, 75 primus eorum cum Tartaris congressus, 76 resistunt ac hostem profligant, ib. Polonorum victoria, 78 eorum error, ibid. progressus in Russiam, 80 regem odio prosequuntur, 83 decipiuntur a Cosacis, 87 excitant tumultum in castris Kalinouii ad Batow. cogitant de fuga, 104 ad internecionem discordes delentur a Cosacis ad Batow, ibid. captiui in clade Battouiensi a Tartaris redemti a Chmielnicio trucidantur, 105 eorum pietas erga reges suos, 107 de militibus Polonis, 122 amant viuere in agris, 140 eorum coniunctio cum Tartaris, 146 eorum exercitus se Witembergio dedit, 164 nobiles Poloni conspectis Suecis fugam faciunt, 178 per Sueci regis absentiam ab obsequio eius deficiunt, 220 eorum arcana consilia, 228 recuperant Sendomiriam, 236 Lublino potiuntur, ibid. capta Varsauia domos redeunt, 251 fugantur a Sueciae rege ad Varsauiam, 269 Calissium expugnant, 271 Poloni maioris inuadunt Marchiam, 285 componunt recuperatis propugnaculis Mezericio et Zbonsinio, cum statibus Marchiae, ib. seq. Transyluaniam intrant, duce Georgio Lubomierscio, 340 manifestatio eorum de irruptione in ditiones principis Transyluaniae, ibid. seq. consultant de conditionibus Transyluano conscribendis, 344 Poloni componunt cum Rakocio excluso Hungariae rege, 345 eorum contentio cum Austriacis recepta Cracouia, 350 vetera eorum gesta contra Austriacos, 389 defenduntur ob odium erga Germanos, 412, n. 101 pacem perpetuam cum Cosacis faciunt, 442 petunt a Caesare Leopoldo, vt regnum Austriaco milite liberum sit, ibid. Oliuae pacem perpetuam, mediatore Galliarum rege cum Suecis faciunt, 465 seq. Chowanscium Moschorum belli ducem profligant, 509 in Vkraina bono euentu dimicant, ib. tumultuantur, 510 ad officium reducuntur, ibid. Rex eos in Vkrainam ducit, 511 arces et oppida quaedam ab illis occupantur, ibid. Moschouiae ditiones ingrediuntur, ibid. infectis rebus Gluchow et Siewsko relinquunt, ibid. castra prope Wartam ponunt, 512 contra Lubomierscium dimicant, vincuntur, eorum primores capiuntur, ibid. nobilium bona deuastant, ibid. arma deponunt, ibid. iterum praelium ineunt, 513 vincuntur, ibid. pacem cum illo ineunt, ib. eorum belli dux in Vkraina a Tartaris et Cosacis capitur, 514 a Turcarum imperatore pacem duris sub conditionibus obtinent, ibid. obuiam eunt Cosacis et Tartaris, et secundo cum iis dimicant praelio, 515 pacem cum illis conficiunt. ibid.
Poluhinski (Hilarius) Notarius campestris, contra Lubomierscium missus, praelio infausto dimicat, et capitur. 512
Pomerania, Prussiae nobilitas in eam irrumpit, sed breui reuocatur a rege Polono. 287
Poniatowski (Stanislaus) regni referendarius, fit abbas Tynecensis. 391
Pontifex maximus, vid. Innocentius X et Alexander VII.
Posnania, sequitur deditionem exercitus Poloni. Eius descriptio, 165 ceditur a Suecorum generali Millero, Electoris Brandenb. belli duci Dorflingio, 276 traditur Polono regi ab electore Brandenb. 357
Posse (Gustauus) Sueciae regni senator, literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem subscribit. 488
Potocki (Stephanus) occurrit Chmielnicio, occumbit ad aquas flauas. 8
Potocki (Nicolaus) supremus exercituum dux, contra Chmielnicium in castris praesens ad Corsunium, 8 fit captiuus Tartarorum, 9 ex Tartaria redux, 61 praesens in expeditione contra Cosacos anno 1651, 74 Tryliss iam occupat, 81 Kiiouiam versus mouet, ibidemque Lituano se iungit exercitui, ibid. cum Kisielio de bello finiendo sentit, ibid. Chmielnicii recipit literas, 83 deliberat circa eas, ibid. proponit articulos pacis Cosacis, 83. 84 epistola eius ad Chmielnicium, ibid. eius ad legatos Chmielnicii oratio, 86 commissarios Polonos ad Cosacos dimittit, 87 cum proceribus Poloniae deliberat ac castra versus hostilem exercitum promouet, 88 differt praelium, ibid. respondet ad literas Chmielnicii per Kisielium, 89 quid legatis Chmielnicii respondet, 90 excipit conuiuio Cosacorum legatos, ibid. colloquitur cum Chmielnicio et pacta subscribit, 91 Chmielnicium conuiuio excipit, ib. regi scribit, 92 moritur, vitae eius compendium. 93
Potocki, gubernator Camenecensis, filius supremi exercituum ducis, donatur equo Turcico a Chmielnicio. 92
Potocki (Ioannes de Potok) Succamerarius Halicensis. 20
Potocki (N. de Potok) regni castrorum metator. 223
Pozocki (Christophorus) subdapifer M. D. Lituaniae, datur obses Chmielnicio. 90
Potocki (Stanislaus a Podhayce) palatinus Podoliae mittit milites contra Cosacos, 18. 19 comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 praesens in expeditione contra Cosacos a. 1651, 74 fit supremus exercitus dux in locum occisi Kalinouii et palatinus Kiiouiensis, 141 occurrit Chmielnicio, aciem instruit et dimicat, 147 frustra obsidet Chmielnicium. Braclauiensem tractum repetit, ibid. profligatur a Moschis, 201 Sueciae regem occasione Chmielnicii derelinquit, 203 adhaeret iterum Sueciae regi, 211 seq. cum Lanckoronio ad Sendomiriam subsistit, 218 castra Duglassii, Sueciae exercitus ducis, deserit, 220. 223 cura expugnandi munimenti, capitis dicti, ei a rege committitur, 277 a Czarnecio exprobratur, responsum eius, 278 cum exercitu ex Borussia in Poloniam abit, 279 praesens in expeditione contra Rakocium, 343 Regina ad eum scribit in causa Rakocii, cui multum fauebat, 346 Mohilouiam obsidet, quam deinde intactam relinquere debuit, 444 literas fidei ordinum regni Poloniae et Lituaniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 bono euentu dimicat contra Moschos, 509 morti succumbit. 515
Powalski (Lewalt) nuntius Podoliensis, Rege adhuc viuo successoris electioni contradicit. 510
Pozarski, Moschorum belli dux, occumbit in praelio ad Konotop. 442
Praedictiones Polono regi falsae. 32
Praelium, vid. pugna.
Praemislia describitur, 232 Duglassius eandem oppugnat et paulo post intactam relinquit, ibid. oppugnatur a Rakocio vano conatu. 328
Praefagium P. Caruat Soc. Iesu. 156
Praxmowski (Nicolaus) regens cancellariae minoris, fit regni referendarius, 121 certis legibus Rakocium ad Poloniae regnum vocat, 224 fit regni procancellarius et mox supremus regni cancellarius, 415 legatus regis Poloni ad pacem Oliuae condendam, 466 declarationem articuli separati ratione traditionis Elbingae subscribit, 490 Primatis regni dignitatem adipiscitur. 514
Princeps Poloniae, Carolus Ludouicus nascitur, breui post extinguitur. 97
Proceres Poloniae, regem Casimirum in Poloniam reuocant, 207 Regiomonto per edictum electoris Brandeburgici excedere iubentur. 220
Prodigia, de iis quid sentiendum. 10, n. 13
Prokoponicz, Moschorum Generalis cadit in praelio ad Konotop. 442
Prophetia S. Brigittae de regno Sueciae, euentu non comprobata. 320
Propositiones Massinii factae Viennae scriptae, 389 Miaskouii Viennensis compositionis, 402 legatorum Polonorum in negotio pacis Oliuensis pertractandae, 446 legatorum caesareorum, 447 legatorum electoris Brandenb. 448 legatorum Suecicorum cum legatis caesareis pertractandae, 449 eorundem cum Brandenburgicis tractandae. 451
Prostki, villa ducalis Borussiae, vbi Gonsieuius Suecos et Brandenburgicos profligauit. 271
Protector Angliae, vid. Cromuel.
Protestatio nobilitatis minoris Poloniae contra clerum, 136 cleri minoris Poloniae contra saeculares. 137

Pruſſia, vid. Boruſſia.
Pruſinowski (Ianus) ſuccamerarius tribunuſque militum Belzenſis. 20
Pſczonka (Adamus) 198
Pſtrokonski (Stanislaus de Buzenin) epiſcopus Chelmenſis, 10. 33 moritur, cui ſuccedit Thomas Lezynski. 391
Przeslawski (Andreas a Przeslawice) 198
Przyiemski (Sigiſmundus) 45 cohortis tormentariae ſupremus magiſter, 77 ſenſus eius de caſtris Kalinouii ad Battow, 102 confert cum Kalinouio de tumultu militari, 104 captiuus poſt cladem Battouienſem Chmielnicii iuſſu capite plectitur. 104
Przyiemski (Chriſtophorus) mittitur ad Sueciae regem, 174 eius oratio ad Sueciae regem, ibid. ſeq. caſtellanus Culmenſis, 350 vitam cum morte mutat. 510
Przyiemski, eques Polonus. Literae eius ad fratrem Chriſtophorum contra Auſtriacos. 350 ſeq.
Pucheim (Chriſtophorus comes de) Leopoldi Hungariae regis generalis cum duodecim millibus militum in viciniam Tranſyluaniae venit. 342
Pugna ad aquas flauas, 8 ad Corſunum, ibid. ad Conſtantinow, 18 ad Zborowium, 46 ad Bereſtecko, 78 ad Batow, 104 ad Stawiſzyn, 145 ad Varſauiam inter Carolum Guſtauum, Sueciae et Io. Caſimirum Poloniae reges, 269 cum Tranſyluanis ad Magierow, 347 cum Moſchis, 509 cum Lubomierſcio, 512. 513 cum Tartaris Coſaciſque. 515
Putkammer, mittitur ab electore Brandenburg. ad Sueciae regem. 218

Querelae Daniae regis contra Polonos, 373 Polonorum contra Auſtriacos, 388 Auſtriacorum contra Polonos, 389 Olſzeuii legati Poloni, nomine cleri contra Auſtriacos Francofurti. 404

Radamanorſcius, Ruſſorum belli dux, eius militum numerus. 511
Radiuilus (Ianuſſius, S. R. I. princeps) Coſacos prope Pinſcum profligat, 32 cum exercitu victore Kiiouiam intrat, 80 de Coſacis victoriam reportat, 88 perſuadet Potocio certamen, ſed fruſtra, ibid. epulatur apud Potocium cum Chmielnicio, 91 fit maior exercitus dux, et palatinus Vilnenſis, 141 pugnat infauſto omine d. 27 Aug. a. 1654 143 obſidet Mohilouiam inani conatu, 147 Lituaniam Sueciae ſubmittit protectioni, 177 creditur cauſa belli Lituanici, 179 Radiuilianae propoſitioni contradicunt Lituani, 180 Gonſieuium capit contradicentem ſibi, ibid. concipit puncta Lituanorum Suecis oblata, ibid. apud Suecos ſuſpectus, 207 cedit Birze Sueciae regi, 208 ſubſcribit pacta deditionis Lituaniae, 211 moritur, 226 Anna Maria, filia eius vnica ad bona paterna et materna haeres admittitur vi pacis Oliuenſis. 475
Radiuilus (Albertus Dux) cancellarius Lituaniae moritur. 226
Radiuilus (Ioannes Dux) comitia ſoluit 100
Radiuilus (Boguslaus) dux, praeſens in expeditione contra Coſacos a. 1651, 74 fit gubernator Barenſis 97 ſubſcribit palatinus Minſcenſis pacta deditionis Lituaniae, 211 ſexcentos pedites Vitembergio Varſauiam mittit, 244 conſilium eius Sueciae regi ſuggeſtum, 250 capitur a Tartaris et dimittitur, 271 per eum componit Gonſieuius cum electore Brandenburgico. 357
Raday ſubſtituitur Tranſyluaniae princeps Rakocii loco a Turcarum imperatore. 391
Radwanski (Leo) Moſchorum belli dux, cadit in praelio ad Konotop. 442
Radzieiewski (Hieronymus) Lomzenſis capitaneus, 20 comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 fit regni procancellarius, 67 Adami Kazanouii viduam in matrimonium ducit, ibid. praeſens in expeditione contra Coſacos a. 1651, 74 origo litis inter eum et vxorem ſuam, 94 Varſauiam venit. factum atrox iuſſu eius in vrbe regia, ibid. in ius vocatur ad forum curiae regni mareſchalci, ibid. Petricouiam diſcedit ad regni tribunal, ibid. decretum mareſchalcale contra eum, 95 ad ſupplicium quaeritur. Literae eius ad nobilitatem, ibid. ſeq. diſcedit ad ducem Zaslauienſem, 96 accipit ab eo literas ſecuritatis. Poloniae valedicit, ibid. condemnatur vt perduellis. Sermo de eo, 97 ſeq. damnatur crimine perduellionis in comitiis Viazdouiae, 108 manifeſtatio eius contra regem et rempublicam Polonam, ib. Viennam et deinde Stockholmiam diſcedit, ibid. dat conſilia reipublicae, 114 Literae eius ad Chmielnicium, 115 mittit legatum ex Suecia ad Chmielnicium, 116 Apologia eius, 117 manus eius cognoſcitur ſubſcripta in literis ad Chmielnicium, 119 Sueciae regem ad bellum contra Polonos inflammat, 140 adiicit literas ad Vitembergii literas, 163 Varſauiae ſeditionem excitare tentat, 177 Varſauiam venit, ibid. relinquitur a Sueciae rege vicerex in Maſouia, ibid. conſilium eius Sueciae regi ſuggeſtum, 250 in integrum inque regis reſtituitur gratiam, 510 belli declinandi cauſa mittitur ad Turcarum imperatorem, 514 in legatione vita fungitur. 515
Rakocy (Georgius) Tranſyluaniae princeps, 42 Regi Poloniarum ſcribit, 123 Valachiae principi bellum infert, 125 mittit legatos ad regem Polonum, ibid. ſcribit ſupremo cancellario, 126 legati eius ad rempublicam Polonam. Puncta huius legationis, 131 precatur indigenatum Poloniae, 132 rumor de eo Poloniam ingrediente, 279 ſceptrum Polonum ambit, 322 bellum cum Polonis gerit, 324 ſeq. pacta inter eum et Coſacos, 325 edictum eius ad ordines regni, 326 ad proceres minoris Poloniae ſcribit, ibid. ſeq. Poloniam intrat, Przeuorſcum et Stryiouiam occupat, 328 perdit tria millia militum ad Iaroslauiam a Schoembergio caeſa, ibid. Praemisliam vano conatu oppugnat, ibid. Leopolienſes tentat, ibid. Cracouiam properat. Scribit bis Sueciae regi, 331 ſeq. Electori Brandenburgico, 332 Cracouiam ingreditur. Magiſtratus Cracouienſis ei iurat, ibid. Zamoyſcio ſcribit, 333 obuius fit Sueciae regi, ibid. eius datum Sueciae regi conſilium. Recedit a Zamoſcio. Breſtiam Lituaniae occupat, 335 cum Sueciae rege Varſauiam intrat, 336 Literas accipit de commotiori Leopoldi, Hungariae regis, in ſe animo, ibid. Turbatur variis nouis vndique allatis. Conſultat cum Sueciae rege, 337 iterum turbatur, ac praecipuos Hungaros in conſilium vocat. Conſiliariorum ſuorum ſenſus, 337 Cracouiam mouet, 339 nuntium accipit, comitem ab Hatzfeldt cum octodecim millibus ad Cracouiam haerere, et Polonos in Tranſyluaniam irrupiſſe, 340 varia ac infau-

infauſta ei referunt exploratores, 342 mittit legatum ad Polonos, 343 componit cum Polonis, 344. ſeq. exercitus eius numerus, 346 Poloni duces eum inuiſunt excepto Czarnecio, 347 exercitus eius deletur a Tartaris, ipſemet per Lubomierſcium ſaluatur, ibid. Tranſyluania pellitur Byzantini caeſaris iuſſu, ei ſubſtituitur primo Raday, poſtea Bartzey. 391
Rakowski (Stanislaus) abbas Plocenſis moritur. 43
Ratiboria Oppoliumque ducatus transferuntur a rege in perſonam reginae Poloniae. 403
Ratificatio Polonica foederis perpetui inter regem Poloniae et Brandenb. Electorem. 504
Rautenfels (Bartholomaeus) S. R. M. Secr. puncta deditionis Torunii ſubſcribit. 426
Raytarowski, eques Polonus, mittitur a Chmielnicio ad Potocium. 89
Rebellis nouus in minori Polonia Koſtka, exitus eius tragicus, 75 rebellis alius in maiori Polonia. ibid.
Regina Poloniae, vid. *Ludouica Maria*.
Religio, exercitium religionis catholicae in Liuonia Suedica priuatum, per pacem Oliuenſem conceditur, 470 liberum religionis catholicae et euangelicae exercitium ciuitatibus Pruſſiae regalis, vti ante bellum Suedicum, viguit, vi pacis Oliuenſis, art. II. No. 3. conceditur. 468
Reſponſio Auſtriacorum ad Maſſinii propoſitiones, 390 cancellarii Suedici ad verba Naruſzeuii legati Poloni, 159 Canterſteinii, Suedici Secretarii ad literas palatini Lencicienſis, 174 Caeſaris Ferdinandi III, ad P. Adriani, S. I. theologi legationem, 67 ad legationem Trzebicii Poloniae procancellarii, 136 ad Moſchorum legationem, 143 ad Leſcinii, palatini Lencicienſis legationem, 206 Chmielnicii ad regis Poloni literas ſuperbas, 122 ad Polonorum legationem, 243 Elbingenſium ad propoſitiones Rudauii, 213 electoris Brandenburgici ad quaeſtionem comitis Starembergii, caeſarei legati, 219 electorum imperii ad legationem Morſtynii, 288 Gedanenſium ad Sueciae regis literas, 182 ad Areſchoti ducis literas, 268 Hatzfeldii caeſarei Generalis ad Wirtzii literas, 348 Leopolienſium Rakocio data, 328 Lubomierſcii ſupremi Mareſchalci ad literas Rakocii, 327 Rakocii Chmielnicio auxilia petenti data, 70 palatini Lencicienſis Roſenheimio denuncianti bellum Polonis, 158 Polonorum Chani Crimenſis legato data, 66 ad Moſchorum legatorum poſtulata, 58 Angliae regis legato, 68 ad legationem Coſacorum, 119 Rakocio data, 124. 125 Poloni regis ad Palatini Poſnanienſis literas, 99 ad obiecta ſenatorum, 100 ad palatini Valachiae literas, 102 ad preces Coſacorum obſeſſorum ad Bereſtecko, 78 ad literas Rakocii, 132 ad literas Electoris Brandenburgici, 254 legato Moſchouiae ducis, 358 legatis Bethlemi ob deditionem Cracouiae, 348 Sueciae regis ad orationem Przyiemſcii, 176 Witembergii ad cancellarii Poloni literas, 245 quid regi reſpondit captiuus dedita Varſauia, 248 ad ſcripta et manifeſtationes Suedicas, 289 reſponſiones ad propoſitiones legatorum Oliuae mutuae, 452. 454. 456. 459. 461
Reſpublica Polona. Falſa quorundam de illius interitu vaticinia. 6, n. 10
Rex Poloniae. Vid. *Ioannes Caſimirus* rex Sueciae vid. *Carolus Guſtauus*.
Rex Galliae regi Ioanni Caſimiro regni perſuadet abdicationem. 515
Rey (Vladislaus de Naglowice) dapifer Cracouienſis, regis Francofurtum legatus. Turbat ibi Leopoldi electionem, 412 reginae cancellarius, puncta deditionis Torunii ſubſcribit, 426 theſaurarius curiae regni, legatus regis Poloni ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 ſubſcribit declarationem articuli ſeparati ratione traditionis Elbingae. 490. 492
Ribbing (Per Lenerſon) Sueciae ſenator, literas fidei pro legatis Suedicis ſubſcribit. 488
Riga obſidetur a Moſchis, defenditur a Magno de la Gardie. 284
Rocoſſiani, quid ſint. 98, n. 47
Roderigo (Caſtel) Hiſpaniae orator in aula Viennenſi. 206
Roncallius (Dominicus) canonicus Varmienſis, corruptus a Mazarino matrimonium procurat Vladislao IV, regi Polon. cum Ludouica Maria Gonzaga. 34
Roſenhan (Schering vel Siberius) legatus Suecus ad tractatus Lubecae, 71 regis Sueciae nomine Polonis bellum declarat, 158 documentum compoſitionis Sueciae regis cum electore Brandenburgico ſubſcribit. 266
Roſtowski (Liuanouides) legatus Moſchus ad tractatus pacis cum rege Polono. 283
Rozraſzewski (Iacobus comes) capitaneus Cunicenſis, 19. 20 caſtellanus Caliſſienſis, 41 palatinus Inoulaclauienſis, Caliſſium expugnat. 271
Ruczka Moſchorum legatus. 100
Rudawski (Laur. Ioan.) auctor huius operis. Ipſius mens in conſcribenda hac hiſtoria, 1 quid praeſtiterit, 2 carpitur ab editore ob inconſideratam de Poloniae regibus locutionem, 6, n. 9 denuo, quia in populares ſuos acerbius dixit, 20, n. 18 in perſonam eius reſignat canonicatum Varmienſem Dominicus Roncallius, 34 mater ipſius Anna moritur, 139 adulatur Auſtriacae domui, 190, n. 72 conſilia eius Elbingenſibus data, quid ad ea reſponderunt, 213 legatur de Rudauſcio praefatio editoris.
Rudomina, dimicat cum Drohicki in aula regia Sigiſmundi III. 111
Ruſſia, protectionem ſuſcipit Moſchorum. 142
Rzeczycki (Georgius) capitaneus Vrzendouienſis, comitatur regem in expeditione contra Coſacos, 44 perit ad Zborouium. 46
Rzefzouia, mater Stephani Czarnecii. 513
Rzewuski (Stanislaus) 198
Rzonczynski (P. Gabriel, S. I.) ſcripſit hiſt. naturalem regni Polon. 2, n. 2

Sacken, vigiliarum praefectus, Elbingam ingreditur. 213
Sakowiecz (Adamus Matthias) palatinus Smolenſcenſis etc. literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, 484 articulum ratione traditionis ciuitatis Elbingenſis ſubſcribit. 493
Salem, regiae menſae portionem, nobiles extorquent a rege. 141
Saluius (Io. Adeler) legatus Suecus ad tractatus Lubecae. 71
Samogitia Polono iterum deditur regi. 284
Samowski, commilito vexilli S. R. M. 223

Sapieha (Casimirus Leo) vicecancellarius M. D. Lituaniae, comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 moritur Brestiae. 226
Sapieha, militum tribunus, deduxit Rakocium cum paucis suorum in Transyluaniae viscera. 347
Sapieha, palatinus Vilnensis, 232 conatus eius Sueciae rex eludit, 236 cohortem equitum Suecorum totaliter delet, ibid. primus Varsauiam oppugnat. 244
Sapieha (Paulus) Lituaniae generalis, Brestiae succurrere parat, sed frustra, 336 Grodnam per tractatus a Moschis recipit. 443
Sarbiewski (Stanislaus) Grabouecensis capitaneus, legatus ad pacis tractatus cum magno Moschouiae duce. 282
Sarcophagi inscriptio, Caroli Ferdinandi, Poloniae principis. 154
Sarnowski (Iacobus) canonicus Cracouiensis, protestatur contra saeculares. 137
Sarnowski (Stanislaus) regni referendarius fit episcopus Praemisliensis, 391 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit. 484
Sarnowski (Stephanus) succamerarius Lencicensis, ordinum confirmationem annui regi concessi census et documentum recitat, quo liber a pacto cum regno pronunciatur rex. 515
Sax (Petrus) equitum praefectus legionis generalis Dorflingii, cadit in syluis ad Calissium. 276
Schenhof (Georgius, S. I.) 206
Schlippenbach (Christophorus Carolus de) Sueciae regis supremus Camerae praefectus, legatus pacta in arce Labauiensi subscribit, 275 mentio eius fit, 360 legatus Sueciae regis ad pacem cum Polonis Oliuae condendam. 466
Schoemberg, militum tribunus, Transyluanos adortus ad Iaroslauiam, victor euadit. 328
Schröer (Godfried von) legatorum Suecicorum secretarius, 450 literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem expedit. 488
Schwerin (Otho liber baro de) electoris Brandenb. consiliarius status intimus, pacta in arce Labauiensi subscribit, 275 offensiuum et defensiuum foedus inter domum Austriacam et electorem Brandenburgicum concludit, 393. seq. foedus inter regem Polonum et Electorem Brandenburgicum subscribit, 501 conuentionem de coniungendis eorum armis subscribit. 503
Scripta sparguntur Francofurti a Polonis legatis contra Austriacos. 412
Scriptores historiarum, peractis rebus facile errores indicare possunt. 236, n. 81
Szczuka, regis commissarius in deditione Petricouiae. 248
Selingerland (Godofredus van) consiliarius et assessor vrbis Dordracenae, articulos foederis cum Sueciae rege subscribit. 260
Semiluna, nebulo dux rebellium Lituaniam intrat, 9 ferocia eius et vbique saeuitia, 22 cadit prope Pinscum. 32
Senatores Poloniae conuocantur a rege Oppolium in Silesia, 206 eorum vota in caesarem Ferdinandum III, ibid. scribunt ad senatores Moschouiae, 229 ad senatores Sueciae, 151 Literae eorum ad electorem Brandenburgicum, 255 Varsauiam conuocantur 1668 a rege, qui abdicationem a regno illis significat, 515 ne id faciat lacrymis petunt, nec impetrant, ibid.
Sendomiria, recuperatur a Polonis. 236
Sesquipellis, nebulo Cosacorum dux rebellium Chmielnicio adhaerens, Cudacensi propugnaculo recepto contra datam fidem omnes trucidat. 23. 33
Sielski (Alexander) succamerarius Posnanensis, commissarius ad Cosacos. 17. 64
Sieniawski (Adamus Hieronymus de Granowo) voluntarius miles ad Corsunum, 8 fit captiuus Tartarorum, 9 capitaneus Leopolensis, 40 moritur. 58
Sierakowski (Stanislaus a Boguslauice) diem obit supremum. 510
Sigismundus III, rex Poloniae, eius infelicitas, 3 vita eius breuissima. 3, n. 7
Sigismundus Augustus, rex Pol. testamento Polonis libertatem legauit. 55
Siradiensis palatinatus deditur Suecis. 181
Skarbek (Andreas) ex palatinatu Cracouiensi. 198
Skarszewski (Stanislaus) gubernator Radomiensis, 141 Procurationem arcis Cracouiensis accipit. 513
Skrzetuski (Ioannes) literas ab obsessi exercitus ducibus adfert. 45
Slonigrodek, Poloni ibi a Moschis caeduntur. 201
Slupecki (Andreas) eques Polonus, puncta deditionis palatinatus Calissiensis et Posnanensis subscribit. 165
Sluszczanka, Adami Kazanouii vidua, palatini Trocensis filia, 56 nubet Hieronymo Radzieiewski, regni procancellario, 67 origo litis inter eam et maritum. 94
Sluzewski (Stanislaus a Sluzew) capitaneus Horodelscensis. 223
Smolenscum describitur, 11 capitur a Moschis, 142 in perpetuum Moschouiae conceditur duci. 514
Sniarowski (Raphael) mittitur legatus regis ad Cosacos, a quibus crudeliter trucidatur. 44
Sobieski (Marcus) capitaneus Crasnostauiensis, 41 datur obses Chmielnicio, 90 captiuus post cladem Batouiensem iussu Chmielnicii a carnifice trucidatur. 104
Sobieski (Ioannes) capitaneus Iaccorouiensis, comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 232 regni Mareschalcus declaratur, 512 nominatur campestris dux, 513 Tartaris obuiam it eosque fugat. 515
Soczauia, propugnaculum in Valachia, ibi obsidetur et moritur ex accepto vulnere Timotheus Chmielnicius, 129 deditur regis Poloni commissariis et Transyluaniae principi. ibid.
Sokolnicki (Andreas) 198
Sommitz (Laur. Christophorus a) electoris Brandenburgici consiliarius status intimus, foedus defensiuum inter domum Austriacam et Electorem Brandenburgicum concludit, 394 legatus ad pacem cum Suecis Oliuae condendam, 466 foedus inter Poloniae regem et electorem Brandenburgicum subscribit. 501
Spolia Polonorum Cosacis Tartarisque cedunt. 24
Sponsalia regis Pol. Ioannis Casimiri cum Ludouica Maria. 39
Stadnicia, coniux Zebrzydowski. 515
Stanislawski (Adamus) castellanus Halicensis. 19
Stanislawski (Michael) custoditur a Rakocio, 327 scribit Poloniae reginae, 337 Palatinatum Kiiouiensem accipit. 513

Starenberg (comes de) Ferdinandi III caesaris legatus ad electorem Brandenburgicum. 206. 219
Starostiae seu praefecturae, quid sint in Polonia. 59
Starszewski (Martinus) referendarius regni, fit maior regni Secretarius et moritur. 121
Stawiszyn, prope hunc locum pugna Polonos et Cosacos inter. 145
Stembok (Gustauus Otto) Sueciae regis per Masouiam generalis, scribit ad Torunenses 183. 235 Poloniae reginae Gedanum venienti insidias struit, 278 Choinicium iterum occupat, ibid. reginae Poloniae per Vrangelium literas passus offert. 278
Stephanus Batoreus, rex Polonus, eius encomium, animi virtutes et regimen. 3 et ibid. n. 5
Stetinum, maioris Poloniae incolae nullis nouis teloneis Stetini onerari possunt, vi pacis Oliuensis. 474
Stipendium, Tartaris olim dari solitum. 49
Stratagema Hungarorum ad Soczauam. 126 Czarnecii ad Iaroslauiam, 232 Choiniciae in Prussia, 278 ad Magierow, 344 Sueciae regis ad Lezaiscum Sapiehae conatus eludentis. 236
Suchodolski, eques Polonus, a partibus Sueciae regis, Lublinum defendit. Contumax regi Polono Leopolim transmittitur, post breui liber. 236
Sueciae rex. vid. *Carolus Gustauus*.
Sueci, oratores in Tartariam mittunt, 65 eorum foederati. Louicium ingrediuntur, deinde Varsauiam, 177 loca per eos in Prussia occupata, 183 Elbingam ingrediuntur, 213 succurrunt Varsauiae, sed frustra, 245 pugna eorum ad Varsauiam, 269 aliquot millia eorum ad pagum Lipie a Czarnecio profligantur, 270 occisorum ex parte Suecorum in syluis ad Calissium numerus, 276 plura eorum gesta vide sub Carolo Gustauo.
Sivende (Baro de) electoris Brandenburgici equitum praefectus legionis comitis iunioris de Wilgenstein, cadit in syluis ad Calissium 276
Swiderski, (Ioannes Samuel) exercitus dux Poloni. 510
Symenouius (Harasymius) legatus Moschus ad pacis tractatus cum rege Polono. 283
Synchronismus, contra eum Rudauscius peccasse videtur. 220, n. 78
Szczawinski (Ioan. Simon) palatinus Brestensis, 19 praesens in expeditione contra Cosacos a. 1651 74
Szelepcheni (Georgius) episcopus Nitrienſis, regni Hungariae cancellarius, legatus caesaris ad Rakocium. 328
Szembek (Hyacinthus) capitaneus Boguslauiensis. 223
Szeremet, supremus belli dux Moschorum in expeditione a. 1654. 142. seq.
Szoldrski (Andreas) episcopus Posnanensis, 33 moritur. 58
Szuliszewski (Paulus) 198
Szumouius, a Chano Crimensi literas apportat regi Polono. 242

Tabulae foederis perpetui inter Ioannem Casimirum Poloniae regem et Fridericum Wilhelmum Brandeburgicum electorem. 404
Tarlo (Alexander Ioannes) palatinus Lublinensis, moritur. 121
Tarlo (Ioannes) fit mortuo patre palatinus Lublinensis, 121 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 articulum separatum ratione traditionis Elbingae subscribit. 493
Tartari eorum descriptio, 50 et ibid. n. 33 et 34 eorum in Chmielnicium minae ac odia, 107 post conclusam ad Zwancium pacem in Poloniam irrumpunt, 140 eorum coniunctio cum Pol. 146 in Poloniam aduentus et pugna contra Moschos et Cosacos, ibid. perfidia eorum erga Polonos, 147 dimicant pro Polono rege, 202 funditus delent Rakocium, 347 coniuncti Vichouio vastant omnia circa Borysthenem, 417 Polonorum se hostes declarant, 513 Podoliam, Russiam, Volhyniam deuastant, 515 in fugam a Polonis aguntur, pacemque cum iis componunt, ib. plura vide sub *Gerei* Islan et Machmet.
Tartarorum Chanus, vid. *Gerei*.
Tarnowski (Ioannes) archidiaconus Cracouiensis, regius secretarius, fit archiepiscopus Leopoliensis, 136 obtinet clarae tumbae abbatiam. 156
Taube (Wilhelm) Sueciae regni senator literas fidei pro legatis Suedicis ad pacem Oliuensem subscribit. 488
Teich, equitum praefectus in legione ducis Saxoniae, cadit in syluis ad Calissium. 276
Tetera (Paulus) in Georgii Chmielnicii locum electus Bogdani Chmielnicii in matrimonio habet filiam. 511
Thohaibei, Tartarorum dux, 9 eius epistola lecta in senatu, 16 reducitur in Tartariam a Chmielnicio. 41
Thomislawski (Petrus) 198
Tiepoli (Ioan.) legatus Venetus. 6
Tolibouius (Albertus) suffraganeus Plocensis, fit episcopus Posnanensis, 145 querelas reginae contra Austriacos subscribit, 405 literas fidei ordinum regni Poloniae et M. D. Lituaniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit. 484
Tomaszewski (Iacobus) 198
Tomaszewski (Stanislaus) 223
Torres (Ioannes de) archiepiscopus Adrianopolitanus, Innocentii X, pontificis nuntius. Oratio eius ad senatum. 26. 34. 44
Torunium obsidetur ac Polono regi traditur, puncta deditionis Torunii, 420. seq. regis literae ad Torunenses, 230 regis praesidium deprecatur, rex mille milites ibi relinquit. 513
Tractatus coepti Lubecae Suecos et Polonos inter, eorum quis progressus et deinde finis, 70 dilationis huius conuentus documentum. 71
Tractatus pacis, vid. pax et pacta.
Transactiones vid. pacta.
Transyluani vid. Rakocy.
Treter (Nicolaus) pacta Polonorum cum Cosacis subscribit, 419 Varsauiam venit Cosacorum legatus. 442
Tribunal regni supremum Petricouiae et Lublini. 94, n. 45
Trutina mediationis Gallicae. 400. seq.
Trzebicki (Andreas) regis secretarius, mittitur ad regni tribunal, 112. regens cancellariae, 117 fit regni procancellarius, 124 mittitur Ratisbonam a rege orator ad imperii comitia, ibid. 133 eiusdem declaratio periculi ordinibus Germaniae, 134 responsum a caesare ei datum, 136 redux in Poloniam abbatia Czeruiensi a rege donatur, ibid. fit episcopus Cracouiensis, 391 protestatur contra locum metropolitae Kiiouiensi in senatu

assignatum, 442 articulum ratione traditionis Elbingensis ciuitatis subscribit. 493
Tryliſſia expugnatur a Polonis. 81
Tuchołka (Ioannes Petrus) notarius terrestris, Palatinatus Pomeraniae deputatus, articulum separatum ratione traditionis ciuitatis Elbingensis subscribit. 493
Tumultus noui in regno Poloniae, 75 militaris in castris ad Batow, 104 Polonorum circa Posnaniam, 190 inter Polonos milites ob Witembergium, 247 inter Polonos ratione Lubomierscii. 511
Tunner (Fridericus) Sueciae regis officialis auditor, puncta deditionis Torunii subscribit. 426
Turnius comes, Riga a Moschis obsessa egressus et captus, capite ab iis mulctatur. 284
Twardowski (Samuel) liber eius contra magnum Moschouiae ducem serui publici manu in ignem dandus. 62
Tynfones cuduntur in Polonia quibus literae I. C. R. intortae, duplex harum interpretatio. 511
Tyſenhauſen, Radzicieuii hostis. 94
Tyskiewicz (Ioannes vel Ianussius) palatinus Kiiouiensis, 18. 19 moritur, elogium eius. 43
Tyskiewicz (Georgius) episcopus Samogitiae, 33 fit episcopus Vilnensis, 43 moritur Regiomonti. 226
Tyskiewicz (Felix) palatini Brestensis filius perit ad Zborouium. 46
Tyskiewicz (Ioannes Antonius) 33
Tyskiewicz (Christophorus) palatinus Czerniechouiensis, capitaneus Bytominensis, fit commissarius in confoederatione contra Sueciae regem. 223
Tyskouiciis confoederatio exercitus Poloni facta. 221

Valachia applaudit victori Chmielnicio, 107 eandem Chmielnicius armatus ingreditur, 126 eius aerarium diripitur ab Hungaris Soczauiae, 130 sensus Polonorum de bello Valachico, 65 occasio huius belli, 102. 125 Valachiae princeps profligatur a Cosacis seu Chmielnicio, 64 compositionem facit cum Cosacis, 65 respondet Chmielnicio ad eius postulata ratione matrimonii cum filia sua. Regi Polono scribit, 102 filiam suam Timotheo Chmielnicio desponsat, 120 captiuus remittitur in Tartariam. 133
Varca oppidum exustum. 61
Varmiae descriptio. 416
Varsauia, valde turbatur, accepto de clade Batouiensi nuntio, 104 eius descriptio. Suecorum ibi praesentia et Radzicieuii, 177 oppugnatur a rege Polono, 244 deditur ei, 245 Sueciae rex iterum ea potitur, 269 diripitur a milite Brandenburgico, 270 eandem intrat Sueciae rex cum Transyluano, 336 comitia ibi indicuntur a Polono rege, 442 ibi comitia 1662 celebrantur, 510 Varsauiam venit rex, ibi interni motus oriuntur, 511 comitia 1664 incipiuntur, 512 Varsauiam Torunio discedens venit rex, 513 comitia 1666 Varsauiae indicuntur, ibid. regni senatores a rege 1668 conuocantur. 515
Vbaldi (Christophorus) Generalis maior. 77
Venerus legatus Lublini exceptus a Polonis. 44
Vichowski (Daniel) Russiae palatinus Corsuni globis traiicitur. 511
Victoria Cosacorum de Polonis ad aquas flauas, 8 ad Corsunum, ibid. ad Pilauice, 23 ad Zborow, 46 ad Batow, 104 Lituanorum circa Pinscum de Cosacis, 88 regis Poloniae de Cosacis ad Berestecko, 78 Moschorum de Polonis ad Slonigrodek, 201 Sueciae regis de Czarnecio ad Golomb, 231 de Poloniae rege ad Varsauiam, 269 Czarnecii de Polonis cum Suecis facientibus ad Calissium, 166 de Sueciae rege ad Sanum fluuium, 232 de Marchione Badensi ad Czerscum, 235 de aliquot Suecorum millibus ad Lipie pagum, 270 Gonsieuii de Suecis et Brandenburgicis ad Prostki, 271 Polonorum de Moschis, 509 eorundem ad Glemboko, 510. 511 Lubomierscii de Polonis, 512. 513 Tartarorum et Cosacorum de Polonis, 514 Polonorum de Tartaris. 515
Vieiski (Thomas) praepositus Varmiensis, abbatiae Plocensis administrator, fit episcopus Kiiouiensis, 156 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit, 484 articulum ratione traditionis Elbingensis ciuitatis subscribit. 493
Vilna, capitur diripiturque a Moschis, 179 ibi cum exercitu Lituano de stipendiis soluendis tractatur. 510
Viſconti (Ioannes Baptista baro) residens regis Poloni in aula Viennensi. 205
Vladislaus IV, rex Poloniae, eius triumphi, 3 moritur d. 20 Maii a. 1648 Meritii in Lituania, 10 cadauer eius in Basilica Varsauiae deponitur, ibid. Laus eius posthuma, 10. 11 funeris solennia, 33 compendium vitae eius. 34
Vladislaus Dominicus, dux Zaslauiensis, palatinus Sendomiriensis, destinatur, belli dux a republica, 18. 22 culpatur, 23 fit palatinus Cracouiensis, 24. 43 praesens in expeditione contra Cosacos a. 1651. 74 dat literas securitatis Radzicieuio condemnato, 96 moritur. 226
Vlefeld (Corficius comes de) bona ei per pacem Rothschildiensem restituuntur. 433
Volboria, castra regis Poloni ibi. 166
Votum solenne regis Poloni. 241
Vrangelius, Sueciae regis architalassus ad portum Gedanensem appellit. 182

Wachmeiſter (Ioannes) legatus Suecus ad tractatus Lubecae. 71
Walch (Io. Otto de) Suec. reg. summus excubiarum praefectus, perit in syluis ad Calissium. 276
Waldek (Georg. Frid. comes de) minae eius in Polonos, 219 documentum compositionis Sueciae regis cum Electore Brandenburgico subscribit. 266
Wapowski (Nicolaus a Nieczuiow) 198
Warszycki (Stanislaus) terrarum Masouiae palatinus, fit castellanus Cracouiensis. 97
Wuſſenbergius (Euerhardus) Embricensis, reg. Pol. historiographus. 34. et ib. n. 27
Wiłowiczenko, Cosacorum dux cum Moschis faciens, Vichouio contrarius, 416 Vichouii legatos ad Tartaros intercipit, ibid. cadit in praelio. 417
Weiher (Ludouicus) capitaneus Valecensis, Zamoscium defendit, 25 fit palatinus Pomeraniae, 33 salutat electorem Brandenburgicum, 183 moritur tempore obsidionis Mariaeburgi. 240
Weiher (Iacobus) palatinus Mariaeburgensis, 182 comitatur electorem Brandenburg. 184 rex ad eum scribit, 230 Mariaeburgum Suecis tradit, 240 Calissium expugnat. 271

VVeinland,

Weinland, equitum praefectus in legione militum tribuni de Walch, cadit in syluis ad Calissium. 276
Weſel (Albertus) Roznanensis, Makouiensis capitaneus, 20 fit palatinus Masouiae, 97 Varsauiam deserit. 177
Wielopolski (Ioannes comes a Pieskowa Skala) Biecensis capitaneus, mittitur legatus ad Transyluaniae principem, 42. 227 Woynicensis castellanus mittitur legatus Viennam, 282 Rakocius ei scribit. 326
Wielopolski (Ioannes) Palatinus Cracouiensis vitam cum morte commutat. 516
Wierzbowski (Hieronymus) palatinus Brestensis, literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit. 484
Wierzbowski (Hieronymus) palatinus Siradiensis e vita decedit. 513
Wirtzius, Suecorum militum tribunus, Cracouiam ab obsidione Polona liberat, 269 solennibus epulis Rakocium Cracouiae excipit, 332 Cracouiae nuntium accipit de stabilita pace inter Transyluanum et Polonos, 347 Cracouiam Polonis tradere negat, 348 Transyluanos vrbe regia pellit, ibid. Hatzfeldio scribit, 348 Cracouiam tradere vult, si Hatzfeldius subscribat, vituperat simul Polonos, 349 Stetino erumpens Pomeraniae quaedam loca occupat. 441
Wisniowiecki (Dux Ieremias Michael Korybut) palatinus terrarum Russiae, sex millia militum in castris tenet contra Cosacos suo sumtu, 9. 18 commissarius belli, 19 factum eius Niemierouii, 22 Carolinarum partium antesignanus, 23 coronam regi Ioanni Casimiro praefert, 36 40. 42 fortitudo eius, ibid. magno applausu excipitur a nobilitate Varsauiam veniens. 55 mittitur commissarius Lublinum ad militum seditionem sopiendam, 57 citari debet ad comitia ob denegatos debitos magno Moschouiae duci titulos, 62 praesens in expeditione contra Cosacos a. 1651, 74 consilium eius de opprimendo hoste, ibid. ardor eius in pugnando, 78 febri correptus moritur. eius elogium. 80
Wisniowiecki (Demetrius) dux in Zbarasz, 40 praetorianorum eius legio caesa. 278
Wiszowaty (Christophorus a Samki) 198
Witemberg (Alfredus comes a Derben) Sueciae regis belli dux, scribit ad palatinatus maioris Poloniae, 163 Polonorum exercitus se ei dedit, 164 deditionis puncta subscribit, 165 Regis Sueciae exercitui se coniungit. Castra Polonorum diripit, 178 regis sui in Russiam expeditionem promouet, 231 Varsauiae a rege ad vrbis custodiam relinquitur, 237 Varsauiam a rege Polono oppugnatam defendit, 244 cancellarius Polonus ei scribit, ibid. respondet ad cancellarii literas, 245 Varsauiam tradit regi Polono, ibid. seq. commotio nobilitatis contra eum, 247 Poloni regis ad eum verba, ibid. responsum Vitembergii, 248 responsum eius ad decretum regis in captiuos Suecos, ibid. Zamoscium deducitur, ibid. Sueciae rex ob eum turbatur, 250 catarrho extinguitur Zamoscii captiuus, 391 Vitembergii haeredibus bona in ditionibus electoris Brandenburgici restitui debent vi pacis Oliuensis. 477
Witowski (Stanislaus) castellanus Sendomiriensis, mittit milites contra Cosacos, 18. 19 pomum aureum in coronatione Ioannis Casimiri praefert, 36 comitatur regem in expeditione contra Cosacos, 44 mittitur commissarius Lublinum ad militum seditionem sopiendam, 57 mittitur legatus a rege in Moschouiam, 70 fit gubernator Lublinensis, 97
Wolczyn (Matthias baro de) salisfodinarum Vielicensium et Bochnicnsium supremus gubernator, 139 vidua ipsius, auctoris mater, moritur, ibid. ipse moritur etiam. 415
Wolfius, tribunus militum adiungitur Czarnecio ad defendendam Cracouiam. 178
Wolfsberg (Bartholomaeus) Sueciae regis consiliarius, et in aula Brandenburgica residens, pacta in arce Labauiensi subscribit. 275
Wolkonski (Federo) Moschorum legatus. 100
Wolmarius comes, ex vulnere Lublini defunctus, 236
Woronicz (Nicolaus) pocillator Kiiouiensis, cadit in conflictu cum Cosacis. 89
Woyna (Abrahamus) episcopus Vilnensis moritur. 43
Wrangel belli dux, a Sueciae rege in maiorem Poloniam dimittitur. 237
Wrangel, iunior, generalis vigiliarum praefectus captiuus Zamoscium deducitur. 248
Wrzesowicz (Ioannes comes) generalis apud Suecos vigiliarum praefectus, patria Bohemus, cum Millero, Sueciae regis generali, Czenstochouiam obsidet vano conatu, 225 legio eius caeditur ex improuiso prope Calissium, 270 perit in syluis ad Calissium. 276
Wychowski (Daniel) Cosacorum tribunus, 84 comitatur Chmielnicium castra Polonorum ingredientem, 91. 92 submittitur Sueciae regi cum Cosacorum manu, 202 promittit Cosacos ad regis obsequium reducendos, 416 vniuersae Russiae conuocationem indicit, ibid. legatos ad Tartaros mittit, ibid. foedus Tartaros et Vichouiam inter, 417 confecto praelio cum Wdowiczenio Czehrinium redit, ibid. magnus Moschouiae dux pecunia eum corrumpere tentat, 417 frustra Kiiouiam oppugnare tentat, ibid. Polonis adhaeret, 418 paciscitur cum eis, ibid. pacta, suo et totius exercitus nomine, subscribit, 419 Varsauiam venit Cosacorum nomine, 442 ad Konotop sex Moschorum legiones ad internecionem delet, 442 excitato tumultu inter Cosacos fuga sibi consulit. 443
Wydzga (Ioannes Stephanus) episcopus Varmiensis, articulum separatum ratione traditionis Elbingensis ciuitatis subscribit, 493 Regi in nouo eligendo applaudit successore. 510
Wyſocki (Alexander a Bodzislaw) venator palatinatus Brestensis, deputatus palatinatus Inouladislauiensis, articulum ratione traditionis Elbingae subscribit. 493
Wyzga (Stephanus) abbatiae Seciechouiensis administrator, fit maior regni Secretarius, 121 fit episcopus Luccorienſis, 145 fit episcopus Varmiensis. 415
Wyzga (Ioannes Stanislaus) episcopus Luceorienſis, literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuensem subscribit. 484

Zaboklicki, nuntius, Varsauia discedit et comitia rumpit. 512
Zabuski, designatur Cosacorum dux Chmielnicii loco. 48
Zadorski (Stanislaus) regi a poculis, vir magnae probitatis, moritur. 43
Zamoyski (Ioannes comes) capitaneus Calissiensis, 41 comitatur regem contra Cosacos, 44 Sueciae rex

Lublinenſem tractum ei offert, ſi ſponte propugnaculo Zamoſcenſi cedat, 231 bis mille pedites vna cum tormentis Varſauiam adducit, 244 Rakocius, Tranſyluaniae princeps ei ſcribit, 333 reſpondit ad Rakocii literas, 334 palatinus Sendomirienſis literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, 484 morte corripitur. 513

Zamoyski (Alexander) gladifer Siradienſis, temeraria eius oratio occaſione condemnati Radzieieuii ad regem et ſenatum. 98. 112

Zamoyski, epiſcopus Valachiae, fit epiſcopus Praemislienſis, 43 nominatus epiſcopus Luceorienſis, moritur. 145

Zamoyski (Martinus) ſuccedit in bona feudi Zamoſciani, 513 fit ſupremus aerarii praefectus. 513

Zaremba (Stanislaus de Kalinow) epiſcopus Kiiouienſis, commiſſarius ad Coſacos a republica conſtituitur, 68 praeſens in expeditione contra Coſacos a. 1651, 74 moritur. 136

Zaslauienſis dux, vid. Vladislaus Dominicus.

Zawacki (Ioannes) mittitur ex equeſtri ordine Lubecam ad tractatum cum Suecis, 70 cum litteris in Boruſſiam ad magiſtratum Gedanenſem. 230

Zawilichowski (Nicolaus) tribunus Polonus mittitur a Potocio ad Chmielnicium, 90. 91 ſiſtit reum Iaſinski, 116 mittitur legatus a rege ad Chmielnicium. 119

Zawiſza (Chriſtophorus in Baliſte) Mareſchalcus maior M. D. Lit. legatus ad tractatus pacis cum magno Moſchouiae duce, 282 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit. 484

Zawiſza (Hieronymus) mittitur commiſſarius ad Chmielnicium. 100

Zawiſza (Ioannes Dorogallo) nominatus epiſcopus Vilnenſis, referendarius ac notarius M. D. Lit. legatus ad pacis tractatus cum magno Moſchouiae duce, 282 literas fidei ordinum regni Poloniae pro legatis ad pacem Oliuenſem ſubſcribit, 484 articulum ratione traditionis Elbingenſis ciuitatis ſubſcribit. 493

Zbaraſium prope caſtra Polonorum, 41 obſidentur ibi a Chmielnicio. 42

Zbonſinium propugnaculum, recuperatum a Polonis. 285

Zborouius (Samuel) Cracouiae ſupplicio afficitur. 111

Zborow. Rex Polonus ibi obſidetur a Coſacis, 46 Poloni ibi caeduntur, ibid. rex componit cum Tartaris Coſaciſque, 49. 51 pacta Zborouiana cum Tartaris Coſaciſque approbata in comitiis Varſauiae. 56

Zeblaſzewski (Ludouicus Caſimirus) caſtellanus Smolenſcenſis, M. D. Lituaniae nomine pacta Polonorum cum Coſacis ſubſcribit. 419

Zebrzydowski (Michael) gladifer regni, 20 nudum enſem in coronatione Ioannis Caſimiri praefert, 36 obſidionem Cracouiae procurat, 269 Tranſyluaniae princeps ei ſcribit, 326 gubernator Cracouienſis declaratur, 512 animam profundit 515

Zienowicz (Ioannes) Mareſchalcus Oſmianenſis 20

Zlotorenko, ſubmittitur vna cum Wychowski cum Coſacorum haud exigua manu Sueciae regi. 202

Zorawski (Nicolaus) mathematicus Cracouienſis, vita fungitur. 513

Zwancium, Polonorum ibi caſtra, 129 ibidem compoſitionem facit Polonus rex cum Tartaris, excluſis Coſacis. 133

Zyromski (Caſimirus Chwalibog) Lituani exercitus belli dux, ad exercitum trahens, in via trucidatur. 510

Zytkiewicz (Daniel) regni inſtigator, Radzieieuium accuſat, 94 accipit a rege Mſczonow ciuitatem cum adiacentibus bonis, quae Radzieieuius poſſederat, 97. 113. 117 cauſa deditae vrbis Elbingae ei attribuitur, 212 auctor dediti Torunii, 213 doloſe vtitur data a rege Polono plenipotentia. ibid.

Corrigenda.

Pag. 8 lin. 11 lege *Zaporobi* loco Zaporchi. ibid. lin. 12 lege *Polonorum* loco Polonum. p. 13 lin. 46 lege *Canterſtein* loco Canthersthren. p. 26 lin. 24 lege *hos* loco nos. p. 28 lin. 48 lege *ſuae* loco haec. p. 37 lin. vltima, deleatur punctum poſt verba: et cum effectu. p. 45 lin. 23 lege *famem* loco famam. p. 53 lin. 5 lege *prouincialia* loco prouincilia. ibid. lin. 45 lege *ditati* loco dilati. p. 76 lin. 7 lege *comparuerunt* loco comparauerunt. p. 80 lin. antepenult. lege *in fugam* loco fugam. p. 92 lin. 5 lege *veritus ſibi* loco ſui. p. 100 lin. 7 lege *altercationibus* loco altercantibus. p. 121 lin. 39 lege *eccleſiaſtae* loco eccleſiaſticae. p. 124 lin. 12 lege *pacata* loco capata. p. 136 lin. 21 lege *Ferdinandi IV* loco Leopoldi. p. 152 lin. 14 lege *Stumdorfenſibus* loco Standorfenſibus. p. 164 lin. penult. lege *viaticum* loco vraticum. p. 174 lin. 29 lege *conſultum iri* loco conſultum in. p. 194 lin. 22 lege *machinis* loco machinanis. p. 217 lin. 42 lege *diſtineret* loco deſtineret. p. 274 lin. 2 lege *artic. VI* loco artic. 13. Caetera lectorem Latinum non morabuntur.

CATALOGVS
OMNIVM
SCRIPTORVM, LIBRORVM, ET OPERVM VARIORVM,
QVI SVMTIBVS MIZLERIANIS PRODIDERVNT.

1. Diſſertatio, quod Muſica ſcientia ſit, et pars eruditionis philoſophicae, quam in Academia Lipſienſi publico eruditorum examini ſubmiſerunt, praeſes Laur. Mizlerus et reſpondens Liborius Oſchmann. A. 1734. Editio ſecunda. 4 pl. in 4to.
2. De vſu ac praeſtantia philoſophiae in theologia, iurisprudentia, medicina diſſerit, ſimulque recitationes ſuas priuatas indicat M. Laurentius Mizlerus. Lipſ. A. 1736. edit. ſec. 1740. 2 pl. in 4to.
3. Muſikaliſche Bibliothek, oder gründliche Nachricht nebſt unpartheyiſchem Urtheil von muſikaliſchen Schriften und Büchern. Erſter Band, welcher beſtehet aus ſechs Theilen nebſt den darzu gehörigen Kupfern und Regiſtern. Leipzig im Jahr 1739. der Preis 16 gl.
4. Sammlung auserleſener moraliſcher Oden, zum Nutzen und Vergnügen der Liebhaber des Claviers, componirt und herausgegeben von L. M. Leipzig, in länglicht Quart, 24 Kupferſtiche nebſt dem Text gedruckt. 8 gl.
5. Zweyte Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. 8 gl.
6. Dritte Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. 8 gl.
7. Vierte und letzte Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. 8 gl.
8. Gradus ad Parnaſſum, oder Anführung zur regelmäsſigen muſikaliſchen Compoſition, auf eine neue, gewiſſe und bishero noch niemals in ſo deutlicher Ordnung an das Licht gebrachte Art ausgearbeitet von Johann Joſeph Fux, weiland Sr. Kayſerl. und Königl. Cathol. Maieſtät Carls des VI. Oberkapellmeiſter. Aus dem Lateiniſchen ins Teutſche überſetzt, mit nöthigen und nützlichen Anmerkungen verſehen und herausgegeben von *Lorenz Mizlern*, mit 57 Kupfertafeln in 4to. Leipzig 1742. der Preis 1 Rthlr. 12 gl.
9. *Lorenz Mizlers* muſikaliſche Bibliothek, oder gründliche Nachricht nebſt unpartheyiſchem Urtheil von alten und neuen muſikaliſchen Schriften und Büchern, worinn alles, was aus der Mathematik, Philoſophie, und den ſchönen Wiſſenſchaften, zur Erläuterung und Verbeſſerung ſowohl der theoretiſchen als practiſchen Muſik gehöret, nach und nach beygebracht wird. *Zweyter Band*, welcher beſtehet aus vier Theilen, nebſt den darzu gehörigen XXXVI Kupfertafeln und Regiſtern. Leipzig, im Jahr 1743. in 8. der Preis 1 Rthlr.
10. Anfangsgründe des Generalbaſſes, nach mathematiſcher Lehrart abgehandelt, und vermittelſt einer hierzu erfundenen Maſchine auf das deutlichſte vorgetragen von Lorenz Mizler, etc. Leipzig, 1739. in 8vo. der Preis, wenn die Maſchine weiſs, 1 Rthlr. 6 gl. illuminirt und lackirt aber 2 Rthlr. 12 gl.
11. Muſikaliſcher Staarſtecher, in welchem rechtſchaffener Muſikverſtändigen Fehler beſcheiden angemerket, eingebildeter und ſelbſtgewachſener ſogenannten Componiſten Thorheiten aber lächerlich gemachet werden. Als ein Anhang iſt des Herrn *Riva*, damals des Herzogs von Modena Reſidenten zu London, Nachricht vor die Componiſten und Sänger beygefüget, und aus dem Italieniſchen ins Deutſche überſetzet von *Lorenz Mizlern*. in 8. Leipzig, 1740.
12. Programma de natura Syllogiſmi, 2 pl. in 4to.

13. Lorenz Mizlers muſikaliſche Bibliothek etc. dritter Band, welcher beſtehet aus vier Theilen, nebſt denen darzu gehörigen LVII Kupfertafeln. Leipzig, 1752. der Preis 1 Rthlr.
14. Der muſikaliſchen Bibliothek vierten Bandes erſter Theil. der Preis 6 gl.
15. Diſſertatio inauguralis medica de balſami vulnerarii vſu ac praeſtantia in omnibus vulneribus, vlceribus tum inueteratis tum venereis, omnibus externis et plurimis internis inflammationibus, ſcirrhoſis inflammatiſque feminarum mammis etc. manibus pedibuſque frigore laeſis, viperarum morſu, etc. tuberibus, ſcirrhis, abſceſſibus, et ſi quis quaſſando, offendendo in quo, vrendo vel cadendo ſe laeſerit, inuentore et auctore Laurentio Mizlero, Philoſ. et Medicinae Doctore, in 4to 5 pl. A. 1747.
16. Abhandlung vom Nutzen und Brauch des Mizleriſchen Wundbalſams, in allen alten Schäden, friſchen Wunden, veneriſchen Geſchwüren, allen äuſſerlichen und den meiſten innerlichen Entzündungen, verhärteten, geſchwollenen und entzündeten Brüſten der Frauensperſonen etc. erfrornen Händen und Füſſen, dem Vipernbiſs, etc. bey Beulen, Gewächſen und Abſceſſen, imgleichen wenn man ſich gequetſchet, geſtoſſen, gebrennt, oder gefallen iſt. Leipzig 1747.
17. De vſu ac praeſtantia medicamentorum chemicorum diſſerit ac ſimul recitationes ſuas chirurgicas Varſauiae inter parietes ſuos menſe Nouembri inchoandas indicat Laur. Mizlerus, Philoſ. et Med. Doct. practicus Varſauienſis. Varſauiae a. 1751. typis colleg. ſcholar. piar. in 4to.
18. Laur. Mizleri etc. conſultatio de neceſſitate collegii medici auctoritate regia Varſauiae erigendi. Varſauiae, typis colleg. ſcholar. piar. a. 1752.
19. D. Lorenz Mizlers etc. Warſchauer Bibliothek, oder gründliche Nachrichten von verſchiedenen Büchern und Schriften, ſowohl alten als neuen, ſo in Pohlen herausgekommen, worinnen zugleich von dem dermaligen Zuſtande der Gelehrſamkeit in Pohlen zuverläſſige Nachricht gegeben wird. Beſtehet aus vier Theilen nebſt denen darzu gehörigen Regiſtern, auf das Jahr 1754. Warſchau und Leipzig, 1755. in 8vo. der Preis 8 gl.
20. Acta litteraria regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae A. MDCCLV publicata. Trimeſtre primum. Varſauiae et Lipſiae, in 4to.
21. Hiſtoriarum Poloniae, ab exceſſu Vladislai IV. regis Poloniarum, ad pacem Oliuenſem vſque Libri IX, ſeu annales regnante IOANNE CASIMIRO etc. auctore Laurentio Ioanne Rudawski etc. fol.

LIPSIAE, TYPIS STOPFFELIANIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0017097

Mc 9164

Geschichte
Polen
p. 152.